Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

STANFORD·VNIVERSITY·LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom, B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, W. E. J. Kuiper, J. D. Meerwaldt, J. C. Naber, A. G. Roos, M. C. Valeton, H. D. Verdam, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUINQUAGESIMUM QUINTUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1927.

Digitized by Google

376309

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Donatea (continuantur ex vol. LII°, pag. 148), scripsit L. RANK	1—22
De Arriani Indicae dialecto Ionica, scripsit A. G. ROOS . .	23—43
De duobus sermonis puerilis exemplis apud Theophrastum conservatis, scripsit J. D. MEERWALDT	44—53
Liviana III, (continuantur ex Mnemos. LIV pag. 41), scripsit C. BRAKMAN I. f.	54—65
Ad Plutarchi vitas, scripsit A. J. KRONENBERG	66—78
Ad Catonis librum de re militari, scripsit J. M. NAP . . .	79—87
De Aeschyli Prometheo, scripsit P. GROENEBOOM.	88—100
ΠΡΟΝΩΠΗΣ, scripsit W. E. J. KUIPER	101—103
ΠΤΡΑΣΤΡΟΝ, scripsit C. W. VOLLGRAFF	104—108
De testimonio Flaviano, scripsit L. VAN LIEMPT	109—116
De duobus locis Taciteis (Hist. V, C. 3 et 15), scripsit P. H. DAMSTÉ	117—120
Ad Dracontium, scripsit P. H. D.	120
Commodianea, scripsit C. BRAKMAN I. f.	121—140
De Carmine Epigraphico 186°, scripsit C. BRAKMAN I. f. . .	141—144
Deianira vere ΔΗΙ-ΑΝΕΙΡΑ, scripsit IGN. ERRANDONEA S. I. .	145—164
Donatea (continuantur ex vol. LV°, pag. 22), scripsit L. RANK.	165—183
Ad Aristotelis Περὶ τῶν ζῴων pag. 557 a, 10—15, scripsit L. A. W. C. VENMANS.	184—186
Observatiunculae ad papyros iuridicae (continuantur ex vol. LIV pag. 71), scripsit J. C. NABER	187—238
Vae Peditibus, scripsit P. H. D..	239—240
Ad Ammianum Marcellinum adversaria critica, scripsit P. H. DAMSTÉ	241—259
ΑΔΙΚΙΑ, scripsit B. A. VAN GRONINGEN	260—262
Inscriptio Dedicatoria Aegyptiaca, scripsit B. A. VAN GRONINGEN	263—268

Digitized by Google

Pag.
Appendix, scripsit C. BRAKMAN I. f. . . . . 269—272
De Iove Latiari, scripsit H. I. ROSE . . . . . 273—279
Liviana IV, scripsit C. BRAKMAN I. f. . . . . 280—286
De Comicorum quibusdam locis ad ludendum Demosthenem pertinentibus, scripsit J. D. MEERWALDT . . . . . 287—303
De Platonis dialogo Thrasymacho qui vocatur, scripsit H. D. VERDAM . . . . . 304—317
De capillamento muliebri hodierno queritur umbra Apulei, scripsit P. H. D. . . . . 318—320
De Antiphontis oratione prima, scripsit J. H. THIEL . . . 321—334
Ad Petrum Helbertum Damsté epistula qua strenam ab amicis, olim discipulis, oblatam prosecutus est H. WAGENVOORT . . . . . 335—336
De vocabulorum ordine observationes nonnullae, scripsit M. R. J. BRINKGREVE . . . . . 337—359
De Ioanne Goropio Becano, scripsit P. C. DE BROUWER . . 360—364
De Matrimonio Atheniensi, scripsit O. DAMSTÉ . . . . . 365—369
De antro Sibyllae Cumis nuper partim effosso, scripsit H. M. R. LEOPOLD . . . . . 370—376
Patres conscripti qui fuerint, scripsit I. H. VAN MEURS . . 377—385
„Pater Patratus" quid significet, quaesivit F. MULLER J.FIL. 386—394
De iudicio perduellionis sublato, scripsit E. H. RENKEMA . 395—400
De symbolica Phaethontis fabulae interpretatione apud Romanos, scripsit G. A. S. SNYDER . . . . . 401—409
De voce „paenitentia" apud Tertullianum, scripsit ST. W. J. TEEUWEN . . . . . 410—419
„Armaque" et similia in versu hexametro Latino, scripsit H. VROOM . . . . . 420—424
Sepulcrum incantatum, scripsit H. WAGENVOORT. . . . . 425—448

Digitized by Google

DONATEA.

SCRIPSIT

L. RANK.

(*Continuantur ex vol.* LII°, *pag.* 148).

XVI. Prodit Davus, qui spectatorum gratia suo indulget soliloquio. Loquitur de heri „semper lenitate", quam suo iure „latentem lenitatem" vocat Eugraphius deque qua nos monet Donatus ita: SEMPER LENITAS] ac per hoc simulata usque nunc lenitas e. q. s. Altera notula subsequitur sive a Donato sive a „Donatista" quodam profecta: SEMPER LENITAS] sine differentia *est importuna* lenitas. Hic sane in importunissima voce: *importuna* haereat quispiam. Haesit certe Teuberus, qui proposuit: *et in omni fortuna* lenitas. Coniectura sat lepida est, sed audacula et vix recta. Me si roges, respondere ausim mihi in voce manifeste corrupta latere participium futuri: *impositura*, notulamque sic fere exhibuisse magistrum: SEMPER LENITAS] ⟨lenitas⟩ sine differentia est *impositura* lenitas. [1])

XVII. Dicit servus vafer:

(v. 180) Id voluit, nos sic necopinantis duci falso gaudio.

Monet Donatus: ID VOLUIT] aut absolute accipiendum „id" aut *opposite*. Quid hoc? In optimo libro Parisino A est: *opposite*, in C legitur *ob*, in T: *ob*..... sequente lacuna. Legendumne est: aut absolute accipiendum „id" aut *pro „ob id" positum*? Verisimilem admodum mihi reddunt correctiunculam scholia qualia leguntur ad Andr. I 5, 54 QUOD TE..... ORO] quod, propter quod, II 2, 3 NESCIO QUID] deest propter: ut sit: propter nescio quid: ID PAVES] deest ob: ut sit: ob id, II 3, 2

1) Participii futuri amantissimus est Donatus.

Digitized by Google

SI ID SUCCENSEAT] id, ob id, propter id, III 3, 3 ID VISO] ob id viso, alia permulta eiusdem farinae.

XVIII. Sed iam missis ad tempus emendatiunculis fusius disputemus de lepidissimo loco Terentiano, optime, si quid sapio, intellecto etsi brevius illustrato a Donato, fusius sed perperam ab Eugraphio tractato, quem locum fortasse et recentiorum editorum interpretumque haud pauci male aut certe minus recte intellexerunt, illustraverunt, verterunt.

Omissis omnibus verborum velitationibus senex protinus ad iustam pugnam prorumpit his verbis:

(v. 185) Meum gnatum rumor est amare,

quibus verbis auditis Davus, omnium Terentianorum servorum intrepidissimus, statim infert:

Id populus curat *scilicet.*

Tum senex irae plenus:

Hoccine agis annon?

Audiamus nunc bonum Eugraphium:

ID POPULUS CURAT SCILICET] *haec defensio est* contra rumorem, verisimile non esse omnem populum de nescio cuius adolescentis amore cogitare. HOCINE AGIS ANNON] obscurus sensus et tamen talis est: curae tibi est quod populus loquatur?

Totam hanc doctrinam nauci non faciendam esse, vix est cur moneam. Sed nunc audiamus recentiores nonnullos vertentes et interpretantes: Versum 185um sic vertit Alfredus Maginus [1]):

Le monde s' occupe ma foi bien de cela!

Sic Anglice eadem verba reddidit Parrius [2]):

Oh, no doubt it is the talk of the town! Cui versioni hanc interpretationem affundit: „Davus intends *to throw a slight* on the report".

Sic Wagnerus [3]) de loco: „scilicet has an *ironical* force here: sure the public takes such lively interest in that".

Quam egregie erraverunt hi viri docti deque Terentio optime meriti! Abripuitne eos (ut de Eugraphio taceam) auc-

1) In opere cui titulus: Théatre complet des Latins sous la direction de M. Nisard; Térence p. 7.

2) P. Terentii Com. Sex. with a commentary by Edward St. John Parry. M. A. (London 1857.) p. 19.

3) Terence with notes critical and exegetical by W. Wagner Cambridge 1869.

Digitized by Google

toritas Ruhnkenii, qui in notissimis suis Dictatis haec de loco nostro dedit: „sensus est: non credo esse rumorem in populo; cur enim curet populus filii tui amorem?" Stallbaumius certe (ut hunc ultimum addam) in editione Terentii sua [1]) grate hanc Ruhnkenianam interpretationem repetivit.

Sed haec res utut se habuit, hoc mihi persuasissimum est etiam Ruhnkenium cum haec scriberet locum Terentianum non intellexisse. Ceterum mire profecto factum est, quod ipse Ruhnkenius post ipsam hanc interpretationem relegavit lectorem ad annotatiunculam Bentlei, quam si ipse paulo accuratius perpendisset, procul dubio sensisset summum hunc criticum et aliter et melius locum nostrum intellexisse. Ita res se habet: Sub Adelphorum finem miser Demea omnia sua mala denique cognovit atque desperans furens clamitans e Micionis domo in scenam prorumpit. Quem procul audiens bonus Micio dicit spectatoribus: „Rescivit omnem rem, id nunc clamat *scilicet*". Iuxta „scilicet" autem exstat librorum lectio altera: „ilicet", quam lectionem impugnans atque ablegans Bentleius observat: „tamen *scilicet* retinendum esse censemus, nam Terentii usui convenit v. c. Andr. I 2, 14 id populus curat *scilicet*". Quae verba (iterum dico) si prudentius legisset Ruhnkenius optime perspexisset, quam recte intellexerit Bentleius loci nostri ἦθος. Utroque nimirum loco ipsa illa vox *scilicet* graviter serioque profertur, utroque loco in ipsa illa voce „ironiae" deprenditur οὐδὲ στριβιλικίγξ.

Audiamus nunc Donatum. Quattuor deprendimus notulas ad lemma: ID POPULUS CURAT SCILICET] 1 quia rumigeratio populi est — 2 sed hoc *aversus* ab illo *contumaciter* — 3 sic Vergilius (Aen. IV 379): scilicet is superis labor est — 4 „scilicet" *semper* cum ironia ponitur.

Quam apta quamque utilis hic nobis occasio praebetur discendi, quantum et in crisi Donatea distent aera lupinis! Nam prima notula ut cuiusvis esse potest, ita tamen sana est, secunda notula pura puta est Donatea et quidem eius generis, quo iustam suam sibi consecutus est famam optimus magister, quartum scholion ineptum et manifestum continet mendacium.

1) Est editio Westerhovii repetita et recognita. (Leipzig 1830/31).

Digitized by Google

Ne rogemus censeo bonum magistrum „cur sic mentiri velit", sed ocius eum liberemus scioli additamento [1]). Sed restat adhuc, quod gravissimum est, ut disputemus de loco Vergiliano [2]) quem tertia notula huc allegat. Quod non ita dico, quasi dubium sit, quale huius celeberrimi loci sit ἦθος. Immo ironia et aperta et acerba invehitur misera Dido in Aeneam. Quid plura? Ecquis est qui verba illa sine admiratione perlegerit? At vel sic cavillari paene de loco cogor. Nam id demonstrare percupio, verborum Vergilianorum colorem atque ἦθος prorsus repugnare sensui notulae scenicae Donateae: „sed hoc aversus et contumaciter". Sane et Dido, ut disertis verbis exhibet poeta summus, *aversa* loquitur, verum tamen *aversa intuens* Aeneam „totumque pererrans eum luminibus tacitis", quod σχῆμα quantum distet ab illo, quo Davum suum in scenam inducat Terentius, quis non penitus sentit? Ira superba, ingenti contemptu desperans Elissa verbis suis lacerat perfidum amatorem, mox mordaci cordis dolore in animi deliquium collapsura, *contumaciter* adstat verna impudens coram domino vereque *aversus* id est data opera oculos retorquens ad.... spectatores attentos opinor. Iam quid sit contumacia nemo melius definivit quam ipse magister dum explicat: „proprie contumax dicitur contemptor potiorum". [3])

Sed iam sat superque dictum est: Qui Donati notulam scenicam, qui verum colorem verborum: *id populus curat scilicet* intellegere velit, is penitus obliviscatur necesse est totius loci Vergiliani! Atque aut ego egregie fallor, aut ipse ille locus Vergilii nimis sedulo collatus causa exstitit, cur infelix nasceretur ista Eugraphii explicatio verborum Terentianorum, quam explicationem aut repetivit aut suo nomine tutatus est Ruhnkenius.

Facile sic aliquis huic suspicioni indulgere possit ut credat ipsum istum sciolum, qui ineptam et falsam notulam quartam adscripserit de vocula „scilicet *semper* cum ironia posita", et Vergilianos versus quasi argumentum stultae suae doctrinae addidisse posteaque factum esse, ut tertium quartumque scholia

1) Vide Karstenum ad locum.
2) Verg. Aen. IV 379 sq.
3) Ad Hec. v. 504.

Digitized by Google

inter se locum permutaverint. Sed re usque perpensa et multis aliis locis examinatis, quibus ad Terentiana verba Vergilium adhibuit magister, vix dubito quin et haec nostra verba Vergiliana collata sint ab ipso Donato, de ἤθους discrepantia manifesta duorum locorum sat securo.

Sed ad Davum „contumacem" atque „aversum" redeamus iterumque audiamus istud: „Id populus curat scilicet". Atque multo propius profecto ad veritatem accessit recteque admodum colorem verborum dixit Spengelius cum sic locum explicaret: „Davus will damit sagen, dass doch das Volk sich immer um die Liebesgeschichten kümmern muss". Istuc recte, ut cum Terentio loquar, sed et ille praestans Terentii interpres prorsus me iudice a vero aberravit cum sic explicare pergeret: „Hiedurch will er statt bejahende oder verneinende Antwort zu geben, das Gespräch auf das neugierige Volk ableiten" [1]). Immo minime hoc vult servus confidens et propositi vafre tenax, qui mox interrogatus ab irato domino utrum rem intellegat demum necne audacter facetus infit: „Davus sum, non Oedipus". An putemus et illis verbis istum provocare velle dominum suum ad disputationem de humanae divinationis potestate?

Quid igitur vult Davus, quid poeta Terentius? Nil nisi id agunt ut ab ipso initio discant spectatores laeti, quale sit istud mancipium Davus, quam intrepide „per omnia sit servaturus conditiones" temerarii et confidentissimi vernae. Ideo dum primam irati domini interrogationem audiens audire recusat, dum nil respondere audet et aversus et contumax ficta ira corripit populum, egregie delectat spectatores.

Dudum incidi in Sheridani comici Anglici locum lepidum, quo egregie, mea quidem opinione, illustratur, immo ex asse paene redditur noster locus Terentianus. Nam in comoedia notissima, quae inscribitur: „The school for scandal" matrona quaedam garrula atque eadem maledicentissima sic maligne blanda alloquitur candidam virginem: „Oh, Maria! child, —

1) Komoedien des Terenz erklärt von A. Spengel — Erstes Bändchen: Andria. Berl. 1875 (1888). — Quod affertur locus Ciceronis (ad Att. XIII: 34) addita observatione „scherzhafte Anwendung" id observatum velim: locos quibus Cicero laudet nostrum locum Terentianum nihil afferre, quo melius verborum Terentianorum ἦθος illustretur.

Digitized by Google

what, is the whole affair off between you and Charles?... the town talks of nothing else". Sed illa indignata ad verba lactis felle cordis venenata sic sedate respondet:

I am very sorry, ma'am, the town has so little to do. [1])

En mera et mira bona fortuna verum loci Terentiani ἤθος repertum, mutatis nimirum, ut dicunt, mutandis. Nam vera indignatione incensam loqui virginem puram, ira contra vafre ficta improbum vernam, vix est cur moneam.

Denique ut vernacula loci nostri versione rem meam absolvam apta se praebet occasio haec, quod et vir doctus nostras Hoekstra [2]), de Terentio optime meritus, verba toties iam iactata sic reddidit, haud male profecto verum tamen minus recte, quippe nimis hilare et ut ita dicam, paulo levius: „een *belangrijk* [3]) nieuwtje voor de menschen". Ecquid et ille non nihil tribuit ironiae isti Eugraphianae et Ruhnkenianae?

Proinde ego auctor sim collegis praeceptoribus, qui adhuc gaudeant dum Terentium iuventuti interpretari student, ut sic fere Belgice locum nostrum reddant:

Simo (streng, en Davus in het gezicht trachtende te zien)
De praat gaat, dat mijn zoon een liefje heeft!
Davus (het hoofd afwendend en met geveinsde ergernis)
Natuurlijk! dát interesseert de lui!

XIX. Terentium suum quin non modo legerit et relegerit iterum iterumque Donatus, sed etiam in scena viventem, ut ita dicam, saepius intentis spectaverit oculis, quis dubitet? Atque eum „Davum suum" sic ut verbis proxime praecedentibus exposui „contumaciter aversum" loquentem et vidisse et audivisse id mihi vel deficientibus disertis testimoniis sat constat. Id verum esse melius etiam clariusque mihi certe apparet e notula lepida histrionibusque utilissima, quae subsequitur. Ad senis verba proxime sequentia quaeque iam laudavi: „HOCCINE AGIS ANNON" haec annotata legimus: „id est audis" [4]). Sequuntur duo exempla τοῦ hoc agere ex Eunucho atque e Plauti Asinaria petita. Subsequitur haec notula: „demonstrative veluti

1) Act. I Se. I.
2) Blijspelen van Terentius. Eerste Stuk (Haarlem 1921) p. 17.
3) Typis cursivis dedi ego.
4) An.: *audin*?

Digitized by Google

aurem suam tangens". Omnino hic conferendum est scholion quod adscriptum invenimus ad Eunuchi versum 130um: Hoc AGITE AMABO] hoc agite pro adverbio corripientis est positum aut certe pro adhortatione audientiae praebendae..... et convenit veluti *nutu*[1]) audientiam significantis *et gestu* hoc ipsum adiuvari. Profecto pretium suum habet histrioni praesertim huius scholii pars posterior cum *nutu* suo, cum *gestu* suo, attamen eiusmodi sunt verba ut quivis merus lector Terentianarum elegantiarum, dummodo sit attentus et sagax tale quid praestare possit. Sed mirum quantum haec superantur prima illa notula a qua sumus profecti! *Demonstrative veluti aurem suam tangens.* Quid? Nonne hic ex ipsa vita scenica felicissime quasi furatum putes optimum magistrum? Nam diversi admodum esse possunt gestus, quibus quis „audientiam" sibi poscat variisque modis et hic bene fieri potest. Sed quin optimum hunc lepidissimumque omnium gestum non excogitaverit magister sed propriis oculis in scena spectaverit id equidem nullus dubito.

XX. Ad voculas, ad syllabas meas redeo.

Sic minitabundus loquitur senex ad audacem servum, quem filii corruptorem esse probe sentit:

(v. 192)..... Tum siquis magistrum cepit ad eam rem improbum.... Annotatur: T. s. Q. MAGISTRUM] *μεταφορικῶς*. Subsequuntur haec verba misere corrupta: An quia ex (et) paedagogo est Geta. Iam Stephanus audacter haec corrigebat et supplebat: An quia et paedagogus est ⟨magister ut⟩ Geta ⟨in Phormione: me filiis relinquunt quasi magistrum⟩. Prudenter Wessnerus nil hinc in usum suum sumere voluit praeter unam voculam⟨*ut*⟩. Ergo sic dedit: An quia et paedagogus est ⟨ut⟩ Geta? Sed ego vix crediderim tam abrupte per unum nomen proprium locutum esse notulae scriptorem, sive Donatus ille fuit sive, ut mavult Karstenus, magistellus aliquis. Nonne duos Getas nobis exhibet theatrum Terentianum? Getam autem „Phormionianum" hic cum Davo nostro conferri quis non sentit? Supplemento sane hic opus esse mihi persuasum est, sed sup-

1) Cf. Phorm. 350 QUIN TU HOC AGE] *annuit* ut taceat, Phorm. 435: Hoc AGE *annuentis* est.

Digitized by Google

plemento et alio et breviore et multo aptiore quam est praelongum istud additamentum Stephani. Propono: An quia et paedagogus est ⟨ut: „o⟩ Geta ⟨monitor!"⟩. Et hercle aptissima hic fuit occasio notissimi illius loci Phormionis laudandi [1]). Eadem enim acerba εἰρωνείᾳ et hinc et illinc „magistrum" suum et „monitorem" suum proferunt diversi senes pari de causa pariter irati. Vel sic tamen audaculae suspicioni non indulsissem nisi cognovissem Eugraphium magistrum (quem Donato suo sedulo usum esse sat persuasum habeo) ad nostrum locum haec annotasse: „magistrum" dicit *monitorem* e. q. s.

XXI. Iam lenissima, quippe unius duarumve literularum correctione insulsissimum scholion ita emendemus ut sanam utilemque praebeat nobis observationem. Ad notissimum illud (v. 194) Davus sum, non Oedipus
haec annotat Donatus: „facete se negat Oedipodem ut senem sphingam esse confirmet". Veram esse hanc observatiunculam negare ausim, etsi a Donato scriptam esse eam concedere sum paratus, dummodo mihi concedant nimia et putidiuscula doctrina abreptum esse bonum magistrum. Quid? Ipsa locutio statim et per se, ut ita dicam, est faceta, minime vero hic acuta conclusione quadam facetiae sunt inveniendae atque quasi invehendae! Sed est subinde nimius noster [2]). An vero credamus necesse est tam subtiliter sibi hoc dictum interpretatos esse priscos illos Terentianae fabulae spectatores? Quid vero censendum est de praelonga ista observatione, qua magistri subtilitatem subtiliorem etiam efficere studuit magistellus aliquis, „philosophus" per me licet: „multiplex contumelia: potest enim senem quasi sphingam dixisse, id est deformem monstrique similem; potest etiam iuhumanum et ferum ut sphinx; potest etiam per Oedipodem se ultorem promittere futurum atque oppressorem sapientiae senis". Apage istiusmodi graves ineptias. Infelices hercle istae sunt herbae philosophicae et falce Karsteniana quae demetantur dignissimae. Sed et haec in transitu.

---

1) Phorm. v. 238 sq.

2) De Donato interprete „nimio" quae olim scripsit Hartmanus (De Ter. et Don. p. 101 sq.) ea et nunc sunt lectu dignissima.

Digitized by Google

Propero ad ultimam notulam, quam sic cum lemmate suo exhibet Wessnerus: † NON OEDIPUS †] *imitationum* duo genera sunt, quaedam necessitas introducit, quaedam voluntas. Quid haec sibi volunt? Observat Karstenus: „scholion obscurum et quo pertineat incertum". Et verissime sic pergit: „quod hic perhibetur de imitationibus valet de centum aliis actionibus humanis". Wessnerus duos obelos lemmati misero appingendos curavit. Nimirum forcipe evellere istud vult. Breviter annotat: „scholion ad v. 21 (192) pertinet: TUM SIQUIS MAGISTRUM E. Q. S." Sed egregie fallitur praestans editor dum manifeste corrupta praeterit ulcus in sano facturus. Nam in illis verbis:

(v. 192)... Tum siquis magistrum cepit ad eam rem improbum.
Ipsum animum aegrotum ad deteriorem partem plerumque applicat

de *imitatione* nec sermo ullus nec cogitatio ulla est. Immo audiendus tantummodo, *minime imitandus* est Davus magister adulescenti, quem corrumpere vult atque in patrem sollicitare. Sed nec damnandum nec transponendum quicquam hic videtur. Corrigenda sunt verba:

Oedipus pro divino positum est τρόπος, est μετωνυμία, est *translatio*. Figuratas eiusmodi locutiones, *translationes* praesertim, ut libero arbitrio plerumque ita interdum et necessitate quadam a nobis omnibus adhiberi solere, id cum ipsa evincit ratio, tum diserte protestantur testimonia et opiniones omnium, quotquot de hac materia dixerunt scripseruntve. Ut uno absolvam exemplo: nonne omnes Latine loquentes dicere cogimur: „hic vir *veneris* est appetentissimus" pro locutione ista propria, qua uti nolo? Longum est et inutile disertas super hac re observationes proferre, quas nobis exhibent Cicero, Quintilianus, rhetores minorum gentium. Pro omnibus sufficiat hic locus vere classicus Tullianus, qui est in libro tertio de Oratore (de or. III 155): „Tertius ille modus transferendi verbi late patet, *quem necessitas genuit*..... post autem *delectatio iucunditasque celebravit*". Quid quod ipse magister Donatus „Artis" suae sic orditur ultimum capitulum, quod „de Tropis" inscribitur: „Tropus est dictio translata a propria significatione ad non propriam similitudinem *ornatus necessitatisve causa*". Hisce, ut et ego iam quasi tropice loquar, ex voluntate mea stat

Digitized by Google

stabilitus syllogismi mei maior. Atqui quis nescit cum omnes τρόπους generaliter tum μετωνυμίας sive *translationes* illas praesertim etiam *immutationes* audiri apud Latinos? En sequuntur conclusio et emendatiuncula, nam legendum est: „*immutationum* duo genera sunt, quasdam necessitas introducit, quasdam voluntas" [1]). Lemma servandum est. Donatone indigna est notula?

XXII. Ad Graeca quaedam delabor, de quibus pauca non bona verba mihi facienda sunt. Ad verba senis: „NIHIL ME FALLIS" tria quattuorve vocabula Graeca laudat magister, misere ut solet a librariis corrupta. Latet locutio Menandrea. Vestigia sat certa perfecti λέληθας cum insequenti pronomine: με deprendimus in Parisino A. Inde ille, qui „manu quarta" Graeca quaedam supplevit in codice M effecit: νῦν δὲ οὐ λέληθάς με. Graeca ista sunt saltem. Dziatsko suspicatus est: νῦν δ' οὐ λέληθας μὴν ἐμέ. Multo elegantius Leeuwenius noster: νῦν δ' οὐ λέληθας μ' οὐδὲ ἓν [2]). Sic si finire potuissem..... omnino de re scribere non coepissem. Sed plura sunt addenda. Excogitavit olim Lindenbrogius: νῦν δ' οὐ λέληθάς με ἄν, teste Wessnero. Id cum legerem, primo credere nolui. Sed quoniam mihi forte fortuna praesto erat editio Lindenbrogiana, statim atque avide eam arripui et inspexi. Et sane dedit vir praestans: νῦν δ' οὐδὲν λέληθάς με ἄν. „Vix haec digna sunt" dicat quispiam „quae etiam nunc in apparatu critico legantur, sed silentio premenda sunt". Quid? Credasne istam correctionem (!) *in textum* esse receptam et a Wessnero et a Karsteno? At hercle ita factum est. Hic profecto peropus est proverbio de bono Homero interdum dormitanti!

XXIII. Prorumpit in scenam Pamphilus. Qualis sibi sit sors futura „modo" a patre cognovit. Indignatur, metuit, dolet vehementer. „Hic" Donatus inquit „inducitur adulescentis animus circa nuptias, ut ex magnitudine *eius* ingens gaudium comparetur in fine fabulae". Annotatio utilis vereque Donatea, quae vitium contraxit in vocula *eius*. Rabbovius proposuit *metus*. Siquidem non *metu* tantum sed etiam dolore et ira fluctuat fluc-

1) Conferatur si tanti est inepta varia lectio *immu*tationem pro *imi*tationem, quam exhibet cod. V in annot. ad Andr. v. 780.

2) Vide ed. Karst. Vol. II. Praef. pag. XV.

Digitized by Google

tuabitque miseri adulescentis animus equidem conicere ausim: *aestus*. Vox in deliciis fuit Donato, librariis fortasse paulo fuit insolentior. Cognoscamus annotationem Donati ad Hecyrae versum 605um ubi ad alterius Pamphili perinde aestuantis exclamationem „VAE MISERO MIHI" haec observata legimus: „....ingemiscit utpote qui penitus dolore commotus *aestum* animi dissimulare iam non potest". Atque hic in uno saltem bono libro vocem *aestus* corruptam etiam invenimus in *est ut*.

XXIV. Redeamus ad Pamphilum nostrum in patrem atque in socerum futurum Chremetem alternis vicibus cum indignatione invehentem:

(v. 236) Hocine est humanum factum aut inceptum? hocine
[est officium patris?
.....Pro deum fidem, quid est si haec non contu-
[melia est.
Uxorem decrerat dare sese mi hodie: *nonne oportuit Praescisse me ante?* nonne prius communicatum oportuit?
(v. 241) Quid? Chremes, qui denegarat se commissurum mihi
Gnatam suam uxorem, id mutavit, quia me immuta-
[tum videt?
(v. 252) Nam quid ego dicam de patre? ah
Tantamne rem tam neglegenter agere! praeteriens modo
Mi apud forum „uxor tibi ducenda est Pamphile hodie"
[inquit: „para,
Abi domum". id mihi visust dicere „abi cito ac
[suspende te".
Obstipui, censen me verbum potuisse ullum proloqui?
Ullam causam, ineptam saltem, falsam, iniquam?
[obmutui.
Quod *si ego rescissem id prius*, quid facerem, si quis
[me roget:
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem.....

Cognoscamus Donatea quaedam atque Eugraphiana adscripta ad hunc locum, quem in brevius contractum exhibui, salvo tamen soliloquii tenore salvaque sententiarum perspicuitate. Ad primum versum haec annotat Donatus: „ab iracundia et dolore coepit: iracundia ex iniuria descendit, dolor ex miseria". Recte. Hoc tamen teneamus: animi istos affectus in

Digitized by Google

aestuanti adulescente alternis quidem vicibus se excipere, ita tamen ut numquam „iracundia" a „dolore", „dolor" ab „iracundia" absit. Id ipsum probe sensit magister. Nam ad verba Pamphili: „NONNE OPORTUIT PRAESCISSE ME ANTE" irae atque indignationis plena et haec annotavit: „*dolet* autem se spatium non habuisse consilio" et mox ad verba: „QUID? CHREMES." haec adscripta legimus: „irascitur patri, quod cogat, Chremeti quod non neget uxorem" sed statim additur: „*dolet* non odio haberi, non repudiari". Haec igitur memori dum mente tenemus et oculos et animum attendamus in miram notulam sequentem, qua illustravit Eugraphius ipsa illa verba, quae ultima laudavi: QUID? CHREMES] *dolose servus* convertit ad socerum, quoniam constabat eum filiam iam negasse. Ecquid magis ridicule corruptum est? Placide quidem pro *dolose* edidit Wessnerus: *dolo se* sed quid, obsecro, lucramur τῇ διχοτομίᾳ? Iamne minus ridicule molestus est iste *servus* cum *dolo* suo quasi ex insidiis in socerum Pamphili prosiliens? Quid plura? Quin et ego prosilio ad correctionem audaculam, ad quam sensim arrepsi? Credo Eugraphium scripsisse: *dolore se rursus* convertit ad socerum, *servum*que istum *dolosum* librariis permitto. Ceterum operae pretium est observasse, quomodo sexies septiesve in expositione huius scenae Eugraphiana recurrat istud *rursus* ad depingendas vicissitudines, quibus obnoxius animus Pamphili huc illuc fluctuat.

XXV. Haec igitur audacia aliqua sanari posse videntur. Quid vero facias illa notula, qua Donatus ornavit verba Pamphili: „NONNE OPORTUIT PRAESCISSE ME ANTE?" „Praescisse" inquit „proprie ad eum refertur, hoc est ad Pamphilum". Num sana haec sunt propterea quod verti atque intellegi possunt? An potius insulsissima? Hoc censuit Karstenus, qui notulam damnavit uno verbo addito: „inania"! Sed fortasse ideo prorsus sunt inania quod corrupta sunt. Dubitanter sic supplevit Wessnerus: „Praescisse proprie refertur ad eum ⟨qui queritur⟩". Verum quam exigua vis persuadendi in eiusmodi correctionibus insit quis non sentit? Iam quid ego cogitaverim atque excogitaverim proponam:

Subito uxorem ducere iubetur Pamphilus, dum amorum suorum deliciis atque aerumnis pariter occupatur. Optime scit,

Digitized by Google

patrem suum „omnia scire" probe sentit nuptias istas odiosissimas accusationis instar sibi denuntiari. De improviso rem suam agi, *reum* se factum esse intellegit et quidem iniquissima sub conditione. Est sane eius conditio haud absimilis ab illa iniuria, qua se oppressum esse coram iudice vehementer questus est Cicero adulescens causarum patronus cum pro Quinctio diceret et verba illa Tulliana: „.....id accidit praetoris iniquitate et iniuria..... quod ita constituit id ipsum iudicium ut *reus* antequam verbum accusatoris audisset causam dicere cogeretur" [1]) ipsam etiam Pamphili nostri depingent causam si modo pro „praetore" substitueris patrem Simonem. Nam *rei* vel nequissimi hoc est ius proprium ut *praesciat*, quae contra se sit prolaturus accusator. Quid plura addam? Etenim quid velim iam apparuit. Emendasse me verba id vix confidere ausim. Vel sic tamen non indigna Donato mihi videtur notula: Praescisse proprie ad *reum* refertur, hoc est ad Pamphilum.

XXVI. Porro cognoscamus locum mire corruptum, qui facili negotio, nisi egregie fallor, corrigi potest. Sed quoniam in re tam simplici nullam usquam propositam correctionem inveni in dubio mihi est animus. Fortasse omnia sana et perspicua sunt nihilque aliud restat quam ut ego concedam me notulae simplicissimae sensum capere non potuisse. Libet hic iam quasi inverso rerum ordine a futili sed necessaria me iudice emendatiuncula proficisci, tum quam apta, perspicua, vera sit notula ostendere, denique adicere lectionem traditam:

(v. 252) Nam quid ego dicam de patre? ah
Tantamne rem tam neglegenter agere! praeteriens modo
Mi apud forum „uxor tibi ducendast Pamphile hodie"
[inquit „para".

Sic exclamat adolescens neque iniuria. Imperat pater, ut nuptiae fiant: hodie, statim! Magnum id iam et durum et inevitabile malum. Sed gravius aliquid vel potius ignominiosius aliquid accedit. Tale imperium, quasi in transitu a praetereunti patre prolatum, silentio accipere coactus est filius, tamquam si quis servus ab otiose praeterambulanti domino haec audiret: „tu iam nobis cenam para". Paene dicas patrem ipsum parum

1) Cic. pro Quinctio § 9.

Digitized by Google

curare propria sua iussa. Verum hercle fieri iubet [1]) inutili et acerba addita contumelia socordiae. Bene id opinor sensit Donatus recteque id enuntiavit dum annotat: „Redit ad patrem in quo nove id accusat, neglegenter eum agere, quod *velit* fieri. Sed optimus liber A, sed omnes editiones, quotquot cognovi exhibent: quod *nolit* fieri [2]). Sic iam et tu, candide lector eligas utrum in hac re sive velis sive nolis fieri.

XXVII. Ad verba: PRAETERIENS MODO E. Q. S. hanc deprendimus observationem Eugraphii spinosam et mihi sat molestam: „modo" autem tempus respirandi non habet, tunc patris imperio et praesentia territus respondere non potuit". Priorem partem huius scholii vertere possum, intellegere prorsus nequeo. An sic verba accipi a nobis voluit magister ut interpretemur: „modo" autem „tam brevi ante" significat ut vix tempus respirandi detur antequam ad praesens tempus pervenias? Sit hoc credibile, at quid porro? Nam altera scholii pars, quae sana est sanumque praebet sensum nullo iam cogitationis rationisve vinculo cum praecedentibus cohaerere videtur. Attamen ipsa vocula „*tunc*" mihi est manifestum indicium artissimae cuiusdam cohaerentiae, ipsa vocula „*tunc*" mihi videtur suum sibi oppositum *nunc* quasi flagitare. Quid si vocalam „*non*" in priore parte scholii obviam mutemus in *nunc* [3])? Sic maiorem totius scholii partem ita exhibere possumus ut aptissimum praebeat sensum per disiunctionem: tempus respirandi *nunc* habet (nimirum Pamphilus): *tunc* patris imperio et praesentia territus respondere non potuit. Sed nunc misere frigent voculae „*modo*" *autem*. Paulo audacius una vocula interserta et illas apte praemittere simulque adiungere ausim sic: „modo" autem (scripsit Terentius) ⟨*quod*⟩ tempus respirandi *nunc* habet (Pamphilus): *tunc* patris imperio et praesentia territus respondere non potuit.

XXVIII. In loco me iudice desperato etsi non emendationem tamen correctionem meam sat vilem sane sed fortasse probabilem ad prolata commenta additam velim. Dolet Pam-

---

1) Simulatas esse has nuptias spectatores sciunt, nescit Pamphilus.

2) In duobus sane libris bonis (C. T.) traditum est: *voluit*.

3) Voculas *nunc* et *non* saepissime in libris confundi quis nescit?

Digitized by Google

philus, se nullum verbum proferre potuisse ad defensionem. Annotat Donatus: „duo *tempora* in defensione (defensionem AT.): aut vera aut ad tempus accommodata". Quaeritur quid scripserit magister eo loco ubi nunc legitur absurdum istud *tempora*. Iam Stephanus proposuit: *comparantur*, alii aliud. Quid moverit Wessnerum ut Rabbovii commentum: *patent* in textum reciperet, id me peritiores viderint. Equidem commendare ausim: duo *temptantur* in defensione, collatis his locis Donateis et Eugraphianis: Don. ad Ad. 529: „vide magistrum ad nequitiam ut.... honestum *temptet* afferre argumentum ad mendacium", ad Hec. 263: „remotivo statu agit Philippus..... nam in filiam removet culpam..... et relativam simul *temptat* qualitatem", ad Hec. 383: „quia facilis venia circa vetera iam delicta, unde *temptat* temporis longinquitate extenuare peccatum", Eugraph. ad Phorm. 348 (in notissima lite): „verumtamen *temptatur*, ut orba esse dicatur, *temptatur* etiam illud quod in lege positum est", ad Phorm. 732: „hic est tota illa purgatio..... quamquam *temptat* etiam quandam compensationem". Quibus omnibus locis temptantur varia defensionis vel excusationis momenta.

XXIX. Sed ardore corrigendi ad tempus deposito paulisper immoremur in locutione „mira" „nobili" pura puta me iudice Donatea, Karsteno contra inutili „sat inepta", Donato indigna.

Subtiliter ducit atque agitat callida Mysis miserum Pamphilum amore metu indignatione misericordia aestuantem et fluctuantem. Iam qualis sit praesens status, qualis mox sit sors futura dominae suae, nisi Pamphilus succurrat, narrando iuvenem in castra sua, quippe in castra amoris propriis quasi vinculis onustum vereque captivum perduxit. Iam eo indignationis atque animi mollitiei simul pervenit ille ut exclamet:

(v. 277) Adeone me ignavum putas,
Adeone porro ingratum aut inhumanum aut ferum,
Ut neque me consuetudo neque amor neque pudor
Commoveat neque commoneat, ut servem fidem?

Ad lemma IGNAVUM annotavit magister: „quod adversum necessitatem proferendum fuit, id primum dixit: adesse sibi virtutem, quae sequuntur" (vult nimirum magister verba illa: adeone porro ingratum aut inhumanum aut ferum) „ad fidem

Digitized by Google

pertinent. ita pro tempore contemptum patris pro fortitudine habet". Genuina haec, lucida, utilia esse quis infitias ibit? Sed mox ubi perventum est ad ipsum lemma: ADEONE PORRO INGRATUM AUT INHUMANUM, haec invenimus: „mira omnis conversio: non enim dixit „adeone me obsequentem patri existimas, adeo gratum adeo pium adeo mansuetum". Omnia ista proscripsit Karstenus nec fortasse sine iniuria. Nam verissimum est observationes aut omnes aut plerasque istas, quae hunc (ut ita rem breviter proponam) exhibeant τύπον: *non hoc sed illud*, frequentes admodum in commentario obvias, nimiam quandam, supervacuam, putidam subinde sapere doctrinam, ita ut si quis ista a Donati nomine „separata" velit haud invitus „recte tu suades" dicas.

Sed ultima haec subsequuntur: „*ita amatoris per omnia servat condiciones ut oratorie hoc cogatur scelus esse, si pareret nunc patri.*

Quae quominus cum severo critico et ego perinde damnem tres obstant causae, quarum prima (levior sane) haec est, quod etiam hac observatione deleta, scholiis fere orbatum relinquitur lemma, secunda multo mihi gravior haec est, quod ipsa illa verba: *ita amatoris per omnia servat condiciones, ut oratorie hoc cogatur scelus esse, si pareret nunc patri*, aptissimam et quasi optatam mihi praebent explicationem illius notulae quam supra scriptam legimus: *quae sequuntur ad fidem pertinent.* Tertia vero causa mihi quidem gravissima est, aliis fortasse sat levis, siquidem in gustu et sensu omnis versatur. Lepidam esse notulam et magistro prorsus dignam perhibere ausim.

Sed libet longiore serie Donatearum notularum prolata exponere, quantopere illud *servandi* verbum adamaverit magister, quamque appetens fuerit eiusmodi χαρακτηρισμῶν, quorum unum hic deprendimus specimen luculentissimum etsi nimis fortasse speciose enuntiatum:

Sic de Phaedria bono amatore in fine Eunuchi [1]) dicitur: „*ita* et *servata* est *persona* tarde consentientis *amatoris*", sic de Hegione probo sene ac religioso legimus in Adelphis [2]): „*servatur* enim *in Hegione, quod* vir bonus sit et amicus",

1) Eun. 1083. 2) Ad. 449.

Digitized by Google

atque in eadem fabula [1]) Ctesiphonis corrupti quidem sed bonae indolis adulescentis χαρακτήρ optime illustratur sic: „*servatur* enim in eo et *amor* filii *et amoris effectus*". Primarium hic locum obtinet praeclara et acuta illa observatio de ingenio Demeae [2]): „bene in postremo *dignitas* huius *personae servata est*", quae verba iure Lessingii meruerunt laudes. Contra Micio bonus hac una sententia [3]) nobis egregie depingitur: „*sic* in eo *servat placidum animum*, ut tamen retineat patris affectum". Haec addantur ex Hecyra fabula: De Parmenone servo [4]): „vide quemadmodum *servetur* Parmenoni *persona* loquacis, curiosi, pigri". De Pamphilo misero sed per omnia uxoris usque memori: „*servat* enim in illo *amorem* poeta" [5]) et mox: „inaniter diceret, nisi ad exitum fabulae poeta respiciens *reducturi animum* in Pamphilo *reservaret*" [6]). Sic denique de duobus Hecyrae senibus subtili acumine disseritur: „bene *servata sunt personis congruentia*, nam socerum monere hanc rem tantum decuit, non et facere" [7]). Dicere possum illud: κοὐχ' ἅπαντας ἐκφέρω, etsi confidentia multo minore, quam qua olim heroes isti Aristophanici locuti sunt. Nam quae ego protuli sufficient iis, qui mecum sunt facturi, eos vero qui hic damnare aut dubitare maluerint vel duplus eiusdem generis exemplorum numerus vix movebit. At vel sic cum ob pretium quoddam interius veritatemque reconditam tum ob ipsum illud verbum „servandi" servatam velim et Donato vindicatam istam notulam, cuius sensum sic fere intellego et reddo:

Tanta constantia in omni conditione amatoris partes implere perseverat adulescens ut hic oratorie i. e. propria eloquentia quasi abreptus id proloqui cogatur: scelus futurum esse si pareret nunc patri.

„Euge" hic dicat quispiam „belle! Ut tu explicatione tua implicare, dubia evitare, vitiorum stigmata offucia oblinere calles! Sed tu iam mihi dicas velim, utrum hic Pamphilus sit subiectum *τοῦ servat*, an ipse poeta. Tu me porro doce sodes, quid significet: *servare amatoris conditiones*".

Et satis profecto me impeditum sentio, quoties ipse me de

1) Ad. 519. 2) Ad. 986. 3) Ad. 142. 4) Hec. 360.
5) Hec. 447. 6) Hec. 489. 7) Hec. 720.

Digitized by Google

his quasi interrogo. Tamen ad priorem quaestionem mihi respondeo, parum interesse, quod ad verborum sensum attineat, utrum poeta ipse personarum suarum conditiones servet an ipsae personae suas servent conditiones poetae voluntate. Tum „*servare amatoris conditiones* mihi fere idem est quod *servare amatoris personam* etsi huius locutionis alterum exemplum in Donato nusquam reperio. Vellem ita locutus esset magister: *ita amatoris per omnia servatur conditio.* Sed ne leniter quidem reficta velim verba, quorum sensus mihi vel sic sat perspicuus est. Sensum autem hic specto. Ille enim mihi vere Donateus videtur. Quid? Nonne dignum Donato fuisse putes hic observasse, quomodo adulescens noster amore et misericordia permotus, ancillae insuper callida sollicitatione quasi exasperatus eo pervenerit ut ingratum, inhumanum, ferum iam ducat.... patri obtemperare?

Ad *servandi* sollemne verbum recurro. Inventionis esse Donateae hoc artis vocabulum id opinor vix quisquam credat, nisi cui fortasse omnino e memoria exciderit Flacci illud praeceptum:

Siquid inexpertum scenae committis et audes
Personam formare novam, *servetur ad imum*
Qualis ab incepto processerit et sibi constet.

Utrum denique ex ipso Horatio ipse hanc sibi locutionem sumpserit Donatus an per Euanthium illam cognoverit an e communis cuiusdam doctrinae scenicae supellectile deprompserit quis dicat?

XXX. Nunc audiamus sedulum Eugraphium in Pamphili „deliberativa" in qua Mysis ancilla est „pro suasore". Pauca quidem sunt verba quibus conabor adhibere medelam me iudice necessariam, sed ut huius correctionis ratio manifeste appareat plura magistri verba utique nobis hic sunt praegustanda. Nonnulla verba literis inclinatis exarata dabo, quo facilius memoria teneantur. Sic ergo incipit magister ad scenae nostrae versum primum: „Haec scena deliberativam habet, quae talis est: adulescens amans, qui a⟨matae⟩ [1]) promisit se eam ducturum uxorem a patre cogitur, ut alteram ducat uxorem:

1) Sic correxerunt Goetzius et Schoellius. Codices exhibent: *quia*. Mihi istiusmodi correctiones egregie displicent. Nonne hic sufficit: *cui*?

Digitized by Google

deliberat quid faciat. hic omnis deliberativae partes sunt et ab ipso qui deliberat percurruntur, verum quoniam optima deliberatio est, cui alius persuasor accedit, idcirco Mysis ancilla praesens invenitur, *ut eius aspectu facile in unam partem memoria dominae eius et sui amoris possit incumbere*, quippe cum hic *ex una parte* pater sit.... *ex alia parte* amor".

Haec est casus ut aiunt positio. Ubi ad ipsas res perventum est annotat magister (ad. v. 259): „hic est propositio ipsius deliberativae *per duas* scilicet *partes*: an imperio obtemperet patris, an amori potius serviat".

Mox ad versus proxime insequentes (v. 262 sq.), quibus paternae lenitatis penitus memorem se profitetur adulescens haec legimus: „hac parte *inclinatam* sententiam declaravit..... sed nunc iam electio consilii est ut hoc facere" (nempe patri obtemperare) „videatur. Verum obsistente amore rursus ad incertam sententiam devolutus est. Incertum est inquit quid agam".

Iam ἐπὶ ξυρεῦ ἀκμῆς stat res et recte annotat magister: „Optimo loco Mysis se interponit". Sequuntur haec verba:

„ut *in parte aliqua* adulescens vel *in* praesentia Mysidis vel *ad* commemorationem Glycerii possit inverti".

Haec vertere si omnino opus est possum, intellegere nequeo. Nam cur hic invertendus sit adulescens *vel in* praesentia Mysidis *vel ad* commemorationem Glycerii id me fugit. Attamen si quid sapio aut bona Latinitas et sani intellectus ratio hic sunt evertendae aut ad absurdam istam quam exposui sententiam est perveniendum. Quid? Ecqua hic corrigi possunt non nimis audacter? Id perpendamus censeo. Nam primum voculae *in* et *ad* absunt a „recensione α" atque in eadem illa librorum recensione legimus: commemorat*ione*. Sit sane verum id iudicium ad quod Wessnerus pervenit: „recensionem α valere iubemus: ex his enim quae exposui, recensionem β solam esse dignam qua nova editio quasi fundamento nitatur, satis iam apparuisse existimaverim" [1]): Num ideo plane est spernendum quicquid in illa se offert? Nonne et recensio quaedam et plenior et potior vitiis quibusdam (minusculis praesertim) in-

1) Vide Wessn. Vol. III. Praef. p. XIX sq.

Digitized by Google

quinata esse potest, quibus vitiis careat altera quaedam recensio brevior, decurtata, retractata (per me licet) e fonte cum priore illa communi derivata? Id opinor. Proinde quoties in tali rerum statu correctiunculae probabilis mihi affulserit bona ratio, ego illud „stemmata quid faciunt" murmurare ausim.

Ergo collata sententia illa, quam supra totam inclinatis dedi literis: „*ut eius aspectu facile in unam partem memoria dominae eius et sui amoris possit incumbere*" suspicari ausim hoc nostro loco Eugraphium sic scripsisse: „ut *in partem aliquam* adulescens vel *praesentia* Mysidis vel *commemoratione* Glycerii possit inverti. Cuius sententiae interpretatione iam non opus esse opinor. Sed ad verba ita, si dicere fas est, emendata adhibitam velim hanc tertiam Eugraphii notulam, quae infra legitur ad actus IV^{i} scenae II^{ae} initium. (ad v. 684). Bis enim in fabula nostra callida ista Mysis dubitantem Pamphilum ad „amorem" revocat, bis „optimo loco" bis „opportune" se offert. Ad poetae verba:

Iam ubi ubi erit inventum tibi curabo et mecum adductum
Tuum Pamphilum e. q. s.

haec a magistro observata legimus: opportune se iam hic incerto adulescenti..... interponit ancilla Mysis, *cuius aspectu et commemoratione mulieris facile animus in amorem inclinatus incumbat, quemadmodum et supra diximus.*

Haec sufficere opinor. An insuper opus est ut ultima illa addam, quibus „perfectam esse persuasionem" nos monet magister: „denique concitatus iam *unam elegit partem*" (ad v. 268)?

XXXI. Aliquanto brevius certam iam, nisi omnia me fallunt, proponam emendatiunculam: De morte deque novissimis verbis Chrysidis meretricis bonae, dilectae Glycerii suae „matris" ipsa recordatione rerum graviter commotus ad Mysidem ancillam sic quasi referre incipit Pamphilus noster:

(v. 282) ..... o Mysis, Mysis etiamnunc mihi
Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis
De Glycerio. Iam *ferme* moriens me vocat e. q. s.

Ad lemma: IAM FERME MORIENS haec legimus: ferme adverbium est *festinantis*. Satin haec absurda? Sed in promptu est correctiuncula tam lenis tam certa, ut caute circumspexerim, num quid hic me luderet typothetarum error aliquis. Verum

Digitized by Google

festinantis ediderunt Stephanus, Lindenbrogius, Westerhovius, Wessnerus, *festinantis* in editione recentissima Karsteni repetitur, ubi damnatur sane misera notula. Haud nimis profecto temere me iudice haec adscripsit Karstenus: „definitio inaudita". Adiecit sedulus editor alteram voculae *ferme* definitionem, Varronianam illam, quae talis est: „ferme a ferendo, quod id quod fertur est in motu et adventat". Quod hercle non ideo mihi fecisse videtur ut auctoritatis aliquid dignitatisve impertiret ineptissimae definitioni, sed alii viderint. Utrum corrupta esse possint verba tradita necne, de hac re ne cogitasse quidem videtur Karstenus, siquidem, ut semel iterumque monet, vacare noluit „spuriis" emendandis. Nobis ergo hoc reliquit. Proinde nos dicamus notulam esse corruptam, esse emendandam, posse emendari. Legendum est: „ferme" adverbium est *aestimantis*. Tu porro lector candide si adhuc dubitas (nam duae literae mutantur) mecum cognosce sodes notulam, quae ad versum 460^{am} huius fabulae adscripta legitur: Et „ferme" facilitatem significat *quia sunt adverbia aestimationis*. Siquidem et alteram hanc notulam relegavit Karstenus, ut in exilio sociam saltem agnosceret a nobis provisum est.

XXXII. Sed ecce iam evanuit veritatis plenaeque certitudinis lumen porroque est ambulandum per crepuscula dubiamque lucem suspicionum:

Pergit Pamphilus referre ultima verba Chrysidis, quae olim cum Glycerio sua ad lectum morientis matris adstans audivit:

(v. 290) Per tuam fidem perque huius solitudinem
Te obtestor, ne abs te *hanc* segreges neu deseras.

Ad lemma: NE ABS TE HANC SEGREGES adscriptum legimus breve scholion: „quasi ipsam *amantem*". His verbis unicam voculam *hanc* illustrari mihi vix dubium videtur. Sed ultimum scholii vocabulum vitium crepare iure, si quid sapio, iam suspicatus est Stephanus. Nam „*hanc*" esse „*amantem*" quis nescit? Quid insulsius, quid magis supervacuum dici potest? Mihi cum vetere critico persuasum est admodum, notula brevi hic vim demonstrativam pronominis *hanc* plenius ac planius describi. Quae opinio mihi confirmatur dum lego observatiunculam, qua illustravit magister Chrysidis verba proxime sequentia:

(v. 296) Bona nostra *haec* tibi permitto e. q. s.

Digitized by Google

ubi optime annotatum legimus: „haec verba quasi supellectilem suam ostendentis sunt". Sic nostro loco exspectaveris: „quasi ipsam ostendentis sunt" vel tale quid. Ergo recte Stephanus sed audacule: quasi ipsam *manu tenens*. Quid si eadem cogitationis via insistentes leni correctiuncula scribamus: quasi ipsam *astantem*? Prope nimirum adstat puella maerens ad „matris" lectum lacrimantibus oculis opinor alternis vicibus matrem morientem et adulescentem „maritum" intuens.

XXXIII. Ad idem lemma: „NE ABS TE HANC SEGREGES NEU DESERAS" haec observavit Eugraphius: „sunt autem duo: „ne abs te segreges" ne non eam ducas uxorem, „neu deseras" neve non *pugnantem* defendas: scit enim esse peregrinam secundum suspicionem suam".

Nonne et in his manifesta deprenditur corruptela? Quid obsecro *pugnabit*, quid *pugnare* poterit misera illa puella, sola relicta, innocens, afflicta? Paulo me iudice audacius sed sat eleganter corrigebat Lindenbrogius: *periclitantem*. Re vera periclitatur infelix illa Glycerium. Periculum enim est ne ab amatore deseratur. Triste hoc. Nonne gravius aliquid accedit ad solitudinis periculum instans? Opinor. Gravida est, partus instat. Quin corrigamus: neve non *praegnantem* defendas. Ecquid magis metuunt virgines, scenicae praesertim, quam illud, ne vitiatae deserantur, ecquid gravius officium adulescentium, scenicorum praesertim, quam ut defendant a se vitiatas?

Paulo insolentius est adiectivum *praegnans* ideoque paulo magis corruptelae obnoxium. Quod luculenter demonstrat haec Donati observatio, quae legitur ad Adelphorum versum 245um: „tuber cibi genus est collectum ex tumentibus et quasi *praegnantibus* harenis", ubi miserum adiectivum ipse contextus verborum defendit etsi libri *omnes* consensu insano exhibent: quasi *peregrinantibus* harenis! Unde mihi hoc nostro loco succurrere magistro aventi crevit animus.

(Continuabuntur).

Digitized by Google

DE ARRIANI INDICAE DIALECTO IONICA.

SCRIPSIT

A. G. ROOS.

Arrianus quum Alexandri Magni res gestas conscriberet, Ἰνδικὴν συγγραφήν, qua cum rerum Indicarum descriptionem daret tum Nearchi navigationem ab Indi ostio usque ad ostium Euphratis enarraret, ab Alexandri Anabasi separare eique quasi corollarium adiungere constituit [1]), quippe qui tales digressiones pro opere, cui inserendae fuissent, multo amplio-res esse perspexisset neque historico operi convenire putaret. Praeterea ut Indicae suum χαρακτῆρα daret, etiam dialecto eam ab Anabasi distinguere voluit, et quum eius aetate Ionica dialectus, qua sc. Herodotus usus esset, expositionibus ethnographicis apprime convenire videretur, Ionice eam conscripsit. Herodoti igitur, cuius dicendi usum etiam in Anabasi plurimum secutus erat [2]), ita tamen ut in ea verborum formas atticas retinuisset, cum sermonis genus tum dialectum in Indica conscribenda sibi imitanda proposuit. Linguam Herodoteam cognoscere potuit e grammaticis, qui dialectum Ionicam tractaverant [3]), et ex accurata et repetita Herodoti operis lectione.

---

1) Cf. Arr. *Anab.* V 5, 1 ἀλλὰ ὑπὲρ Ἰνδῶν ἰδίᾳ μοι γεγράψεται ὅσα πιστότατα ἐς ἀφήγησιν οἵ τε ξὺν Ἀλεξάνδρῳ στρατεύσαντες καὶ ὁ ἐκπεριπλεύσας τῆς μεγάλης θαλάσσης τὸ κατ' Ἰνδοὺς Νέαρχος, ἐπὶ δὲ ὅσα Μεγασθένης τε καὶ Ἐρατοσθένης, δοκίμω ἄνδρε, ξυνεγραψάτην, καὶ νόμιμα ἄττα Ἰνδοῖς ἐστι καὶ εἰ δή τινα ἄτοπα ζῷα αὐτόθι φύεται καὶ τὸν παράπλουν αὐτὸν τῆς ἔξω θαλάσσης. Cf. etiam V 6, 8; VI 16, 5.

2) Cf. H. R. Grundmann, *Quid in elocutione Arriani Herodoto debeatur.* Diss. Lips. 1884.

3) De grammaticis, qui de dialecto ionica egerunt et quorum nonnulli ante Arriani aetatem floruerunt, cf. H. W. Smyth, *Ionic* § 3, p. 7 sqq.

Digitized by Google

Grammaticis num multum studii impenderit nescimus, sed hoc saltem nobis persuasum esse potest eum ab iis didicisse Homerum Ionica dialecto usum esse [1]) et se formis Homericis, quas etiam Herodotus ὁ ὁμηρικώτατος [2]) adhibuisset, in opere ionice conscripto uti posse [3]). Prae grammaticis Arrianum ex ipso Herodoto iterum iterumque tractato dialectum ionicam cognitam habuisse, Indicae sermo luce clarius demonstrat.

Qualis fuerit Arriani aetate forma textus Herodotei imaginem nobis informare licet e papyris aliquot saeculo I vel II vel III p. C. n. scriptis et Herodoti operis partes maiores minoresve continentibus, quas Aegypti solum hisce annis protulit. De iis egit H. G. Viljoen, *Herodoti fragmenta in papyris servata* (Dissert. Groning. a. 1915), demonstravitque — id quod iam alii perspexerant — papyros in rebus dialecticis et orthographicis in universum cum codicibus nostris, qui aetatis sunt multis saeculis recentioris, consentire. Duobus novis fragmentis papyraceis Herodoteis post Viljoenii dissertationem in lucem datis eius sententia corroborata est. [4]) Videmus igitur iam Arriani temporibus in textu Herodoti eandem varietatem formarum homericarum, ionicarum, hyper-ionicarum, pseudo-ionicarum, atticarum obtinere qua nunc offenduntur ii qui puras putas formas ionicas ex antiquis inscriptionibus cognitas Herodoto inculcare student, et illum μετα**χ**χρακτηρισμόν, quo textum Herodoteum ineunte aetate imperatoria affectum esse multi putant [5]), si modo fuit, utique Arriani temporibus prio-

---

1) Cf. e. g. Grammaticus Leidensis περὶ Ἰάδος 9 (in Gregorii Corinthii libri de dialectis linguae Graecae editione a G. H. Schaefer curata p. 629): **κέχρηται** δὲ αὐτῇ (sc. τῇ Ἰάδι) Ὅμηρός τε καὶ Ἡσίοδος καὶ πολλοὶ ἐποποιοὶ καὶ Ἀνακρέων καὶ Ἱππῶναξ καὶ Ἡρόδοτος ὁ ἱστοριογράφος καὶ Δημόκριτος ὁ φυσικὸς καὶ Ἱπποκράτης ὁ ἰατρός. 2) Pseudo-Longinus, περὶ ὕψους 13, 3.

3) Cf. Smyth *l.l.* p. 9 i. f.: *In almost every case in which we find in the grammarians the unqualified statement that this or that form is Ionic, it does not mean more to the modern dialectologist than that the form in question is Homeric.*

4) Pap. Oxyrhynch. XI 1375, saec. II incipientis, quae Herod. VII 166 continet, et Pap. Oxyrhynch. XIII 1619, saec. I exeuntis vel II ineuntis, qua libri III aliquot capita continentur quaeque omnium quae adhuc innotuerunt papyrorum Herodotearum longissima est.

5) Cf. Wilamowitz, *Homer. Untersuchungen* p. 315 sqq.; Thumb, *Handbuch der griech. Dialekte* p. 334; Bechtel, *Die griechischen Dialekte* III p. 10 sqq.; aliter sentit Viljoen *l.l.* p. 53 sq.

Digitized by Google

rem fuisse. Legimus e. g. in papyris has formas (cf. Viljoen *l.l.* p. 47 sqq., adieci formas in duobus fragmentis recens editis traditas): *ἀπικνεομένους* iuxta *ἀφίκετο*; *ἐδόκεε*, *συνοίκεε*, *ἔδεε*, *δέεσθαι*, *κέεται*; *δοκέει*, *συνοικέειν*, sed *ἀγνοεῖν*; *οἰκέοντας*, *καλεομένην*, *ποιέονται*, sed *ποιεύμενοι*, *τιμωρεύμενος*, *τευ*, et hyper-ionicum *ἐδικαιεῦντο*; *ἐπειρέοντο*, sed *ἐπειρᾶτο*, *ὁρῶντα*; *ἐνταῦθα*, *ἐντεῦθεν*; *ἐρίζοντος*, *νοσέειν*, sed *νοῦσον*, *οὔνομα*; *κρίσει*; *ἐς*; *ὑμεῖς*; *ἐωθότα*. Constat igitur Arrianum in suis Herodoti exemplaribus magnam formarum variationem invenisse, neque miramur nos eandem variationem in Indica deprehendere, quin etiam Arrianum formas nonnullas adhibuisse quibus Herodotus non usus esse videatur.

Sed, dixerit quispiam, itane bene Indica tradita est ut quas formas Arrianus ipse adhibuerit nos hodie legamus? Nonne scribarum incuria vel intempestivum mutandi studium multa textui intulit quae Arrianus respuisset? Indicam nobis servavit codex Vindobonensis histor. gr. 4, saeculo XII exeunte vel XIII incipiente exaratus, quem siglo A indicabo, unde ceteros omnes codices fluxisse olim demonstravi, cf. editio mea Anabaseos, Praef. p. I sqq. Iis locis ubi indoctus quidam, quem A^2 nomino, saeculo ut videtur XIV, Vindobonensem retractavit et eius lectiones oblitteravit, adhibendi sunt codices ex A nondum mutilato derivati, in quibus imprimis ratio habenda est eorum quos siglis BLFGH indicavi, cf. *l.l.* Praef. p. XXXV. Quo fit ut tantum non semper in locis retractatis quid codex Vindobonensis habuerit certo statuere possis.

Undecim locos ex Indica laudat Suidas, quos e libris hodie perditis excerptorum illorum historicorum iussu imperatoris Constantini Porphyrogeniti confectorum sumpsit [1]). Plerumque Suidas in rebus orthographicis et dialecticis conspirat cum A, cum quo has formas praebet: 5, 8 *πολλὸς* A et Suid. s. v. *πολλός*; 20, 2 *διαφθαρῇ* et *ἀφανίσοι* A et Suid. s. v. *φύλη κηλίς*; 20, 2 *τοῖσι μεγάλοισιν* A et Suid. *l.l.*; 24, 2 *ἐν καλύβῃσις πυγμῃσῖς* A et Suid. s. v. *πυγμή*; 24, 3 *ἐξαπήχεας* et *ταὐτὸ* A et Suid. s. v. *ἀκωκή*; 24, 5 *νεῖν* A et Suid. s. v. *νεῖν*; 24, 6

1) Cf. De Boor, *Byzantinische Zeitschrift* XXIII (1914—1919), p. 126; J. Becker, *De Suidae excerptis historicis* (Diss. Bonn. a. 1915), p. 10 sqq.

Digitized by Google

ὅπως A et Suid. s. v. παραστατεῖν; 24, 7 ἐπῄεσαν A et Suid. s. v. ἐννάλιος; 27, 8 εἰκός A et Suid. s. v. ἐπιφρασθείς; 28, 1 ξένια A et Suid. s. v. κρίβανον et s. v. πέμματα; 28, 1 ἐν κριβάνοισιν ὀπτούς A et Suid. s. v. κρίβανον, quod in ἐν κριβάνοις ὠπτημένους mutavit Suid. s. v. πέμματα; 28, 3 συνέκειτο et ποιέειν A et Suid. s. v. συμβαλόντα. Nonnullis locis Suidas pro formis ionicis in A servatis atticas formas tradit, nempe 5, 8 Ἡρακλέος A, Ἡρακλέους Suid. s. v. πολλός; 20, 2 τοῖς ἔργοισιν A, τοῖς ἔργοις Suid. s. v. φαύλη κηλίς; 20, 2 εὐτυχίην et ἐπιθυμίην A, εὐτυχίαν et ἐπιθυμίαν Suid. *l. l.*; 20, 2 αἰεὶ A, ἀεὶ Suid. *l. l.*; 24, 2 βραχέα A, βράχη Suid. s. v. πνιγηρά; 24, 3 παχέας A, παχείας Suid. s. v. ἀκωκή; 24, 3 αὐτῇσι A, αὐταῖς Suid. *l. l.*; 27, 8 χώρην A, χώραν Suid. s. v. ἐπιφρασθείς, sed quum iam per se probabile sit in glossas separatim a contextu traditas formas atticas per librariorum negligentiam irrepere, et quum sciamus Suidam ipsum non semper accurate verba quae in excerptis Constantinianis invenisset transscripsisse [1]), proclivis est suspicio etiam his locis excerpta a Suida compilata easdem formas vel omnes vel magna ex parte habuisse atque eas, quae in codice A legantur.

Codex A accuratissime scriptus est et cum in Anabasi tum in Indica paucis vitiis inquinatur, ut in his libris edendis presse sequendus sit neque coniecturas nisi evidentissimas recipere liceat. Quum igitur in universum Arriani verba optime servata sint, non est cur suspicemur formas dialecticas multum mutatas nobis tradi ab iis quas auctor ipse scripserit. Non omnes recte traditas esse in tanto quod inter Arriani et codicis Vindobenensis aetatem intercedit saeculorum spatio per se patet. In A exempli gratia insunt pauca vitiorum genera, quae ita comparata sunt ut per ea aliae formae evaserint atque Arrianus adhibuerit. Aliquoties exempla iotacismi inveniuntur, e. g. 17, 4 ἀνδρίκν A habet pro ἀνδρείκν; 29, 5 τὰ οἰκεῖκ pro τὰ οἰκία; 6, 8 ἵππου τοῦ ποταμείου pro ποταμίου, quum proxime praecedant voces τοὺς ἵππους τοὺς ποταμίους. Porro ο et ω necnon ε et αι nonnunquam inter se mutatae sunt, e. g. 24, 2 ἐπώκεων A habet pro ἐπῴκεον; 24, 4 ἀγχαίμαχοι pro ἀγχέμαχοι; 25, 2

1) Cf. Becker *l.l.* p. 14.

Digitized by Google

νόμεα pro νόμια. Sed haec vitia suam originem habent neque de auctoritate, quae codici A in universum tribuenda est, quidquam detrahunt. Formarum igitur varietas, quam A praebet et quam etiam excerptorum Constantinianorum codicem a Suida compilatum habuisse vidimus, Arriano ipsi, non librariis, tribuenda est, et in unaquaque forma, quam utpote minus usitatam vel a dialecto ionica abhorrentem mutare velis, indagandum est, num qua defendi et Arriano vindicari possit, neque formam, qua aliquoties usus est, omnibus locis reponere licet. Quare secus fecerunt ii Indicae editores, qui mutantes quae purae dialecto Ionicae non convenire putabant, Arriano formas, quas quidem Ionicas esse sibi persuaserant, ubique inculcaverunt et id egerunt, ut sermo Arrianeus semper sibi constare videretur. Qua via quadamtenus praeivit Dübner in Arriani editione Didotiana anni 1846 [1]), protinus perrexerunt Hercher et Eberhard in editionibus Teubnerianis a. 1854 et 1885, quorum hic innumerabilibus locis lectiones traditas mutavit. Hoc est corrigere auctorem, non libros emendare.

His praemissis in animo est agere de dialecto Ionica ab Arriano in Indica adhibita, et omnes quibus usus est formas via et ratione percensere, ut editionis meae, quae brevi proditura est, praefationem his disputationibus exonerare possim. De recentiorum auctorum dialecto Ionica egerunt F. G. Allinson, *Pseudo-Ionism in the second century A. D.*, *American Journal of philology* vol. 7 (1886), p. 203, et H. Lindemann, *De dialecto Ionica recentiore*, Dissert. Kil. a. 1889, praeterea H. W. Smyth, qui in libro cui titulus *Sounds and inflections of the Greek dialects. Ionic.* (1894) cum titulorum tum auctorum de dialecto Ionica testimonia diligentissime collegit, etiam recentiorum dialecti semper rationem habuit et multa eius exempla attulit [2]), sed quum hi viri docti codicis A accuratiore notitia destituti essent neque quaestiones omnes ad Indicae dialectum pertinentes dedita opera tractaverint, non

1) Cf. Dübner in Praefat. p. XXX sqq.

2) Neque O. Hoffmann, *Die griechischen Dialekte*, vol. III: *Der jonische Dialekt* (1898), neque F. Bechtel, *Die griechischen Dialekte* Vol. III: *Der ionische Dialekt* (1924), auctorum recentiorum dialecti ionicae rationem habuerunt; breviter eam attigit A. Thumb, *Handbuch der griechischen Dialekte* (1909), p. 340.

Digitized by Google

vereor ne acta agere videar. Ordinem secuturus sum grammaticae Smythii. Formas Arrianeas sumpsi e codice A, quem olim contuli.

De accentibus. Smyth § 119. ὀργύας (accus. plur.) **Ind.** 13, 2, ὀργυιάς (accus. plur.) 30, 9.

Smyth § 122. πόα 26, 7; πόας 14, 2; πόαν 13, 5; ποίην **29,** 13; χροιήν 16, 1. 4.

Smyth § 123. ἔρημος Ind. 4, 12; 22, 10; 29, 13; ἔρημα 25, **5.**

De vocalibus brevibus. Ionice ᾰ pro att. ε. **Smyth** § 128. Arrianus semper τρέπω habet, non τράπω.

Smyth § 129. τέμνων Ind. 2, 2; τέμνειν 11, 10; ἐπιτέμνουσι 13, 2; ἐντεμεῖν 20, 10.

μέγεθος octies in Ind., sed μέγαθος 15, 10; 29, 10.

Ion. ᾰ pro att. η. Smyth § 130. μεσημβρίης Ind. 2, 8; μεσημβρίῃ 25, 7; μεσημβρίην 3, 8; 25, 5 (eadem paragrapho etiam μεσημβρίαν); 32, 12; 43, 12; μεσημβρινόν 5, 2; sed μεσαμβρίης Ind. 2, 7; μεσαμβρίην 25, 8, et eadem paragrapho μεσαμβρίῃ A^2BFH, μεσημβρίῃ GL.

Ion. ερ pro aliarum dialectorum αρ. Smyth § 134. ἄρσενας Ind. 8, 6; τέσσαρες 21, 13; τέσσαρας 13, 2; τεσσαράκοντα 22, 9; τεσσαρακοντούτεες 9, 5.

Ion. ε pro η. Smyth § 139. Herodotus habet ἦ μέν similia, sed ἐπόμνυσιν ἤ μήν Ind. 35, 8.

Ion. ε pro aliarum dialectorum ει. Smyth § 142. μέζων Ind. 3, 10; 10, 5; μέζονι 8, 9; 26, 1; μέζω 16, 9; μέζονες 3, 9. 10; 29, 11; 30, 1; μέζονας 15, 3. 6; 16, 5; 29, 12; sed μεῖζον 15, 12; μεῖζον ὡς (quod in μειζόνως emendavit Reiske) 35, 8; μείζονι 5, 3 (21, 8 incertum est, utrum librarius codicis A μείζονι in μέζονι corrigere voluerit an ε in ει); μείζονας 15, 10; 39, 5.

δείκνυμι, non δέκνυμι, semper in Indica.

De vocalibus longis. Ion. η pro aliarum dialectorum ᾱ. Smyth § 169. ἠερσειδέστερον Ind. 6, 3.

Masculina in -ιης. Smyth § 172. Ἀρχίης (-ην, -ῃ) Ind. decies, sed Ἀρχίας 18, 3; 34, 12; Κτησίης 3, 6.

Feminina in -είη. Smyth § 175. ὑπωρείην 38, 6.

Vocabula in syllabis, quae stirpem vocis efficiunt (*stamlet-tergrepen*), ionice η pro ᾱ habentia. 1. η post ρ. Smyth § 182.

πρήγματα Ind. 12, 9; 34, 5; sed πολυπραγμονέστατον 9, 10; πολυπραγμοσύνης 43, 10.

Digitized by Google

ῥηχίη 29, 8; 32, 2; 39, 7; ῥηχίαι 38, 8; ῥηχίας 37, 5; ῥηχίῃσιν 40, 10; porro ῥηχείη 23, 2; 26, 5; ῥηχείῃ 23, 1; ῥηχείην 22, 8, quae formae nescio an iotacismo attribuendae et cum Dübnero et Herchero in ῥηχίη cet. mutandae sint; semel ῥαχίη 27, 6.

τρηχείη 32, 2, sed τραχείη 23, 2; τραχεῖα 21, 5; τραχείην 37, 1.

μιτρηφορέειν 7, 9.

κεκρᾶσθαι, non κεκρῆσθαι, 40, 3.

2. η post vocales. Smyth § 184.

θεήσασθαι Ind. 28, 2.

θυμιήματα 41, 7.

ἰητροί 15, 11. 12; ἰητρικήν 15, 11; ἰῆσθαι 15, 12; ἰήσιμον 15, 12, sed ἴαμα et ἰάματα 14, 9.

νεηνίσκοι 9, 7.

διηκόσιοι 14, 8, ceteroquin διακόσιοι.

τριήκοντα A^2, τριάκοντα BFGL 10, 7, ceteroquin τριάκοντα; τριηκόσιοι 3, 8; 37, 1, ceteroquin τριακόσιοι; τριηκόντορον 31, 4.

η in syllabis derivativis. Smyth § 185. Τιτῆνος Ind. 5, 11; θώρηξ 16, 7; πέρην 4, 7.

Iota longum. Smyth § 196. γίνομαι ubique in Indica, sed γιγνώσκων 31, 9; γιγνώσκουσι 34, 10.

Smyth § 198. εὐθύς 1, 6, non ἰθύς.

Ion. ω pro att. ε. Smyth § 231. Arrianus in Indica praesentis et imperfecti formas in universum (quadragies, si bene numeravi) adhibet verbi quod est πλέω, e. g. ἔπλεον decies sexties, porro περιπλέουσιν, παραπλέουσι κτλ., sed septies in his temporibus formis usus est a verbo πλώειν derivatis: ἔπλωον 32, 3; 33, 1; πλώουσι 27, 2; 29, 6; ἐσπλώουσιν 38, 6; διεκπλώουσι 29, 1; διεκπλώουσαι 37, 5. Contra aoristi formis a πλῶσαι derivatis quadragies bis usus est, e. g. πλώσαντες, ἐκπλῶσαι, συνέπλωσεν κτλ., sed formis a πλεῦσαι derivatis novies: κατέπλευσεν 19, 8; παρέπλευσεν 19, 9; πλεῦσαι 31, 5; πλεύσαντες 16, 6. 8; 33, 2; 37, 1; 38, 3; διεκπλεύσαντες 21, 10. Vides eum sermonem variare studuisse.

Ion. ω pro att. αυ. Smyth § 205. τρῶμα Ind. 19, 8.

θῶμα 40, 5; ἐν θώματι 34, 10, sed θαῦμα 15, 8.

Ion. ω pro att. ου. Smyth § 206. ὦν duodecies in Indica, praeterea 3, 5 ἄνω A, ἂν ὦν Hercher; 6, 7 ὦν A, ὧν Raphelius; 9, 3 ὠκυτην (sic) A, ὦν αὐτὴν vulg.; 13, 7 ουν (sic) A, eadem

Digitized by Google

manu superscripto ῶν (sic), sed οὖν 13, 6; 23, 1; οὔκουν 4, 13; οὔτ' οὖν 36, 4.

De diphthongis. αι. Smyth § 209. Ind. 20, 2 αἰεὶ A, ἀεὶ Suid.; 25, 6 ἀειφανέες. Smyth § 211. μεσογαίην Ind. 22, 2.

ει ante vocales ionice nonnunquam in ε vertitur. 1. Formae femininae adiectivorum in -υς exeuntium. Smyth § 219, 2.

βαθέην Ind. 27, 9, sed βαθείην 33, 10.

θηλέων 13, 5. 7; θηλέῃσιν 14, 7.

παχέι 24, 4; παχέας 24, 3 (ubi παχείας Suidas).

ἐξαπηχέας 24, 3 (etiam Suidas).

Sed βραχεῖαι 29, 4; πλατείην 16, 9; ταχεῖαν 41, 3; τραχεῖα 21, 5; τραχείη 23, 2; τρηχείη 32, 2; τραχείην 37, 1.

2. -εος pro -ειος in terminatione adiectivorum. Smyth § 219, 5. 6. μουνογενέην Ind. 8. 6; sed βόειος 14, 9.

ει monophthongice. Smyth § 224. στεινός Ind. 22, 5; 38, 7; στεινόν 21, 9; στεινότεραι 16, 8; στεινότατος 4, 7; sed στενήν 22, 8; στενότατον 3, 8.

εἵνεκα 33, 9, sed quater ἕνεκα.

ξένια 26, 7; 28, 1.

οι ante vocales pro ο. Smyth § 227. ποίην Ind. 29, 13; ποιώδης 32, 4; 43, 13; ποιώδεα 40, 3; sed πόα 26, 7; πόαν 13, 5; πόας 14, 2.

χροιὴν 16, 1. 4.

De diphthongis κατ' ἐπικράτειαν. ηι ante vocales in media voce. Smyth § 232. Voces derivatae in -ήιος, -ήιον, -ηίη pro att. -εῖος, -εῖον, -είη.

ἀρήια Ind. 11, 9; 12, 1; ἀρηίοισι 7, 7.

βασιληίην 3, 4; 8, 1. 2. 3; sed τὰ βασίλεια 39, 3.

γυναικήιον 8, 8.

οἰκηίης 20, 4; sed οἰκείης 9, 12.

σημήιον 28, 4; sed σημεῖα 41, 2.

θήρεια (accus. plur.) 17, 5; 24, 9; ἱερεῖα 18, 12; βορειότεροι 6, 9; Ἡρακλείας 43, 11; μνημεῖα 10, 1.

In his terminationibus ratio habenda est iotacismi, cuius exempla nonnulla in A inveniri p. 26 vidimus. Fieri igitur potest, ut ubi A exhibeat ει, Arrianus ηι scripserit, sed quum eum in universum variationem amasse intellexerimus, formae per ει, quas supra recensui, non mutandae sunt et iuxta for-

Digitized by Google

mas per *ηι* scriptas Arriano ipsi tribui possunt. Aliter res se habet Ind. 11, 9: *οὔτε ὅπλα ἐστὶν ἀρήια οὔτε μέλει τὰ πολέμια ἔργα* (ita A), ubi cum Nauckio homericum *πολεμήια* (cf. Iliad. II 338) rescribere me iudice non dubites; 20, 5 pro codicis *γνώμῃ ἀνθρωπίῃ* reponendum videtur *ἀνθρωπείῃ* vel *ἀνθρωπηίῃ*; 19, 4 pro *ἀνδρίαν* restituas *ἀνδρείαν*; fortasse etiam 6, 8 pro *τῷ Νείλῳ τῷ Αἰθιοπίῳ* scribendum est *Αἰθιοπείῳ* vel *Αἰθιοπηίῳ*.

Ion. *ου* pro att. *ο*. Smyth § 252. *μοῦνον* Ind. 5, 7; 12, 9; *μοῦνοι* 11, 5; *μουνογενέην* 8, 6; sed *μόνον* 35, 4; *μόνων* 12, 2.

γόνατα Ind. 36, 1.

οὔνομα decies, sed *ὄνομα* bis et vicies; *ὀνομάζοντας* 31, 4; *ὀνομαζόμενα* 27, 1; *ἐπονομάζειν* 21, 10; *ὠνόμασεν* 1, 5.

Smyth § 253. *τὸ ὄρος* semper in A; *ὄρειοι* 17, 5.

οὔρεσι 40, 11; *ὁμουρέουσι* 43, 1; sed *ὄροι* 2, 1; *ὅμοροι* 38, 1.

Smyth § 254. *πολύθηρον* 40, 4; *πολυκτέανοι* 8, 9; *πολυπραγμονέστατον* 9, 10; *πολυπραγμοσύνης* 43, 10.

Smyth § 255. *νούσων* 15, 2; sed *νόσῳ* 14, 8; *νόσους* 14, 9.

De vocalium concursu. (De tali concursu in declinatione et coniugatione vide infra p. 34 sqq.).

1. De vocalibus similibus inter se concurrentibus. *α* + *α*. Smyth § 261. *τάλλα* (sic) pro *τὰ ἄλλα* Ind. 6, 8; *κἂν* pro *καὶ* coniecit Hercher Ind. 9, 4.

η + *ε*. Smyth § 264. *ἥλιος* 11, 7 (bis).

ο + *ο*. Smyth § 266. *προῦπτον* 20, 3. De vocibus *πλόος*, *ῥόος* cet. vide infra p. 35.

2. De vocalibus dissimilibus inter se concurrentibus. *α* + *ε*. Smyth § 272. *θάτερα* (sic) pro *τὰ ἕτερα* Ind. 19, 1.

α + *ο*. Smyth § 277. *Φῶς* 13, 4.

ε + *α*. Smyth § 281. *ἐπεάν* septies, sed *ἐπήν* 11, 7; *ἦρος* 14, 7.

η + *ι*. Smyth § 286. *γῆϊνον* 33, 10; *ἠϊόνι* 21, 5; *κληΐζεται* 1, 6; *κληΐζονται* 29, 9; *Τηΐος* 18, 8; sed *λῃσταί* 40, 1.

η + *ω*. Smyth § 290. *ἕως*, non *ἠώς*, in Ind., e. g. *ἕω* 2, 1. 7. 8; 3, 3. 4; *ἕωθεν* 26, 6; *ἑῷον* 5, 2; *ἑῴην* 3, 3.

ο + *ε*. Smyth § 295. *τριακοντούτεες* 9, 7; *τεσσερακοντούτεες* 9, 5; *δημιουργικόν* 12, 1. 8; *λειτουργοί* 12, 1.

ο + *η*. Smyth § 296. *ὀγδοήκοντα* 10, 6.

ο + *ι*. Smyth § 298. *ὀιστός* 16, 7; *ὀισθῶσιν* 13, 5.

ω + *ι*. Smyth § 299. *σῷος* 35, 5; *σῷαι* 35, 6.

Digitized by Google

ι + *ε*. Smyth § 300. *ἱρὴ* 37, 4; *ἱρὴν* 28, 9; 31, 2; *ἱρῆς* 38, 2; *ἱρά* (neutr. plur.) 37, 11; sed *ἱερή* 37, 10; *ἱερά* (neutr. plur.) 7, 2. 3; *ἱερεῖα* 18, 12.

3. De vocalibus cum diphthongis et de diphthongis inter se concurrentibus. *α* + *ει*. Smyth § 305. *ἐπᾴδονται* Ind. 10, 1; *ἐπᾴδοντες* 14, 3; *ἀπᾴδουσιν* 6, 9.

ἐπαίροντες 14, 6; *καταίρουσιν* 27, 3. 6; cf. *ἄραντες* 27, 4, 6; *ἐπάραντες* 27, 2; *ἐπηρκότα* 20, 9.

α + *αυ*. Smyth § 307. *δηκαυτασηπόμενα* A habet 30, 8, *δὴ καὐτὰ σηπόμενα* correxit Vulcanius.

ο + *αυ*. Smyth § 316. *ἑωυτόν*, *-τοῦ*, *-τῷ*, *-τῆς*, *-τούς* undecies in Indica, sed *ἑαυτοῦ* 20, 6; *ἑαυτῷ* 9, 2; *αὐτόν* 9, 4; cf. 15, 11 *ἀμΦ' αὐτὸν εἶχεν* A, ubi *ἀμΦ' αὐτὸν* scribendum (*ἀμΦ' ἑωυτὸν* Hercher).

τοῦ αὐτοῦ 3, 3, sed *ταὐτὸ* quater, *ταὐτὸν* ter; cf. 16, 6 *οὐκ ὠϋτός* (sic) A, *οὐκ ὠυτός* restituit Hercher; 9, 8 *αὐτὸς οὗτος Μεγασθένης* A, ubi *αὐτὸς οὗτος* scribendum (*ὠυτὸς* Hercher). Formae inter se discrepantes etiam hic ipsi Arriano tribuendae sunt.

De apocope. Smyth § 322. *ἀμβάτας* 13, 12; *ἀμπώτεσι* 21, 3; sed *ἀνάπωτις* 29, 9; 30, 8; 37, 5; *ἀναπαύσασθαι* 23, 4.

De elisione. Smyth § 323. A elisionem habet in voce *ἀλλὰ* quaterdecies; in praepositionibus *ἀμΦὶ* (semel), *ἀπὸ* (bis), *ἐπὶ* (bis), *κατὰ* (ter), *παρὰ* (bis); in coniunctionibus *δὲ* (ter), *ἔστε* (semel), *εὖτε* (ter). Praeterea 18, 11 et 30, 3 cum Herchero pro codicis *ἀπό του* scribendum est *ἀπ' ὅτου*, et 2, 6 pro *ὑπὸ τῶν* restituendum *ὑπ' ὅτων*.

De consonantibus. *ν ἐΦελκυστικόν* quod dicitur in A cum ante vocalem tum ante consonantem saepius scriptum est, e. g. 14, 6 *τὰ ἔμπροσθεν σκέλεα*; 32, 1 *ἔπαθεν καὶ* etc. Cf. Smyth § 340, et vide R. Helbing, *Grammatik der Septuaginta* p. 22 sqq., F. Sommer in libro cui titulus *Festschrift zur 49ten Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner in Basel im Jahre 1907*, p. 1 sqq.

De gutturalibus. Smyth § 343. A habet *που* (quinquies), *ὅπου*, *ὅποι*, *ὅπως* (decies quinquies), *πότε*, *ὁπότε*, *ὁπόθεν*, *ὁποῖος*, sed 11, 10 *ὅκως*; 35, 5 *κοίῳ τινι τρόπῳ*; 40, 4 *ὁκόσοισιν*.

Aspiratio transposita. Smyth § 346. Ind. 16, 2 *κιθών*.

Digitized by Google

Ion. κ pro att. χ. Smyth § 348. δέκεσθαι 28, 2; ὑποδέκομαι 20, 5; sed δέχεται 4, 15; δέχεσθαι 4, 3; ἐκδεχόμενον 8, 3.

De dentalibus. Ion. τ pro att. θ. Smyth § 355. αὖθις Ind. 19, 5, non αὖτις.

Ion. θ pro att. τ. Smyth § 356. Indica semper formas atticas ἐνταῦθα (vicies ter) et ἐντεῦθεν (bis) habet.

De sigmate. Adverbia in quibus ς finale vel addi vel omitti potest. Smyth § 366. A habet οὕτως et οὕτω: 30, 5 οὕτως ἀναθαρσήσαντες; 30, 6 οὕτω δή.

Ion. σσ pro att. ττ. Smyth § 370. A habet σσ, e. g. θάλασσα quater, ὀρύσσειν quinquies, sed ἀπαλλάττεσθαι 14, 1; περιττῶς 16, 5.

Ion. ρσ pro att. ρρ. Smyth § 382. Ind. 8, 6 ἄρσενας; 30, 4 θαρσύνειν; 30, 5 ἀναθαρσήσαντες; 30, 8 χέρσον; sed 27, 2 μυρρῖναι (sic); 39, 2 χερρόνησος.

Ion. σμικρὸς pro att. μικρός. Smyth § 384. A quinquies σμικρός habet, sed μικρά 27, 5; μικρήν 27, 7; μικραί 29, 5; μικρότερα 11, 5; 30, 9; μικροτέρην 16, 10. Etiam in ceteris scriptis suis Arrianus inter σμικρός et μικρός variat.

De psilosi ionica. Smyth § 409. Psilosin ionicam quae dicitur Arrianus in Indica saepe admittit in praepositionibus ἀπό, ἐπί, κατά, ὑπό, sed in hac re magnopere variat. Exempla nonnulla apponam: ἀπ' ἐσπέρης 3, 4; ἀπ' ὅτου (ἀπό του A, correxit Hercher) 30, 3; sed ἀΦ' ὅτων 11, 2; 27, 2; ἀπηγέεται, -έονται, -ήσομαι cet. sexies, sed ἀΦήγησις 19, 9; ἀπίκοντο 27, 4. 7; ἀΦίκοντο 39, 1; ἀΦικέσθαι 8, 4; ἀΦικνέονται 25, 1; ἀΦίξεται 34, 1; ἀπίημι 15, 7; ἀΦίεται 36, 2; 37, 11.

ἐπ' ὅτῳ 32, 10; sed ἐΦεῖται 11, 4; ἐΦ' ᾗ 42, 7; ἐΦ' ἑνός 17, 2; ἐΦόδου 24, 8; ἐΦ' ὕδωρ 23, 1.

κατ' ἡσυχίαν 11, 10; κατ' ὁδὸν 40, 5; κατ' οὔστινας 30, 4; κατότιπερ (sic) 29, 9, sed καθότι 14, 6; 21, 1; 34, 10; 35, 7; κατάπερ vicies, sed καθάπερ 1, 2; 7, 2; κατύπερθε 40, 1; καθύπερθε 4, 11; κατεώρων 25, 6; καθεώρα 35, 3; κατηγεομένων 30, 3; καθηγεμόνες 40, 11; καθορμίζειν quinquies.

ὑπηγέεσθαι 15, 1; sed ὑΦηγέετο 14, 6; ὑπ' ὅτων (ὑπὸ τῶν A, correxit Hercher) 2, 6.

Cf. οὐχ ὁ 5, 13; οὐχ ὡσαύτως 6, 9; οὐχ οἷόν τε 27, 9; ἐπὶ θάτερα 43, 9; μεθορίῳ 4, 16.

De declinatione. De duali. Smyth § 412. Arrianus

Digitized by Google

in Indica nonnunquam dualem numerum, quo Herodotus vel bis tantum vel omnino non usus est, adhibuit.

δοκίμω ἄνδρε ἀνεγραψάτην 17, 6; *αὐτοῖν δὲ τοῖν μεγίστοιν ποταμοῖν* 4, 2; *ἀμφοῖν τοῖν χεροῖν* 16, 9; *πρὸς ἑκατέροιν* (*ἑκάτερον* Reiske) *τοῖν σκελοῖν* 14, 6; *κυμβάλοιν τῷ κυμβαλίζοντι πρὸς τοῖν* (*τοῖς* A, correxit editio Veneta) *σκελοῖν τοῖν* (*τοῖσιν* A, correxit Gronovius) *ἔμπροσθεν προσηρτημένοιν* 14, 5.

De prima declinatione. Nominativus singularis masculini generis. Smyth § 417. Κτησίης 3, 6; Ἀρχίης quinquies, sed Ἀρχίας 18, 3; 34, 12; Μυλλέας 18, 6; Θόας 18, 7; Βαγώας 18, 8; Εὐαγόρας 18, 9.

Nominativus et accusativus singularis feminini generis in *ᾱ* et *ᾰν*. Smyth § 418. *γέφυραν* 13, 5. 10; *θάλασσαν* 43, 6; *μοῖραν* 3, 6; *μίαν* 38, 9; *πλήμμυρα* 21, 6; 39, 8.

η pro *ᾱ* in nominativo et accusativo singularis feminini generis adiectivorum in *-υς* exeuntium. Smyth § 419. *βαθέην* 27, 9; *βαθείην* 33, 10; *πλατείην* 16, 9; *τραχείη* 23, 2; *τρηχείη* 32, 2; *τραχείην* 37, 1; sed *ταχεῖαν* 41, 3; *τραχεῖα* 21, 5. Cf. Thumb, *Handbuch der griech. Dialekte* p. 340 i. f.

Nominativus et accusativus singularis vocum feminini generis in *-η* post *ρ* vel post vocalem exeuntium. Smyth § 424, 441. Arrianus in Indica in universum *-η* et *-ην* habet, sed *ἀνδρίαν* (quod corrigendum in *ἀνδρείαν*) 17, 4; *ἀπιστίαν* 4, 13; Ἀσίαν 9, 10; *δεξιάν* 35, 4; *ἐρυθρὰν* 43, 6; *ἡμέραν* 21, 7; *ἡσυχίαν* 11, 10; *ἐπὶ θέαν* 27, 10; *θήρα* 13, 1; 22, 10; *μεσημβρίαν* 25, 5; *πόα* 26, 7; *πόαν* 13, 5; *πονηρὰν* 37, 8; *εἰ σώαν* (*εἴσω ἂν* A, correxit Vulcanius) 28, 5; *ὑστεραίαν* 26, 4.

Genitivus singularis masculini generis. Smyth § 429. Arrianus variat inter *-εω* et *-ου*, e. g.: Ἕρμεω (sic A) 37, 10; *βορέου* 2, 1; Γάγγεω sexies; Καμβύσεω 9, 10; 43, 40; Καμβύσου 1, 3; Ὑδάσπεω 18, 1; 19, 1. 6; Εὐφράτου 41, 6. 8; 42, 3; Πνυταγόρεω 18, 8; Ἀρχίου 35, 2 etc. Semel *-α* habet: Πείθων Κρατεύα 18, 6.

Genitivus singularis feminini generis. Smyth § 432. Arrianus *-ης* habet, sed septies *-ας* (post vocalem): Ἀσίας 5, 5; *ἐρημίας* 34, 9; *μιᾶς* 41, 2; *πόας* 14, 2; *στρατιᾶς* 19, 5; *σωτηρίας* 35, 6; *φιλίας* 36, 7.

Dativus singularis. Smyth § 435. *-ῃ*, e. g. Ἑρμῇ 37, 11; *γεφύρῃ* 13, 7; sed undecies per *-ᾳ* (post *ρ* vel vocalem): *ἀριστερᾷ*

Digitized by Google

21, 9; 37, 8; 42, 2; 43, 11; δεξιᾷ 21, 9; 43, 1. 8; βίᾳ 30, 2; ἡμέρᾳ 26, 5; σωτηρίᾳ 30, 7; οὐδεμιᾷ 41, 3.

Accusativus singularis masculini generis. Smyth § 438. βορέην 40, 3; in nominibus propriis -εα iuxta -ην: Ἀκεσίνην 4, 8. 9. 10; Ἐρύθρην 37, 3; Γάγγην 4, 15, sed Γάγγεα 4, 2; Ὑδάσπεα 3, 10; 19, 6; Ὑδραώτεα 3, 10; Σκύθεα 5, 6.

Genitivus pluralis. Smyth § 447. Arrianus variat inter -έων et -ῶν, e. g. ἐκβολέων 19, 9; 39, 3; ἐκβολῶν 23, 1; Περσέων 1, 3; Περσῶν 39, 3. In pronominibus: αὐτῶν (femin. gen.) 24, 4; 25, 1; 33, 9; sed αὐτέων 10, 2; τούτων (femin. gen.) 29, 5, sed hyper-ionice τουτέων 13, 4.

Dativus pluralis. Smyth § 452. -ῃσι, sed ter -αισι: ἐν Σίβαισιν 5, 12; ὠδαῖσι 14, 3; Πέρσαισι 40, 6 (ita A^2 B, πέρσεσι L, πέρσῃσι G); praeterea 5, 11 pro codicis παραπαμισάδεσι legendum videtur Παραπαμισάδαισι, non (cum Herchero) Παραπαμισάδῃσι, quum in A aliquoties ε et αι, nunquam ε et ῃ inter se mutatae sint. Nonnunquam terminatio in -αις occurrit: ἐπὶ Πεζέλαις 4, 5; ἐν Μάθαις 4, 5; ἐν Ἀστρύβαις 4, 8; ἐν Ὀξυδράκαις 4, 9; ἐν Ἀρίσπαις 4, 9; Ὠρείταις 23, 5; 42, 9; πληγαῖς πολλαῖς 13, 11; ταῖς ναυσὶ 19, 6; ἐπὶ ταῖς ἐκβολαῖς 24, 2; ἐν καλύβαις πνιγηραῖς 24, 2; ταῖς κώπαις 27, 5; ταῖς πάσαις 43, 5.

De secunda declinatione. Voces quarum stirps in -εο vel -οο exit. Smyth § 458, 461, 464, 467, 469. πλόος in nominativo, genitivo et dativo semper formas non contractas habet, sed in accusativo admittit πλοῦν 21, 1; 33, 9; 41, 8 iuxta usitatiorem formam πλόον. Composita vocis πλόος et ceterae voces quarum stirps in -οο exit semper formas contractas habent, e. g. ἀνάπλους 42, 4; διέκπλου 22, 7; παράπλῳ 18, 4; παράπλουν 39, 4 etc.; Ἀριστόνους 18, 5; χειμάρρου 38, 7; χειμάρρῳ 24, 1; 39, 7; χειμάρρουν 39, 2. 6; διπλοῦν 33, 10; σύριγγουν 43, 2.

ὀστέῳ 8, 12; ὀστέα 30, 8. 9; 29, 16, sed eadem paragrapho ὀστᾶ. [1])

---

1) Ind. 21, 13; 29, 14; 39, 5 A habet ὄστρια, 22, 10 ὀστρίων, quod potius in ὄστρεια et ὀστρείων quam cum Vulcanio in ὄστρεα et ὀστρέων mutandum videtur, cf. Athenaeus III p. 92 e. f. Apud Herodotum haec vox non invenitur.

Digitized by Google

χρυσῷ 23, 6; 43, 9; sed λίνεος (λιναῖος A, correxit Vulcanius) 16, 2; πορφυρέους (πυρφορέους A, correxit Vulcanius) 16, 4; φοινικέους 16, 4; κυανέους 16, 4; χάλκεα 16, 11; σιδήρεα 16, 11.

Genitivus pluralis. Smyth § 472. ε hyper-ionice insertum est ter, nempe 4, 12 (bis) et 6, 4, in genitivo plurali masculini generis τουτέων; semel, nempe 6, 5, in genitivo plurali masculini generis κυτέων. Quod Arrianus e codicibus Herodoti assumpsit.

Dativus pluralis. Smyth § 475. Arrianus iuxta formas usitatiores in -οισι saepe formas in -οις admittit, e. g. τοῖς πολλοῖς Ἰνδοῖσιν 1, 2; τοῖς Ἰνδῶν ποταμοῖσιν 4, 15; τοῖς θεοῖσιν 18, 11; ἐν ὑπερδεξίοις τε καὶ μετεώροις τόποισι καὶ τούτοισιν ὑψηλοῖσιν 10, 4; παραδείσοις τε παντοίοισι 40, 4 etc.

δένδρον. Smyth § 479. In Indica: ὑπὸ ἐνὶ δένδρεϊ 11, 7; ὑπὸ δένδρεσι 11, 7; δένδρεα 7, 3; 11, 7; 22, 7; 27, 2; 32, 5; δένδρων 11, 8; δένδρεων (sic) 7, 3; 16, 1.

πολλός. In Indica πολλός 5, 8 (bis), 26, 9; πολλὸν octies, sed πολύν 38, 9; πολύ undecies; in compositis πολύϋηρος 40, 5; πολυκτέανος 8, 9; πολυπραγμονέστατος 9, 10; πολυπραγμοσύνη 43, 10.

De tertia declinatione. Smyth § 480. Genitivus pluralis hyper-ionicus in -εων semel in Indica occurrit, ἀλωπεκέων 15, 6, quam formam etiam Herodoti codices habent III 102 (A B C) et II 67 (C). In Arriano igitur non corrigenda est.

Stirpes in ι exeuntes. Genitivus singularis. Smyth § 484. πόλιος 27, 10; 28, 1; δύσιος 32, 3; ὁπλίσιος 16, 6; Ἀραβίος 22, 8 (bis); Ὑφάσιος 2, 9; τίγρεος (sic A) 15, 1; sed Ἀμφιπόλεως 18, 4; ὄψεως 15, 11.

Dativus singularis. Smyth § 487, 488. πόλει 1, 6; 10, 7; ἐπικλήσει 4, 10; Ἀμφιπόλει 18, 10; ὄψει 34, 5; τάξει 39, 8; semel φύσι 15, 5, quod Geier restituit pro codicis σφίσι.

Accusativus singularis. Smyth § 491. τίγριν 15, 2, sed τίγρην 15, 1 (ter); Πασιτίγριν 42, 5; Πασιτίγρην 42, 1.

Nominativus pluralis. Smyth § 493. πόληες 8, 5.

Genitivus pluralis. Smyth § 494. πόλεων 10, 2.

Dativus pluralis. Smyth § 495. πόλεσιν 7, 5; 11, 9; ἀμπώτεσι 21, 3.

Accusativus pluralis. Smyth § 496. ὄφις 15, 10, sed eadem paragrapho ὄφεας; πόλιας 32, 11, sed πόληας septies; τίγριας

Digitized by Google

an τίγρηας A habeat incertum est 15, 3; ἐκφύσεις 43, 13.

De formis per η scriptis Smyth § 493 i. f.: πόληες *is indicative of the insecure speculation prevalent in the Hadrianic age concerning the periods of Ionic*, provocatque ad Iliad. IV 45 (πόληες), sed quum neque Herodotus neque quisquam recentiorum auctorum qui Ionica dialecto usi sunt eas admiserint, probabile est eas iotacismo ortas et Arriano formas τίγριος, τίγριν, τίγριας, πόλιες, πόλιας attribuendas esse.

Stirpes in υ exeuntes. Smyth § 499—505. τριπήχεος 16, 7. 9; ἐξεῖ 13, 12; ἰχθύν 31, 6; in plurali δασέες 24, 9; δασέα 22, 7; βαθεα (sic) 29, 11; βραχέα 24, 2, etc.; πήχεων 10, 7; 15, 10; 39, 4; ἰχθύας 6, 8; 29, 9; ταχέας 15, 10, sed πρέσβεις (accusat.) 40, 5.

De formis feminini adiectivorum in -υς desinentium vide supra p. 30.

Stirpes in ηυ/ευ exeuntes. Smyth § 509—516. ἑρμηνέως 28, 3; νομέως 12, 8; Προμηθέως 5, 11; βασιλέως 38, 9, sed βασιλέ 15, 11; 34, 1 in A, ut -έως an -έος scriba voluerit non discernas.

βασιλεῖ 5, 3; 12, 5. 6.

ἁλιέες 26, 10; 27, 3; 38, 4; νομέες 11, 10; ἱππέες 16, 10, sed ἱππεῖς 23, 5.

ἁλιέων 26, 9; βασιλέας 9, 2.

ναῦς. Smyth § 517, 2. νεὼς 18, 9; 27, 10; 41, 2; νηὶ 20, 3; νῦν 27, 6; 41, 5; νέες sexies, sed νῆες 19, 7; 23, 4; 39, 8; νεῶν decies; ναυσὶ 19, 6; νέας vicies, sed τὰς ναῦς 38, 9; cf. ναυσίπορος 4, 6. 16; 5, 2.

βοῦς. Smyth § 517, 4. βόες 13, 6; βόας 7, 7; χοῦν 13, 3. 5.

Stirpes in ες exeuntes. Nominativus singularis nominum propriorum in -κλέης, -κλῆς desinentium. Smyth § 526. Ἡρακλέης quinquies, Νικοκλέης 18, 8.

Genitivus singularis. Smyth § 531. Et appellativa et nomina propria in genitivo singul. in universum in -εος desinunt, e. g. θέρεος septies, Ἡρακλέος sexies, sed θέρους 6, 5; βέλους 24, 4; κλέους 36, 6; Ἡρακλέους 5, 12 (bis); 8, 8; Ἀγαθοκλέους 18, 3.

18, 8 pro codicis Βαγώας ὁ Φαρνουχέως legendum est Φαρνούχεος, non cum Herchero Φαρνουχέω; 18, 6 pro codicis Ἄτταλός τε ὁ Ἀνδρομενέω Στυμφαῖος cum Herchero legendum est Ἀνδρο-

Digitized by Google

μένες Τυμφαῖος, cf. C. Müller ad Ptolem. *Geogr.* III 12, 40. De *o* et *ω* in codice A inter se mutatis cf. supra p. 26 i. f.

Dativus singularis. Smyth § 532. Desinit in *-ει*, e. g. ἔρκει 13, 7. 8; Ἡρακλεῖ 8, 6; 36, 3; raro in codice *-εῖ* scriptum est, e. g. μήκεϊ 16, 8.

Accusativus singularis masculini et feminini generis desinit in *-εα*, e. g. συναφέα 22, 7; Ἡρακλέα 8, 4. 5. 6. 10; nominativus plur. masculini et feminini generis in *-εες*, e. g. τριακοντούτεες 9, 7; τεσσαρακοντούτεες 9, 5; nominativus et accusat. plur. neutr. in *-εα*, sed ἴχνη 16, 5; ὅσα ἔτη 37, 11; genitivus plur. in *-εων*, sed βελῶν 24, 8; accusativus plur. masculini et feminini generis in *-εας*, sed ἑπταέτεις 9, 1. Cf. Smyth § 533—539.

Dualis. σκελοῖν 14, 5. 6.

Stirpes in *-ας* exeuntes. Smyth § 544. Dativus singularis γήρᾳ (sic A) 9, 6; 14, 8; τὰ ὑεῖα κρέα 14, 9.

Stirpes in *τ* exeuntes. Smyth § 545. γόνατα 36, 1; ἐν χρῷ 31, 4.

Stirpes in *ν* exeuntes. Smyth § 552. Declinatio comparativorum. πλείονι 19, 1; πλεῦνα 5, 3; πλεῦνες 29, 8; μείους 11, 1; sed μέζονες et μέζονας (μείζονας) decies.

De adiectivis. Smyth § 553. ἔρημος in universum ἐρήμη habet, sed χώρῃ ἐρήμῳ 20, 2; νῆσος ἔρημος 22, 10; χώρη ἔρημος 29, 13; ἐρήμῳ τε τῇ ταύτῃ γῇ 32, 12; νῆσον ἐρήμην (sic) 37, 1.

Comparatio ab attica discrepans. Smyth § 554. ταχύτερον et ταχυτέρη 9, 6.

De pronominibus personalibus. Prima persona. Smyth § 557. ἡμεῖς 34, 12; 35, 6; ἡμέας 8, 9; 34, 10. 12.

Secunda persona. Smyth § 558. σοι 36, 5 i. f.; eadem paragrapho Hercher rescribit ἐγὼ μέν τοι πάντα πείθεσθαι ἐθέλω pro μέντοι.

Tertia persona. Smyth § 559. γένος ἐξ οὗ τε κἀκείνης ὑπολείπεσθαι 9, 2; οὐκ ἐθέλοντας κινδυνεύειν ὑπὲρ σῦ 20, 4; οἱ 9, 2; ἅμα οἱ 14, 9.

σφίσιν 7, 6; 8, 12; 13, 10; σφᾶς 8, 12; 13, 6; 24, 2 etc.

De pronominibus demonstrativis. οὗτος. Smyth § 562. Genitivus plur. masculini vel neutrius generis hyper-ionice τουτέων 4, 12 (bis); 6, 4.

ταυτησί 3, 3; formae cum *ι* demonstrativo in Herodoto non occurrunt, cf. Smyth p. 615 s. v. νυνί.

Digitized by Google

ὁ αὐτός = idem. Smyth § 563. ταὐτὸ 3, 9; 10, 8; 24, 3; 25, 4; ταὐτὸν 4, 8; 9, 3. 5.

Genitivus plur. neutrius generis hyper-ionice αὐτέων 6, 5.

ἐκεῖνος Arrianus semper habet, non κεῖνος. Smyth § 564.

De pronominibus reflexivis. Smyth § 565. ἑωυτοῦ etc. in universum in Indica, sed ἑαυτοῦ 20, 6; ἑαυτῷ 9, 2; καὶ αὐτόν 9, 4.

De pronominibus relativis. Smyth § 569. Pro pronomine simplici ὅς Arrianus cum in ceteris scriptis tum in Indica adamat ὅστις.

ὅτου 1, 6; ἀπ' ὅτου (ἀπό του A, correxit Hercher) 18, 11 et 30, 3; ὅτῳ 5, 11; 9, 2; 23, 5; ὑπ' ὅτων (ὑπὸ τῶν A, correxit Hercher) 2, 6; indefinitum τῳ 5, 13.

De numeralibus. Smyth § 571. μιᾶς 41, 2; μιῆς 27, 10; μίαν 38, 9.

εἴκοσιν καὶ ἑκατὸν δυεῖν δέοντα 7, 1; sed ἐς δύο σταδίους 29, 10; μετὰ δύο ἄλλων 28, 3; de forma δύο indeclinabili cf. Kühner-Blass, *Griech. Grammatik* I 1, p. 633, adn. 3.

τέσσαρες 21, 13; τέσσαρας 13, 2; δώδεκα 19, 5; τρεῖς καὶ δέκα 8, 7; τριάκοντα sexies; τεσσαράκοντα 22, 9; τεσσαρακοντούτεες 9, 5; ὀγδοήκοντα 10, 6; διακόσιοι decies, sed διηκόσια 14, 8; τριακόσιοι novies, sed τριηκόσιοι 3, 8; 37, 1.

De verbis. De augmento syllabico. Smyth § 576. In plusquamperfecto Arrianus augmentum syllabicum nonnunquam omittit: πεπονήκεσαν 23, 8; 33, 9; 38, 9; πεφύκεσαν 26, 6; 33, 2; τετελευτήκει 36, 8; ἐπιλελοίπει (ὑπολελείποι A, correxit Ellendt) 26, 9; κεκήρυκτο 15, 11; κεκόσμεκτο 8, 1 (sed ἐκεκόσμητο 18, 11); πεποίητο 37, 1.

De augmento temporali. Smyth § 581, 582. Arrianus augmentum temporale in universum admittit: εἴων 28, 2; ᾤκει 18, 10; συνῴκισε 1, 5; ᾤκιστκι 1, 6; ἠμελημένοι 16, 5; ἠσκημένα 16, 5; περιηρτημένον 16, 11; ἐξηρτημένοι 16, 11; sed ἀρτημένα 16, 12; ηὐλίσθησαν 40, 11; sed ἐξεύρητο 15, 11.

ἔοικεν 13, 1; ἀπέοικε 6, 8; ἐοίκασι 6, 9; ἐοικὸς 6, 6; sed εἰκὸς quinquies; εἰκότος 6, 8; ἀπεικότα 25, 7; ἐαλωκότας 13, 10.

De reduplicatione attica quae dicitur. Smyth § 583, 2. ἐπώπεα 15, 9.

θέλω, ἐθέλω. Smyth § 588. Arrianus in Indica ἐθέλω adhi-

Digitized by Google

bet, sed *οὐκέτι θέλω* 36, 4; etiam in ceteris scriptis variat.

De plusquamperfecto activi. Smyth § 596. Prima persona singularis in *-εα* desinit. *ᾔδεα* (*ειδεα* sine spir. et acc. A, restituit Hercher) 15, 9; *ὀπώπεα* 15, 9.

De infinitivo aoristi secundi activi. Smyth § 602. Arrianus terminationem *-εῖν* habet, sed bis hyper-ionicum *-έειν*: *ἰδέειν* 15, 4; *συμβαλέειν* 21, 13.

Tertia persona plur. plusquamperfecti passivi. Smyth § 616. *κεκοσμέατο* 8, 1.

Tertia persona plur. optativi aoristi medii. Smyth § 621. *τραποίατο* 21, 12.

Tertia persona plur. subiunctivi aoristi passivi. Smyth § 634. *ὀισθῶσιν* 13, 5; *ἀφανισθῶσι* 29, 12.

De verbis quae antiquitus in *-έϝω* desinebant. Smyth § 637, 2. Arrianus in his verbis *-εο*, *-εου*, *-εω* non contrahit, sed adhibet *-ει* iuxta usitatius *-εε* et *-εει*.

δεῖ 43, 6; *δεῖται* 36, 2; *δεῖσθαι* 31, 7; *δέῃ* 12, 4 (*δέῃ* FH, *δεῖ* A^2 BGL, requiritur coniunctivus); *ἀποδέων* 16, 7; *ἀποδέουσαι* 16, 8.

νεῖν 24, 5.

πλέειν 30, 5; *πλεομένου* 41, 3; sed *ἐπιπλεῖν* 6, 3; *συνέπλει* 27, 8.

ἔπνεε 21, 12; *ἐπιπνέοντα* 21, 1; *ἐκπνέωσιν* 14, 7.

ῥέει 6, 7; *περιῤῥεούσας* 30, 8; *ῥέειν* 6, 2; *ἔρεεν* 6, 7; *διαῤῥέεσθαι* 40, 4, sed *διαῤῥεῖ* 8, 5.

ἀναχεῖται 32, 8; *ἐκχεόμενον* 14, 9.

De verbis quae in praesenti inter terminationem *-ω* et *-εω* variant. Smyth § 637, 3. *κύει* 14, 7; *ἐρίπτουν* 24, 7.

Verba, quorum stirpes in *-ε* desinunt, in universum formas non contractas per *εε*, *εει*, *εο*, *εου*, *εω* habent, raro per *ει*, *ευ*, *ω* scribuntur, rarissime *εο* in *ευ* contrahitur. Idem valet de futuris quae in *-εω* desinunt. Exempla nonnulla apponam.

Praesens indicativi activi. Smyth § 638—643. *δοκέω* 43, 10; *ἐπαινῶ* 31, 9; cf. *ἐρέω* 15, 9, sed eadem paragrapho *ἐρῶ*.

δοκέει quinquies; *ποιέει* quater, etc., sed *δοκεῖ* 9, 4. 5; 32, 8; *ποιεῖ* 36, 9.

καλέομεν 15, 3.

ποιέουσι sexies; *οἰκέουσι* quinquies, etc., sed *οἰκοῦσι* 26, 2;

Digitized by Google

πολεμοῦσι 11, 10; 12, 4; διακονοῦσι 12, 3; νεωλκοῦσι 25, 1.

Praesens subiunctivi activi. Smyth § 644—648. δοκέωσι 13, 10.

Infinitivus praesentis activi. Smyth § 658. ἐπιχειρέειν 5, 7; πτιέειν 28, 3, sed λιπαρεῖν 20, 6; ὁμολογεῖν 31, 7; παρακαλεῖν 30, 4; πολεμεῖν 12, 4.

Participium praesentis activi. Smyth § 661. ἀπιστέων 34, 2, sed φορῶν 33, 5; iuxta multas formas in -έοντος etc. semel habet καταλοῦντες 29, 12. Pro ἐλαστρεύοντας 32, 9 non cum Herchero ἐλαστρεῦντας, sed ἐλαστρέοντας legendum videtur.

Imperfectum indicativi activi. Smyth § 663—668. ἐδόκεε ter; ἐποίεε quinquies; ὥρμεε 38, 5 etc., sed ἐλύπει 35, 2; ἐρρόχθει 21, 5; ᾤκει 18, 10; προσωμολόγει 36, 7.

ἐκάλεον ter; ᾤκεον quater; ὥρμεον 23, 4; 27, 6 etc., sed ἐρίπτουν 24, 7; ἐπωφέλουν 41, 4; pro ἐπὶ ἀγκυρέων ὥρμων 26, 5 vel ὥρμεον legendum est cum Herchero vel ὥρμουν.

Praesens indicativi medii et passivi. Smyth § 669—673. πτιέσμαι 34, 10; tertia persona singul. semper in -έεται, tertia persona plur. in -έονται, sed καλοῦνται 40, 1.

Imperativus praesentis medii. Smyth § 681. ἐξηγείσθων 1, 7.

Infinitivus praesentis medii et passivi. Smyth § 683. Desinit in -έεσθαι, sed semel ἐξικνεῖσθαι 24, 4.

Participium praesentis medii et passivi. Smyth § 684. Iuxta formas in -εόμενος exeuntes saepe formas in -ούμενος desinentes habet, e. g. οἰκεόμενος quater; οἰκούμενος septies; καλεόμενος novies; καλεύμενον 7, 8; καλουμένοισι 4, 5; ταλαιπωρούμενοι 13, 10; semel ταλαιπωρεύμενοι 13, 11. Pro καλεσύμενοι 21, 8 vel καλούμενοι vel καλεόμενοι legendum est.

Participium futuri medii. ἀπομαχούμενοι 24, 2.

Imperfectum indicativi medii et passivi. Smyth § 685. ὑφηγέετο 14, 6; ἐκαλέετο 26, 8; 33, 2; 37, 2; ἐδειπνοποιέοντο 23, 6; ἐποιέοντο 42, 8; ἐστιτέοντο 29, 1; semel ἠρνοῦντο 28, 5; semel ἐποιεῦντο 18, 12.

De verbis in -ήω et -ώω desinentibus. Smyth § 687. ζώουσι 38, 1, sed ζῶσι 14, 8; ζῶντες 14, 8.

χρέονται 16, 1; χρῶνται 29, 15; χρεόμενοι 29, 16; χρῆσθαι 8, 12; 30, 8; ἀπόχρη 17, 6; διαχρέονται 13, 3; διαχρεόμενοι 28, 8; διαχρᾶσθαι 24, 9; ἐπιχρεόμενον 12, 2.

Verba, quorum stirpes in α desinunt, in contractione ab attica consuetudine in universum non discrepant, e. g.

Digitized by Google

ὁρᾷς 36, 2; ἐφορῶσι 12, 5; θηρῶσι 13, 1 [1]); βοῶντες 33, 7; περιορᾶν 8, 12; ἀφεώρων 27, 9; ἐθήρων 21, 13; θηρῶνται 15, 9; πλανῶνται 13, 6; πλανώμενοι 7, 2; ὁρώμενα 30, 6; θηρᾶσθαι 38, 3; sed semel ὁρέομεν 15, 3, cf. Smyth § 688, 689; semel ἰᾶσθαι in infinitivo praesentis medii 15, 12, cf. Smyth § 637, p. 527 adn. 2; bis participii praesentis activi formas homericas habet: κομόωντες καὶ ῥυπόωντες 34, 7; κομόωντας 35, 3.

Verba, quorum stirpes in *o* desinunt, in contractione ab attica consuetudine non discrepant neque admittunt formas per ευ scriptas in Herodoto nonnunquam obvias, cf. Smyth § 690.

De verbis, quae in praesenti in *-μι* exeunt. Smyth § 691—701.

ἐμπιπλάμενον 6, 6; ἀπίημι 15, 7; ἀφίεται 36, 2; 37, 11; ἐφεῖται 11, 4.

Tertia pers. sing. ἐνδιδοῖ 41, 3; ἐκδιδοῖ quinquies; tertia pers. plur. ἐκδιδοῦσιν 4, 15; 18, 11, quod restituendum est pro codicis ἐκδίδωσιν 5, 2; διδόσθω 36, 6; ἐδίδοτο 18, 12.

ἐπόμνυσιν Dübner restituit pro codicis ἐπομνύειν 35, 8; δεικνύουσιν 28, 7; ἐδείκνυσαν 28, 8; ἐπεδείκνυον 28, 9; μίγνυται 4, 16; μίσγεται 17, 3.

οἶδα. Smyth § 702. ἴσμεν 4, 14; pro ειδεα (sic) 15, 9 Hercher restituit ᾔδεα.

εἶμι. Smyth § 703. ἦσαν 36, 9; ἐπῆσαν 24, 7.

εἰμί. Smyth § 705—712. εἶμεν (sic) 34, 10, pro quo εἰμὲν Hercher; ἔστω 36, 6; ἔστωσαν 2, 1; ὦν 27, 8; 33, 6; praeterea formas ὄντος etc. admittit iuxta formas ἐόντος etc., e. g. ὄντα 11, 8; 28, 9; 41, 3; ἐόντα 31, 5. 9; ἐοῦσα 20, 9; ἐοῦσα 5, 9.

ἐπῆν 38, 5.

κεῖμαι. Smyth § 713. κεῖται 31, 1, sed προσκέηται (tertia persona singul.) 11, 2, pro quo Dübner scripsit προσκέεται, sed cf. Smyth l.l.: κέηται *in the 3 sing. is a mistaken form, found in the mss. of Hdt.* (I 183, II 83, III 31, IV 62, 64), *and frequent in Lukian: Syr. dea* 6, 8, 27, 30.

συνέκειτο 28, 3; κειμένους 14, 4.

---

1) Pro κλαδοῦσιν 11, 10 cum Reiskio aut κλαδῶσιν (a κλαδᾶν) aut κλαδεύουσιν, non cum Herchero κλαδέουσιν legendum videtur. Cf. Lobeck ad Phrynichum p. 172.

Digitized by Google

De praepositionibus. Smyth § 715. ἕνεκα 10, 3; 15, 5; 23, 4; 43, 2; semel εἵνεκα 33, 9.

ἐς et σὺν Arrianus in Indica in universum adhibet, sed duodecies εἰς, quater ξύν, praeterea in compositis ξὺν duodecies, εἰσέρχεται 13, 5; εἰσέχων 43, 2; εἴσοδον 13, 5; εἴσω 28, 3; 30, 1; 43, 1.

De formis σύν, ξύν cf. Smyth § 380. Etiam in ceteris operibus suis Arrianus inter ἐς et εἰς, σὺν et ξὺν variat.

De coniunctionibus, adverbiis, particulis. Smyth § 716. ἐπειδάν 10, 5; 30, 8.

ἔστε praepositio 2, 2; 41, 8; ἔστε ἐπὶ 20, 1. 5; ἔστε πρὸς 43, 11; ἕστε coniunctio 36, 4. 5.

εὖτε 31, 1; εὖτ' ἂν 13, 7. 10; 29, 12.

ἐπεάν 13, 7; 14, 7; 15, 2; 16, 9. 12; 25, 7; 29, 11, sed ἐπήν 11, 7.

αὐτόθι 15, 12; 26, 2. 9. 10; 38, 5; αὐτοῦ 38, 4; 42, 5.

κάρτα 4, 15; 8, 6.

μακράν 1, 8; πέρην 4, 7.

ἀκριεῖ (sic) 24, 1.

ἀτρεκέως 40, 9; ἐμφερέως 16, 10; εὐμαρέως 12, 4; 16, 9; 38, 8; ὑπετέως 8, 12; 15, 2; περιφανέως 32, 13.

Permagnam igitur in Indica deprehendimus variationem formarum, quae procul dubio in universum Arriano ipsi tribuendae sunt, quum paucae ex iotacismo vel falsa orthographia codicis A ortae sint. Fieri potest ut praeter has etiam aliae formae in A non recte traditae sint, quum fortasse librarii hic illic vel atticam aliquam formam pro ionica ab ipso Arriano scripta vel ionicam pro attica posuerint, sed quoniam Arrianum Herodoti quam putabat consuetudinem imitatum in formis dialecticis variandi studio indulsisse certum est, non habemus quo formas scribarum incuria ortas a genuinis arrianeis dignoscamus. Porro quum auctoritatem codicis A magni aestimandam esse viderimus, non probabile est magnum esse numerum formarum in A aliter atque ab ipso Arriano scriptarum. Ei igitur, qui Indicam editurus est, auctoritati codicis A etiam in rebus dialecticis in universum obtemperandum est. Quod si fecerit, sine dubio propius aberit ab eo quod Arrianus ipse scripserit, quam si ea quae a pura dialecto ionica abhorreant correxerit.

Digitized by Google

DE DUOBUS SERMONIS PUERILIS EXEMPLIS APUD THEOPHRASTUM CONSERVATIS.

SCRIPSIT

J. D. MEERWALDT.

Iis quae in huius bibliothecae volumine LIII pag. 350 scite atque urbane de Theophrasti loco, quem ibidem pag. 340 tractaveram (Char. V. 5), disputavit W. E. J. Kuiper, adductus sum, ut diligentius iterum singula, quae consideranda hic essent, examinarem. Quod cum fecissem, operae pretium me facturum speravi, si interpretationem meam l.l. brevius sane expositam et adumbratam magis quam absolutam, paulo iam copiosius retractarem. Universam autem quaestionem ita denuo persequi visum est, ut primum agerem de ipsis vocabulis q. s. ἀσκός (leg. ἄσκος) et πέλεκυς ex sermone puerili intellegendis, tum vero et de totius sententiae compositione et de ipso verbo συμπαίζειν.

ἄσκος < ἀρτίσκος.

Difficillimam esse pronuntiatu litteram r, atque multo eam serius addisci a pueris solere quam ceteras plerasque omnibus notum est. Aeque autem constat ex ceteris illis omnibus vel facillime proferri explosivas q. d. tenues; cf. Jac. van Ginneken, *De roman van een kleuter*, pag. 53 sqq. et 202 sqq., ubi plurima huius generis exempla ex sermone nostro afferuntur, v. c. *put* pro 'brood' [1]), *atie* pro 'vader(tje)'. In antiquum Graecorum sermonem non secus haec cecidisse atque in hodiernum

1) Prorsus congruit *poète* pro 'brouette' illud, quod ex ore filioli sui notavit George Duhamel, *Les plaisirs et les jeux* p. 42.

Digitized by Google

et nostrum cum vel sic ratio ipsa docet, tum ex eo apparet, quod primae, quibus parvuli utebantur, patris (partim et matris) appellationes erant ἄττα, ταττία, τέττα, ταττᾶ, ἄππα, πάππα [1]). Consentaneum ergo infantes graecos, primum cum loqui inciperent, pro ἄρτος dixisse *ἄτος. Consueverunt autem adulti, mulieres imprimis, cum parvulis cuncta fere ὑποκορίζεσθαι, quae ad illorum provinciam pertineant; facile ergo intellegitur pueros graecos frequentissime a matre vel nutrice audivisse ἀρτίσκος, sive significandus erat panis revera parvus (vel panis frustulum) sive blandiuscule appellabatur ipse hic cibus (cf. 'melkje'). Audivisse dico, patet enim ipsos parvulos, ore rudi cum aggrederentur difficillimum illud ἀρτίσκος, cum plurimum efferre potuisse *ἀτίσκος. Sed vel hoc prae sonorum et copia et varietate vix erat exspectandum ab incipientibus. Quid ergo fecisse eos putandum est? Scilicet id ipsum, quod hodie quoque faciunt, ut in vocabulis polysyllabis ad acutissimum et quodammodo eminentissimum quidque animo prospicientes lingua quoque praetrepident ipsamque velut metam laboris ore anticipent; cf. puerilia id genus, qualia refert V. G. l.l. passim, *jotte*, 'jongentje'; *foote*, 'vogeltje'; *ammaa*, 'allemaal'; ita pro 'boterham' (panis frustum, sive butyro oblitum sive minus) a parvulis dicta notavi *boo*, *bam*, *bombam*, *boobam*, *boomam*, similia alia. Eadem hac pronuntiandi ratione compendiaria [1]) ex ἀρτίσκος puerorum in ore factum est ἄσκος illud, quod legimus apud Theophrastum. Quod ad pronuntiandi 'sc' facultatem attinet, conferre licet V. G. l.l. pag. 54: 'Tot het einde van het 2de levensjaar zullen twee medeklinkers achter elkaar een hooge uitzondering blijven. Het eenig geval, dat in dezen tijd een paar keer voorkomt, is.... dat twee medeklinkers elkaar op de silbengrens ontmoeten.... *pasj-te(te)*, 'plasje' en *tasj-te(te)*'. — Haec autem ipsa est condicio vocis, quam pueris graecis vindicamus: ἄσ-κος.

Iam de accentu videamus in ipsa, quam elisam ponimus, syllaba posito. Tria hic sunt consideranda. 1° In linguis exspiratorio accentu ('ictu') insignibus, velut in patrio nostro ser-

1) Conferre licet hypocoristica eiusmodi, qualia sunt ἄστρις (= ἀστράγαλος), Κυνοῦ, Κυνί (voc. = Κυνίσκη), totum quod genus ortum esse patet ex parvulorum corripiendi et decurtandi more.

Digitized by Google

mone, maior spiritus copia uni atque eminenti syllabae impensa efficere solet, ut et ipsa haec syllaba longa fiat et ceterae corripiantur, atque id sive singulae vocales natura sunt longae sive breves: v. c. *Bē-vĕr-wijk* uno tenore ⏑⏑ ⏓; ita *Zāān-dăm* ⏑ ⏓ pronuntiatur. Hinc est consequens, ut clarae et expressae cum proferantur vocales ictu praeditae, reliquae — quippe quantocius abiectae — sonum reddant obscuriorem (v. c. *júffrouw*〉 *júffĕr* et *'jĕfroúw'*, vulg.); quin etiam saepius accidit, ut omnino omittantur (v. c. *krant*, 'couránt'). Chromaticus vero seu tonicus accentus ('cantus'), utpote cui maiore spiritus copia opus non sit, quo purior valet, eo magis integram relinquit singularum vocalium mensuram et claritatem. Notum est huc redire, quod in lingua palaeograeca vocales extra accentum positae perinde retinuerunt colorem ingenuum atque eae, quae accentum haberent, nec non id, quod accentus ibi multa per saecula nihil valuit ad vocalem suam defendendam ab elisione vel haplologica vel aliud genus, v. c. ὠλενόκρανον 〉 ὠλέκρανον, ἀνάπαυσις 〉 ἄμπαυσις, Αἰγυπτίη 〈– ίη Il. II 537; ceterum ᾳ 〈 ί vel in linguis exspiratoriis invenitur (Brugmann-Thumb, Gr. Gr.[4] § 40). Licet autem Theophrasti aetate accentui graeco, tonicus cum interim maneret, aliquid iam exspiratoriae potestatis adcrescere coeperit, multo tamen clarius et expressius ἀ illud initiale etiamtunc sonabat, quam ut miremur ἀρτίσκος factum esse ἄσκος. — 2° Cum pro ισ-ederent σ-, multo revera minus omittebant parvuli quam prima fronte omissum putes. Spirans enim illa, quae syllabam τὶσ-claudit, utpote *brevem* post vocalem posita plenius sibilari solebat [1]); ipsarum autem spirantium sonus cum colorem habeat *i*, haud ita longe a vero aberrabant, qui pro ισκος ederent σκος (seu potius — ut in *'sst!'* et *'psst!'* — σσκος), voce nimirum ab initio ascendente: ἄσσ-κος. Nam ἀσκός illud, quod loco

1) Consonantem, syllabam quae claudat, post longam vocalem extenuari, post brevem contra augeri saepius iam notatum; cf. s varium in neerl. *waas* et *was* (germ. *er liest* et *er ist*, angl. *to please* et *to hiss*) itemque cf. *naar* et *nar*, *boot* et *bot*, *maal* et *mal*. Eodem pertinere constat, quod in versibus quantitavo metro vinctis idem explent temporis spatium v. c. ἐπῶρσε et ἔπερσε (= ἐ-περρ-σε), ἄνω ὤθεσκε (= ὠ-θεσσ-κε) et ἐπιθρώσκουσι (= ἐ-πιτθ-ρωσ-).

Digitized by Google

de quo agimus traditur, iis demum debetur, qui 'utrem' significari putaverint. — 3° Ad phoneticas denique rationes accedit psychica illa, quod ipsa huius cibi imago parvulorum in animo excitabat significans illud initium vocabuli, quod ὑποκορίζεσθαι vellent, ἄρτος dico. Quod quantum valeat in rebus huiusmodi, cum aliis exemplis demonstrari potest, tum vel optime cognoscas ex diligentissima illa dissertatione, quam de sermone puerili scripsit C. G. N. de Vooys (*De nieuwe taalgids* X pag. 129 sqq.).

His ergo singulis perpensis non dubitamus, quin ἀρτίσκος significet vocabulum l.l. traditum; veri autem videtur simillimum eadem ratione saepe correpta fuisse alia et similia; velut pro παιδίσκος facile dici potuit *παῖσκος, pro χοιρίσκος, κυνίσκος, ἰκτίσκος, ποδίσκος itidem *χοῖσκος, *κύσκος, *οἴσκος, πόσκος: adulti similia per haplologiam deformabant, velut κυλίσκη in usu erat iuxta κυλικίσκη.

πέλεκυς < πέλυξ.

Iis quae l. s. l. de pronuntiatione πέλυξ pro πέλεκυς (v. c. in LXX et ap. Babr.) et contra πέλεκυς pro πέλυξ (ap. Theophr. l.l.) brevius disputavi, haec addenda videntur.

Duplex x cum difficilior sit parvulis, extenuari ab iis solet in s; vid. V. G. l.l. pag. 200 sq., ceterum cf. ex adultorum sermone neerl. *zes*, germ. *sechs*; lat. *mistum* < *mixtum*; boeot. ἐς < ἐξ. His collatis exspectare licebat, ut πέλυξ puerorum in ore *πέλυς fieret; nec sane dubium mihi videtur, quin id quoque passim auditum sit. Anaptyctica autem ea pronuntiatio, quam notavit Theophrastus [1]), duobus modis explicari potest. Ac primum quidem sonorum q. d. contaminatione fieri poterat, ut voci q. e. πέλεκυς inscii adsimularent πέλυξ; nonnulla huius

1) Notatu dignum videtur Theophrastum singulari cum studio elaborasse in ea rhetoricae parte, quae est περὶ λέξεως, data autem opera tractasse non tantum 'adiecticias' virtutes decori et ornatus, sed etiam 'necessarias' illas puritatis et perspicuitatis. Eo autem — ut fit — maiore diligentia ad pronuntiandi varietates attendit, quod ipse natione Lesbius erat; lepida de eo est fabula Atticam quandam anum statim peregrinum agnovisse celeberrimum hunc elocutionis magistrum, *nimis* quod loqueretur *attice*.

Digitized by Google

generis [1]) exempla apud liberos suos notavit De Vooys (l.l. pag. 129), v. c. *drievier* pro 'rivier', *miljoen* pro 'meloen', *uier* pro 'dooier'. Verum prius notum et magis familiare cum parvulis fuerit 'poculum' suum quam 'securis' adultorum instrumentum, parum probabilis haec ratio videtur. Altera autem explicatio, quae mihi quidem videtur veri simillima, haec est. Nonnullis et ex variis linguis repetitis exemplis iampridem cognitum est, quantum ad terminationem nominativi mutandam valere soleat casuum obliquorum analogia; velut lat. *color* pro *colos* ex 'legitimis' illis *coloris* e. q. s. originem duxit (contra: *hortus*, *fructus*; Sommer, Lat. L. u. Formenl. § 9); francog. cuncta fere in formam accusativi cesserunt; germ. plurima eius generis, cuius exemplum est *der Name(n)*. Tanta autem cum sit tacita ut ita dicam casuum obliquorum auctoritas, facile pueris graecis accidere potuit, ut ultro inciperent πε-λυ-κ.... (cf. ἐκ πέλυκος, ἐν πέλυκι, τὴν πέλυκα); quod cum semel fecissent, consequens erat, ut obscuriore quadam vocali praemittenda ad terminans illud ς transitum quaererent. Obscurior autem et anaptyctica illa vocalis cum colorem habere soleat finitimae similem (Ἐρεμῆς = Ἐρμῆς; Γοργοῦς = Γοργοῦς, vas. attic.; Brugm. — Th. l.l. § 74), balbutisse parvulos apparet *πέλυκυς fere; ex quo facile vel fieri vel ab adultis audiri [2]) poterat id, quod Theophrastus habet, πέλεκυς. Casu accidit, ut in voce q. e. πέλεκυς (securis) inverso ordine eaedem vicissitudines demonstrari possint: > πέλυκυς [3]) (dial. co.), > πέλυξ (koine).

De ipsis formis hactenus; iam de sensu videamus. Agitur l.l. de pueris 'gratiae captatoris' rogatu ad mensam adhibitis.

---

1) Caute et subtiliter l.l. distinguuntur varia contaminandi genera.

2) Apud V. Henry, *Antinomies linguistiques*, III 11 nonnullis exemplis demonstratur ea, quae in puerorum sermone plane homonyma videantur adultis, ab ipsis tamen parvulis probe distingui, discrimina cum vel faciant vel facere sibi videantur, quae aures nostras fugiant. Similia inveni apud V. G. l.l. pag. 51.

3) Postquam scripsi disputationem priorem, hanc formam inveni apud Bechtel, *Griech. Dialekte* II pag. 574. — Quod l. l. minus apte mediam formam posui *πέλυκες, feci collatis inversionibus eiusmodi, qualis est v. c. Μυτιλήνη > Μιτυλήνη. — Bechtel l.l. adnotat: 'Die Assimilation ist der von ἥμυσυς zu vergleichen. Sie ist vielleicht *nur localer Natur*'. Propter commune illud πέλυξ (< πέλυκυς) vix verisimile hoc videtur.

Digitized by Google

In promptu ergo est homini vocabulis uti iis, quae ad *cenam* pertineant. Ceterum ad id quoque attendas velim, quod catillus, vel potius scyphus, *ligneus* est πέλυξ (vett. lex. [1]); quod vasorum genus (neerl. 'nap') apud antiquos respondisse patet poculis illis e stanno vel ex alia materia solidiore factis, quae hodie parvulis dantur propria (neerl. 'kroes' vel 'beker'). Ut apud Homerum illud 'πύρνον καὶ κοτύλην' mendicantium, ita apud Theophrastum 'ἄσκος, πέλεκυς' puerorum et cenae et sermonis [2]) quasi est symbolum. Apud Theophrastum dixi: addere potui Van Ginneken nostrum. Hic enim auctor (l.l. pag. 204) postquam plus viginti exemplis balbutiendi quoddam genus demonstravit, ex amplissima hac copia exemplorum duas ipsas voces eligit, quibus pueruli, de quo agitur, in recte loquendo profectus significet: scil. *poculi stannei* et *panis* appellationes: 'Pas in de laatste drie maanden van zijn 3de levensjaar zwicht ook hier de weerbarstige tong voor het fijner gehoor en begint hij te vragen om z'n *kroesje* en *brood* [3])'.

His absolutis ad totius loci contextum nos convertamus. Duae atque inter se complentes blandiendi rationes l.l. describuntur: καὶ τοῖς μὲν (sc. παιδίοις paulo supra) συμπαίζειν αὐτὸς λέγων· 'ἄσκος, πέλεκυς', τὰ δὲ ἐπὶ τῆς γαστρὸς ἐᾶν καθεύδειν ἅμα θλιβόμενος. Primum attendas quaeso ad αὐτός, cuius pronominis vis cum hucusque plane latuerit, tum ubi semel agnovisti συμπαίζειν hic valere τὰ τῶν παιδίων συμπράττειν [4]), facile ex ipso contextu eadem intellegitur; videlicet partim homo adultus ipse 'cum parvulis parvulum agit' (sc. balbutiendo), partim adultum se praebet hominem (sc. parvulos fovendo). Eadem fere sententiae est structura apud Plutarch. reip. ger. praec. cap. X [oportere principem interdum ab austeritate paulum

---

1) Non mirum est antiquos lexicographos vasa haec lignea ita appellata putasse "διὰ τὸ πεπελεκῆσθαι"; cui etymologiae quamvis sit falsa (cohaeret π. cum πέλλα et lat. *pelvis*) non tantum favere videretur ipsa cum π. ('dolabrum') homophonia, sed etiam id, quod σκάφος illud synonymum ad σκάπτω referendum esse pateret.

2) Huc τὸ ἀσύνδετον quoque pertinet. Sive enim rogati sive sua sponte et animi causa parvuli *singulatim*, quae sibi nota sint, suo nomine appellare solent.

3) Antea dixerat *koesje* et *put* (etiam *boot*). Cf. Arist. Nubes 1364.

4) De hac re infra plura.

Digitized by Google

remittere] *τὰ μὲν αὐτὸν ἐνδίδοντα καὶ συμπαίζοντα* [1]) *κεχαρισμένως.....*, *τὰ δὲ, ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ νεῶν ἁμαρτήματα, προσποιούμενον παροραῖν καὶ παρακούειν.* — Ceterum, quod ad ipsum illud sententiae membrum, de quo quaerimus, attinet haec observanda videntur. 1° Pronomen q. e. *αὐτός* post infinitivum suum positum et alibi saepe et in eodem hoc Theophrasti libello XX 5 reperitur: *σιτίζειν αὐτός.* — 2° Participium *λέγων* non eo pertinet, ut novi aliquid, (quod quasi cumulus quidam accedat ad *τὸ συμπαίζειν*) significetur, verum id ipsum explicat, qua re contineatur actio illa (*λέγων* = 'dicendo'); cf. ibid. VI 8. *ὅταν* (*τὰ παιδία*) *κελεύῃ λέγοντα· 'ἄττα, κ. τ. λ.'* et XXVIII 4, *κακῶς λεγόντων ἑτέρων συνεπιλαμβάνεσθαι εἴπας· ἐγὼ δὲ κ. τ. λ.'* — Artissime ergo cum cohaereant *συμπαίζειν* et *λέγων*, pronomen *αὐτός*, quantum ad sententiam attinet, *ἀπὸ κοινοῦ* valet (voce scil. coniungitur cum infinitivo).

παίζω· τὰ τῶν παιδίων πράττω.

Immerito in lexicis nostris ad ipsam dumtaxat sensus specialis originem demonstrandam arcessi solet verbi *παίζω* significatio prisca et nativa 'puerum, pueriliter ago' (**παϝιδ-ιω*). Immerito dico, nam ut mittamus Theophrasti hunc locum ipso rei genere praepeditum, Platonis certe testimonium, quod legitur Gorg. 485 *b*, omnino laudandum fuit. Verba volo haecce: *καὶ ἔγωγε* (ait Callicles) *ὁμοιότατον πάσχω πρὸς σοὺς Φιλοσοφοῦντας ὥσπερ πρὸς τοὺς ψελλιζομένους καὶ παίζοντας. — ὅταν μὲν γὰρ παιδίον ἴδω, ᾧ ἔτι προσήκει διαλέγεσθαι οὕτω, ψελλιζόμενον καὶ παῖζον, χαίρω τε καὶ χαρίεν μοι φαίνεται καὶ ἐλευθέριον καὶ πρέπον τῇ τοῦ παιδίου ἡλικίᾳ, ὅταν δὲ σαφῶς διαλεγόμενου παιδαρίου ἀκούσω, πικρόν τί μοι δοκεῖ χρῆμα εἶναι καὶ ἀνιᾷ μου τὰ ὦτα καὶ μοι δοκεῖ δουλοπρεπές τι εἶναι· ὅταν δὲ ἀνδρὸς ἀκούσῃ τις ψελλιζομένου ἢ παίζοντα ὁρᾷ, καταγέλαστον φαίνεται καὶ ἄνανδρον καὶ πληγῶν ἄξιον.* — Ipse, opinor, huius loci contextus loquitur. Patet enim in prima sententia *ψ. καὶ π.* ita concipi, ut speciali *τοῦ ψ.* notioni adiungatur generalis

2) i. e. hilariora una cum populo agentem diebus festis. Vix opus est monere propter ipsam tantum constructionem conferendum esse hunc locum.

Digitized by Google

illa τοῦ π.ς quod nisi esset, nullo pacto fieri potuisset, ut in altera sententia plane iam unum valeret ψ. καὶ π. Re autem vera unum haec valere non tantum ἴδω illud ostendit commune, sed ex eo quoque apparet, quod tam quae praecedunt (διαλ. οὕτω) quam ea quae sequuntur (σαφῶς διαλ.), ad balbutiendi tantum actionem pertinent: haec una eminet in pueri 'puerum se praebentis' imagine ea, quae auctoris animo obversatur. Ut vero, ipsis dum de pueris agitur, uno conspectu hic comprehenduntur τὸ ψ. et τὸ π., ita mox, ubi adultum ad hominem eadem referuntur, singulatim iam spectantur. Ac primum quidem aurium iudicio subicitur vir aliquis balbutiens, deinde autem oculis proponitur pueriliter agens. Nemo autem negabit *universum* hunc locum ita demum apte cohaerere, si π. usque valebit 'tota agendi ratione notam puerilem exhibere'. — Conferre etiam licet παιδικός et παιδικῶς, quae apud unum atque eundem auctorem (v. c. apud Platonem) pro ipsius contextus genere modo valent 'iocosus', 'ludicrus' (— e), modo 'puerili simplicitate (insignis)'; eadem vis duplex observari potest in adi. παιδιώδης. — Apparet ergo verbum παίζω, quamvis frequentior sit sensus specialis et (ut hodie dicitur) angustatus 'ludendi' et 'iocandi', idem tamen Platonis certe et Theophrasti temporibus latiorem adhuc provinciam obtinuisse necdum immemor, ut ita dicam, factum esse naturae suae priscae et *denominativae* [1]). Quod cum ita sit, cum locis de quibus egimus, conferri possunt verba, quae leguntur apud Aristoph. Thesm. 266 sqq.: καὶ δὴ γυνὴ | τό γ' εἶδος· ἦν λαλῇς δ', ὅπως τῷ φθέγματι | γυναικιεῖς εὖ καὶ πιθανῶς! — πειράσομαι. | βάδιζε τοίνυν, κ. τ. λ. (haec est altera pars τοῦ γυναικίζειν, ad oculos quae pertinet iudices).

Duobus his Theophrasti et Platonis locis procul dubio alii plures addi possunt, data opera si quis inquisiverit. Vix autem quidquam invenietur, quod aptius aut illius συμ-παίζειν (τοῖς παιδίοις) λέγων· 'ἄσκος, πέλεκυς' aut huius παιδίον ψελλιζόμενον καὶ παίζον referat, quam germanice scripta illa, quae leguntur

1) In universum conferenda hic sunt, quae H. Paul, *Prinzipien der Sprachgeschichte*, § 51 sqq. egregie disputat de variis aut usitatis aut ex occasione natis verborum significationibus; imprimis lectu sunt digna § 56 sq. § 60, § 62.

Digitized by Google

apud Seb. Franck, saeculi MDC theologum, in *Paradoxon* libro, XC pag. 99 *b*. Cuius loci quaerendi [1]) causa cum omnem libellum — atque id magna quidem cum voluptate et admiratione — perlegerem, in alterum incidi voluntate persimilem (par. CXXIII), quem una apponam. Rectius autem ut aestimentur quae laudabo, pauca praemittenda videntur de disputationis summa. — Priore ergo loco hic auctor copiose exponit summum numen tale, quale re ipsa sit, i. e. omni motu et affectuum vicissitudine carens, hominum animo, quippe mobili ac turbido, concipi non posse; ita fieri, ut propitium suscensentem, propinquum aversum deum sentiant, prout sua ipsi conscientia afficiantur. Cuius imbecillitatis humanae rationem cum habeat, suo in 'verbo' ita de se ipsum agere deum, quasi motui et affectibus sit obnoxius. [hinc excipiunt, quae infra laudabuntur ex p. XC]. — Altero [2]) autem loco, ubi idem argumentum attingitur, hoc accedit, ut moneamur ex ipsis tamen his 'opinionibus' humanis et imperfectis divinam per gratiam escendi posse ad 'cognitionem' eam, quae deum non iam, qualis videatur, verum qualis sit, concipiat. Quae cum exponat, eadem hic auctor rursus utitur allegoria patris cum parvulis suis interim balbutientis, quae priore loco adhibetur. Ipsa autem quae volo verba, haec sunt.

XC 'Nun seitemal jhe der willos onbeweglich Gott jetzt zu, jetzt abkert sein muss, so lässt ers gleich geschehen sein wie *wir* achten und *er* uns nit

CXXIII *'lallet und stamlet mit uns*, damit er unsze mehr und mehr in sein erkanntnuss für, das wir das *stückwerck und kinderspil* [3]) lassen fallen

---

1) In edd. quas consului neque pag. 55 *b* neque 122 *b* — ita Grimm, s. v. *kindlen* — verba, de quibus agitur, inveniuntur.

2) Hic simul ipsius originis indicia adgnosci crediderim. Respici enim l.l. apparet verba Pauli apost. *ad Cor.* I. 13. 9 sqq. ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν..... ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ τέλειον, τὸ ἐκ μέρους [*Stückwerck*, Luther] καταργηθήσεται. ὅτε ἤμην νήπιος, ἐλάλουν ὡς νήπιος, ἐφρόνουν ὡς νήπιος, ἐλογιζόμην ὡς νήπιος· ὅτε ἐγενόμην ἀνήρ, κατήργηκα τὰ τοῦ νηπίου. Cf. ibid. 14. 20. Litterarum generis patristici peritos rogare velim, an post alios Seb. Franck allegoria usus sit patris liberorum suorum balbutientium ad usus vocem adcommodantis.

3) Cf. verba Pauli supra laudata. — Ceterum memoratu hic dignum videtur omnem et agendi et loquendi rationem parvulorum, tum quoque cum proprie

Digitized by Google

ausreden kan....., *lallet und kindelt mit uns*' e. q. s. In versione neerl. saec. MDC p. 128 *b*: 'lalt, stamelt en *kindert* [1]) met ons'.

und zuletzt anfahen von Gott zu dencken, wie er *ist*: das wer aber niemand sagen, und weder schreiben noch lesen konnen, sondern allein ein jeder für sich selbs empfinden.

Vides priore loco illud '*lallet und kindelt*' plane respondere locutioni Platonis '*ψελλιζόμενον καὶ παίζον*'. Eo autem maiore iure conferre haec licet, quia verbum *kindeln* (etiam *kindern*) easdem fere sensuum varietates habet, quas *παίζω* graecum. Grimm s. v. explicat 'kindlich, oder kindisch, tun'; post Seb. Franck ibid. laudat Logau, *Immerwehrende kindheit*, 2. 1. 84 sq. 'verdruss zu mindern | kindeln männer oft mit kindern'. In dial. bav. et helv. k. valet 'kindisch... tun und *sprechen*', 'sich wie ein Kind benehmen'; apud Suebos idem 'ein *Ballspiel* der Knaben' (cf. *παίζω*). Plura vide s. v. *kindern* (et *Kindelei*), ubi praeter explicationem latinam 'pueriliter agere' (Stieler), exempla invenies significationum 'ludendi', 'iocandi', 'nugandi', 'iuvenandi' (erot.); quibus cunctis respondet *παίζω*.

His perpensis totum denique Theophrasti locum, de quo egimus, sic latine reddiderim: 'et cum aliis ipse iam parvulum agit, homo adultus cum dicit „palus [2]), coculum", alios autem in ventre suo dormire sinit,quamvis moleste, hoc dum sinit, prematur'.

'ludere' non dicantur, revera ad ludendi (animi causa se movendi et exercendi) studium pertinere. Saepius huc recurrit Van Ginneken, l.l., v. c. p. 6. 11; p. 213; p. 182; p. 35. Vide etiam supra pag. 49 adn. 2. — Speciali cura ad hanc rem attendit Plato, ubi in Legibus agit de educationis principiis ab ipsa *infantium* natura repetendis.

1) Deest in lexicis nostris, fortasse ad occasionem fictum est; cf. autem eiusdem generis verba usitata 'boeren', 'dokteren', 'schipperen'.

2) Ut aliquid fingam pro „*paniculus, poculum*".

Digitized by Google

LIVIANA III.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

(Continuantur ex Mnemos. LIV p. 41).

In fine prioris disputatiunculae indicandum erat Horatium exemplo fuisse Livio, hic incipiendum est a locis poetica dictione insignibus:

XXXI 18, 7 seque ipsi per omnes vias leti interficerent; confer Val. Flacc. I 32.... letique vias ac tempora versat.

XXXI 41, 7 Aetoli campos Thessaliae opimae ad praedam petiere; hic Livius imitatur Horat. C. I 7, 11 nec tam Larisae percussit campus opimae.

XXXIII 8, 14 simul et densari ordines iussit, ut vir viro, arma armis iungerentur;

hic habemus circumlocutionem versus Vergiliani Aen. X 360 acies

concurrunt, haeret pede pes densusque viro vir,

qui versus et ipse exprimit Hom. Iliad. XIII 131

ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυθ', ἀνέρα δ' ἀνήρ.

XXXIV 3, 7 negastis hoc piis precibus;

confer Ovid. Met. VI 161 (et date)

cum prece tura pia lauroque innectite crinem.

XXXVI 10, 9 incerto regi inter spem metumque; rursus Ovidius loci Liviani colorem poeticum prodit:

Fast. III 362 sollicitae mentes speque metuque pavent.

XXXVII 54, 18 nec terra mutata mutavit genus aut mores[1]), quae verba nos admonent Horatiani illius:

1) Otto, Die Sprichwörter der Römer p. 61 hunc locum Livianum omisit.

Digitized by Google

Epist. I 11, 27 caelum non animum mutant, qui trans mare currunt; qui versus respicit ad proverbium Graecum παροιμία insignitum, cf. Aesch. adv. Ctes. 78 οὐ γὰρ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξεν.

XXXIX 9, 1 huius mali labes .... Romam .... penetravit; praeiit Vergilius:
Aen. II 97 hinc mihi prima mali labes.

XXXIX 34, 7 perturbavit ea vox regem, ut non color, non vultus ei constaret (cf. VIII 19, 6 Vitruvio nec .... sana constare mens, nec .... animus suppetere; XLIV 20, 7 nec animum eius regis constare satis visum);
dubitari nequit quin hic quoque rerum scriptor hauserit e fonte Ovidiano, cf. A. a. I 120

constitit in nullo, qui fuit ante color.

Hos locos similes desidero omnes in commentariis nostris.

De bello gesto (a° 200 a. C. n.) inter Sulpicium consulem et Philippum regem Macedonum cum alia narrat Livius tum haec:
XXXI 36, 7 cum in propinquo agro frumentarentur Romani, primo rex intra vallum suos tenuit, ut cresceret ⟨*socordia*⟩ simul et neglegentia cum audacia hosti.

Sic edidit Mauritius Mueller, sed animadvertendum est *socordiam* et *neglegentiam* vix differre, quocirca illud supplementum improbandum est. H. J. Mueller autem *et* post *simul* delet, quae ratio levior videtur.

Qui tamen confert XXXII 18, 8 „lacessendo missilibus eos, qui in praesidio erant, cum ad excursiones elicuissent, refugiendo in vicem sequendoque et levibus sine effectu certaminibus eo *neglegentiae* et *contemptus* adduxerunt, ut cum refugientibus in portam permixti impetum Romani facerent" — hic quoque notiones *neglegentiae* et *contemptus* coniungendas esse censebit. Itaque propono:
ut cresceret simul et neglegentia ⟨*et contemptus*⟩ cum audacia hosti.

Persaepe *simul et.... et* legimus in libris ab urbe condita, memorabile imprimis est XXXII 18, 3 ubi praecedit iunctura *simul nec.... nec* (XXXII 18, 2).

XXXI 47, 7 L. Furius .... senatum in aede Bellonae ha-

Digitized by Google

buit expositisque rebus gestis, ut triumphanti sibi in urbem invehi liceret, *petit.*

Recte H. I. Mueller et Mauritius traditam lectionem servaverunt, at Madvig requisivit *petiit*, iniuria, nam praesens historicum bonam clausulam i. e. duos creticos efficit (*hi liceret petit*).

XXXI 49, 11 maiores ideo instituisse, ut legati, tribuni, centuriones, milites denique triumpho adessent, ut ⟨*arbitros*⟩ rerum gestarum eius, cui tantus honos haberetur, populus Romanus videret.

Equidem *arbitros* verbum satis difficile librarium potius praetermisisse puto quam *testes*, quod H. I. Mueller et Mauritius inseruerunt.

XXXII 20, 4 nunc in concilio ad eam rem unam indicto, cum legatorum utrimque verba audieritis, cum referant magistratus, cum praeco ad suadendum vocet, obmutuistis!

Cum his verbis componendus est locus Demosthenis orationis praeclarus, quae *περὶ τοῦ στεφάνου* inscribitur (XVIII 170): *καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἦλθεν ἡ βουλὴ καὶ ἀπήγγειλαν οἱ πρυτάνεις τὰ προσηγγελμένα ἑαυτοῖς καὶ τὸν ἥκοντα παρήγαγον κἀκεῖνος εἶπεν, ἠρώτα μὲν ὁ κήρυξ „τίς ἀγορεύειν βούλεται"; παρῆει δ' οὐδείς* e. q. s.

Rege Philippo a Romanis superato Antiochus Asia potiri conatus est, qua de re historicus noster haec exponit:

XXXIII 19, 9 omnibus enim regni viribus conixus cum ingentis copias terrestris maritimasque comparasset, principio veris praemissis terra cum exercitu filiis duobus ⟨*et ducibus*⟩ Ardye ac Mithridate, iussisque Sardibus se opperiri, ipse cum classe centum tectarum navium, ad hoc.... proficiscitur.

Holleaux [1]) docuit Ardyn et Mithridatem non filios, sed duces fuisse Antiochi Syriae regis: inde meum supplementum.

XXXIII 24, 8 Cosanis eo die postulantibus, ut sibi colonorum numerus augeretur, mille adscribi iussi e. q. s.

---

1) Cf. Hermes 47 p. 481. (Cf. et Polyb. V 53, 60).

Digitized by Google

Cum in praecedentibus agatur de adventu T. Quinctii et regis Philippi legatorum, insuper de senatu in aede Bellonae habito, verba *eo die* sana esse non possunt, videntur autem corrupta esse ex *eodem*, quare conicio: Cosanis *eodem* ⟨*tempore*⟩ postulantibus, ut e. q. s.

Cf. XXXI 2, 5 *eodem fere tempore* P. Aelius consul in Gallia, cum audisset a Boiis ante suum adventum incursiones in agros sociorum factas, ... C. Ampium .... agrum Boiorum invadere iussit cet.

XXXIII 37, 8 ibi, quantam vim ad stimulandos animos ira haberet, apparuit; nam ita caedis magis quam victoriae avidi pugnarunt Romani, ut vix nuntium cladis hosti relinquerent.

Saepius talis victoriae aut caedis Livius mentionem facit:

IV 10, 5 et cum haud procul urbe Tusculo consedissent, vetere Tusculanorum odio inermes oppressi dederunt poenas vix nuntiis caedis relictis.

V 49, 6 eiusdem ductu auspicioque Camilli vincuntur (sc. Galli): ibi caedes omnia obtinuit: castra capiuntur et ne nuntius quidem cladis relictus.

XXVII 49, 9 „supersint .... aliqui nuntii et hostium cladis et nostrae virtutis".

Sed hanc locutionem et alii scriptores adamant:

Cic. de imp. Cn. Pomp. 25 sinite .... praeterire me nostram calamitatem, quae tanta fuit, ut eum ad aures imperatoris non ex proelio nuntius [1]), sed ex sermone rumor afferret.

Hirt. de bell. Gall. VIII 21 adflictas opes equestri proelio Bellovacorum esse, delectorum peditum multa milia interisse, vix refugisse nuntios caedis.

Iustin. I 8, 12 in qua victoria (sc. Tamyris Massagetarum reginae) etiam illud memorabile fuit, quod ne nuntius quidem tantae cladis superfuit.

XXXIV 2, 2 nunc domi victa libertas nostra impotentia muliebri e. q. s.

Sicut hic Cato severe iudicat de feminis in universum, ita

1) Halm adnotat: eine im Lateinischen beliebte hyperbolische Redewendung.

Digitized by Google

Tacitus scribit de Livia Ann. I 4 accedere matrem muliebri impotentia. Idem fere legitur de Agrippina Claudii uxore Ann. XII 57 nec ille (sc. Narcissus) reticet impotentiam muliebrem nimiasque spes eius arguens.

In eadem Catonis oratione contra mulierum luxuriam legimus:

XXXIV 2, 13 date frenos impotenti naturae et indomito animali et sperate ipsas modum licentiae facturas; § 14 nisi vos *feceritis*, minimum hoc eorum est, quae iniquo animo feminae sibi aut moribus aut legibus iniuncta patiuntur.

B exhibet pro *feceritis* (quod erat in M) *facietis*, quoniam autem *vos facietis* clausulam heroicam efficiunt, quam Livius de industria quaerit (cf. paulo infra cap. 3, 9 *profestisque diebus*), anteponenda videtur Bambergensis auctoritas: hic certe H. I. Mueller meliorem rationem secutus est quam Mauritius.

XXXIV 3, 2 quid? si carpere singula et extorquere et *exaequari* ad extremum viris patiemini, tolerabiles vobis eas fore creditis?

Hic contra iure Mauritius Mueller Moguntini lectionem *exaequari* praetulit, cum H. I. Mueller ex B *aequari* receperit. *Exaequari* commendatur allitteratione (cf. § 5 destruet ac demolietur) et substantivo *exaequationem*, quod occurrit infra 4, 14.

Livius Catonem perorantem sic fingit:

XXXIV 4, 20 ego nullo modo abrogandam legem Oppiam censeo, *vos quod faxitis, deos omnis fortunare velim.*

Nimirum imitatur rerum scriptor Demosth. IX 76 ὅτι δ' ὑμῖν δόξει, τοῦτ' ὦ πάντες θεοὶ συνενέγκοι.

Valerius legem Oppiam impugnans et alia dicit et haec:

XXXIV 6, 10 nam si ista lex ⟨*vetus*⟩ aut ideo lata esset, ut finiret libidinem muliebrem, verendum foret, ne abrogata incitaret; cur sit autem lata, ipsum indicabit tempus.

Meyerhoefero auctore H. I. Mueller et Mauritius *vetus* inseruerunt. Verum quaero num verisimile sit eam vocem praeteritam esse a scriba? Ceterum constat aliquod vocabulum intercidisse, vera mihi lectio videtur: nam si ⟨*casca*⟩ ista lex aut ideo lata esset c. q. s.

Digitized by Google

Compluribus formis et verbis e vetere Latinitate petitis utitur noster: faxitis XXXIV 4, 20 (= XXIX 27, 3); auxitis (XXIX 27, 2); fulgamus (XXXIV 3, 9); indeptus (XXVI 39, 12); colos (XXVIII 26, 14); occiperet (XXIII 31, 13 et passim); valetudinis *ergo* (XXV 12, 15) cet.

XXXIV 28, 11 tandem Nabidis milites in fugam inclinarunt; quae minus *infida* ac trepida fuisset, ni Achaei locorum prudentes institissent.

Editio Frobeniana altera praebet *infida*, quod deest in B. Mauritius parum probabiliter *infida* mutavit in *infesta*. Equidem legere malim *timida* memor Ovid. Met. I 525

plura locuturum *timido* Peneia cursu
fugit.

XXXIV 32, 3 nam quid minus conveniret quam eos, qui pro libertate Graeciae adversus Philippum gereremus bellum, cum tyranno instituere amicitiam? et tyranno, *quam* qui umquam fuit saevissimo et violentissimo in suos?

H. I. Mueller ante *quam* addidit *tam saevo*, at Mauritius delevit *quam*. Uterque frustra locum sollicitavit, nam ex:

tyranno *quam* qui umquam fuit saevior et violentior
et tyranno, qui umquam fuit, saevissimo et violentissimo

i. e. contaminatione nata est tradita lectio:

tyranno *quam* qui umquam fuit saevissimo et violentissimo.

XXXIV 35, 7 exulibus quoque Lacedaemoniis *liberos coniuges* restitueret, quae earum viros sequi voluissent.

H. I. Mueller merito asyndeton bimembre servavit, at Mauritius edidit *liberos et coniuges*. Quid verum sit, discimus ex XXXIV 5, 12 ceterum quod in rebus ad omnis pariter, *viros feminas*, pertinentibus fecisse eas nemo miratus est e. q. s.

XXXV 12, 1 sed neque Boi neque Hispani, cum quibus eo anno bellatum erat, tam *inimice infesti* erant Romanis quam Aetolorum gens.

Inimice infesti e codice Bambergensi recepit Mauritius Mueller, at H. I. Muellero placuit edere *inimici infestique*, quam lec-

Digitized by Google

tionem exhibebat Moguntinus. Nimirum illa tamquam difficilior longe anteponenda est; praeterea conferendae sunt locutiones quales: mansuete obocdiens (III 29, 3) graviter aeger (IX 29, 3); acerbe severus (Cic. de off. III 112); stolide ferocem (Tac. Ann. I 3) cet.

Frequenter Livius satis feliciter Graecam vertit locutionem aliquam, ita ut legenti aut ipsius fontis verborum aut alterius scriptoris veniat in mentem e. g.

XXXV 32, 8 renuntiavit legationem (cf. XXXVI 9, 8; XXXVI 35, 6; XXXIX 33, 1 cet.) = ἀπήγγειλε πρεσβείαν (cf. Demosth. XIX (de falsa leg.) 19 ἀπαγγέλλειν τι τῶν πεπρεσβευμένων);

XXXV 32, 2 (defectionem) nudabat = παρεγύμνου (τὸν πάντα λόγον) (Herod. 1 126);

XXXVII 7, 5 per multos casus = διὰ πολλὰς αἰτίας (Polyb.);

XXXVII 45, 16 (Hannibalem) ante omnia deposcimus = Ἀννίβαν ἐκδοῦναι (Polyb.);

XXXVIII 35, 10 ferri agique (res) ἄγειν καὶ φέρειν (Xen.), ἄγομαι, φέρομαι (Arist. Nub. 241);

Non semel *nobilis* in malam partem accipiendum est, e. g. XXXIX 42, 8 nobile scortum; ibid. 44, 9 nobilis censura cet., quocum comparare possis Hom. Iliad. VI 358 ἀνθρώποισι πελώμεθ' ἀοίδιμοι ἐσσομένοισι.

XXXV 35, 1 Lacedaemone non urbi vis adferenda, sed tyrannus dolo capiendus erat, quem spoliatum maritimis oppidis ab Romanis, tunc intra moenia etiam Lacedaemonis ab Achaeis compulsum, qui occupasset occidere, ⟨*credidere*⟩ eum totius gratiam rei apud Lacedaemonios laturum.

H. I. Mueller Novakium secutus post *laturum* addidit *apparebat*, ut acc. c. inf. *eum .... laturum* haberet unde penderet, at ego rationibus palaeographicis adductus post *occidere* inserui *credidere*.

XXXV 51, 2 ubi et in fano lucoque ea religione et eo iure sancto, quo sunt templa, quae asyla Graeci appellant, et nondum aut indicto bello aut ita commisso, ut strictos gladios aut

Digitized by Google

sanguinem usquam factum audissent, cum per magnum otium milites alii ad spectaculum templi lucique versi, alii in litore inermes vagarentur, magna pars per agros lignatum pabulatumque dilapsa esset, repente Menippus palatos passim adgressus *eos* cecidit, ad quinquaginta vivos cepit, perpauci effugerunt.

Verborum contextus pro corrupta voce *eos* flagitare videtur *crebros* cf. XXXVII 14, 3 excursionibus crebris; XXXVII 5, 6 eruptionibus crebris; I 31, 2 crebri cecidere caelo lapides, cet.

XXXVII 12, 11 inde cum in proxima Samiae vellent traicere, non expectato solis ortu, ex quo statum caeli notare gubernatores possent, in incertam tempestatem *miserunt*.

Miserunt sensu enavigandi inauditum est, quamobrem scribendum videtur: in incertam tempestatem *enisi sunt*, cf. Val. Flace. IV 679

> sed neque permissis iam fundere rector habenis
> vela, nec *eniti* ramis pote.

Aatiochus magno cum exercitu Eumenis fines depopulaturus est, qua de re Livius scribit:

XXXVII 18, 7 plurimum terroris in Gallorum mercede conductis quattuor milibus erat. hos paucis ⟨*regiis*⟩ admixtis ad pervastandum passim Pergamenum agrum misit.

Quattuor illa milia Gallorum peritissimi quidem erant vicos et villas diripiendi, sed egebant idoneis ducibus. Haec fuit causa, nisi omnia me fallunt, cur rex iuberet eos mercennarios duci a fidissimis militibus suis. Sic spero fore ut legentibus meum supplementum probetur.

XXXVII 40, 5 his tria milia equitum loricatorum [– *cataphractos ipsi appellant* –] adiunxit.

Quae cancellavi verba, glossema olent nam iam supra rerum scriptor idem docuit, nempe XXXV 48, 3 equitum innumerabilem vim traici Hellesponto in Europam, partim loricatos, *quos cataphractos vocant*, partim e. q. s.

XXXVII 41, 2 Nebula matutina, crescente die levata in

Digitized by Google

nubes, caliginem dedit: umor inde ab austro velut ⟨*nix*⟩ perfudit omnia.

Inserendum censeo *nix* (neque *pluvia* cum H. I. Muellero neque *imber* cum Weissenbornio), cum pugna apud Magnesiam ad Sipylum facta sit medio fere mense Ianuario a^i 189 a. C. n. secundum Kromayerum [1]) et Groebium [2]).

XXXVII 41, 9 quod ubi Eumenes vidit, haud ignarus, quam anceps esset pugnae et auxilii genus, si quis pavorem magis equis iniceret, quam iusta adoriretur pugna, Cretenses sagittarios funditoresque et iaculatores ⟨*affatimque*⟩ equitum non confertos, sed quam maxime possent dispersos excurrere iubet et ex omnibus simul partibus tela ingerere.

Quod supplevi, facile similitudine vocabuli sequentis potuit praetermitti. Observandum est Eumenem (secundum cap. 39, 9) non plus octingentos habuisse equites. Saepius usurpat noster adverbium *affatim*, cf. XXVII 17, 7 armorum affatim; XXXIV 26, 10 auxilia, quorum affatim erat; XXIII 5, 15 pecuniae affatim cet.

XXXVII 43, 4 hic maior timor timorem vicit.

Apte conferas Plin. Epist. VI 16, 16 et apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit.

XXXVIII 17, 7 si *primum impetum*, quem fervido ingenio et caeca ira *effundunt*, *sustinueris*, *fluunt* sudore et lassitudine membra, labant arma.

Hic Livius paucis refert, quae uberius exposuit X 28, 3—6; tamen res et verba congruunt, ut apparet, si locum supra exscriptum confers cum:

X 28, 4 corpora intolerantissima laboris atque aestus *fluere*;

X 28, 3 Gallos *primo impetu* feroces esse, quos *sustineri* satis sit;

X 28, 6 quantumcumque virium habuit (sc. Decius) certamine primo *effudit*.

Non miramur eam similitudinem inter hanc descriptionem

---

1) Cf. Kromayer Antike Schlachtfelder II 163; hic auctor ipse provocat ad Matzat Röm. Zeitrechnung (1889) S. 207.

2) Groebe, Handbuch für den Geschichtsunterricht I. Bd. p. 220.

Digitized by Google

et illam, etenim utrobique Gallorum genus pugnandi depingitur: hic Gallorum Galatiam incolentium, illic Gallorum, qui cum Samnitibus ad Sentinum devicti sunt.

XXXVIII 32, 8 libertatemque sibi illibatam.... praestarent. Iustinus bis eandem locutionem adhibet:

XXVIII 4, 2 (cum) illi.... pro inlibata libertate certarent;

XXXII 1, 2 libertatem, quam inlibatam.... retinuerant.

XXXVIII 53, 1 adiecit decreto indignationem: „sub pedibus vestris stabit, tribuni, domitor ille *Africae Scipio?*"

Cobet delere voluit vocem *Scipio*, sed bona clausula (duo cretici) vindicat traditam lectionem.

Idem cadit in:

XXXVIII 53, 3 vos de P. Africano pal*mam peteretis?* Clausula heroica, quam Livius in deliciis habet, tuetur codicum scripturam, quam Mauritius Mueller mutavit in: pal*mam peti feretis*, ita ut tres trochaeos acquireret i. e. clausulam vetitam.

Noster Africani laudem sic praedicat:

XXXVIII 53, 9 vir memorabilis: bellicis tamen quam pacis artibus memorabilior, ⟨*nobilior*⟩ prima pars vitae quam postrema fuit, quia in iuventa bella adsidue gesta, cum senecta res quoque defloruere, nec praebita est materia ingenio.

H. I. Mueller et Mauritius inseruerunt *nobilior*, aptius suppleas *admirabilior*.

Narratio de Bacchanalibus sic fere incipit:

XXXIX 8, 5 additae voluptates religioni vini et epularum, quo plurium animi illicerentur. § 6 cum vinum animos ⟨*stimulasset*⟩ et nox.... corruptelae primum omnis generis fieri coeptae e. q. s.

Quod *stimulasset* praetuli *incendisset*, Heraei supplemento, feci motus Ovid. A. a. I 591

iurgia praecipue vino stimulata caveto.

Exempla Livii Nasonis studium declarantia iam in principio huius disputatiunculae attuli. Praeterea mox sermo est de luco *Stimulae* (cap. 12, 4).

Digitized by Google

XXXIX 9, 1 primo urbis magnitudo capacior patientiorque talium malorum ea celavit.

Operae pretium est conferre Sallust. Bell. Cat. 53, 7 respublica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat.

Rex Philippus contra Eumenis aliorumque legatos sic se defendit:

XXXIX 28, 11 Macedonum civitates, quas regni mei fuisse fatemini, non restituuntur. Eumenes, *tamquam ad Antiochum spoliandum me* venit, et si dis placet, decem legatorum decretum calumniae impudentissimae praetendit, quo maxime et refelli et coargui potest.

Inauditum verborum ordinem: *tamquam ad Antiochum spoliandum me* vereor ne non apte viri docti tueri potuerint. Vide ne restituendum sit: tamquam ad Antiochum spoliandum ⟨*spoliatum*⟩ me venit. Saepissime Livius supino utitur [1]) e. g. XXVIII 41, 2 simul cum bello materiam gloriae tuae isse ereptum videri posset.

XL 2, 4 simul procuratum est, quod tripedem mulum Reate natum nuntiatum erat,. et *a Formiis* aedem Apollinis Caietae de caelo tactam.

In prodigiis narrandis Livius non id egit ut elocutionem variaret aut exornaret. Procul dubio quas res in fontibus suis invenerat, eas descripsit non mutatas. Itaque talibus locis sermo Livianus unum eundemque colorem habet atque est semper et ubique sibi similis, eo magis quod plerumque eaedem res commemorandae sunt. Ita fit ut nonnumquam locum corruptum emendare possimus comparando similem. Nostro igitur loco reponendum videtur: et ⟨*forum*⟩ Formiis, aedem Apollinis Caietae de caelo tactam; cf. XXXII 9, 2 de caelo tacta erant via publica Veis, *forum* et *aedes* Iovis Lanuvi cet.

Locus hiulcus in Persei oratione sic videtur integrandus:

XL 9, 8 frater, non comisantium ⟨*ritu*⟩ in vicem iam diu vivimus inter nos.

---

1) Cf. Kühner—Stegmann, I p. 724 häufiger (ist das Supinum) bei Sallustius, bei Livius sehr häufig besonders bei *ire*, *venire*, *mittere* cet

Digitized by Google

H. I. Mueller (qui tamen supplet *more* post *vicem*) optime vertit: nach der Art solcher, die abwechselnd zu einander zum Gastgelage ziehen. *Ritu* facile intercidere potuit inter *comisantiū* et *in*. Ipse Livius scribit IV 2, 6 quam enim aliam vim conubia promiscua habere, nisi ut ferarum prope *ritu* vulgentur concubitus plebis patrumque?

XL 46, 16 censoribus deinde postulantibus ut pecuniae summa sibi, qua in opera publica uterentur ⟨*decerneretur*⟩, vectigal annuum *decretum* est.

Supplevi *decerneretur*, quamquam mox sequitur *decretum*; hoc tamen Livianum est, ut apparet ex cap. 52, 1 alter ex censoribus.... petit ab senatu, ut.... pecunia ad ludos *decerneretur*. viginti milia aeris *decreverunt*.

XL 49, 7 „id (sc. militare cum Romanis) quoque Graccho permittente, „sequar" inquit (sc. Thurrus) „vos adversus veteres socios, quoniam illos *ad me propiunt* suspicere".

De hoc loco Weissenborn adnotat: „es läszt sich schwerlich ermitteln, was Livius hier geschrieben hat". At Heraeus in Praefat. (p. XIV) scribit; in extremis fortasse latet: populi Romani odium suscipere.

In praecedentibus legimus permultos Celtiberos se Romanis dedisse cf. cap. 49, 1 centum tria oppida intra paucos dies in deditionem accepit (sc. Gracchus). Iam vero post captam urbem Alcen multi captivi nobiles in potestatem Romanorum venerunt (§ 6), itaque rex Thurrus putat se a suis desertum. Hisce perspectis suspicor hanc fere mentem Livii fuisse:

quoniam illos ⟨*h*⟩*a*⟨*u*⟩*d* ⟨*iuvit*⟩ *me propin*⟨*quum*⟩ suspicere.

(Continuabuntur).

Digitized by Google

AD PLUTARCHI VITAS.

SCRIPSIT

A. J. KRONENBERG.

Romul. I (= I p. 34, 4 Sintenis) *ταῖς δὲ γυναιξὶν αὐτῶν ἀπορουμέναις ἤδη καὶ δυσανασχετούσαις πρὸς τὴν θάλασσαν ὑποθέσθαι μίαν — καταπρῆσαι τὰ πλοῖα.*

Non 'consilii inopibus' mulieribus sed *καρτερεῖν ἀδυνάτοις* suasit illa, id est *ἀπειρημέναις*, qua medii forma non minus utitur Plutarchus quam activa. Vide quam non otiosum sit *ἤδη* (Cimon XI *ἀπαγορεύοντες ἤδη πρὸς τὰς στρατείας*).

Ibid. XXIX (I p. 72, 28) *ὡς ἐπὶ θάλαττταν βαδίζοντας —.*

Collato quod supra legitur (p. 71, 15) *Ἐξιόντες δὲ πρὸς τὴν θυσίαν* Xylander et alii emendaverunt *ἐπὶ θυσίαν*, ad rem aptissime, sed rationes palaeographicae suadent *ἐπὶ θαλίαν*. Numa XX *ἑορταὶ καὶ θαλίαι*, Pyrrh. XVI *θαλίας*.

Numa I (I p. 117, 18) *Λεγομένου δ' οὖν, ὡς Νομᾶς γένοιτο Πυθαγόρου συνήθης, οἱ μὲν ὅλως ἀξιοῦσι μηδὲν Ἑλληνικῆς παιδεύσεως Νομᾶ μετεῖναι, καθάπερ ἡ Φύσει δυνατὸν* [*καὶ*] *αὐτάρκη γενέσθαι πρὸς ἀρετὴν ἢ βελτίονι Πυθαγόρου βαρβάρῳ τινὶ τὴν τοῦ βασιλέως ἀποδοῦναι παίδευσιν· οἱ δὲ — Πυθαγόραν τὸν Σπαρτιάτην — συγγενέσθαι τῷ Νομᾶ.*

Delevi [*καὶ*], iungens *Φύσει* et *αὐτάρκη*. De loci integritate iam dubitavit Reiskius.

Ibid. IV (I p. 122, 5) *Καὶ οὐ πλημμελοῦσιν οἱ τὸν Φόρβαντα καὶ τὸν Τάκινθον καὶ τὸν Ἄδμητον ἐρωμένους Ἀπόλλωνος γεγονέναι μυθολογοῦντες, ὥσπερ αὖ καὶ τὸν Σικυώνιον Ἱππόλυτον, ᾧ δὴ καί*

Digitized by Google

Φασιν ὀστάκις τύχοι διαπλέων εἰς Κίρραν ἐκ Σικυῶνος, [αὐτῷ χρᾶν] τὴν Πυθίαν, οἷον αἰσθανομένου τοῦ θεοῦ καὶ χαίροντος, ἀποθεσπίζειν τόδε τὸ ἡρῷον·

Καὶ δ' αὖθ' Ἱπολύτοιο φίλον κάρα εἰς ἅλα βαίνει.

Dicitur Pythia in honorem Hippolyti, quotienscumque ille Cyrrham navigaret, dum responsa daret aliis, his responsis unum versum adiecisse, i. e. ἐν τῷ χρᾶν — ἀποθεσπίζειν (Pomp. LXVI ἐν τῷ σκώπτειν).

Pericl. III (I p. 301, 4) Ὅθεν αἱ μὲν εἰκόνες αὐτοῦ σχέδον ἅπασι κράνεσι περιέχονται, μὴ βουλομένων, ὡς ἔοικε, τῶν τεχνιτῶν ἐξενειδίζειν. Οἱ δ' Ἀττικοὶ ποιηταὶ σχινοκέφαλον αὐτὸν ἐκάλουν· τὴν γὰρ σκίλλαν ἔστιν ὅτε καὶ σχῖνον ὀνομάζουσι. Τῶν δὲ κωμικῶν ὁ μὲν Κρατῖνος ἐν Χείρωσι 'Στάσις δὲ' φησὶ 'καὶ πρεσβυγενὴς χρόνος ἀλλήλοισι μιγέντε μέγιστον τίκτετον τύραννον, ὃν δὴ κεφαληγερετὰν θεοὶ καλέουσι', καὶ πάλιν ἐν Νεμέσει 'Μόλ' ὦ Ζεῦ ξένιε καὶ μακάριε'. Τηλεκλείδης δὲ —, ὁ δὲ Εὔπολις κτέ.

Quinam sunt illi poetae — scilicet qui repetito ioco fatigabant aures hominum neque odium extimescebant! — si neque Cratinus est aut Teleclides aut Eupolis qui singuli citantur, neque omnino comici sunt? Quam primum fac deleas inepta illa Οἱ δ' Ἀττικοὶ ποιηταὶ — ὀνομάζουσι: vindicaveris Cratino iocum suum proprium ac perpetuum, nam illius est, sed hic reticuit Plutarchus, suo loco, in Odei descriptione (XIII) commemoraturus. Etiam monuisse bonum interpolatorem poetas illos fuisse — Atticos!

Fab. Max. IV (I p. 345, 14) (Ver sacrum.) Προελθὼν δὲ ὁ δικτάτωρ εἰς τὸν ὄχλον εὔξατο τοῖς θεοῖς ἐνιαυτοῦ μὲν αἰγῶν καὶ συῶν καὶ προβάτων καὶ βοῶν ἐπιγονὴν, ὅσην Ἰταλίας ὄρη καὶ πεδία καὶ ποταμοὶ καὶ λειμῶνες εἰς ὥραν ἐσομένην θρέψουσι, καταθύσειν ἅπαντα.

Annon potius 'pascua', πό(ι)αι?

Ibid. VII (I p. 349, 30) καὶ πολλὰ μὲν αὐτοῦ πρὸς τὸν ὄχλον οἱ δήμαρχοι κατεβόων, ἐπάγοντος μάλιστα Μετιλίου καὶ παροξύνοντος, οὐ κατὰ τὴν πρὸς Φάβιον ἔχθραν, ἀλλ' οἰκεῖος ὢν Μινουκίου τοῦ ἱππάρχου τιμὴν ᾤετο καὶ δόξαν ἐκείνῳ φέρειν τὰς τούτου διαβολάς.

Nullas inimicitias ante commemoravit Plutarchus neque debuit commemorare si scripserimus κατά τινα — ἔχθραν.

Digitized by Google

Ibid. X (I p. 352, 32) Ἡνία δ' αὐτὸν ἡ τῶν πολλῶν ἀβουλία διὰ τὰ κοινά, δεδωκότων ἀφορμὰς ἀνδρὸς οὐχ ὑγιαινούσῃ φιλοτιμίᾳ πρὸς τὸν πόλεμον.

διὰ τὰ κοινά = rei publicae, non sua causa: 'οὐ γὰρ αὑτοῦ συμφορὰν ἡγεῖτο τὴν ἐκείνων ἄγνοιαν (cap. init.)': haec sana sunt, ceterum ἀνδρός nullo adiecto attributo ferri non posse vere vidit Reiskius, ⟨κούφου⟩ vel tale quid requirens. Lenius curatur ⟨α' = ἑνὸς⟩ ἀνδρὸς (XXVI ἐπισφαλές ἐστι πιστεύειν ἀνδρὸς ἑνὸς τύχῃ τηλικαῦτα πράγματα, Dion XI ἑνὸς ἀνδρός).

Timol. XIII (II p. 13, 11) Ταῦτα δ', ὡς ἔοικεν, οὐ τὴν τότε νίκην ἐσήμαινε μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰς μετὰ ταῦτα πράξεις, αἷς ἐκεῖνος ὁ ἀγὼν ἀρχὴν εὐτυχῆ παρέσχε. Καὶ γὰρ πόλεις εὐθὺς ἐπιπρεσβευόμεναι προσετίθεντο τῷ Τιμωλέοντι —.

Designantur urbes illae quae ante suspectaverant Timoleontem nondum cognitum (XI Οὐδ' ἐπίστευον αἱ πόλεις), restituatur ergo — παρέσχεν. Αἱ γὰρ πόλεις —. In fine enuntiati non nisi ante vocalem τὸ ἐφελκυστικὸν νῦ ponit Plutarchus.

Aemil. Paul. XXX (II p. 73, 12) τὴν ἱερὰν φιάλην ἀνέχοντες, ἣν ὁ Αἰμίλιος ἐκ χρυσοῦ δέκα ταλάντων διὰ λίθων κατεσκεύασεν.

Patera lapidibus erat obsita, i. e. διάλιθον eam κατεσκεύασεν, cf. Lucull. VII (II p. 504, 5) ὅπλων διαχρύσων καὶ διαλίθων.

Pelop. XXX (II p. 114, 15) Καίτοι δοκεῖ μάλιστα τῶν Ἑλλήνων Ἀνταλκίδαν τιμῆσαι τὸν Λακεδαιμόνιον (Ἀρτοξέρξης), ὅτι τὸν στέφανον, ὃν πίνων περιέκειτο, βάψας εἰς μύρον ἀπέστειλε.

Malo ᾧ pro ὅτι scribere quam 'subaudire αὐτῷ' cum Reiskio.

Marcell. XV (II p. 137, 14) (Αἱ τοῦ Ἀρχιμήδους μηχαναὶ τὰς ναῦς) τοῖς ὑπὸ τὸ τεῖχος [εἰσ]πεφυκόσι κρημνοῖς καὶ σκοπέλοις προσήρασσον.

Sic editor cum Reiskio: cur non ΕΚπεφυκόσι?

Cato Maior XV (II p. 211, 13) Τοῦτον μὲν οὖν (Σκηπίωνα) ἀπ' οἴκου τε μεγάλου καὶ φρονήματος ἀληθινοῦ ποιησάμενον ὑπὸ πόδας τὰς διαβολὰς μὴ ἀποκτεῖναι δυνηθεὶς ἀφῆκε.

Non Catonis erat calumniis de medio tollere conari adversarium, sed id perficere non potuit quod fieri et solebat. et solet, calumniis atterere — ἀποκναίειν — eum non potuit (Alcibiad. XXV).

Digitized by Google

Pyrrh. II (II p. 286, 2) *ἐντυγχάνοντες — ποταμῷ, χαλεπῷ μὲν ἐξῆναι καὶ ἀγρίῳ, πειρωμένοις δὲ διαβαίνειν παντάπασιν ἀπορατάτῳ.*

In nova Vitarum editione quam parant Lindskog et Ziegler hic *ἀπόρῳ* commendat, *ἀπόρῳ τότε* suspicatus erat Sintenis. Dubito an scripserit Plutarchus *ἀπερατῷ*. Cf. XXVIII *τάφρον οὐ περατήν*, Moral. 326 E (II 409, 10 Bern.) *ποταμοὺς ἀπεράτους*.

Marius XVII (II p. 346, 26) *Τὸ δὲ περὶ τοὺς γῦπας θαύματος ἄξιον Ἀλέξανδρος ὁ Μύνδιος ἱστόρηκε. Δυὸ γὰρ ἐφαίνοντο πρὸ τῶν κατορθωμάτων ἀεὶ περὶ τὰς στρατείας καὶ παρηκολούθουν γνωριζόμενοι χαλκοῖς περιδεραίοις· ταῦτα δὲ οἱ στρατιῶται συλλαβόντες αὐτοὺς περιῆψαν, εἶτα ἀφῆκαν· ἐκ δὲ τούτου γνωρίζοντες ἠσπάζοντο τοὺς στρατιώτας καὶ φανέντων ἐπὶ ταῖς ἐξόδοις ἔχαιρον ὡς ἀγαθόν τι πράξοντες.*

Corais coniectura *τοὺς γῦπας* pro *τοὺς στρατιώτας* quod traditum est (ante eum emendare tentaverat Reiskius *ἠσπάζοντο αὐτοὺς οἱ στρατιῶται*, parum curans tantulo intervallo repetitum nomen), quam incerta sit obvium est; ultimum remedium adhibent Haitinger et Ziegler: delent verba molestissima. Quid autem si milites vultures illos semper comites 'commilitones' salutabant, i. e. *ἠσπάζοντό* ΤΕ CΥ*στρατιώτας*? Cf. Otho XII (V p. 223, 27) *Ὡς οὖν ἐγγὺς ἦσαν, ἠσπάσαντο Φιλίως συστρατιώτας προσαγορεύσαντες.*

Lysand. XXVI (II p. 411, 12) *τήν τε Φήμην τῆς γενέσεως τοῦ παιδὸς εἰς πίστιν ἀνυπόπτως προ[σ]ῆγον ἄλλον τε λόγον ἐκ Δελφῶν ἀντικομίσαντες εἰς τὴν Σπάρτην κατέβαλον καὶ διέσπειραν κτέ.*

Papii lexicon adii ut cognoscerem quid significaret *ἀντικομίζειν*, de quo iam Solanus dubitavit: inveni 'ebenfalls bringen, Plut. Lys. 26'. Dum plura non citantur, interim lego *αὐτοὶ κομίσαντες* (Romul. II *κομισθῆναι χρησμόν*, Lycurg. V *χρησμὸν κομίζων*).

Sulla II (II p. 419, 3) *Ταύτης δὲ τῆς ἀνέσεως ἔοικε γεγονέναι νόσημα καὶ ἡ πρὸς τοὺς ἔρωτας εὐχέρεια καὶ βύσις αὐτοῦ τῆς Φιλημοσύνης, ἧς οὐδὲ γηράσας ἐπαύσατο, Μητροβίου δὲ τῶν ἀπο σκηνῆς τινος ἐρῶν διετέλεσεν ἔτι νέος ὤν. Καὶ συνήντησεν αὐτῷ τὸ τοιοῦ-*

Digitized by Google

τον· ἀρξάμενος γὰρ ἐρᾶν κοινῆς μὲν, εὐπόρου δὲ γυναικὸς, — ἀπελείφθη κληρονόμος ὑπὸ τῆς ἀνθρώπου τελευτώσης.

Metrobius ille est, οὗ καίπερ ἐξώρου γενομένου διετέλει μέχρι παντὸς ἐρᾶν οὐκ ἀρνούμενος (XXXVI). Haud inepte verba ἔτι νέος ὤν, hic nihil significantia, transponenda post ἀρξάμενος γὰρ putabat Sintenis: certe evenit hoc Sullae etiamnunc pauperi (huius capitis fin.) nequedum quaestori (III init.): sed perpende an praestet levis correctio Ἔτι νέος ἦν, καὶ συνήντησεν αὐτῷ —; nam ne quis aliquod coniungendi vocabulum (δέ vel simile quid), ut in continuata narratione, desideret, non continuatur narratio neque iam ad mores Sullae haec pertinent quae de mulierculae et subinde de novercae hereditatibus proferuntur: vitae factorumque Sullae ex ordine descriptio hic primum instituitur, cuius continuatio est caput insequens.

Cimon XI (II p. 484, 4) χρήματα δὲ λαμβάνων παρὰ τῶν οὐ βουλομένων στρατεύεσθαι καὶ ναῦς κενὰς ἐκείνους εἶα δελεαζομένους τῇ σχολῇ περὶ τὰ οἰκεῖα διατρίβειν, γεωργοὺς καὶ χρηματιστὰς ἀπολέμους ἐκ πολεμικῶν ὑπὸ τρυφῆς καὶ ἀνοίας γενομένους.

Imbelles fieri sinebat ὑπὸ τρυφῆς καὶ ἀπονίας; vide quae sequuntur: τῶν δ' Ἀθηναίων ἀνὰ μέρος πολλοὺς ἐμβιβάζων καὶ διαπονῶν ταῖς στρατείαις κτέ. Iunguntur σχολή et ἀπονία Romul. VI οὐ τὴν σχολὴν ἐλευθέριον ἡγούμενοι καὶ τὴν ἀπονίαν.

Nicias XII (III p. 17, 2) τὴν Ἀλκιβιάδου τόλμαν καὶ τὴν Λαμάχου πρᾳότητα —.

Lamacho reddidit Solanus quod Lamachi erat, θρασύτητα, quod nomen extat etiam Vita Marcell. X, sed aliquanto deteriore significatu: ἀνέσεως πολλῆς καὶ θρασύτητος ἐκ τοῦ κρατεῖν τὸν Ἀννίβαν τοῖς στρατιώταις ἐγγενομένης, Dion. XXXII et XXXIV. Verisimilius mihi videtur primam litteram correctori esse reddendam, id quod relinquitur supplendum: ῥα⟨γδα⟩ιότητα.

Erat Lamachus (Alcib. XVIII) διάπυρος καὶ Φιλοκίνδυνος ἐν τοῖς ἀγῶσι; eiusdem ingenii hominem, Timophanem, describit Plutarchus Timol. III (II p. 4, 10) ἔχειν τι δοκοῦντα ῥαγδαῖον ἐν ταῖς στρατείαις καὶ Φιλοκίνδυνον.

Eumenes III (III p. 119, 6) ὡς οὐδὲν αὐτῷ προσῆκον ξένῳ ὄντι πολυπραγμονεῖν ταῖς Μακεδόνων διαφοραῖς.

Casum accusativum graecitas postulat et stilus Plutarchi.

Digitized by Google

Ibid. XV (III p. 135, 3) εἶτα ὤφθη τὸ Φορεῖον (Εὐμένους νοσοῦντος) ἀπὸ θατέρου κέρως ἐπὶ θάτερον διαφερόμενον. Γελάσας οὖν ὁ Ἀντίγονος, ὥσπερ εἰώθει, μέγα καὶ πρὸς τοὺς φίλους εἰπὼν τοῦτο ἦν [τὸ Φορεῖον], ὡς ἔοικε, τὸ ἀντιπαρατατόμενον ἡμῖν, εὐθὺς ἀπῆγε τὴν δύναμιν ὀπίσω.

Seclusi quod detrimento esse videbatur.

Agesil. XVIII (III p. 161, 4) Λέγει δὲ τὴν μάχην ὁ Ξενοφῶν ἐκείνην εἶναι οὐκ ἄλλην τῶν πώποτε γενέσθαι.

Solanus et post eum Cobetus (Coll. Crit. p. 580) scripserunt τῶν τότε, coll. Xen. Hell. III 3, 16 καὶ γὰρ ἐγένετο (ἡ μάχη) εἶς οὐκ ἄλλη τῶν γ' ἐφ' ἡμῶν. Verum quid inducere potuit Plutarchum ut in ceteris presse secutus Xenophontem 'τῶν ἐφ' ἡμῶν' non redderet, ut debuit, per 'τῶν ἐφ' ἑαυτοῦ' vel, ut legitur in Apophthegmatis Laconicis (Mor. p. 212 A), 'τὴν μεγίστην μάχην, ὥς φησι Ξενοφῶν, τῶν καθ' ἑαυτὸν γενομένων', sed ita quasi 'τῶν γε νῦν' scripsisset ille et eodem quo scripsit tempore simul plura fuisse certamina dixisset quorum hoc maximum? Aliud latere videtur.

Pomp. XI (III p. 198, 10) Στρατιῶται γάρ τινες, ὡς ἔοικε, θησαυρῷ περιπεσόντες ἔλαβον συχνὰ χρήματα. Τοῦ δὲ πράγματος γενομένου φανεροῦ δόξα τοῖς ἄλλοις παρέστη πᾶσι χρημάτων μεστὸν εἶναι τὸν τόπον ἐν ταῖς ποτε τύχαις τῶν Καρχηδονίων ἀποτεθειμένων.

Annon ἔν τισί ποτε τύχαις?

Ibid. XXI (III p. 208, 13) Καὶ ταῦτα (sc. quae scripserat ad senatum Pompeius, ὡς Κράσσος μὲν ἐκ παρατάξεως νενίκηκε τοὺς μονομάχους, αὐτὸς δὲ τὸν πόλεμον ἐκ ῥιζῶν ἀνήρηκε) βουλομένοις ἦν δι' εὐνοιαν ἀκροᾶσθαι καὶ λέγειν τοῖς Ῥωμαίοις. Ἰβηρίαν δὲ καὶ Σερτώριον οὐδὲ παίζων ἄν τις εἶπεν ἑτέρου καὶ μὴ Πομπηίου τὸ πᾶν ἔργον εἶναι.

Nihil hic παιδιᾶς, ne simile quidem: obtrectatio esset si cui libuisset tale aliquid de Pompeio dicere: illam gladiatorum victoriam totam Pompeio tribuebant ob benevolentiam, hanc Sertorii οὐδ' ἐπηρεάζων ἄν τις abiudicaret. Ages. VII οἷς ἐκεῖνος (Λύσανδρος) ἐπηρεάζοι, τούτους ἔδει πλέον ἔχοντας ἀπελθεῖν καὶ τοὐναντίον οὓς φανερὸς γένοιτο προθυμούμενος ὠφελεῖν χαλεπὸν ἦν μὴ καὶ ζημιωθῆναι.

Digitized by Google

Ibid. XXI (III p. 208, 20) *Ὅθεν οὐκ ἐλάττονες ἦσαν τῶν δι' εὐνοιαν τρεχόντων καὶ φιλοφρονουμένων καθ' ὁδὸν οἱ φόβῳ ταῦτα ποιοῦντες.*

Studium suum significasse homines non potius cursu suspicor quam concursu: *συντρεχόντων*. XXVI *εἰσῆλθε νύκτωρ εἰς τὴν πόλιν, ὡς ἐπιφθόνου τῆς πρὸς αὐτὸν ἀπαντήσεως καὶ συνδρομῆς ἐσομένης.*

Alexand. X (III p. 288, 32) *Ὁ δὲ Φίλιππος αἰσθόμενος* (filium suum barbarae feminae nuptias appetere) *ἰόντα τὸν Ἀλέξανδρον εἰς τὸ δωμάτιον παραλαβὼν τῶν Φίλων αὐτοῦ καὶ συνήθων ἕνα, Φιλώταν τὸν Παρμενίωνος, ἐπετίμησεν ἰσχυρῶς κτέ.*

Pro *'ὄντα'* quod traditum est *'ἰόντα'* substituit Stephanus, pro malo peius: illud ('esse in cubiculum') grammaticae repugnat, hoc rationi, nisi si cui credibile videtur filium suum corripuisse regem in ipso temporis articulo quo ille in cubiculum pergeret ire (*ἰόντα*, non *ἐλθόντα*), neque bene, quamquam a vero prope aberat, Anonymus *'ἰὼν εἰς τὸ Ἀλεξάνδρου δωμάτιον'*, cum et deberet *'ἐλθὼν'* et *'⟨καὶ⟩ παραλαβὼν'*: nam verum vidit, sed per nubila, patrem filium suum aegrotantem in ipso cubiculo obiurgavisse. Quid multa? Habemus luculentum haplographiae exemplum: *ὁ δὲ Φίλιππος* (sc. *τοῦτο*) *αἰσθόμενος ⟨νοσ⟩οῦντα τὸν Ἀλέξανδρον, εἰς τὸ δωμάτιον παραλαβὼν Φιλώταν, ἐπετίμησεν*: Ira patris moram non tulit.

Ibid. XVI (III p. 294, 22) *μάχεσθαι μὲν ἴσως ἀναγκαῖον ἦν, ὥσπερ ἐν πύλαις τῆς Ἀσίας, περὶ τῆς εἰσόδου καὶ ἀρχῆς· τοῦ δὲ ποταμοῦ τὸ βάθος καὶ τὴν ἀνωμαλίαν καὶ τραχύτητα τῶν πέραν ὄχθων, πρὸς οὓς ἔδει γίνεσθαι τὴν ἀπόβασιν μετὰ μάχης, τῶν πλείστων δεδιότων, κτέ.*

Non persuadeo mihi *ἀπόβασιν* esse pro *ἔκβασιν*, quod substituerem libenter collato Arriano I 13, 7 *ἐκβαίνουσιν ἐπικείσονται*, nisi traditae lectioni propius videretur *τὴν ἐπίβασιν* sc. *τῆς πολεμίας*: necessarium erat *μάχεσθαι — περὶ τῆς εἰσόδου*.

C. Caesar XXV (III p. 389, 6) *αἱ ἀρχαὶ τοῦ μεγίστου καὶ κινδυνωδεστάτου τῶν ἐκεῖ πολέμων ἀνεφαίνοντο, ῥωσθεῖσαι πολλῇ μὲν ἡλικίᾳ καὶ πανταχόθεν ὅπλοις ἀθροισθείσῃ, μεγάλοις δὲ πλούτοις εἰς ταὐτὸ συνενεχθεῖσιν, ἰσχυραῖς δὲ πόλεσι, δυσεμβόλοις δὲ χώραις.*

Digitized by Google

Non constat sententia nisi aut cum editione Reiskiana legas *ἀθροισθεῖσι*, aut ex haplographia revoces ⟨*ἐν*⟩*ὅπλοις* (= armatus). Cf. XXVII (p. 390, 28) *Ὁ γὰρ ἦν ἐν Γαλατίᾳ κράτιστον ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἀθροισθὲν ἐν ὅπλοις ἦκον ἐπὶ τὴν Ἀλησίαν* (ubi tamen *ἐν ὅπλοις* non potius cum *ἀθροισθέν* iungendum est quam cum *ἦκον*), Pomp. LXX *μυριάδας ἑπτὰ Ῥωμαίων ἐν ὅπλοις ἐπερχομένας*, Artox. VIII *ἐν ὅπλοις ἀναβεβηκώς*.

Ibid. XXXVIII (III p. 402, 11) *Ἴθι' ἔφη 'γενναῖε, τόλμα καὶ δεδιθι μηδέν· Καίσαρα φέρεις καὶ τὴν Καίσαρος τύχην συμπλέουσαν'. Ἐλάθοντο τοῦ χειμῶνος οἱ ναῦται καὶ ταῖς κώπαις ἐμφύντες ἐβιάζοντο πάσῃ προθυμίᾳ τὸν ποταμόν.*

Ad lacunam, quam iure statuit Sintenis, explendam post *συμπλ*ΕΟΤCΑΝ ipsum se commendat ΕΤΘΤC ΟΤΝ, quod adamat Plutarchus; pauca exempla sufficiant: Alex. XX (III p. 301, 15), Caes. L (III p. 413, 7), Cato Min. XVIII (IV p. 52, 9).

Phocion XXIII (IV p. 21, 13) *Πότε οὖν, ὦ Φωκίων, συμβουλεύεις πολεμεῖν Ἀθηναίοις;' 'Ὅταν' εἶπε 'τοὺς μὲν νέους ἴδω τὴν τάξιν βουλομένους φυλάττειν, τοὺς δὲ πλουσίους εἰσφέρειν, τοὺς δὲ ῥήτορας ἀπέχεσθαι τοῦ κλέπτειν τὰ δημόσια'.*

Non cum *πολεμεῖν* iungendum esse *Πότε* palam facit quod respondet Phocion: *ὅταν ἴδω*. Interrogaverant igitur *Πότε συμβουλεύσεις* —;

Cato Min. XIX (IV p. 52, 25) *Ἀπεδήμησε δὲ οὐδέποτε βουλῆς γενομένης*. Immo *γινομένης*.

Ibid. XLI (IV p. 74, 28) *Τοῦτο δὴ δείσαντες οἱ περὶ τὸν Πομπήιον ὑφεῖσαν ἐνέδραν τῷ Δομιτίῳ καταβαίνοντι ὄρθριον ὑπὸ λαμπάδων εἰς τὸ πέδιον. Καὶ πρῶτος μὲν ὁ προφαίνων ἐπιστὰς τῷ Δομιτίῳ πληγεὶς καὶ πεσὼν ἀπέθανε· μετὰ δὲ τοῦτον ἤδη καὶ τῶν ἄλλων συντιτρωσκομένων ἐγίνετο φυγὴ πλὴν Κάτωνος καὶ Δομιτίου.* (Idem narratur Pomp. LII, ubi is qui praelucebat *ὁ προηγούμενος λυχνοφόρος* dicitur, et Crass. XV, ubi *ὁ ἀνέχων τὸ φῶς πρὸ αὐτοῦ*.)

Quod ipse nondum cognita Cobeti emendatione *παῖς* (Misc. Crit. p. 101) conieceram, silentio premere satius videbatur, cum orta est aliqua dubitatio an non facilis et prona esset vulgatissimi usuque tritissimi vocabuli corruptio. Itaque meum

Digitized by Google

promo, si meum est quod optimae memoriae magistro debetur, hoc imprimis semper nobis praecipienti: 'in corrupta lectione si haeres, scribe litteris maiusculis et fla insuper!' Feci et natum est *ὁ προφαίνων* ΕΓΓΙCΤΑ *τῷ Δομιτίῳ*. Tam *ἔγγιστα* quam *ἐγγύτατα* usurpat Plutarchus.

Agidis et Cleom. et Gracch. syncr. II (IV p. 205, 14) *Ἐπεὶ καὶ τοῦτο ἄν τις εἴποι, τῇ μὲν Γράκχων πολιτείᾳ τοὺς μεγίστους ἐνίστασθαι Ῥωμαίων, οἷς δὲ Ἄγις ἐνεχείρησε, Κλεομένης δὲ τὸ ἔργον ἐπέθηκε, τῶν παραδειγμάτων τὸ κάλλιστον ὑπέκειτο καὶ μεγαλοπρεπέστατον, αἱ πάτριαι βῆτραι περὶ σωφροσύνης καὶ ἰσότητος, ὧν τούτοις μὲν ὁ Λυκοῦργος, ἐκείνοις δὲ ὁ Πύθιος βεβαιωτής.*

Reiskius *τούτοις* interpretatur 'his posterioribus Spartanis, aequalibus Agidis atque Cleomenis', *ἐκείνοις* 'illis vetustioribus, Lycurgi aequalibus, nisi *ἐκείνοις* ad Gracchos referendum existimes. Tum vero haud intelligo, qui Apollo Pythius Gracchis dicatur auctor fuisse coeptorum.' Vides quo vel emunctae naris hominem deducere possit etiam levissima corruptela: non enim Agidis et Cleomenis aequales designantur sed ipsi, neque Lycurgi aequales sed ipse, *ἐκείνῳ δὲ ὁ Πύθιος βεβαιωτής*. Cf. Lycurg. V (I p. 83, 4).

Demosth. II (IV p. 210, 11) Sero, ait Plutarchus, litteris latinis operam dare coepimus. *Καὶ πρᾶγμα θαυμαστὸν μέν, ἀλλ' ἀληθὲς ἐπάσχομεν. Οὐ γὰρ οὕτως ἐκ τῶν ὀνομάτων τὰ πράγματα συνιέναι καὶ γνωρίζειν συνέβαινεν ἡμῖν, ὡς ἐκ τῶν πραγμάτων ἀμωσγέπως εἴχομεν ἐμπειρίας* (⟨ὧν⟩ *ἀμωσγέπως εἴχομεν ἐμπειρίαν* post Reiskium Lindkog et Ziegler) *ἐπακολουθεῖν διὰ ταῦτα καὶ τοῖς ὀνόμασι. Κάλλους δὲ Ῥωμαϊκῆς ἀπαγγελίας καὶ τάχους αἰσθάνεσθαι καὶ μεταφορᾶς ὀνομάτων καὶ ἁρμονίας καὶ τῶν ἄλλων οἷς ὁ λόγος ἀγάλλεται, χάριεν μὲν ἡγούμεθα καὶ οὐκ ἀτερπές· ἡ δὲ πρὸς τοῦτο μελέτη καὶ ἄσκησις οὐκ εὐχερὴς, ἀλλ' οἵστισι πλείων τε σχολὴ καὶ τὰ τῆς ὥρας ἔτι πρὸς τὰς τοιαύτας ἐπιχωρεῖ Φιλοτιμίας.*

Locum hic non habet sermonis *τάχος* ('volubilitas' vertit Bryanus), qua in re quid a Graecis hominibus distulerint Romani peritioribus inquirendum relinquimus: vivae vocis est, non stili, et quamvis arduum id fuerit addiscere extraneo, certe persentire, *αἰσθάνεσθαι*, in proclivi erat. Sed praemittit

Digitized by Google

haec Plutarchus quo excuset quod Ciceronis et Demosthenis vitas ita inter se comparaturus sit, ut quid in actionibus et re publica valuerint solum componat, oratorias in utroque vires et venustatem non excutiat, 'διὸ (III) *πότερος ἡδίων ἢ δεινότερος εἰπεῖν, ἐάσομεν*' quae verba respiciunt ad illa: 'Κάλλους δὲ Ῥωμαϊκῆς ἀπαγγελίας καὶ ἰσχύος'.

Iam Reiskium torquebat illa volubilitas ('*τόνου*? *βάθους*?').

Cicero XXX (IV p. 268, 11) 'Ἐφ' ᾧ *πικροξυνθεὶς ὁ Καῖσαρ τόν τε Κλώδιον ἐπέρρωσε καὶ Πομπήιον ἀπέστρεψε κομιδῇ τοῦ Κικέρωνος, αὐτός τε κατεμαρτύρησεν ἐν τῷ δήμῳ μὴ δοκεῖν αὐτῷ καλῶς μηδὲ νομίμως ἄνδρας ἀκρίτους ἀνῃρῆσθαι τοὺς περὶ Λέντλον καὶ Κέθηγον. Αὕτη γὰρ ἦν ἡ κατηγορία καὶ ἐπὶ τοῦθ' ὁ Κικέρων ἐκαλεῖτο.*

Si non nominavit Caesar Lentulum et Cethegum, absurda sunt verba *τοὺς περὶ Λ. καὶ Κ.*, si nominavit, ferri non potest *ἀνδρας*. Re vera, puto, tecte designavit, sicut tecte etiam accusatio (*αὕτη γὰρ ἦν ἡ κατηγορία*), quae nitebatur hac lege (Vell. II 45): 'qui civem indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur'. Itaque aut dele nomina, aut, quod praefero, supple: *τοὺς περὶ Λέντλον ⟨λέγων⟩ καὶ Κέθηγον.*

Demetr. XLII (IV p. 333, 10) *Οὐ μόνον δὲ τούτοις τοῖς θεάμασιν ἐλύπει τοὺς ἀνθρώπους ἀήθεις ὄντας, ἀλλὰ καὶ* ⟨addc *τὴν*⟩ *τρυφὴν καὶ δίαιταν ἐβάρυνοντο.*

Dion XXVIII (V p. 24, 24) *τοῖς* ⟨*τοῦ*⟩*τυράννου φίλοις ἐπετίθεντο.* Supplevi: cf. infra (28) *τῷ τυράννῳ.*

Brutus XXIII (V p. 71, 31) *ἤδη δὲ τῶν μὲν ὡς Καίσαρα, τῶν δ' ὡς Ἀντώνιον διισταμένων, ὠνίων δὲ τῶν στρατοπέδων ὥσπερ ὑπὸ κήρυκι προστιθεμένων τῷ πλέον δίδοντι, παντάπασι καταγνοὺς τῶν πραγμάτων ἔγνω καταλιπεῖν τὴν Ἰταλίαν.*

Quasi venales proponebantur exercitus, *ὠνίων προ[σ]τιθεμένων.*

Dion. et Bruti syncr. III (V p. 103, 28) *Διὸ τούτῳ μὲν* (*Δίωνι*) *οὐδ' οἱ φίλοι πάντες ἐπίστευσαν —, περὶ δὲ τοῦ Βρούτου* ⟨addc *καὶ*⟩ *τῶν ἐχθρῶν ἦν ἀκούειν ὅτι κτέ.*

Ibid. V (V p. 105, 1) *Καῖσαρ δὲ καὶ τὰς τιμὰς ἐτήρησεν* (*τῷ Βρούτῳ*). *Ἔστηκε δὲ χαλκοῦς ἀνδριὰς ἐν Μεδιολάνῳ.*

Digitized by Google

Graecum non est Βροῦτος ἔστηκε χαλκοῦς ἀνδριάς: aut enim ipsi homines χαλκοῖ ἑστάναι dicebantur aut eorum χαλκοῖ ἀνδριάντες: Brut. I Ἰούνιος Βροῦτος, ὃν ἀνέστησαν ἐν Καπιτωλίῳ χαλκοῦν οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι, Mor. 170 E καὶ γὰρ τοὺς τυράννους ἀσπάζονται, περιέπουσι, χρυσοῦς ἀνιστᾶσι, Aemil. Paul. XXVIII ἰδὼν κίονα μέγαν, ἐφ' οὗ Περσέως ἔμελλε χρυσοῦς ἀνδριὰς τίθεσθαι, Mor. 271 E γυναῖκα, ἧς χαλκοῦς ἀνδριὰς ἕστηκε, Public. XVI fin. εἰκόνα χαλκὴν ἕστησαν αὐτῷ ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἡφαίστου, ubi (propter hiatum ut videtur) αὐτῷ delevit Benseler, dum reduviam curat, pessumdans graecitatem.

Itaque restituatur Ἕστηκε δὲ χαλκοῦς [ἀνδριὰς] ἐν Μεδιολάνῳ.

Artoxerx. VIII (V p. 112, 24) Καίτοι Κῦρος τὸ συμφέρον οὐκ ἠγνόησεν, ἀλλ' ἐκεῖ Κλέαρχον ἐκέλευε τάττεσθαι κατὰ μέσον.

Apud Xenophontem in vivida rerum descriptione locum haberet τὸ δεικτικὸν 'ἐκεῖ', apud Plutarchum in earundem recensione et aestimatione factorum, ut minus appositum, nescio quo modo offendit: quis enim, si traditum esset ἀλλὰ καὶ Κλέαρχον (nam Cyrus ipse erat κατὰ τὸ μέσον, Anab. I 8, 6), hoc illo mutaret?

Ibid. XII (V p. 116, 6) Μόλις οὖν ἐπιτυγχάνει τῶν Καυνίων ἐκείνων [τῶν κακοβίων] ἑνός —.

Delevi interpolationem ex XI petitam: Καύνιοί τινες ἄνθρωποι κακόβιοι καὶ ἄποροι.

Ibid. XVII (V p. 121, 21) ἄνδρας εὐνούχους καὶ πιστοὺς βασιλεῖ —.

Librarius qui saepius nomen εὔνουχον hoc capite scripserat, etiam hic intrusit mutilavitque homines εὔνους καὶ πιστοὺς βασιλεῖ, quod ante me a Sinteni correctum recepit Ziegler, sed male annotavit 'an εὐνούχους καὶ del.?' Cf. Galb. XIII εὔνους καὶ πιστός, Otho V εὔνοιαν καὶ πίστιν.

Ibid. XXIV (V p. 128, 25) Οὐδὲν γὰρ ἐδώδιμον ἦν λαμβάνειν οὐδὲ ἔξωθεν ἐπεισάγεσθαι, τὰ δὲ ὑποζύγια μόνον κατέκοπτον, ὥστε ὄνου κεφαλὴν μόλις δραχμῶν ἑξήκοντα ὤνιον εἶναι.

Solanus, non pro consuetudine, infeliciter κατέκαπτον proposuit, melius Reiskius μονον⟨εὐ πάντα⟩ κατέκοπτον. Scripsit Plutarchus τὰ δὲ ὑποζύγια μόνον (sc. ἦν) κατακόπτειν.

Digitized by Google

Galba IX (V p. 193, 29) Καὶ τὰ μὲν αὐτὸς (Νυμφίδιος) ἐν Ῥάμῃ διὰ τῶν φίλων ὑπειργάζετο —, ἕνα δὲ τῶν φίλων, Γελλιανὸν, εἰς Ἰβηρίαν ἔπεμψεν [καὶ παρείκει del. Sintenis] κατασκεψόμενον.

Librarium fideliter et ut potuit reddidisse quod ob oculos habebat neque suo Marte grassatum esse satis apparet: quod sensu cassum erat, sicut erat reliquit, τὸ νῦ τὸ ἐφελκυστικὸν religiose adservavit, unde non omnino desperanda est emendatio, cum praesertim auctor ipse nobis viam monstrare, quin manu ducere nos ad verum videatur XIII: Ὁ γὰρ Νυμφίδιος εὐθὺς ἐπανελθόντος τοῦ Γελλιανοῦ πρὸς αὐτὸν, ὃν ἔπεμψε τοῦ Γάλβα τρόπον τινὰ κατάσκοπον, — ἐθορυβήθη, itaque Γελλιανὸν εἰς Ἰβηρίαν ἐπεμψεν ὥσπερεὶ κατασκεψόμενον.

Frequens est error in ὡς et καί.

Ibid. XV (V p. 198, 31) Ταῦτα μὲν οὖν τοιαύτας ἔχει μέμψεις.

Enumerantur quae in Galba vituperabant homines; sequuntur (XVIII) non vituperanda, sed quae offenderent tamen: Ἐκ δὲ τούτου καὶ τὰ μετρίως πραττόμενα διαβολὴν εἶχεν. Corrigatur itaque τοιαύτας εἶχε μέμψεις.

Otho III (V p. 215, 12) Praetoriani, rerum novarum suspectos habentes senatores, cum comperissent eorum octoginta apud imperatorem cenare, irruperunt in Palatium ut praesidio ei futuri καὶ τὸν Ὄθωνα δεινὴ κατελάμβανεν ἀπορία. Φοβούμενος γὰρ ὑπὲρ τῶν ἀνδρῶν (τῶν συγκλητικῶν) αὐτὸς ἦν φοβερὸς ἐκείνοις καὶ πρὸς αὐτὸν ἀνηρτημένους ἑώρα ταῖς ὄψεσιν ἀναύδους καὶ περιδεεῖς, ἐνίους καὶ μετὰ γυναικῶν ἥκοντας ἐπὶ τὸ δεῖπνον. Ἅμα δὲ τοὺς ἐπάρχους ἀπέστελλε τοῖς στρατιώταις διαλέγεσθαι καὶ πραΰνειν κελεύσας, ἅμα δὲ τοὺς κεκλημένους ἄνδρας ἀναστήσας καθ' ἑτέρας θύρας ἀφῆκε· καὶ μικρὸν ἔφθησαν ὑπεκφυγόντες διὰ (? ἤδη?) τῶν μισθοφόρων ὠθουμένων εἰς τὸν ἀνδρῶνα καὶ πυνθανομένων, τί γεγόνασιν οἱ Καίσαρος πολέμιοι.

Aut vertendum erit 'videbat eos vultu in se intentos mutos et pavidos, nonnullos etiam cum uxoribus cenae adesse'(!) aut Plutarcho reddendum ⟨ὡς⟩ ἐνίους. Vide quam facile ὡς exciderit post περιδεεῖς. Quaeritur praeterea quid mulieribus illis factum sit postquam τοὺς κεκλημένους ἄνδρας ἀνέστησε. An non etiam illas? Rursus vide quam facile [ἄνδρας] irrepserit ante ἀναστήσας.

Digitized by Google

Ibid. V (V p. 218, 9) Ὁ δὲ Σπουρίνας προσβιαζόμενος αὐτοὺς ἐκινδύνευσε μικρὸν ἐλθόντας ἀνελεῖν αὐτόν.

Graecum est παρὰ μικρὸν ἐλθεῖν cum infinitivo. Tib. Gracch. XXI παρὰ μικρὸν ἦλθεν ἐκπεσεῖν.

Ibid. XII (V p. 224, 14) Ὀρμήσαντες οὖν ἐπ' αὐτοὺς οἱ Ὄθωνος ἐώσαντο καὶ τὸν ἀετὸν ἀφείλοντο πάντας ὁμοῦ τι τοὺς προμάχους ἀποκτείναντες· οἱ δὲ ὑπὸ αἰσχύνης καὶ ὀργῆς ἐμπεσόντες αὐτοῖς τόν τε πρεσβευτὴν τοῦ τάγματος Ὀρφίδιον ἔκτειναν καὶ πολλὰ τῶν σημείων ἥρπασαν.

Pudore impulsi et ira iterum fecerunt impetum, ΑΤΘΙC. Saepius adverbium postponit Plutarchus.

Ibid. XVI (V p. 228, 8) Τοιαῦτα διαλεχθεὶς (intentus iam morti Otho) καὶ πρὸς τοὺς ἐνίστασθαι καὶ παρακαλεῖν ἐπιχειροῦντας ἀπισχυρισάμενος τούς τε φίλους ἐκέλευεν ἀπαλλάττεσθαι καὶ τῶν συγκλητικῶν τοῖς παροῦσι, τοῖς δὲ μὴ παροῦσιν ἐπέστελλε καὶ γράμματα πρὸς τὰς πόλεις, ὅπως παρακομισθῶσιν ἐντίμως καὶ μετὰ ἀσφαλείας.

Daceri coniecturam τοὺς παρόντας pro τοῖς παροῦσι recepit Sintenis, dubium an non recte: cur enim e senatorum numero solos qui non aderant litteris instruxit? Annon potius, quod eidem in praefatione editionis I videbatur, lacuna statuenda est, ita fere explenda: καὶ τῶν συγκλητικῶν τοῖς παροῦσι ⟨παρεδίδου⟩ τοῖς δὲ μὴ παροῦσιν ἐπέστελλε καὶ γράμματα —?

Digitized by Google

AD CATONIS LIBRUM DE RE MILITARI.

SCRIPSIT

J. M. NAP.

Et iuris Romani studiosis et iis, qui antiquitates rei militaris perscrutantur, notissima sunt fragmenta librorum deperditorum Cincii *de re militari* quae nobis servavit Gellius XVI, 4. Cum constet Cincium illum Ciceronis temporibus scripsisse [1]), operae pretium esse videtur, indagare quae ratio inter Cincii fragmenta fragmentaque libri deperditi Catonis *de re militari* intercedat. Ad hanc rationem inveniendam Cincius ipse nobis ansam praebet, ubi scribit haec: „*cum dilectus antiquitus fieret et milites scriberentur, iusiurandum eos tribunus militum adigebat in verba haec* [*Magistratus verba*] „*C. Laelii C. f. consulis L. Corneli P. f. consulis in exercitu decemque milia passuum prope furtum non facies dolo malo solus neque cum pluribus e. q. s.*" (Gellius XVI, 4, 2).

Quaeritur, quo anno ad hoc iusiurandum milites adacti sint. C. Laelius C. f. C. n. L. Cornelius P. f. L. n. Scipio Asiaticus anno 564/190 consules fuerunt. Oportet igitur ad id iusiurandum aut hoc anno aut — quo magis animus inclinat — paucis mensibus ante hunc annum exercitum adactum esse. Nam de futuro tempore agit iusiurandum. Milites scriptos obligat, id est eos milites, qui antequam stipendia meruerint, domum suam quisque revertentur [2]) et die dicta frequentes erunt.

1) Schanz. *Geschichte der römischen Litteratur* I, 2² p. 502.

2) Polybius VI, 21, 6 Οἱ... χιλίαρχοι μετὰ τὸν ἐξορκισμὸν παραγγείλαντες ἡμέραν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ καὶ τόπον, εἰς ὃν δεήσει παρεῖναι χωρὶς τῶν ὅπλων, τότε μὲν ἀφῆκαν.

Digitized by Google

Cum mense Martio stipendium mereri incipere soleant [1]), milites aestate aut autumno praecedentis anni scribuntur, quo tempore igitur consules, quorum imperio milites scripti militabunt, nondum consulatum inierunt, sed consules designati sunt. Quo tempore milites ad hoc iusiurandum Cincianum adacti sunt, C. Laelius L. Cornelius consules designati erant. Consules igitur erant M'. Acilius C. f. L. n. Glabrio P. Cornelius Cn. f. L. n. Scipio Nasica (563/191).

Quaeramus nunc, qui factum sit ut iusiurandum, hoc anno usurpatum, memoriae traditum et ita oblivioni ereptum sit. Existimandum est aliquem tribunum militum in suos commentarios iusiurandum inseruisse, ut quicquid militi vel tribuno opus esset, praeceptis comprehenderet. Sed cui tribuno huius anni hoc attribuere possumus?

Et mea quidem sententia de uno M. Porcio Catone cogitari potest. M. Porcius Cato anno 563/191 tribunus militum fuit, ut ipse testatur apud Ciceronem (Cato X, 32 *tribunus militaris depugnavi apud Thermopylas M'. Acilio Glabrione consule*). Quomodo in Catonis libro *de agri cultura* multae leges stipulationum inveniuntur, eodem modo verisimile est Catonem in librum *de re militari* iuraiuranda militaria inseruisse. Itaque oportet Cinciana iuraiuranda ex Catonis libro de re militari desumpta esse. Nam vix ac ne vix quidem credi potest, alium tribunum quam Catonem anno 563/191 iuraiuranda militaria in suos commentarios inseruisse.

Constat igitur Cincium libro Catonis *de re militari* usum esse. Et verisimile est, Cincium definitiones militis *infrequentis* (Gell. XVI, 4, 5) et *alae* (Gell. XVI, 4, 6) etiam e Catone desumpsisse. Nec me fugit, nomen populi Hermunduli, de quo mentio fit apud Gellium XVI, 4, 1, corruptum esse e nomine populi Hermundurorum, quem populum Romani paucis annis post Christum natum cognoverunt. Sed hoc nomen sane a Cincio, qui illis temporibus vivebat, insertus est. Itaque nihil obstat, quominus putemus pleraque Cinciana fragmente quae apud Gellium inveniuntur, e Catonis libro *de re militari* hausta esse.

1) Mommsen. *Die Rechtsfrage zwischen Caesar und dem Senat* p. 23 (*Ges. Schr.* IV p. 112).

Digitized by Google

Meae opinioni, pleraque Cinciana fragmenta apud Gellium XVI, 4 ex Catonis libro *de re militari* petita esse, favet unum certe fragmentum huius libri deperditi. Suspicari possumus Catonem in suum librum non solum iusiurandum de furtis sanciendis inseruisse, sed etiam supplicia, quibus afficerentur ii, qui furta militaria fecissent. Et reapse legimus apud Frontinum *strat.* III, 1, 16 (Jordan p. 82, 15) *M. Cato memoriae tradidit in furto comprehensis inter commilitones dextras esse praecisas aut, si levius animadvertere voluissent, in principiis sanguinem esse missum.* Apparet igitur Catonem eodem libro non solum descripsisse, in quae verba conceptum sit iusiurandum de furtis militaribus sanciendis, sed etiam quibus poenis furta in exercitu commissa sancirentur.

Apparet etiam, librum *de re militari* post annum 563/191 editum esse. Porro suspicamur, librum non multo post hunc annum editum esse. Cato cum quoad vixit acerrimas simultates exercuerit, existimandus est in libro *de re militari* orationem quasi pro domo sua habuisse ut res a se gestas defenderet inimicosque incusaret. „*Scio*" inquit (fr. 1. Jordan p. 80) „*ego quae scripta sunt si palam proferantur, multos fore qui vitilitigent, sed ii potissimum, qui verae laudis expertes sunt. Eorum ego orationes sivi praeterfluere*". De quibus hominibus hic loquatur, fortasse suspicari possumus. Notissimae sunt Catonis simultates cum Scipione Africano, cuius magnitudinem Catonem *adlatrare* solitum esse Livius (XXXVIII, 54, 1) dicit. Cato cum contemnat eos, quos verae laudis expertes esse praedicet, putandus est ad L. Scipionem, qui minus gratiosus erat quam frater, cuius opera et auxilio saepe utebatur, adlusisse, aut ad M' Acilium Glabrionem, quo consule ad Thermopylas tribunus militum depugnavit. Hic mihi liceat Mommsenum, testem optimum maximum, citare. „Man tritt Cato schwerlich zu nahe durch die Annahme dass, als er, obwohl bereits Consular, dennoch gegen den Gebrauch dieser Epoche als Kriegstribun in das Heer des Glabrio eintrat, ihn auch und vielleicht zunächst politische Zwecke bestimmten. Es musste seiner Partei daran liegen, die Führung und die Führer des Krieges selber zu beaufsichtigen und entweder die Dinge in ihrem Sinne zu leiten oder sich den Stoff für spä-

Digitized by Google

tere Anklagen zu schaffen. Eine feiner organisirte Natur hätte vor der Zweideutigkeit und der Aufpasserei, die in dieser Stellung lag, wohl zurückgeschreckt; dass Cato daran keinen Anstoss nahm und gewiss in diesem Falle ebenso meinte, seine Bürgerpflicht zu erfüllen wie bei seinen Predigten des Kreuzzuges gegen Karthago, ist vollkommen begreiflich. (Mommsen, *Röm. Forsch.* II p. 460 N. 1). Quae verba mirum in modum cum fr. 1 libri *de re militari* congruunt.

Cum constet Catonem in libro de re militari de furtis militaribus scripsisse, operae pretium videtur quaerere num etiam apud Polybium, qui de re militari Romanorum copiosius egit, huiusmodi vestigia Catonianae doctrinae inveniantur. Fieri enim potest, ut et Cincius et Polybius de eodem iureiurando scripserit.

De iureiurando de furtis militaribus sanciendis agit Polybius VI, 33, 1 sqq. Μετὰ δὲ τὴν στρατοπεδείαν συναθροισθέντες οἱ χιλίαρχοι τοὺς ἐκ τοῦ στρατοπέδου πάντας ἐλευθέρους ὁμοῦ καὶ δούλους ὁρκίζουσι, καθ' ἕνα ποιούμενοι τὸν ὁρκισμόν. ὁ δ' ὅρκος ἐστι μηδὲν ἐκ τῆς παρεμβολῆς κλέψειν, ἀλλὰ κἂν εὕρῃ τι, τοῦτ' ἀνοίσειν ἐπὶ τοὺς χιλιάρχους. i. e. „Peracta metatione castrorum, conveniunt in unum tribuni et ab omnibus, qui in exercitu sunt liberi aut servi, iusiurandum exigunt viritim singulis iurantibus. Est illud iusiurandum huiusmodi: nihil e castris se furaturos, verum et si quid forte aliquis invenerit, id ad tribunos relaturum".

Inter duo illa iuraiuranda, et quod legimus apud Gellium XVI, 4, 2 et quod invenimus apud Polybium VI, 33, 1, tanta similitudo esse videtur, ut multi viri doctissimi putent, Polybium et Gellium de eodem iureiurando dixisse. Quae sententia est etiam viri optime de iure Romano autiquissimo meriti, P. Huvelin [1]). Nihilominus hac in re eorum opinioni non assentior. Constat, Cincium apud Gellium locutum esse de eo iureiurando, quod a militibus scriptis exigitur, id est ab iis militibus, qui nondum in legionibus stipendia merent, sed domum suam revertentur et post aliquot menses redituri

1) P. Huvelin. *Études sur le furtum dans le très ancien droit romain.* I Paris—Lyon 1913 p. 124.

Digitized by Google

sunt. At Polybius dicit de iureiurando quod peracta metatione castrorum exigitur. Quod iusiurandum exigitur ab iis militibus, qui stipendia faciunt et praeter eos ab aliis omnibus qui vel ingenui vel servi in castris morantur. Iuraiuranda apud Gellium XVI, 4, 2 et apud Polybium VI, 33, 1 toto coelo igitur diversa sunt. Cui rei non obstat quod fieri potest ut etiam Polybianum iusiurandum e Catone desumptum sit.

Pergamus legere quae Polybius narrat. Legimus igitur haec (VI, 33, 3): Ἐξῆς δὲ τούτοις, διέταξαν τὰς σημαίας ἐξ ἑκατέρου στρατοπέδου τῶν πριγκίπων καὶ τῶν ἀστάτων, δύο μὲν εἰς τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ τόπου τοῦ πρὸ τῶν χιλιάρχων· τὴν γὰρ διατριβὴν ἐν ταῖς καθημερείαις οἱ πλεῖστοι τῶν Ῥωμαίων ἐν ταύτῃ ποιοῦνται τῇ πλατείᾳ· διόπερ ἀεὶ σπουδάζουσι περὶ ταύτης, ὡς ῥαίνηται καὶ καλλύνηται σφίσιν ἐπιμελῶς, i. e. secundum haec manipulos Principum et Hastatorum cuiusque legionis duos ordinant ad curam loci ante tribunorum tentoria. In hac namque lata via plerique Romanorum dies totos versantur; propterea, ut aspergatur ac scopis mundetur diligenter, curam semper adhibent.

Contextus utriusque loci Polybiani requirit, ut iusiurandum cuius mentio fit § 1, eo loco exigatur, ubi plerique Romani dies totas versantur, id est ante tribunorum tentoria. Oportet igitur post castrorum metationem omnes, ingenuos et servos, ante tentoria tribunorum iurare se nullum furtum facturos. Itaque etiam is, qui furti convictus erit, ante tentoria tribunorum suppliciis afficiendus est.

Cum Polybio optime quadrat igitur locus supra citatus Frontini *strat.* IIII 1, 16 (Jordan p. 82, 15). *M. Cato memoriae tradidit in furto comprehensis inter commilitones dextras esse praecisas aut, si levius animadvertere voluissent, in principiis sanguinem esse missum.* Nam id quod Polybius ὁ τόπος ὁ πρὸ τῶν χιλιάρχων vocat, nihil aliud est quam *principia* de quibus apud Frontinum mentio fit. Videmus igitur etiam apud Polybium vestigium Catonianae descriptionis exercitus. Nam ante Polybium nullus rerum scriptor Romanus de re militari aeque copiose atque Cato scripsit. Neque veri simile est, Polybium suam accuratissimam descriptionem exercitus Romani ab alio quam a Catone mutuatum esse.

Dilucide Cincius duo iuraiuranda distinxit, alterum quod

Digitized by Google

exigitur statim cum milites scribuntur, alterum quod exigitur postquam milites scripti sunt (§ 3), id est ubi domum suam quisque rediturus est. Alterum hoc iusiurandum concipiebatur ut adessent milites et citanti consuli responderent: itaque hoc iureiurando praefiniebatur non solum quo die, sed profecto etiam quo loco affuturi essent. Quae cum ita sint, conferamus cum Gellio XVI, 4, 3 sqq. Livium X, 38, 2 sqq. ubi quamquam de Samnitibus agitur, sine dubio de Romanis institutis sermo est. Legimus enim apud Livium X, 38, 2 sqq .... *ritu quodam sacramenti vetusto velut initiatis militibus, dilectu per omne Samnium habito nova lege, ut qui iuniorum non convenisset ad imperatorum edictum quique iniussu abisset, eius caput Iovi sacraretur, exercitus omnis Aquiloniam est indictus.*

Dubium non potest esse quin hoc loco ad sacramentum militum Romanorum alludatur. Cfr. Livium XXII, 38, 3: *nam ad eam diem nihil praeter sacramentum fuerat, iussu consulum conventuros neque iniussu abituros.* Apparet igitur sacramento militari definiri quo loco et quo die milites affuturi sint. Quocirca iusiurandum de quo apud Gellium XVI, 4, 3 sermo est, sacramentum esse videtur militare.

Quamquam constat, Livium non ipsum Catone auctore usum esse [1]), fieri potest ut Livii auctores e libro Catonis *de re militari* hauserint. Cato cum scientia rerum antiquarum aequalibus praestaret, saepius prisca vocabula usurpavit. Cuius rei exemplum videmus fr. 6 (Jordan p. 81): *inde partem equitatus atque ferentarios praedatum misit.* Eodem modo usurpavit priscam locutionem „*coronatus venire*" vel „*sub corona venire*". Legimus enim in fragmentis eiusdem libri fr. 2 (Ed. Jordan p. 80). „*Ut populus sua opera potius ob rem bene gestam supplicatum eat, quam re male gesta coronatus veneat.* Cum haec locutio fortasse explicatione eguerit, verisimile est Catonem lectoribus narravisse et qui populus et quo tempore sub corona venum isset. Ex Livio (VIII, 37, 8 sqq.) scimus,

1) Soltau. *Livius' Geschichtswerk* p. 8. „Die Schriften der älteren römischen Annalisten, eines Fabius, Cincius, Cato, Acilius, Cassius, ja Gellius und Tuditanus hat Livius *nicht* gekannt. Keine Spur führt darauf hin, dass er ihre Schriften auch nur nebenher eingesehen hat. Vielmehr sind gewichtige Anzeichen für das Gegenteil vorhanden".

Digitized by Google

non multum afuisse quin Tusculani sub corona venissent. Et cum Cato Tusculi natus sit, pro certo habere possumus eum exposuisse et quando et qui Tusculanos, suos cives, sub corona vendere voluisset. Quibus rebus efficitur, vestigia Catonianae doctrinae apud Livium VIII, 37, 8 sqq. latere, licet Patavinus noster hic Valerio Antiate auctore usus sit [1]). Itaque putamus, Valerium Antiatem e Catonis libro *de re militari* ea desumpsisse, quae apud Livium VIII, 37, 8 sqq. legimus". *Eodem anno de Tusculanis Flavia rogatione populi fuit iudicium. M. Flavius tribunus plebis tulit ad populum, ut in Tusculanos animadverteretur, quod eorum ope ac consilio Veliterni Privernatesque populo Romano bellum fecissent. Populus Tusculanus cum coniugibus et liberis Romam venit.... Tribus omnes praeter Polliam antiquarunt legem. Polliae sententia fuit, puberes verberatos necari, coniuges liberosque sub corona lege belli venire. Memoriamque eius irae Tusculanis in poenae tam atrocis auctores mansisse ad patrum aetatem constat.*

Aut fallor aut concisa Livii elocutio huius loci Catonis stilo simillima est. Praeterea iuris Romani studiosis notum est, locutionem „ope ac consilio" sermoni veterum iurisconsultorum propriam esse, e. g. Cicero *de nat. deor.* III, 74. *Inde illa actio „ope consilioque tuo furtum aio factum esse"* [2]). Locutio „ope ac consilio" optime igitur quadrat ad indolem Catonis, viri Ciceronis iudicio *„iuris civilis omnium peritissimi"* [3]). Notandum est etiam, hic de Tusculanis, Catonis civibus, agi et de venditione sub corona, de qua in Catonis libro *de re militari* sermo erat. Quae omnia efficiunt Valerium Antiatem, Livi auctorem, haec e Catonis libro *de re militari* petisse. Ubi Livius dicit *„memoriam irae Tusculanis mansisse ad patrum aetatem"*, de Catonis temporibus igitur cogitandum est.

Cum Livio VIII, 37, 8—12 artissime cohaeret Livius VIII, 14, 4 sqq., ubi de iisdem fere populis mentio fit. Etiam hic nominantur Veliterni, Tusculani quique Tusculanis vicini erant, Aricini. Etiam hic vestigia Catonianae disciplinae inveniuntur. Legimus Liv. VIII, 14 § 5 sqq. *„et (Veliternorum)*

1) Soltau. *Livius' Geschichtswerk* p. 138.
2) P. Huvelin. *Études sur le furtum.* I p. 129.
3) Cicero *de oratore* I, 37, 171.

Digitized by Google

muri deiecti et senatus inde abductus iussique trans Tiberim habitare, ut eius qui cis Tiberim deprehensus esset, usque ad mille assium clarigatio esset." Quid sibi vult haec antiqua vox *clarigatio*? Etiam hoc vestigium Catonianae doctrinae est?

Priori quaestioni respondet Servius *comm. in Verg. Aen.* IX, 52..... *cum enim volebant bellum indicere, pater patratus, hoc est princeps fetialium, proficiscebatur ad hostium fines et praefatus quaedam sollemnia clara voce dicebat se bellum indicere propter certas causas, aut quia socios laeserant, aut quia nec abrepta animalia nec obnoxios redderent. Et haec clarigatio dicebatur a claritate vocis. Post quam clarigationem hasta in eorum fines missa indicabatur iam pugnae principium.*

Apparet igitur facta clarigatione, Romanos siquis Veliternorum cis Tiberim deprehensus esset, ab omnibus Veliternis iure belli mille assium exigere potuisse. Patet etiam vocem *clarigationis* (quae proprio et antiquo sensu unice apud Livium VIII, 14 occurrit) de iure fetialium desumptam esse. De quo Catonem libro *de re militari* scripsisse pro certo habere possumus. Legimus enim apud Ciceronem *de officiis* I, 11, 36. *Ac belli quidem aequitas sanctissime fetiali populi Romani iure perscripta est. Ex quo intelligi potest, nullum bellum esse iustum, nisi quod rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante sit et indictum. M. quidem Catonis senis est epistula ad M. filium, in qua scribit se audisse eum missum factum esse a consule.....*"

Totus contextus huius loci nos docet, Catonis quidem sententia nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis iure fetiali geratur aut iure fetiali denunciatum ante sit et indictum. Itaque Cato si libro *de re militari* scripsit quo modo bella gerantur, necesse est eum eodem libro etiam de iure fetiali scripsisse. Quod confirmatur e Gellio XVI, 4, 1, ubi legimus Cincium (quem Catone auctore usum esse demonstravimus), in libro tertio *de re militari* fetialem populi Romani bellum indicentem hostibus telumque in agrum eorum iacientem verbis conceptis usum esse. Itaque verisimile est, etiam Livium I, 32, 6 sqq. ubi de rebus repetundis agitur, vestigia Catonianae doctrinae e libro *de re militari* desumptae continere. Nam formulae apud Gellium XVI, 4, 1 et Livium I, 32, 13 optime conveniunt.

Digitized by Google

Clarius vestigia Catonianae disciplinae apud Servium *in Verg. Aen.* IX, 52 apparent..... „.....*post quam clarigationem hasta in eorem fines missa indicabatur iam pugnae principium. Post tertium autem et tricesimum* (cf. Livium I, 32, 9) *diem quam res repetissent ab hostibus, fetiales hastam mittebant* (Liv. I, 32, 13). *Denique cum Pyrrhi temporibus adversus transmarinum hostem bellum Romani gesturi essent nec invenirent locum, ubi hanc sollemnitatem per fetiales indicendi belli celebrarent, dederunt operam, ut unus de Pyrrhi militibus caperetur, quem fecerunt in Circo Flaminio locum emere, ut quasi in hostili loco ius belli indicendi implerent. denique in eo loco ante aedem Bellonae consecrata est columna*".

Totus ille locus sine dubio e veterrimo auctore desumptus est. Et vox clarigatio et quae de iuro fetiali dicuntur nos adducunt ut hic vestigia Catonianae disciplinae agnoscamus. Cui rei nec obstat, quod narrationem de milite Pyrrhi fictam esse putemus. Verisimile est Romanos hanc narrationem commentos esse cum in Circo Flaminio ante aedem Bellonae columna bellica consecraretur. Quo tempore rationem dari oportebat, cur eo potissimum loco columna consecranda esset. Eo tempore igitur responsum est unum de Pyrrhi militibus captum esse et coactum, in circo Flaminio locum emere, qui quasi partes hostilis loci ageret. Verisimile est, hoc responsum eo tempore inventum esse, quo memoria belli contra Pyrrhum nondum plane evanuisset.

Cum constet, Catonem primum Romanorum scriptorem fuisse, qui rem militarem tractavit, quaeritur num etiam in notissima discriptione veteris exercitus Romani apud Livium VIII, 8 vestigia Catonianae doctrinae lateant. Sed, cum hic locus, — quem nuper mirum in modum explicavit Eduardus Meyer [1]), — corruptissimus sit, ars nesciendi hic praeferenda est,

1) Eduard Meyer. *Das römische Manipularheer, seine Entwicklung und seine Vorstufen. Abhandlungen der Preussischen Akademie der Wissenschaften. Jahrgang 1923*, p. 37 sqq.

Digitized by Google

DE AESCHYLI PROMETHEO.

SCRIPSIT

P. GROENEBOOM.

De Promethei Aeschylei authentia multi viri docti multa disseruerunt: Kramer, Oberdick, Westphal [1]), Bethe [2]), Wecklein [3]) hoc drama opus esse genuinum magis minusve confidenter negant; sunt qui partes nonnullas ab alio poeta confectas esse contendant; Gercke [4]), qui hic illic Wackernagelium [5]) secutus est, totam tragoediam ab uno poeta intra annos 430 et 420 scriptam esse putat.

Alio loco de hac quaestione satis difficili et spinosa fusius disputaturus [6]) h. l. unum tantum argumentum idque, ut multi putant, firmissimum refellere conabor: Niedzballa [7]), Gerckii discipulus, qui dissertationem scripsit bonae frugis plenam, in qua tamen non sine argumentationis detrimento lexicorum auctoritas praevaluit, in fine libelli longam vocabulorum seriem exscripsit, quae in fabula c. t. Prometheus leguntur, desunt in ceteris tragoediis Aeschyleis; 640 vocabula recenset! [8])

1) Prolegomena zu Aischylos, 1869, p. 19; *Rossbach—Westphal*, Metrik II^2 p. XLVIII.

2) Prolegomena zur Geschichte des Theaters im Altertum, 1896, p. 159.

3) In fabulae editione tertia p. 26; idem in Persarum editione^3 p. 8.

4) Zeitschr. f. Gymnasialwesen 1911, p. 164.

5) Verhandl. d. 46 Philol.-Versammlung in Strassburg, 1901, p. 65; Studiën zum griechischen Perfekt, 1904.

6) In editione, quae ad hunc usque diem frustra quaerit editorem.

7) De Copia verborum et elocutione Promethei Vincti q. f. Aeschylei, Dissert. Breslau, 1913; vide etiam *W. Aly*, B. Ph. W. 1914, p. 418.

8) 500 tantum invenerat Kuszmahly, sed ne nomina quidem propria omisit Niedzballa.

Digitized by Google

Primo obtutu validum tale argumentum esse videtur, re vera nihil valet. Quid enim? Unus e discipulis meis, iuvenis fide dignissimus artisque computandi peritissimus, a me rogatus omnes conquisivit voces, quae in fabula c. t. Persae leguntur, in ceteris vero non occurrunt: 596 vocabula enumeravit! Ne unum quidem verbum addam, nam res longiore disputatione non eget.

vs. 1: *χθονὸς μὲν εἰς τηλουρὸν ἥκομεν πέδον.*

De adiectivi *τηλουροῦ* [1]), quod Hesychius s. v. *πόρρω ἀφωρισμένην* vertit, significatione dissentiunt editores: alii *τηλουρόν* „cuius termini procul sunt" (derivatum a voce *τῆλε* et *οὖρος*, Att. *ὅρος*), alii „longinquum" (derivatum ab adverbio *τηλοῦ*) significare putant.

Prior explicatio ut magis poetica longe mihi praeferenda esse videtur, collato e. g. Soph. Ant. vs. 983 *τηλεπόροισ δ' ἐν ἄντροισ* [2]), Ai. 564 *τηλωπὸς οἰχνεῖ*, Phil. 216 *τηλωπὸν ἰωάν*; nec me deterret accentus insolitus [3]), quem confirmat Arcadius *π. τόν.* p. 73, 6, quamquam Hesychius s. v. dubitare videtur: *τινὲς μὲν ὡς πανοῦργον, τινὲς δὲ ὡς κηπουρὸν τῶι τόνωι*; sequitur enim analogiam compositorum qualia sunt *οἰκουρός*, *πυλουρός* alia, et adiectivorum simplicium in *-ρός* desinentium (e. g. *πυκηρός*); eodem modo *πτερυγωκής* scribere solemus, sed *ποδώκης* (hoc accentu).

vs. 7: *τὸ σὸν γὰρ ἄνθος, παντέχνου πυρὸς σέλας κτέ.*

Fortasse operae pretium erit in transitu notare Schol. h. l. revocare ad versum Homericum *αὐτὰρ ἐπεὶ πυρὸς ἄνθος ἀπέπαυτο, πύσατο δὲ φλόξ* [4]) *contra Aristarchi auctoritatem*, qui legit *αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ πῦρ ἐκάη καὶ φλὸξ ἐμαράνθη* (I 212); errat tamen Schol., nam aliud est Homericum *πυρὸς ἄνθος*, quod conferri potest cum „flammai — flore" (Lucret. I 900), aliud

1) Legitur infra vs. 807, Eur. Andr. 889, Or. 1325, Apoll. Rhod. II 543; forma *τηλορός* occurrit Eur. El. 251, cf. *ὅμορος* et *ὅμουρος*.

2) „To which it is a far journey". Jebb.

3) Legimus enim *ὅμουρος* (Hdt. I 57), *ξύνουρος* (Aesch. Ag. 495), *πρόσουρος* (Soph. Phil. 691), *ἄγχουρος* (Lycophr. 418) et fortasse *ἄπουρος* (Soph. O. R. 194, ubi tamen cod. L prima manus *ἔπουρον* praebet).

4) Sic etiam Plut. de fac. in orb. lun. p. 934 b.

Digitized by Google

τὸ σὸν — ἄνθος, decus tuum: ὡς εἰ ἔλεγεν τὸν σὸν κόσμον recte explicat alius schol.

vs. 20: προσπασσαλεύσω τῶιδ' ἀπανθρώπωι πάγωι.

M lectionem τόπωι pro πάγωι praebet, quam omnes editores optimo iure repudiant. Quaeritur quomodo τόπωι in textum irrepere potuerit; suspicor explicationem formae πάγωι fuisse, quam scriba semidoctus in margine adscripserit, ut lectores πάγον „collem" a πάγωι „gelu" distinguerent, et confero Aesch. Ag. 335 τῶν ὑπαιθρίων πάγων, ubi Schol. adnotat ἢ τῶν ψυχρῶν λέγει παγετῶν ἢ τῶν ὀρεινῶν τόπων τῶν ὑπὸ τὸν αἰθέρα ὄντων et Eur. Heracl. 394 λεπαίαν (Stiblinus: λιπάραν L P) δ' ὀφρύην, ubi in codd. L P glossa legitur ὄνομα τόπου. [1])

vss. 21—22: ἵν' οὔτε φωνὴν οὔτε του μορφὴν βροτῶν
ὄψηι.

Zeugma hoc esse quivis videt, cuius constructionis exemplum iam praebet Homerus: ἐσ γαῖαν ἐλεύσσομεν — καπνόν τ' αὐτῶν τε φθογγὴν οἰόν τε καὶ αἰγῶν (ι 166), cf. Arist. Ran. 155 ὄψηι τε φῶσ κάλλιστον — καὶ κρότον χειρῶν πολύν, Luc. Somn. s. Gall. 2 εἰ βύρσασ εἶδεσ ἐρπούσασ καὶ βοῶν κρέα μυκώμενα ἠμίεφθα, Lucr. I 255 hinc laetas urbes pueris florere uidemus / frontiferasque nouis auibus canere undique siluas, Sen. Herc. 325 iam iam minaces ire per caelum faces / specta et tonantem fulmine excusso diem.

Aeschylum vero vix sibi conscium fuisse se „zeugmate" h. l. usum esse credo, quia exempla constructionis, quam grammatici αἴσθησιν ἀντὶ αἰσθήσεωσ vocant, apud scriptores cum Graecos tum hodiernos abundant: ρ 545 οὐχ ὁράεισ, ὅ μοι υἱὸσ ἐπέπταρε πᾶσιν ἔπεσσιν, Aesch. Sept. 104 κτύπον δέδορκα, Soph. O. R. 186 πικὰν δὲ λάμπει, 473 ἔλαμψε — φάμα, Arist. Vesp. 1287 μέγα κεκραγότα θεώμενοι, Apocal. I 12 ἐπέστρεψα βλέπειν τὴν φωνήν, Verg. Aen. VIII 360 armenta uidebant — mugire. [2])

---

1) Similiter ad Arist. Lys. 549 ἀλλ' ὦ τηθῶν (aviarum) ἀνδρειόταται καὶ μητριδίων ἀκαληφῶν Schol. i. a. prudenter adnotat εἰσὶ δὲ καὶ ὄστρεα θαλάσσια: cavendum enim erat ne confunderentur ἡ τήθη et τὸ τῆθοσ (Π 747).

2) Talibus exemplis ductus Aristaenetus, cum dicit εἰ δὲ τὴν χεῖρα τῶι στέρνωι προσαγάγοισ ὄψηι τὸ πήδημα, procul dubio κομψευριπικῶσ scribere sibi videtur!

Digitized by Google

Nota haec omnia, sed lubet exempla nonnulla, e scriptoribus hodiernis exscripta, addere:

Victor Hugo, cum scribit: „puis, tout à coup, voyez, car il semble qu'en certains instants *l'oreille aussi a sa vue*, voyez s'élever au même moment de chaque clocher comme une colonne de bruit, comme une fumée d'harmonie" [1]), ἐκών, ut vides, *αἰσθήσει ἀντὶ αἰσθήσεως* utitur.

Inviti vero et inscii agunt scriptores neglegentiores:

„dien wij — zulk *een luiden toon* hebben *zien* voeren" [2]);

„lijk een uil, die *'t ziet donderen*" [3]);

minus autem eleganter Carmen Sylva [4]) scribit: „(er) *lauschte* mit gespanntem Ohr auf jedes gefahrdrohende Geräusch, auf jedes Schnaufen, auf jeden *Geruch* eines wilden Thieres." [5])

vss. 76—77: ἐρρωμένως νῦν θεῖνε διατόρους πέδας·
ὡς οὐπιτιμητής γε τῶν ἔργων βαρύς.

Robur his verbis Hephaestum alloquitur, qui certa quaedam patris mandata perficere cunctatur; requiritur igitur pronomen demonstrativum, quamobrem confidenter repono:

ὡς οὐπιτιμητής γε τῶν ⟨δ'⟩ ἔργων βαρύς. [6])

vss. 112—113: τοιῶνδε ποινὰς ἀμπλακημάτων τίνω
ὑπαίθριος δεσμοῖς πεπασσαλευμένος.

Versus conclamati, in quibus τοιῶνδε pro τοιάσδε certa est emendatio Stanleii, quam fortasse confirmant libri proletarii nonnulli, cf. vss. 8, 563, 620.

In vs. 113 ultimum vocabulum corrigunt in προσπεπαρμένος (Dindorf), πρυσελούμενος (Wecklein, M. Schmidt), πᾶσ εἰλεύμενος (J. E. Harry, qui postea δεσμοῖς πέτρισι προσπεπασσαλευμένος scripsit), alii aliter, sed frustra omnes.

Codd. enim dett. praebent παρσαλεύμενος, παρσαλευμένος, παρσαλευόμενος, παρσαλευτός (unde παρσαλευτὸς ὤν Turnebus);

1) Notre-Dame de Paris III 2; locum iam antea citavi.
2) v. Lennep. 3) Timmermans.
4) In versione libri quem scripsit Paul de Saint-Victor, c. t. „Die beiden Masken".
5) Cf. etiam Keats: „mid hush'd, cool-rooted flowers, fragrant-eyed".
6) τοὐδ' ἔργου Heimsoeth.

Digitized by Google

sed lectio cod. M δεσμοῖσι πασσαλεύμένοσ, accentu priore transfixo, ducit ad δεσμοῖσ πεπασσαλευμένοσ (C. G. Haupt: δεσμοῖσι πεπασσαλευμένοσ Robort.), cf. e. g. Menand. fr. 535 εἶτ' οὐ δικαίωσ προσπεπατταλευμένον / γράφουσι τὸν Προμηθέα πρὸσ ταῖσ πέτραισ, Heges. fr. 1, 25 ἐστήξετ' ἀχανήσ, προσπεπατταλευμένοσ; postquam δεσμοῖσ in δεσμοῖσι corruptum est (vide vss. 562, 579, 583, 598, 900) πεπασσαλευμένοσ metri causa in πασσαλευμένοσ est correctum.

Multis tamen forma trimetri minus placet et lubenter concedo versus quales sunt ἀτιμίαν μὲν οὔ, προμηθείαν δέ σου (Soph. El. 1036) aut ἀνάξιον μὲν σοῦ, κατάξιον δ' ἐμοῦ (Phil. 1009) huc non facere, quia consulto a poeta in hanc formam sunt redacti; quod etiam quadrat in versum notissimum:

ὦ Ζεῦ, τί μου δρᾶσαι βεβούλευσαι πέρι; [1])

Versus vero bipertitos neque ab Aeschylo neque a Sophocle neque ab Aristophane anxie evitatos esse multi loci ostendunt, e quibus affero Aesch. Eum. 26:

λαγὼ δίκην Πενθεῖ καταρράψασ μόρον

et Soph. Phil. 1021:

σὺ μὲν γέγηθασ ζῶν, ἐγὼ δ' ἀπόλλυμαι,

cf. Aesch. Prom. 6, 17, 640, Sept. 457, 1046, Pers. 251, 465, 469, 503, 509, 519, Ag. 941, Choeph. 150, 493, 883, Suppl. 485, 733, 940, 947; Soph. Ant. 1021, Ai. 1091, Phil. 1064, 1369; Arist. Plut. 669, Lys. 778.

Magnum in nova comoedia versuum tali modo formatorum numerum esse notum est; exemplo sunto Men. Discept. 9 K²:

τί οὖν ἐμοὶ μέλει; — κριτὴν τούτου τινά

et vs. 13:

ἔχοντεσ; ἀλλ' ὅμωσ — τὸ πρᾶγμ' ἐστὶν βραχύ.

vs. 116: θεόσυτοσ ἢ βρότειοσ ἢ κεκραμένη.

Hahn [2]) hunc versum imitatum esse Euripidem putat, cum scriberet μήλειον ἢ βόειον ἢ μεμιγμένον (Cycl. 218), qui versus mihi potius in memoriam revocat verba, quibus Pamphus ille

1) O. R. 738: „a slow, halting verse, expressing the weight on his soul: the neglect of caesura has this purpose". Jebb.

2) Phil. LXVI p. 47.

Digitized by Google

Iovem salutat: *εἰλυμένε κόπρωι | μηλείηι τε καὶ ἱππείηι καὶ ἡμιονείηι.*

Sequuntur plerumque editores sine causa idonea; nam nimis philologorum proprium est semper „imitatorem" odorari; quis auctorem Rhesi, cum scriberet *βάλε βάλε βάλε βάλε* (vs. 675), memorem fuisse Arist. Ach. 281 (*βάλλε βάλλε βάλλε βάλλε*) satis confidenter contendere possit; aut — ut alterum afferam exemplum — Euripidem, cum scriberet *τὰ ποῖα ταῦτα; τὸν λόγον γὰρ ἀγνοῶ* (Phoen. 707), imitatum esse Soph. Trach. vs. 78 *τὰ ποῖα, μῆτερ; τὸν λόγον γὰρ ἀγνοῶ*? Meminerimus potius verborum aureorum: „Wer kann was Dummes, wer was Kluges denken, das nicht die Vorwelt schon gedacht?"

Sed, ut revertar ad locum de quo agitur, *κεκραμένη* per *ἡμιθέων* explicat glossa in cod. M, similiter fere editores [1]), cf. e. g. Alex. fr. 240, *οὐ θνητὸσ οὐδ' ἀθάνατοσ, ἀλλ' ἔχων τινὰ | σύγκρασιν.* Nimis pusilla mihi talis explicatio esse videtur, nam tertium illud membrum (*κεκραμένη*) nihil novi addit, emphasin tantum elocutionis auget, ut e. g. Aesch. Sept. 197 *ἀνὴρ γυνή τε χὤτι τῶν μεταίχμιον*, cf. fr. 70 *Ζεύσ ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺσ δὲ γῆ, Ζεὺσ δ' οὐρανόσ, | Ζεύσ τοι τὰ πάντα χὤτι τῶνδ' ὑπέρτερον.*

vs. 119: *ὁρᾶτε δεσμώτην με δύσποτμον θεόν.*

Multis verbis *ὁρᾶτε* h. l. *indicativum* esse demonstrare conatur J. E. Harry; astipulatur Wecklein. Sed loci vis rhetorica procul dubio augetur, si *ὁρᾶτε imperativum* esse credimus; confero Herculis doloribus vexati verba: *ἰδού, θεᾶσθε πάντεσ ἕλκιον δέμασ |, ὁρᾶτε τὸν δύστηνον, ὡσ οἰκτρῶσ ἔχω* (Soph. Trach. vss. 1079—1080), infra vs. 304.

vss. 128 sqq.:

Apparent in plaustro alato Oceanides, de quibus ita disserit v. Wilamowitz [2]): „(in die Schlucht) schiebt sich der fliegende Wagen, da — haben sie Raum verdeckt abzusteigen".

Vix recte haec a viro summo disputata esse credo, nam

---

1) „Wesen, die zwischen den höheren Göttern und den Menschen in der Mitte stehen". Wecklein.

2) Interpr. p. 116.

Digitized by Google

potius *duas* rupes a spectatoribus videri mihi constat, quarum uni Prometheus affixus est, in altera apparent Oceanides et (postea) Oceanus. Virgines enim *in summa rupe* (non vero in valle) stare luculenter demonstrant ipsarum verba (vss. 278 sqq.):

καὶ νῦν ἐλαφρῶι
ποδὶ κραιπνόσυτον θᾶκον προλιποῦσ'
αἰθέρα θ' ἁγνὸν πόρον οἰωνῶν
ὀκριοέσσηι χθονὶ τῆιδε πελῶ.

vss. 199 sq.: ἐπεὶ τάχιστ' ἤρξαντο δαίμονες χόλου
— στάσις τ' ἐν ἀλλήλοισιν ὠροθύνετο —
οἳ μὲν θέλοντες ἐκβαλεῖν ἕδρας Κρόνον,
ὡς Ζεὺς ἀνάσσοι δῆθεν, οἳ δὲ τοὔμπαλιν
σπεύδοντες κτέ.

Omnes, quas inspexi, editiones hos versus ita explicant, ut στάσις — ὠροθύνετο idem esse statuant atque ἐστασίαζον, coll. Soph. Ant. 259, Eur. Phoen. 1462, Bacch. 1131, Heracl. 40, Hdt. VIII 74, Thuc. IV 3, 2, V 70: pronomina igitur οἳ μὲν — οἳ δὲ recte sequuntur.

Nonne praestat vs. 200 ἐν παρενθέσει ponere, quo facto οἳ μὲν — οἳ δὲ apte cum ἤρξαντο δαίμονες (vs. 199) coniungi possint?

vs. 241: ἀλλὰ νηλεῶς
ὧδ' ἐρρύθμισμαι, Ζηνὶ δυσκλεὴς θέα.

Adnotat Schol.: ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν χορδῶν; potius dicendum ῥυθμὸν idem esse atque σχῆμα, ut ῥυθμίζειν = σχηματίζειν: Aesch. Pers. 747 μετερρύθμιζε = μετεσχημάτιζε, fr. 78_2 ἐν τριγώνοις — ῥυθμοῖσ = σχήμασι, Plut. Quomodo adul. ab amico internosc. 51 *b* ῥυθμίζει καὶ σχηματίζει.

vss. 253—254: Pr. πρὸς τοῖσδε μέντοι πῦρ ἐγώ σφιν ὤπασα.
Ch. καὶ νῦν φλογωπὸν πῦρ ἔχουσ' ἐφήμεροι;

Alterum πῦρ corruptum esse frustra suspicati sunt viri docti (φλογωπὸν σπέρμ' Weil, cf. Pind. Ol. VII 48; φλ. φῶσ Meineke, cf. Eur. I. A. 157), nam tales repetitiones minime evitant poetae: Ag. 551—554 χρόνωι — χρόνον, 341—345 στρατῶι — στρατός, Choeph. 711—714 τὰ πρόσφορα — τὰ πρόσφορα, Suppl. 715—717 νεὼσ — νεώς, 448—452 κάρτα — κάρτα — κάρτα, Pers. 201—202 χεροῖν — χερί, 250—251, 293—295,

Digitized by Google

299—300, infra 765—766, 870—875; pulcherrimum autem exemplum legitur Eur. Herc. 992:

ὑπὲρ κάρα βαλὼν
ξύλον καθῆκε παιδὸς ἐς ξανθὸν κάρα. [1])

vs. 248: θρητούς γ' ἔπαυσα μὴ προδέρκεσθαι μόρον.

Magnum hoc esse beneficium omnis aetatis scriptores consentiunt: „l' ignorance est la condition nécessaire au bonheur des hommes" [2]); „we should never love or laugh if we knew". [3])

vs. 331: ζηλῶ σ' ὀθούντεκ' ἐκτὸς αἰτίας κυρεῖς 330
πάντων μετασχὼν καὶ τετολμηκὼς ἐμοί.

Ita Prometheus Oceanum adloquitur; miram vs. 331 constructionem defendere conantur revocantes ad Soph. Ant. vs. 537 καὶ ξυμμετίσχω καὶ φέρω τῆσ αἰτίασ, sed hoc nihil ad rem: φέρω enim cum genitivo (partitivo) coniungi potest, συμφέρω verbum est usitatum [4]); τολμᾶν vero genitivum „regere" non potest, neque exstat verbum μετατολμᾶν. Quam ob rem Iebbius lectionem traditam in συντετολμηκώς τ' ἐμοί correxit, alii aliter.

Sed restat alius scrupulus: vs. 234 idem Prometheus diserte declaravit: καὶ τοῖσιν (Iovis consiliis) οὐδεὶς ἀντέβαινε πλὴν ἐμοῦ, quae verba nullo modo cum vs. 331 conciliari possunt; nam ironiam nescio quam in hoc versu inesse, ut putat virgo nobilissima Ianet Case, nemo, opinor, credet.

Viam nobis monstrat Schol. qui dicit: θαυμάζω σε πῶς οὐδὲν πέπονθας ὑπὸ Διὸς συναλγῶν ἐμοί, cf. etiam vs. 388 μὴ γάρ σε θρῆνος οὐμὸς εἰς ἔχθραν βάλῃ; operum non particeps fuit Oceanus, dolores tantum Promethei magna prosequitur misericordia.

---

1) Suaviter ridet Jan Holland, scriptor lepidissimus, iuvenibus parum notus, in libro c. t. „Nette menschen", ubi magistellus nescio quis, „Weetje" nomine, se excusat, quod bis in eadem sententia locutione „*nette menschen*" uti ausus est; miror quod vv. dd. nondum „correxerunt" Goethe, in cuius carmine c. t. „Hermann und Dorothea" locutioni „den *Schlafrock* mit indianischen Blumen" paulo post succedunt verba „den altenen kattunenen *Schlafrock*".

2) Anatole France.

3) R. Dehan.

4) Simplicior etiam structura est Soph. O. R. vs. 346: Ἴσθι γὰρ δοκῶν ἐμοὶ / καὶ ξυμφυτεῦσαι τοὔργον εἰργάσθαι τε κτέ.

Digitized by Google

Quamobrem Aeschylum scripsisse suspicor:

πάντων μετασχεῖν [1]) καὶ τετολμηκὼς ἐμοί

et post hunc versum alterum excidisse, cuius initium e. g. fuerit ⟨μόνος πόνων κτέ.⟩, i. e. „quia tu solus omnium malorum — τῶν νῦν ἐμοὶ παρεστώτων — misereri ausus es", cf. e. g. Eur. Hippol. 730 τῆσ νόσου δὲ τῆσδέ μοι — μετασχών.

vs. 374: σεαυτὸν σῶιζ' ὅπως ἐπίστασαι.

Promethei Oceanum monentis haec sunt verba; ultima vocabula ὅπως ἐπίστασαι vertere solent „ut poteris" [2]); sed procul dubio praestat versio „pro solita tua dexteritate", ut non sine ironia loquatur Prometheus; Oceanus enim alter et divinus est Theramenes, ὃσ ἦν κακοῖσ τισ περιπέσῃι καὶ πλησίον παραστῆι, / πέπτωκεν ἔξω τῶν κακῶν (Arist. Ran. 969).

vs. 409: ξυνομαι —
μόνων τε τιμάν.

Mira compositi, quod etiam Eur. I. T. 848 legitur, formatio; conferunt συνομῆλιξ, συνόμορος; adde θνατοῖσ συνομέστιε. [3])

vs. 449: ἀλλ' ὀνειράτων
ἀλίγκιοι μορφαῖσι τὸν μακρὸν βίον
ἔφυρον εἰκῆι πάντα.

„Longam vitam degere quomodo dici possunt homines illi, qui pericula nullo modo arcere poterant? Requiritur adiectivum, quo *brevem* illis temporibus hominum vitam fuisse declaratur, corruptumque est μακρόν".

Pusilla haec; miseris enim hominibus *quaevis* vita longa fit, quamobrem Aias miseriis obrutus exclamat: αἰσχρὸν γὰρ ἄνδρα τοῦ μακροῦ χρήιζειν βίου, / κακοῖσιν ὅστισ μηδὲν ἐξαλλάσσεται (Soph. Ai. 473—474), et similiter Creon: οὔτοι βίου μοι τοῦ μακραίωνοσ πόθοσ (O. R. 518). [4])

vss. 462 sqq.: κἄζευξα πρῶτοσ ἐν ζυγοῖσι κνώδαλα
ζεύγλαισι δουλεύοντα σώμασίν θ' ὅπως
θνητοῖσ μεγίστων διάδοχοι μοχθημάτων
γένοιντο.

1) Cum Weilio. 2) „Naar uw beste weten".
3) Berl. Klass. Texte V 2 p. 142.
4) Eleganter versum explicavit E. Bruhn.

Digitized by Google

Qui Hermanum secuti *σώμασιν* retinent, de equitibus h. l. agi putant [1]); sed obstat vs. 462 (*ἔζευξα — ἐν ζυγοῖσι*, cf. e. g. Pers. 190 *ἅρμασιν δ' ὕπο | ζεύγνυσιν αὐτώ*), quo Titanem his versibus iumenta *iugalia* indicare patet; nec magis placet Pauwianum illud inventum *σάγμασιν*, quod multi editores necnon Wilamowitzius in textum receperunt; asinis enim, mulis, bubus illis, qui iugum acceperunt, *simul* clitellas esse impositas vix credo.

Potius igitur dicendum erit duo esse membra congruentia:

a) *ζεύγλῃσι δουλεύοντα* (proleptice haec dicta sunt: *δουλεύσοντα* Kirchhoff);

b) *σώμασίν θ' ὅπως* (i. e. corporum robore, dat. instr.) — *γένοιντο*.

vs. 549: *οὐδ' ἐδέρχθης*
ὀλιγοδρανίαν ἄκικυν
ἰσόνειρον, ἅι τὸ φωτῶν
ἀλαὸν γένος ἐμπεποδι-
σμένον; 550

Ad participium *ἐμπεποδισμένον* recte adnotat Schol.: *λείπει ἐστιν, ἤ* (*ἵν' ἤι* Dindorf) *ἐμπεπόδισται*. Paucissima sunt talis omissionis exempla: Ψ 180 *πάντα γὰρ ἤδη τοι τετελεσμένα ὥσπερ ὑπέστην* (ita pap. Heid. Syr. T., merito receperunt Leaf et v. Leeuwen); Aesch. Sept. 809 *κατεσποδημένοι* (scil. *εἰσίν*) [2]), Pers. 1001 *ἐπόμενοι* (scil. *εἰσίν*), Ag. 1345 *πεπληγμένος* (scil. *εἰμί*). [3])

vs. 626: *ἀλλ' οὐ μεγαίρω τοῦδε τοῦ δωρήματος.*

Turnebus *τοῦδέ σοι* restituit multisque placuit; sed traditam lectionem fortasse satis defendit Eur. Herc. 333:

κοσμεῖσθ' ἔσω μολόντες· οὐ φθονῶ (sc. *ὑμῖν*) *πέπλων.* [4])

vs. 721: *ἀστρογείτονας δὲ χρὴ*
κορυφὰς ὑπερβάλλουσαν ἐς μεσημβρινὴν
βῆναι κέλευθον κτέ.

---

1) „Le premier aussi, je liai sous le joug des bêtes soumises soit au harnais, soit à un *cavalier*". Mazon.

2) v. *Wilamowitz*, Interpr. p. 86.

3) Alia exempla dabunt *Allen et Sikes* ad Hymn. in Ap. vs. 335.

4) Similiter Arist. Thesm. 252 *λαμβάνετε καὶ χρῆσθ'· οὐ φθονῶ* (*ὑμῖν ἱματίου καὶ στροφίου*).

Digitized by Google

Expectaverim: *ὑπερβαλοῦσαν.*

vss. 790 sqq.: *ὅταν περάσηισ ῥεῖθρον ἠπείρων ὅρον,* 790
πρὸσ ἀντολὰσ φλογῶπασ ἡλίου στίβει
πόντον περῶσα φλοῖσβον κτέ.

In vs. 791 *ἡλιοστιβεῖσ* praebent codd.; sed imperativum requiri et verborum ordo et analogia docent, cf. vss. 707—708: *πρῶτον μὲν ἐνθένδ' ἡλίου πρὸσ ἀντολὰσ | στρέψασα σαυτὴν στεῖχ' ἀνηρότουσ γύασ*; recte igitur *ἡλίου στίβει* correxerunt Hartung et Heimsoeth recepitque v. Wilamowitz [1]); verbum *στιβεῖν*, quo Aeschylus nusquam alibi utitur, e. g. legitur Soph. Ai. 874: *πᾶν ἐστίβηται πλευρὸν ἕσπερον νεῶν.*

Verba sequentia ne construi quidem possunt, quamobrem Heimsoeth restituit: *πόντου* (ita dett.) *παρεῖσα φλοῖσβον*, quod placuit Wilamowitzio.

Non assentior: *πόντου* enim scripserunt dett., quia verborum coniunctionem *πόντον περῶσα φλοῖσβον* intellegere non poterant.

Equidem suspicor locum non esse corruptum, sed verba *male esse distincta*; Aeschylus enim scripsit:

πόντον περῶσ' ἄφλοισβον. [2])

Metaphora est perspicua: *desertum* vocat poeta mare, quod fluctuum strepitu caret [3]), cf. e. g. *κῦμα χερσαῖον στρατοῦ* Sept. 64 et sescentos alios locos; inversa ratione Th. Mann [4]) locutione „in salziger Wüstenei" utitur, ut mare indicet. [5])

vs. 803: *ὀξυστόμουσ γὰρ Ζηνὸσ ἀκραγεῖσ κύνασ*
γρῦπασ φύλαξει.

Quid sit *ἀκραγήσ* quaeritur; sed non sequendos esse editores, qui adiectivum derivatum esse contendunt ab *α* q. v. privans et verbo *κράζειν*, ut grypes sint illi „canes, qui mor-

1) Lacunam statuit Heath.

2) Eodem modo Arist. Ach. 832 R habet *ἀλλὰ μίν*, recte vero Elmsley *ἀλλ' ἀμίν* edidit; Vesp. 614 *ἄλλην* V R B C, *ἀλλ' ἣν*, ut postulat sententia, Γ; sic Pers. 194 *ἐν τῇ* praebent codd., recte *ἔντη* legit Scaliger; vitium est vulgare.

3) *γαλήνη ἄκλυστοσ* Plut. de virt. et vit. 101 b.

4) Der Zauberberg.

5) „Het schip der woestijn" tritissima est metaphora; meminimus locutionum quales sunt „the flameless fire of imiginative thought" (Swinburne), infra vs. 880.

Digitized by Google

dent quidem, non vero latrant" [1]), mihi constat: canis enim ὑλακτεῖ, βαῦζει, non κράζει, quo verbo potius sonitus, quem aves edunt, significatur; κραγέται κολοιοί e. g. legitur Pind. Nem. III 82.

Omnino igitur faciendum est cum iis, qui ἀκραγής idem esse atque ακροκραγης („hoog-gierend") opinantur, cf. ἀκρακής (β 421). [2])

vs. 857: οἳ δ' ἐπτομένοι Φρένας,
κίρκοι πελειῶν οὐ μακρὰν λελειμμένοι,
ἥξουσι θηρεύοντες οὐ θηρασίμους
γάμους.

Aegypti filii cum accipitribus comparantur; κίρκοι igitur h. l. idem est atque ὡς κίρκοι notissima constructione, cuius complura exempla congessi ad Herodam VI 14 [3]); hic illic talis constructio editores latuisse videtur ut in fragm. Aeschyli 207:

τράγος γένειον ἆρα πενθήσεις σύ γε,

ubi τράγος nominativum pro vocativo esse putant vv. dd. [4])

Potius vertendum: „(si igni osculum dederis), *eris ut hircus, qui barbam adussit*", cf. Arist. Plut. 295 τράγοι δ' (= ὥσπερ οἱ τράγοι) ἀκρατιεῖσθε.

vs. 871: σπορᾶς γε μὴν ἐκ τῆσδε Φύσεται θρασύς,
τόξοισι κλεινός κτέ.

Adiectivum „θρασύς" h. l. dictum esse pro „θρασύς τις" vix credo nec mihi persuadet versus qualis est Soph. El. 696:

ὅταν δέ τις θεῶν
βλάπτῃ, δύναιτ' ἂν οὐδ' ἂν ἰσχύων (vir robustus) Φυγεῖν.

---

1) F. Muller in lexico, qui etiam alteram explicationem profert.

2) Ad Acraganta, urbem Siculam, speciosius quam verius revocat *Bevan*, Cl. Rev. XVI p. 200.

3) *Cobet*, Mnem. N. S. III p. 247; *Starkie* ad Arist. Vesp. vs. 144; *Kock* C. A. F. III p. 711.

4) v. Wilamowitz in ed. Aesch. p. 180, postquam Plut. de inim. ut. 86 f citavit et Epiphanium Ancor. 109 a (agitur de Iove tragoedo manum amburi passo): οὐκ εἶχε πρόγνωσιν τοῦ λέγοντος τράγωι τῶι σατύρωι εὑρόντι πρότερον τὸ πῦρ καὶ προσελθόντι φιλῆσαι „μὴ ἅψῃ τράγε, ἁψάμενος γάρ σου ἐμπρήσεις τὰ γένεια", haec addit: „perversa — opinio, hircum de satyro non dici, diserto Epiphanii testimonio evertitur".

Digitized by Google

Ibi enim generaliter loquitur poeta, hic de certo quodam heroe (Hercule) agitur. Sikes et Willson *σπόρος* reponunt, quod substantivum tamen in poesi Aeschylea non occurrit, quamquam Lycophron plus semel usus est; potius post *θρασύς* versus excidisse videtur, in quo Hercules expresse nominatus erit.

vs. 1023: *πτηνὸς κύων, δαφοινὸς αἰετός, λάβρως*
διαρταμήσει σώματος μέγα ῥάκος.

Locum sanissimum frustra coniecturis vexant: *σώματος μελάνδρυον* Heimsoeth, *σώματος κύτος μέγα* olim Weil; nam *ῥάκος* proleptice est dictum [1]): „aquila corpus tuum dilacerabit ita ut *ῥάκος* [2]) fiat", cf. Arist. Ran. 403 *σὺ γὰρ κατεσχίσω — τόν τε σκνδάλισκον / καὶ τὸ ῥάκος*, ubi iterum inutiles coniecturas proferunt vv. dd., et Herod. III 50 *τὴν ῥάκιν λελέκρηκε*(?).

1) „Mijnheer Duyvewaert — schonk voorzichtig de roemers rood". Thiry.

2) *κατερρακωμένος* audit Hercules (Soph. Trach. 1103), cf. Lycophr. 1113 *καὶ πᾶν λακίζουσ' ἐν φονᾶσι ψυχρὸν δέμας.*

Digitized by Google

ΠΡΟΝΩΠΗΣ.

SCRIPSIT

W. E. J. KUIPER.

Vox προνωπής quattuor tantum locis occurrit, Aeschyleo uno, tribus Euripideis. De etymologia non constat. Conferuntur quidem glossemata Photii et Hesychii et Ionis Chii fragmentum apud Athenaeum (604 B), sed non multum lucri ex iis capere mihi videmur. Photius haec habet: νενώπηται, καταπέπληκται; Hesychius ἐνώπηται (lege νενώπηται) interpretatur per τεταπείνωται. Eadem significatione apud Athenaeum legitur ἐνωπήθη. Polyxenus enim, ita narrat Ion, Sophoclis castigatione perculsus, nihil amplius dicit, ἐνωπήθη τῇ ἐπιρραπίζει, silet igitur τεταπεινωμένος. Sed num revera verbum aliquod νωπεῖν proprie etiam „humilem facere" significaverit, num recte porro cum tali verbo vox νάπος conferatur, hoc diiudicare, si quid video, non licet. Confirmantibus quidem obstat glossa νώψ, quod per „ἀσθενὴς τῇ ὄψει" interpretatur Hesychius.

Vocis προνωπής significatio igitur ex quattuor, quos dixi, tragoedorum locis constituenda est. Qua in re lexicographi vocum πρηνής, προπετής, praeceps, pronus comparatione in errorem inducti esse mihi videntur. Locos Aeschyli et Euripidis hic habes:

Agamemnon vs. 233: Φράσεν δ' ἀόζοις πατὴρ μετ' εὐχάν
δίκαν χιμαίρας ὕπερθε βώμου
πέπλοισι περιπετῆ παντὶ θυμῷ προνωπῆ
λαβεῖν ἀέρδην, ...

Alcestis vs. 143: ἤδη προνωπής ἐστι καὶ ψυχορραγεῖ.

ibid. vs. 186: ἐπεὶ δὲ πολλῶν δακρύων εἶχεν κόρον,
στείχε προνωπὴς ἐκπεσοῦσα δεμνίων.

Andromache vs. 730: ἄγαν προνωπὴς εἰς τὸ λοιδορεῖν φέρῃ.

Digitized by Google

Ultimus locus, perperam ut opinor, sic fere verti solet: „nimium pronus ad conviciandum ferris". Licet quidem cum εἰς τὸ λοιδορεῖν ἀγεσθε coniungere προνωπής, sed non est necesse. Neque tam languidum responsum a Menelao exspectamus, postquam et alia a Peleo audivit et haec: εἰ δ' ἀπῆν δορὸς τοῖς Σπαρτιάταις δόξα καὶ μάχης ἀγών, τἄλλ' ὄντες ἴστε μηδένος βελτίονες. Quid igitur? Qui conviciatur — hoc ex Homero omnes novimus — ad pugnandum paratus esse debet, convicia enim pugnae sunt prooemium. Sed Menelaus pugnam detrectare satius habet: ἐγὼ δὲ πρὸς βίαν μὲν εἰς Φθίαν μολὼν οὔτ' οὖν τι δράσω φλαῦρον οὔτε πείσομαι. Metum confiteri tamen hominis arrogantis et grandiloqui non est. Quid nos olim pueri, cum ex conviciis ad pugnam transire verebamur, adversario provocanti respondere solebamus? „Nequior es, quam ut te tangam, cum homuncione tam debili ego non pugnabo". Tale responsum a Menelao ipse rei status postulat: „tu vero imbecillior es, quam ut conviciis uti tibi liceat". Cum quibus plane congruunt ultima verba, quibus dictis scenam iam relinquit: τοὺς σοὺς δὲ μύθους ῥᾳδίως ἐγὼ φέρω· σκιᾷ γὰρ ἀντίστοιχος ὢν φωνὴν ἔχεις, ἀδύνατος οὐδὲν ἄλλο πλὴν λέγειν μόνον. Nam quid magis proprium est hominis προφασιζομένου quam in ultimis ad prima reverti?

Haec si recte disputata sunt, iam apparere opinor, notionem „praeceps, pronus" a voce προνωπής, qualem quidem Euripides sumpsit, alienam esse, contra, qui σκιᾷ ἀντίστοιχος est, eum vere dici προνωπῆ. Sic Alcestis, plane debilitata et intermortua, προνωπής dicitur et ψυχορραγοῦσα, sic eadem στείχει προνωπής, infirmis nempe passibus progressa. Haud aliter autem apud Aeschylum Iphigenia, cum poparum metu correpta labet vestitu impedita et animus iam prope relinquat eam, πέπλοισι περιπετής dicitur et παντὶ θυμῷ προνωπής. Hic Wecklein in ea editione, quam Zomarii ope Graece protulit, ad πέπλοισι περιπετῆ haec annotat (vs. 243): συνήθως ἑρμηνεύουσιν: πέπλοις κεκαλυμμένην. Quod sibi tamen haudquaquam placere dicit, διότι ἡ ῥῆσις φαίνεται μᾶλλον σημαίνουσα, ὅτι ὁ πατὴρ κελεύει τοὺς θεράποντας νὰ ἄρωσι τὴν παρθένον οὕτως, ὥστε ὁ πέπλος αὐτῆς νὰ καταπέσῃ ἐκ τοῦ τραχήλου καὶ τοῦ στήθους καταλείπων αὐτὰ γυμνά. Quomodo autem ea ex verbis πέπλοισι περιπετῆ elician-

Digitized by Google

tur, annotare supersedit. Mihi vero versus, de quo agitur, ad Agamemnonis imperatum omnino non pertinere videtur, sed designare tantum, ut virgo popis appropinquantibus metu subito perculsa vestimento se involvat et eo impedita vacillet, cum animo iam deficiatur. Nam ministris imperare, ut virginem veste denudent, hoc patris non est. „Patris est rem iubere, ministrorum crudeliter agere, ut rem efficiant", sic recte Wilamowitzius ad sequentis strophae initium [1]). Quid igitur Agamemno facere iubet ministros? Hoc tantum: virginem *λαβεῖν ἐρὴν* et *κατασχεῖν φθόγγον ἀραῖον οἴκοις*. „Ut capram super aram", hoc suo nomine poeta addit, sequenti versu virginis habitum depingens. Neque tandem, ut fieri solet, verba *παντὶ θυμῷ* a voce *προνωπῆ* seiungenda et ad *λαβεῖν* trahenda sunt. Nam recte Iphigenia *παντὶ θυμῷ προνωπής* dicitur, ut quae toto animo deficiens umbrae sit instar.

Itaque omnibus, quibus occurrit, locis vox tragica *προνωπής* vertatur debilis vel infirmus.

---

1) vs. 338. Griech. Verskunst p. 183[1].

Digitized by Google

ΠΥΡΑΣΤΡΟΝ.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

Mulierculae Coae, quae apud Herodam templum Aesculapii visendi causa adeunt, statim in atrio tabulas pictas Apellis admirantur. Inter quas una puerum nudum repraesentabat instrumentum quoddam argenteum tenentem, quod πύραστρον a poeta nuncupari videtur. Picturam affabre factam his verbis collaudat Coccale:

τὠργυρεῦν δὲ πύραστρον
οὐκ ἦν ἴδῃ Μύελλος ἢ Παταικίσκος [1])
ὁ Λαμπρίωνος, ἐκβαλεῦσι τὰς κούρας
δοκεῦντες ὄντως ἀργυρεῦν πεποιῆσθαι; [2])

Πύραστρον in papyro legi mihi cum Meistero Nairnio Groeneboomio Headlamio Terzaghio persuasissimum est [3]), licet olim fuerint qui πύραγρον scriptum esse crediderint [4]). Voci obscurae et difficili intellectu, si commentatores audis, tres notae superscriptae sunt. Prima enim syllaba et accentu acuto insignita est et linea transversa qua longae denotantur. Neque id mirum. Nam cum sonus υ in casibus obliquis substantivi quod est πῦρ nec non in verbis compositis ab illa voce incipientibus brevis esse soleat, hic tamen contra consuetudinem longa est. Cuius rei exempla suppetunt haec:

---

1) Fabros argentarios quosdam puta vel circulatores auctionum.

2) Herod. Mimiamb. IV, 62 sq.

3) Cf. Herodas, Facsimile of pap. CXXXV in the Brit. Mus. t. XII.

4) Πυράγρη graecum est, ut κρεάγρα ὀδοντάγρα ῥιζάγρα, πύραγρον non item, ut videtur.

Digitized by Google

1° Aesch. frg. 288:

δέδοικα μῶρον κάρτα πῡραύστου μόρον.

2° Euripidis ut dicitur frg. 943:

πῡριγένης δὲ δράκων ὁδὸν ἡγεῖται τετραμόρφοις

κτλ.

3° Callim. Hymn. IV, 201, ubi vox πῡρί in extrema sede versus hexametri collocata est.

4° Orph. Argon. 868:

ὥς τε βόας ζεύγλῃσι δαμάσσαπο πῡριπνέοντας. [1])

Ergo iam inde a saeculo V° a. C. longitudo soni υ e casu nominativo huius vocis nonnumquam in casus obliquos et in voces compositas translata esse videtur. Tertia autem nota, quae quidem litterae α superposita est, signo quo syllaba brevis insigniri solet similis est. Sed hoc quam absurdum sit, si ita se habeat, nemo non sensit; ipsa enim syllaba producta est; quae si brevem vocalem continebat, hoc librarii antiqui non curabant. Ut vero hoc impedimentum omittamus, in aliam confestim salebram incidimus, si quaerere coepimus, quid vox πῦραστρον significet et quomodo orta sit. Quid? num eam a verbo quodam πυράζειν ductam esse recte dici credis? Quod quidem nusquam apud scriptores Graecos legitur, uno tantum loco in Etymologico Magno adhibetur, ut eius ope absona etymologia verbi πυρακτεῖν conflari possit [2]). Esto vero: etiamsi πῦραστρον e verbo πυράζειν fluere potuisse concedatur, nihilominus non ᾰ̆ in exemplo, quo scriba voluminis quod nos tenemus usus est, scriptum fuisse censeo, sed ᾰ̯, i. e. litterae A superscripta fuerat olim forma vulgaris et rotunda litterae ϒ, ut πῦραστρον corrigeretur in πύραυστρον, vocem hodie quidem ignotam, sed quae et etymologiam habeat perlucentem et sensum in contextu praebeat optimum. Profecta enim esse videtur a verbo αὔειν [3]), ut significet instrumentum quo ignis quasi hau-

1) Cf. Mus. 41:

ἀλλ' οὐδ' ὡς ἀλέεινε πῦριπνείοντας διστούς.

2) Etym. Magn. p. 697, 17 sqq.: ἐκ δὲ τοῦ πῦρ, πυρός, πυράζω· ὁ μέλλων, πυράξω· ὄνομα ῥηματικόν, πυρακτός· καὶ ῥῆμα πυρακτῶ, ἐξ οὗ ἐπυράκτεον.

3) Cf. e. g. Hom. Od. V, 490 sq.:

ἀγροῦ ἐπ' ἰσχατιῇς, ᾧ μὴ πάρα γείτονες ἄλλοι,

σπέρμα πυρὸς σώζων, ἵνα μή ποθεν ἄλλοθεν αὖοι.

Verbum quod est αὔειν a verbo *haurire*, quocum vulgo componitur auctore

Digitized by Google

riatur, i. e. pruna e foco eximatur. Πύρκυστρον idem fere est quod alibi dicitur πύρκυνος, de quo Pollux, VI, 89: ἔστι δὲ ἀγγεῖα ἐν οἷς τοὺς ἐμπύρους ἄνθρακας κομίζουσιν, vel πύρκυνον, de quo idem X, 104: τὸ δὲ πύρκυνον, ᾧ τοὺς ἐμπύρους ἄνθρακας κομίζουσιν, εἴποις ἂν ἐμῇ δόξῃ καὶ πυρφόρον [1]), et Hesychius: πύρκυνον· εἰς ὃ ἂν πῦρ ἐνάυηται. Atque bestiolae, cuius Aeschylus meminit versu supra exscripto, nomen πυρκύστης inde ductum est, quod flammam haurit [2]), dum in lucem involat [3]).

Denique eidem vel simili saltem instrumento nomen erat θερμκυστρίς. Hac de voce apud lexicographos commentatoresque cum antiquos tum hodiernos magna confusio orta est, quam dispellere tamen iam olim Schneidero contigit [4]). Duo erant vocabula parvo discrimine distincta: θερμάστρα sive *θερμάστη sive θερμαστρίς sive θέρμαστρις [5]), quod a verbo θερμάζειν [6]) ductum *fornacem* designabat, et θερμκυστρίς sive θερμκύστριον sive θερμκύστιον sive θέρμκυστις, quod a vocibus θερμός et κύειν derivatum *forcipem* sive *formucapem* significabat. De fornacibus et caldariis sermo est apud Callimachum [7]) et Euphorionem [8]), in Vetere Testamento [9]), apud Pollucem [10]) et Hesychium [11]), de forcipe apud Aenean Tacticum [12]) Aristo-

---

Fickio (Bezzenbergers Beitr. II, 1878, p. 187), alienum esse arbitratur G. Schulze, Berl. Sitz. Ber. 1918, p. 770 sq. Idem tamen fatetur rem incertam esse p. 772 sq.

1) Cf. Poll. VI, 88: ἐξκυστήρ, i. e. κρεάγρα, I. G. XI, 2, 161, C, 69 sq.: ἐξκύστριον, et, si tanti est, voces quae sunt ζωμάρυστρον ζωμήρυσις ἐτνήρυσις.

2) Cf. Verg. Georg. II, 340; Aen. X, 899; Ov. Metam. X, 252 sq.

3) Aliter E. Fraenkel, Gesch. der griech. Nomina agentis, II, p. 40.

4) Schneider, Philol. I, 1846, p. 270 sq. Cf. Meineke ad Call. IV, 144; G. Schulze, l.l. p. 769. Contra K. Latte, De saltationibus Graecorum, Relig. gesch. Versuche, XIII, 3, 1913, p. 21, 3 discrimen inter utramque vocem neglexit.

5) E locis infra collectis apparet iuxta θερμαστρίς, -ίδος usu venisse etiam θέρμαστρις, -εως.

6) Nic. Alex. 587: θερμάσσαιο.

7) Call. Hymn. IV, 144:

θερμαυστραί τε βρέμουσιν ὑφ' Ἡφαίστοιο πυράγρης.

Schol. θερμαστραι· αἱ κάμινοι. Item Hesych.: θερμάστραι· κάμινοι.

8) Euphor. frg. 62 Scheidweiler, vs. 8:

ἤ που θερμαύστραις ἤ που Μελιγουνίδι τοῖαι
μαρμαρυγαί.

9) Vet. Test. Reg. III, 7, 40; 45: τὰς θερμάστρεις.

10) Poll. X, 66: ἵνα μὲν τὸ ὕδωρ θερμαίνεται, θερμαντῆρες, θέρμαυστρις, θερμαστρίς.

11) Hesych.: θερμαστῆσεν· ἐκ καμίνων.

12) Aen. Tact. 18, 6: θερμαστίῳ λεπτῷ ἐξηρέθη (sc. ἡ βάλανος)· χρὴ δὲ τοῦ θερμαστίου τὸ μὲν ἓν μέρος εἶναι οἷον σωλῆνα, τὸ δὲ ἕτερον πλατύ.

Digitized by Google

telem [1]) Athenaeum mechanicum [2]) Hesychium, cuius haec sunt verba: *θερμαστρίς· σκεῦος παραπλησίον καρκίνῳ, ᾧ χρῶνται οἱ χρυσοχοΐ* [3]). In titulis Atticis medio saeculo quarto tribuendis [4]) commemoratur *χιτωνίσκιον· παρυφὴν ἔχει θέρμαστιν*, i. e. tunica ornata clavo cuius lineamenta forcipis figuram referunt. Praeterea *θερμαυστρίς* erat nomen saltationis cuiusdam [5]). Est autem figura saltantium quam haud inepte forcipem vocare possis, eam dico quae hodie *cabriole* vel *entrechat* nuncupatur. Hanc designari ostendunt verba Critiae: *ἀναπηδήσαντες εἰς ὕψος πρὸ τοῦ κατενεχθῆναι ἐπὶ γῆν παραλλαγὰς πολλὰς τοῖς ποσὶν ἐποίουν.* Cf. Poll. IV, 102: *ἡ δὲ θερμαυστρὶς πηδητικὸν (ὄρχημα)*; Hesych.: *τχίνδαν* [6])· *θερμάστριον.* Etymologia Hesychii et Photii absurda est. Tribus denique locis vis harum vocum minus certa est [7]). Quisquis vero sensus subest, scriptura saepe fluctuat inter *α* et *αυ*. Neque hoc ad solos Graecos recentioris aetatis pertinet, siquidem iam titulus atticus saeculi IV[1] *θέρμαστιν* exhibet pro *θέρμαυστ(ρ)ιν* [8]). Sed ne a proposito nimis aberrare videar: hoc certe quivis concedet per scripturam *θερμαστρίς* — *θερμαυστρίς* scripturam *πύραστρον* — *πύραυστρον* haud mediocriter confirmari [9]).

---

1) Aristot. *Μηχανικά*, 21, p. 854, a, 22 sqq.: *ἡ ὀδοντάγρα δύο μόχλοί εἰσιν ἀντικείμενοι, ἐν τὸ ὑπομόχλιον ἔχοντες τὴν σύναψιν τῆς θερμαστρίδος.*

2) Mathem. Vet. p. 10: *ἡ λεγομένη θερμαστρὶς μῆκος ἔχουσα πηχῶν τριῶν.*

3) Cf. Anthol. Pal. VI, 92, 3 sqq.: *τὸν δίχηλον καρκίνον πυραγρέτην ... ὁ χρυσοτέκτων Δημοφῶν Κυλληνίῳ ἔθηκε.* Dict. des Antiq. I, fig. 948; II, p. 1240; Rosenberg, Geschichte der Goldschmiedekunst, fig. 66; p. 87 sqq.

4) I. G. II, 754, 29; 755, 21; 756, 8.

5) Phot. s. v. *θερμαυστρίς· ἡ σύντονος καὶ διάπυρος ὄρχησις.* Hesych. s. v. *θερμαστρίς· ... ὄρχησις ἔντονος καὶ διάπυρος τάχους ἕνεκα.* Poll. IV, 105: *τραγικῆς διχήσεως σχήματα· ... θερμαυστρίς.* Athen. XIV, 630, a (cod. *θαυμαστρεις*). Inde ductum est verbum *θερμαυστρίζειν*, Critiae frg. 36 Diels; Luc. de Salt. 34.

6) Cf. K. Latte, l.l. p. 22 sq.

7) Eupolis apud Poll. X, 192: *θέρμαυστριν* (inter varia *σκεύη* commemoratam); I. G. II, 675, 42: *θερμαστρίς* (post *ἐσχάρα χαλκᾶ*); titulus deliacus B. C. H. XXXII, 1908, p. 14, B, 19: *θερμαύσ[τ]ρ[α]ς.*

8) Confusioni duarum vocum procul dubio opitulata est recentior pronuntiatio diphthongi *αυ*. Cf. K. Buresch, Philol. LI, 1892, p. 98 sqq. Iam saec. V° occurrunt scripturae *Ναπακτίον* (Syll.[3] 47, 39), *Ἀγλών* (S. G. D. I. 4983, 3; 4), *ἀετός* (ibid. 4976, 2). Deinde *ἀετός* passim in titulis cretensibus recurrit. Saeculo III° a. C. exeunte scribitur *ταυξίων* iuxta *ταξίων* (ibid. 3050).

9) Etiam *κάναστρον* et *κάναυστρον* occurrere docuit K. Latte l.l. In papyro III[i] a. C. saeculi qua fragmentum Euripidis Antiopes continetur vox *εὐναστήριον* scripta extat *[εὐ]ναυστήριον.*

Digitized by Google

Haec si recte disputata sunt, Apelles in tabula, quae Herodae in carmine a muliercula describitur, non σπλαγχνόπτην oculis repraesentavit, ut ab aliis dictum est [1]), sed πυρφόρον [2]), camillum γυμνόν [3]) ignem afferentem ad sacrificium; nam forcipes argenteas nisi in supellectile sacrorum nullas fuisse consentaneum est.

---

1) Cf. Ad. Reinach, Textes grecs et latins relatifs à la peinture ancienne, I, p. 327, n. 5.

2) Cf. Poll. I, 14; 35; VIII, 116: πυρφόρος παῖς αἱρετὸς ἐκ καθαρευούσης οἰκίας ὑπὸ χλανίδι καὶ στροφίῳ περιέρχεται πῦρ ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιτιθείς. Hesych.: χλανίδες· λεπτὰ ἱμάτια.

3) I. e. vel nudum vel seminudum et discinctum, una veste eaque tenui amictum. Cf. locus Poll. supra adscriptus et Verg. Aen. XII, 119 sq.:

alii fontemque ignemque ferebant
velati limo et verbena tempora vincti.

Heckenbach, De nuditate sacra, Relig. gesch. Vers. IX, 3, 1911, p. 10 sq. Arch. Jahrb. XIV, 1899, p. 104.

Digitized by Google

DE TESTIMONIO FLAVIANO.

SCRIPSIT

L. VAN LIEMPT.

Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς σοφὸς ἀνήρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή· ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων, καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐπηγάγετο· ὁ χριστὸς οὗτος ἦν. καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος Πιλάτου οὐκ ἐπαύσαντο οἱ τὸ πρῶτον ἀγαπήσαντες ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν τῶν θείων προφητῶν ταῦτα τε καὶ ἄλλα μυρία περὶ αὐτοῦ θαυμάσια εἰρηκότων. εἰς ἔτι τε νῦν τῶν χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένον οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον.

Plerique viri docti hodie testimonio illi celeberrimo [1]) authentiam abiudicant. Argumenta interna quae allegari solent, ex Flaviano dicendi genere usuque vocabulorum petita, ultimus fuse pertractavit K. Linck. [2])

Cum plurimi in hoc Josephi loco discutiendo Linckii conclusioni adstipulari videantur argumentis non perpensis, operae pretium mihi videtur demonstrare Linckium nonnunquam satis graviter errasse tantumque abesse ut stilus verborumque copia vexati loci authentiam in dubium vocare possint ut contra vehementer eam commendent. Etenim tantopere haec pericope dictionem Flavianam sapit ut mihi quidem persuadere non possim interpolatorem exstitisse qui tam sollerte Iosephi loquendi consuetudinem imitaretur.

---

1) Ioseph. Ant. Iud. (= A) XVIII 63 sq. Bellum citatur siglo B.

2) De antiquissimis veterum quae ad Iesum Nazarenum spectant testimonia pp. 3—31. Giessen 1913 (R V V XIV 1).

Digitized by Google

Quod singula enuntiata percurrendo breviter mihi exponere liceat.

Γίνεται δέ Multoties [1]) initio sententiae ponitur. Linck autumat (p. 19) verbum γίνεσθαι in Antiq. nunquam vim habere τοῦ ἀκμάζειν. Praebent autem hanc significationem hi loci [2]):

A. V 117: στρατηγός..... γίνεται (ὁ Ἰησοῦς ἔτη) πέντε καὶ εἴκοσι.

A. VIII 155: ὃς ἔτεσιν πολλοῖς ἔμπροσθεν ἐγένετο τοῦ Ἀβράμου.

A. IX 28: Ἀνάχου τοῦ γενομένου πρὸ τῆς ἐπομβρίας cf. Vita 3: οὗτος ἐγένετο καθ' ὃν καιρὸν ἠρχιεράτευσεν.....

Κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον. Locos similes invenies plurimos.

Proxime accedunt A. XIII 351 (κατὰ τοῦτον δὲ τὸν χρόνον) et 171.

σοφὸς ἀνήρ. Idem de Daniele dixit Iosephus [3]) A. X 237.

εἴγε Iosephi proprium dici potest: has particulas exhibet plus quam vicies. [4])

ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων

adiectivum (adverbium) παραδ. passim reperitur. Cum voce ἔργα coniunctum bis: A IX 182. XII 63.

Vox ποιητοῦ aliis locis vim vatis, poetae, obtinet [5]). Sed nihil obstat quominus hac voce semel sensu etymologico usus sit, qui sensus non tantum Christianorum sed et Atticorum est. Ceterum vocabulum ποιήσεως adhibuit sensu „fabricationis" A. XVIII 55: εἰκόνων ποίησις. Secundum Linckium διδασκάλου vox ingenium prodit Christiani hominis. At fallitur. Hoc enim Iosephus, itemque μαθητοῦ vocabulum, eodem sensu latiore saepius usurpavit:

A. III 49 (de Moyse) [6]): διδάσκαλος τῆς εὐσεβείας.

A. XIII 115: διδάσκαλος.... ἀγαθῶν

---

1) v. g. A. I 52. 134. 205. 213. II 4. III 134. XIII 250. XX 118. B. I 45. 86. 87. 91. 99. 189. 205. 499. 568. 648. IV 208.

2) Cf. etiam c. Ap. I 21. 280. II 14. 144. De usu apud alios auctores vide E. Rohde in Rhein. Mus. XXXIII (1878) 638.

3) De Socrate Plato, Apol. Socr. p. 18 B.

4) v. g. B. I 434. 464. 545. II 27. III 358. 381. IV 272. V 19. 124. VI 102. A. II 36. X 126. XVII 181. 311. XVIII 9. 128. XX 41. vita 298. c. Ap. I 6.

5) A. I 16. XII 38. 110. 113. c. Ap. I 172. II 14. 239. 251. 256.

6) Iosue vocatur Moysis μαθητής A. VI.

Digitized by Google

cf. B. VII 442. 444. A. V 117. XV 373. XX 41 c. Ap. I 176. II 145 nec asyndetum ποιητής, διδάσκαλος a Iosephi elocutione alienum esse videtur, ut asserit Linck. Conferantur haec exempla:

B. II 135: ὀργῆς ταμίαι δίκαιοι, θυμοῦ καθεκτικοί, πίστεως προστάται, εἰρήνης ὑπουργοί

B. II 433: Μανάημός τις, υἱὸς Ἰούδα..., σοφιστὴς δεινότατος,

A. XV 320: Σίμων ἦν Ἱεροσολυμίτης, υἱὸς Βοηθοῦ τινος Ἀλεξανδρέως, ἱερεὺς ἐν τοῖς γνωρίμοις.....

Vide etiam B. V 147. VI 201 c. Ap. II 236. 291.

Verba ἡδονῇ δέχεσθαι multifariam [1]) a Iosepho esse posita iam multi viderunt.

Recte animadvertit Harnack [2]) vocem ἡδονῆς apud scriptores Christianos in malam partem adhiberi. Haec verba igitur certe non sunt interpolatoris Christiani.

τἀληθῆ. Haec eodem sensu quo hic usurpata videntur

A. VIII 23: (in precibus Salomonis): δός μοι, φησί, δέσποτα, νοῦν ὑγιῆ καὶ φρόνησιν ἀγαθήν, οἷς ἂν τὸν λαὸν τἀληθῆ καὶ τὰ δίκαια λαβὼν κρίνοιμι.

Verba τἀληθῆ melius vertuntur „boni mores, recta vitae ratio" quam „veritas" [3]). Obiectio igitur Reinachii [4]) contra sensum nihil valet, vanaeque sunt coniecturae.

Verba τἀληθῆ cum variis significationibus recurrunt B. I 16. III 438. A. III 74. 308. IV 219. Vita 262.

πολλοὺς μὲν.... πολλοὺς δὲ mirum quantum Iosephus hac anaphora delectatur. [5])

Ἑλληνικόν „ganz Josephisch"; ita recte Gutschmid. Opusc. IV 353.

ἐπάγεσθαι verbum Iosephus exhibet plus quam quadragies [6]).

---

1) A. XVII 329. XVIII 6. 59. 70. 236. 333. XIX 127. 185.

2) Internat. Monatschrift VII (1913) 1049.

3) Sic etiam reddenda est vox ἀληθείας B. I 544.

4) Revue des Etudes juives XXXV (1897) 11 sq.: Tels qu'ils sont, ces mots ne peuvent être maintenus, puisqu'ils impliqueraient l'adhésion de Josèphe à la vérité de l'enseignement de Jésus.

5) Vide v. g. B. I 246. 322. 383. II 49. 177. 341. IV 643. V 562. VI 257. 365. VII 193.
A. VII 194. XX 98. c. Ap. I 51. 278.

6) B. I 172. III 454. IV 131. 263. 311. 326. A. I 126. 165. 207. 208.

Digitized by Google

Sed in litteris Christianis antiquissimis non reperitur. [1])

ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν Linck asserit Iosephum assidue alteram sententiam alteri annectere voce δέ vel γάρ similive modo. Sed nonnulla exempla afferre possum ubi coniunctio nulla additur.

B. V 137: πατὴρ Σολομῶνος ἦν οὗτος
B. V 147: Ἀδιαβήνη βασιλὶς ἦν αὕτη
B. V 527: Σίμων... Βοηθοῦ παῖς ἦν οὗτος
A. VIII 200: παῖς οὗτος ἦν Ἰδουμαῖος γένος
A. IX 141: ἦν... Ωσαβέθη· ταύτῃ συνῆν ὁ... Ἰώδας
A. XIV 490: οἶκος λαμπρὸς οὗτος ἦν
A. XX 180: Φαβεῖ παῖς οὗτος ἦν

vide praeterea [2]) A. I 206: Συρίας... VIII 186: εἰς τοῦτο....
262: ἐχθράν... IX 138: οὗτος ὁ Βαάλ....
308: προσθήκην....

ἐνδείξει

Non solum verbum ἐνδείκνυναι saepius apud Iosephum reperitur [3]), sed etiam ipsa vox ἐνδείξεως recurrit A. XIII 306; quod fugit Linckium aliosque

τῶν πρώτων ἀνδρῶν Plane est Flavianae elocutionis. Vide Linckium p. 26 et n. 2 (Locis illic laudatis adde: A. XVII 7. XVIII 121. Vita 56. 169. 266).

παρ' ἡμῖν In his verbis mire erravit Niese [4]) et cum eo Linck. Spreta refutatione Niesii per Knellerum [5]) Linck asserit auctorem Antiquitatum hoc pronomen ubique ita exhibere ut semet ipsum quoque sub eo intellegat. Ita A. XVIII 11 scripsisse: Ἰουδαίοις φιλοσοφίαι τρεῖς ἦσαν ib. 25: καὶ φιλοσοφεῖται μὲν Ἰουδαίοις τοσάδε, nimirum cum ipse non esset omnium trium philosophorum scholarum. [6])

II 173. III 100. IV 273. V 96. 210. 217. 318. VI 196. 232. 311. VII 7. 263. VIII 167. 254. 380. X 105. XI 122. 199. 339. XII 334. XIII 101. XIV 354. 361. XVII 219. 327. Vita 112. 115. 118. 119. 153. 201. 220. c. Ap. I 271.

1) Deest apud Preusschen-Bauer, Griech.-Deutsch. Wörterb. d. N. T.

2) Contra additur particula δέ B. I 248. A. XVII 16. XX 12. 132. 183. 208.

3) B. IV 346. VI 417. A. VI 122. VII 212. VIII 300. XVI 240. XIX 33. Vita 332.

4) Progr. Marb. 1893 p. V.

5) Stimmen aus Maria-Laach. 53 (1897) 1—19, 161—174.

6) Cf. Vita 10: ἐβουλήθην τῶν παρ' ἡμῖν αἱρέσεων ἐμπειρίαν λαβεῖν.

Digitized by Google

Dicendum est autem Iosephum Ἰουδαῖοι et ἡμεῖς promiscue usurpasse. Certo enim non semetipsum sub ἡμεῖς intellegit hisce locis:

A. III 248: τὴν θυσίαν, ἣν τότ' ἐξιόντας ἀπ' Αἰγύπτου θῦσαι πρεῖπον ἡμᾶς....

A. XIV 78: πλείω ἢ μύρια τάλαντα Ῥωμαῖοι.... παρ' ἡμῶν εἰσεπράξαντο (temporibus Hyrcani et Aristobuli).

A. XX 198: ὅπερ οὐδενὶ συνέβη τῶν παρ' ἡμῖν ἀρχιερέων [1]).

ἐπιτετιμηκότος Linck affirmat (p. 27) hoc verbum nusquam Iosephi librorum quantum videat inveniri. At reperitur proxime a loco de quo agitur A. XVIII 68: θάνατον ἐπιτιμᾶν αὐτῷ καλῶς ἔχειν ἐνόμισεν.

Praeterea B. II 183: ἐπιτιμᾶται Φυγῇ. Notatu dignum verbum hic etiam *cum dativo* constructum esse, cuius exemplum apud alium auctorem extare non videtur. [2])

B. II 264: θάνατον... ἐπιτιμῶντες

A. V 105: λόγοις ἐπιτιμηθέντας

A. XVIII 107: τιμωρίας... ἐπετίμα

c. Ap. II 239 (sensu increpandi).

Etiam usus *perfecti* temporis, sicut multis scriptoribus huius aetatis, Iosepho sollemne est. [3]) cf. Infra εἰρηκότων.

ἀγαπήσαντες.

Reinach vocem Christianam esse dixit [4]), cui assentiri videtur Linck (p. 27 sq.). Norden asserit ἀγαπᾶν nusquam sensum indui „amandi" [5]). Mirum tanti viri iudicium, cum eodem sensu quo hic legitur pluries reperiatur v. g.:

A. I 75: ὁ δὲ θεὸς τοῦτον μὲν τῆς δικαιοσύνης ἠγάπησε

---

1) Vide etiam A. I 9. 11. III 320. VIII 46. X 35. 267. XII 275. 277. 325. XIII 252. XIV 63. 64. 110. XV 50. 259. 371. Vita 7. c. Ap. I 1, 36. 48 passim.

In B huius rei exemplum extare non videtur.

2) Cf. B. V 530 κατακρίνειν θανάτῳ.

3) Cf. Rademacher, Neutest. Gramm. p. 122.

4) l.l. p. 12: „ἀγαπᾶν est spécifiquement chrétien".

5) Neue Jahrb. XXXI (1913) 645 n. 1: ἀγαπᾶν heisst bei J. nie „lieben", sondern nur „mit etwas Zufrieden sein".

cf. Gutschmid, Opusc. IV 353: „ἀγαπήσαντες ist so ganz specifisch und technisch Christlich, dass es Josephos unmöglich gebrauchen könnte".

Digitized by Google

I 99. 258. 323. II 10. IV 249. V 342. 350. VI 206. 317. VII 254. 269. 332. VIII 173. 198 (*τὸν θεόν*). 201. XII 166. 173. XIII 289. XIV 170. XIV 299. Vita 198. B. I 30. 71. 72. 171. 211. 544. 581. II 141. 359. VII 10. c. Ap. II 296. cf. *ὑπεραγαπᾶν* A. II 224 alibi. [1])

ἐφάνη cf. A VI 332. VII 147. VIII 22. 196. IX 20. X 177.

τρίτην ἔχων ἡμέραν Inter innumeras locutiones ad tempus significandum satis rara ut videtur. Sed ipse Iosephus eandem similemve saepius exhibet:

A. X 1: *τέταρτον.... ἔτος ἔχων*

XV 89: *πεντεκαιδέκατον ἔτος.... ἔχοντα*

cf. A. VIII 264. IX 177. 216. 278. X 36. 57. 84. XIII 394.

Errat igitur Norden dicendo (p. 646 n.): Die Phrase *τρίτην ἔχων ἡμέραν* ist bei J. völlig singulär".

Secundum Linckium asyndetum participiorum *ἐχων... ζῶν* prorsus abhorret a Iosephi genere loquendi. Immo, omnino consentaneum est. [2]) Vide e. g.

B. VII 450 *ζῶν γὰρ κατεκαύθη πρότερον αἰκισθείς*

A. VI 165. VII 100. 278. XII 256: *μαστιγούμενοι καὶ λυμαινόμενοι ζῶντες ἔτι ἀνεσταυροῦντο.* XIII 186. 193. 196. 371. 391. XIV 86. 488. XVI 156. 198. 283.

Vita 412: *ζῶν ληφθεὶς ἐδέθην*

τῶν θείων προφητῶν. Voce *θεῖος* utitur Iosephus de prophetis A. VIII 243 cf. 234 X 35. [3])

μύριος sensu non stricto utitur e. g. B. V 379: *μυρίᾳ χειρί. θαυμάσιος* Recurrit e. g. A. X 35. B. IV 478. V 174.

Rarissimum est in litteris christianis antiquis.

εἰρηκότων

Phrasi simili utitur Iosephus A. XVIII 259: *πολλὰ δὲ καὶ χαλεπὰ Ἀπίωνος εἰρηκότος*

Conferre licet etiam A. VIII 302: *προειρηκότος αὐτῷ τοῦ προφήτου*

---

1) Cum significatione simili aliave recurrit: A. I 8. 64. II 23. VII 43. VIII 213. 215. XI 339. XIII 407. XIV 160. 186. XV 375. XVIII 60. 245. Vita 24. B. I 85. 198 (*δέον ἀγαπᾶν ὅτι ζῇ*) 521. 579. II 422. 650. IV 85. 98. 319. VII 350.

2) Utuntur eo plurimi auctores cf. Kühner-Gerth II 103 sqq.

3) Errat igitur Gutschmid, Opusc. IV 353: „*θεῖοι προφῆται* klingt ganz Christlich".

Digitized by Google

cf. etiam A. VIII 244. 404.

εἰς ἔτι τε νῦν. Recte Norden (ll. p. 645. n. 1) animadvertit hanc formulam nusquam alibi apud Iosephum occurrere. Semper enim utitur formula *ἔτι καὶ νῦν* [1]) aut *ἐτι νῦν* [2]) non addito *εἰς*. Notandum autem formula *ἔτι καὶ νῦν* semper cum praesenti tempore poni, cum hoc loco aoristus adhibeatur quocum melius quadrare videtur *εἰς ἔτι τε νῦν*.

Ceterum et alias formulas semel tantum adhibuit (A. III 322 *μέχρι τοῦ νῦν* XII 277 *ἄχρι δεῦρο* XII 325 *μέχρι τοῦ δεῦρο*) quas quidem nemo Iosepho abiudicabit.

ἐπέλιπε. Iosepho sollemne est [3]), cum apud scriptores Christianos vetustissimos semel (Ep. ad Hebr. XI 32) reperiatur.

τὸ Φῦλον a Iosepho haec vox saepius adhibetur, praesertim ad suam gentem significandam.

B. VII 327: *τὸ πάλαι Φιλούμενον (τῷ θεῷ) Φῦλον Ἰουδαίων*.

B. II 381. 397. III 354 c. Ap. II 127. cf. Strabo ap. Iosephum A. XIV 115.

Iniuria igitur Reinach [4]) affirmat hoc vocabulo contemptum exprimi. Patet cum ex locis laudatis tum ex compositis *ἀλλόφυλος*, *ἐμόφυλος* cett.

Harnack (ll. 1048 sq.) verum vidisse videtur, cum annotat hoc vocabulum („Sippe", „natio") a Christiano vix usurpatum esse posse. Nunquam enim Christiani se ipsi „nationem esse" dixerunt. [5])

Norden (ll. p. 645) magnum momentum tribuit tribus *hiatibus* qui hoc loco reperiuntur. Sed in his evitandis Iosephus multo minus diligentem se praebuit quam viro docto videtur. Exempla enim abundant, e. g.:

---

1) A. I 160 (ex Nicolao). 203. 212. III 31. IX 290. X 267. XII 119. XIV 188.

2) A. VIII 154. 174.

3) B. III 276. IV 50. 232. 463. 652. V 410. 562. VI 157. 207. VII 1. 28. 98. A. I 218. II 114. 189. III 3. 29. 296. IV 21. V 67. VIII 323. IX 62. XII 294. 378. 380. XIV 408. XV 2. XVII 129. XVIII 292.

4) ll. p. 13: le mot *φῦλον*..... a presque toujours en prose un sens péjoratif. Etiam J. Smit (De Katholiek) 147 [1915 I] 324 perperam vertit „convicium" (scheldnaam).

5) Vox adhibetur ab Eusebio, sed in translatione edicti Traiani: (H. E. III 33, 2 sq.): *τὸ χριστιανῶν φῦλον μὴ ἐκζητεῖσθαι*.

Digitized by Google

A. XVI 337 *αὐτοῦ ὅ* 371 *ἀσεβῆ εἶναι* 375 *υἱοῦ αὐτῷ.*

Ex his quae attuli constare mihi videtur aut Iosephi Antiquitates interpolatorem sagacissimum, supra quam mihi credibile est, nactas esse aut locum genuinum esse. Restat ut refutentur argumenta externa quae authentiam impugnare *videntur* locumque illum recte interpretemur.

Digitized by Google

DE DUOBUS LOCIS TACITEIS (HIST. V, C. 3 ET 15).

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

De malis, quibus Iudaei novas quaerentes sedes conflictati sunt, et alia narrantur et haec:

> nihil aeque quam inopia aquae fatigabat, iamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit. secutus Moyses coniectura herbidi soli largas aquarum venas aperit.

Hic locus, ut Hartman in *Analectis Taciteis* (Lugd. Bat. 1905) p. 242 iure observavit, hactenus in densis latuit tenebris. Animalia ista e pastu venire dicuntur; si *herbis* pasta ea Moyses conicit, ut herbidum illud solum inveniat *unde* veniant ei est quaerendum, non *quo* abeant. Quid ergo *sequi* ea attinet? Praeterea non *herbam* Iudaei quaerunt sed aquam. Ita fere Hartman narrationem perplexam recte significavit, sed minus bene hac deinde ratione nodum solvere voluit: verba *coniectura herbidi soli*, quae Tacito invito in textum irrepsisse contendit, in marginem releganda esse proclamat, quibus verbis deletis statim omnia aperta fieri neque ullam restare molestiam asseverat: asini illi *pasti* erant, ait; hoc perspicuum erat ex ipso habitu incessuque; utrum herba an carduis foliisque nihil referebat; dummodo pastos eos esse constaret, sitientibus aquae inveniendae viam monstrabant. Satis erat eos sequi, nam nunc locum eos petere, ubi fons esset fluviusque, res ipsa clamabat.

At fugit Hartmanum, Moysen non aquam invenisse, sed aquarum venas aperuisse, asinos ei non viam monstrasse ad ipsam aquam, sed ad locum ubi aquam sub solo latere suspi-

Digitized by Google

cari posset. Quae de causa verba *coniectura herbidi soli*, quae delenda ei videbantur, minime sollicitanda esse persuasum mihi habeo, nempe significant, ut interpretes fere explicant: *ex herbido solo scaturiginem coniectans.*

Hic igitur rerum cursus fuit: Moyses gregem asinorum agrestium videt in rupem nemore opacam concedentem; sequitur eos atque ex herbido solo, quo perrexerunt, aquarum scaturiginem latere suspicatur, neque spes eum fefellit, nam largas aquarum venas ibi mox aperit.

Haec omnia bene procedere vides, sed in loco interpretando verba *e pastu* a me praetermissa esse te non fugit. Quid autem de eis cogitandum sit si rogas, haec habeo quae respondeam.

Quo consilio animalia concesserunt in rupem nemore opacam, cuius herbidum erat solum? Nimirum ut eis herbis vescerentur, non ut potarent, quandoquidem aqua videri poterat nulla: subter terram adhuc latebat. Cum igitur ad pabula sumenda procederent in rupem nemore opacam et herbido solo obductam, non *e pastu*, verum *pastum* eo tendebant neque aliter Tacitum scripsisse aio; hoc supino reposito omnia recte procedere videbis:

> grex asinorum agrestium pastum in rupem nemore opacam concessit: secutus Moyses coniectura herbidi soli largas aquarum venas aperit.

Manifesta est corruptelae origo. Librarius scilicet in exemplo suo *pastu* se legere credidit, quoniam lineola supra litteram *u* aut evanuerat aut ab eo non observabatur; ablativum igitur esse ratus praepositionem supplevit.

C. 15. Romani Batavique loco vadorum pleno confligunt. Quod genus pugnae ibi sit exortum et quam adversum Romanis facile est conicere. Locum dabo qualis ab editoribus quod sciam omnibus nunc recensetur:

> neque ut in pedestri acie comminus certabatur, sed tamquam navali pugna vagi inter undas aut, si quid stabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, vulnerati cum integris, periti nandi cum ignaris in mutuam perniciem implicabantur.

At sciat lector, Medicei scripturam non *comminus* esse, sed

Digitized by Google

comminus minus, Jac. Gronovium inde coniecisse *comminus eminus*.

Rursus Hartman primus absurditatem huius relationis significavit. Quis negabit, ibi quam maxime *comminus* certatum esse, ubi homines implicabantur inter se?

Idem vero lectione tradita atque adeo vulgata iure optimo damnata hanc emendationem minime probabilem proposuit:

> neque ut [in] pedestri acie [comminus minus] certabatur *neque* tamquam navali pugna: vagi inter undas aut si quid stabile occurrebat, totis illic *viribus* nitentes e. q. s.

Ne istam lectionem veram esse credamus non modo palaeographia vetat sed etiam sana ratio. Affirmat quidem, sciolum aliquem ad *pedestri acie* annotasse: *comminus* — ad *navali pugna* adscripsisse: *eminus*, quod deinde e duabus annotationibus natum est *comminus minus* in textum aberravisse. At quis sciolus ignorabat, Romanos in navalibus proeliis ferreas manus in hostium naves inicere solitos esse ut quam primum *comminus* pugnarent? Accedit quod causam nullam attulit neque facile, credo, afferre potuit, cur *sed tamquam* in *neque tamquam* abiisse sibi videretur.

Heraeus locum frustra interpretari studuit: „*comminus certabatur* d. i. eine *μάχη σταδιά*; ihr entgegengesetzt ist *vagi* 'unstät umhertreibend'," nam *comminus* et *vagi* non inter se opposita sunt neque est *comminus* idem quod *μάχη σταδιά*. Praeterea in Med. non est *comminus*, sed *comminus minus*, neque locus, quem tamquam similem conferri iubet e II 35: *nec perinde nutantes e navibus quam stabili gradu e ripa vulnera derigebant*, ad locum nostrum quicquam attinet.

Iam meam quoque sententiam in medium proferre liceat.

Viri docti scripturam Medicei codicis non debita animi attentione dignati esse mihi videntur. Similitudo, quae est inter *minus* et partem alteram vocabuli praecedentis *comminus*, eos induxit ut dittographiam adesse propere ac temere pro certo haberent, qua sublata incongruitatem, quam loco inesse Hartman indicavit, aut non senserunt aut obumbrare sunt conati.

Quoniam tamen neque in pedestribus proeliis semper *comminus* certatur neque semper *eminus* in pugnis navalibus, illud vocabulum absurde positum est atque in Medicei lectione

Digitized by Google

comminus minus aliquid latere necesse est, cuius notio significationi vocabuli *vagi* i. e. *dispersi inter undas* apte opponatur. Nonne scriptura *comminus minus* orta esse potest e *communi nisu*? Id si revocaveris, èt traditae scripturae habueris rationem èt id obtinebis quod iustam oppositionem efficiat: in pedestri acie c o m m u n i n i s u certatur, in pugna vero navali v a g i i n t e r u n d a s proeliantur.

Dubitari posse confiteor num hac emendatione Taciti manum restituerim: de lectionis *comminus* absurditate nulla iam potest esse dubitatio.

Ad Dracontium.

In Praefatione, quam Dracontius Romulcis suis praemisit, Felicianum magistrum suum versibus trochaicis XXI compellat, in quibus hi sunt

12 sancte pater, o magister, taliter canendus es,
qui fugatas Africanae reddis urbi litteras.

Monstrum illud trochaicum, quod scribae oscitanti nimirum debetur, Vollmerus (PLM v p. 108) Dracontio imputare non veritus est: iussit eum fides Neapolitani codicis ab omni errore scilicet immunis!

Baehrens (PLM v p. 128) scripserat: sancte *tu* pater, o magister; Buecheler: sancte *patriae* magister.

Emendandum est:

sancte p a s t o r, o magister, taliter canendus es.

17 nostra vota te precamur ut secundes, optume,
ante cuncta non recusans illud i p s e pendere,
non tuas qui rite laudes, mente sed qua concinam.

Baehrens vs. 18 vitiose exaratum esse sensit et in app. crit. num pro *ipse* reponendum sit *ipsum* rogavit.

Corrigas quaeso:

ante cuncta non recusans illud u s q u e pendere.

P. H. D.

Digitized by Google

COMMODIANEA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Observationes criticae.

Qui hodie Commodiani carmina legere vult, satis habere non potest textum a Dombartio constitutum (C S E L XV) pervolutare, sed eum oportet etiam librum illum, qui inscribitur: Commodianea Textkritische Beiträge zur Überlieferung, Verstechnik und Sprache der Gedichte Commodians von Dr. Josef Martin [1]), diligenter cognoscere. Haec disputatio non solum legentes genus dicendi illius poetae Christiani accuratissime docet, verum etiam ducentas fere emendationes praebet, ita ut Commodianus alter et quidem verus videatur renasci. Fieri potest ut et lector ipse Martino duce hic illic putet se lectionem traditam corrigere aut lacunam supplere posse: grato tum certe animo sua inventa prudentissimo illi et peritissimo iudici mittet. Quod ego quidem statui facere, si forte Commodiani futuro editori usui esse possint.

In acrosticho, c. t. Apollo sortilegus falsus, poeta huic deo obtrectat narrans, quemadmodum primum Cassandram, deinde „Dafinem" amaverit; tum gentiles sic alloquitur:

I 11, 17 fallit vos *genus* hominum, nam *birotusti* fuerunt.

Genus e codicibus Martin restituit, at Dombart recepit *gens*. Huius editio pro monstro *birotusti* exhibet *vi robusti* (sc. Gigantes), verum ille haec exposuit (l.l. 33):

Nach dem ganzen Zusammenhang kann die mit *nam* ein-

1) Kais. Akad. d. Wissensch. in Wien, Sitzungsber. 181. Band, 6. Abhandlung. Wien 1917, A. Holder.

Digitized by Google

geleitete Begründung nur auf das *genus hominum* gehen, das diese Fabeln über die Götter und ihren Kult uberhaupt aufbrachte. Davon heiszt es auch I 12, 16 f. *vino permutati.... honorem illi dedere* und I 18, 16 *monstra deo ista fincta sunt per vinivoraces.* Demgemäsz glaube ich auch an unserer Stelle: *vino tosti* schreiben zu dürfen, wie in der gleichen Instruktion V. 10 *torruit hunc virgo specie* von der Liebe (ähnlich Ovid. Met. 12, 2, 20 *vino ardet pectus*; Liv. I 57 *incalescere vino.*

Itaque hic interpres sententiam quidem loci optime perspexit, sed parum probabilis eius coniectura videtur, equidem auctori credo reddendum esse *elleborosi*, cuius trium saltem posteriorum syllabarum litterae traditae servant vestigia.

Acrostichis sexta decima prioris libri agit de dis deabusque. Inde a versu undecimo legimus:

I 16, 11 sunt alia praeterea daemonia..... fanis,
quae nec numerantur adhuc et in collo feruntur,
ut nec ipsi sibi possint rationem reddere pestis.

Versus tertius decimus a Martino persanatus est, at Dombart explevit versum undecimum scribendo ⟨*procul a*⟩ *fanis*, verum non explicavit, quomodo haec verba inserta praetermitti possent. Restituamus igitur:

sunt alia praeterea daemonia ⟨*vana profanis*⟩.

Profanus idem est atque *paganus*, cf.

I 23, 13 tu modo *profanus*, modo sanctus esse videris.

Vanus autem etiam atque etiam usurpatur de falsis dis rebusque omnibus, quae ad eorum cultum pertinent e. g.

I 2, 7 ad quorum effigies faciebant idola *vana.*

C. A. 819 ..... idola vana colentes.

Proxima acrostichis est de simulacris eorum (sc. deorum), incipit autem sic:

I 17, 1 deludunt vos pauci scelerati vates inanes,
extricare suam dum quaerunt ⟨*impii*⟩ vitam.

Quod supplevi, scriptum fortasse *īpii*, facillime intercidere potuit litterarum similitudine vicinarum.

In Instructione vicesima quarta Commodianus vituperat eos,

Digitized by Google

qui simul Christiani et pagani esse volunt. Terminatur autem illud acrostichon versibus hisce

I 24, 22 vos autem, dubii, vivos sine corpore poena
suscitat in faciem tortoris.... clamare.

Martin l.l. 34 priorem versum in integrum restituit simul docens a *suscitat* pendere infinitivum finalem *clamare*. Minus placet, quod idem *sero* addidit, equidem malim:

suscitat in faciem tortoris ⟨*surdi*⟩ clamare.

De divitibus superbis et pauperes despicientibus cum alia tum haec canit poeta:

I 30, 10 mox furiis ageris, cum pereas ipse, Carybdis. [1])
indisciplinati sicut.... divites estis: [2])
legem datis istis, nam vobis parcitis ipsis.

Verisimile est post sicut vocem equi (vel *ecui*) haplographia omissam esse. Haud iniuria profecto homines divitiis fretos comparaveris cum equis indomitis.

Catechumenos magister ille docet haec:

II 5, 5 cumque Deum nosti, esto bonus tiro, probatus,
virgineusque pudor tecum versetur in agno.
mens bonis invigilet: cave ut non delinquas in ante
in baptismo tibi *genitali sola* donantur.

Genitali (lebenspendend) tuentur Brewer [3]) et Martin l.l. 40 sq. Pro *sola* ille requirit *simul*, hic *singula* (per syncopam *singla*) recte utique vertens: *alle* früheren Verfehlungen werden dir vergeben. Quocirca puto ipsius poetae manum scribendo *solda* (= *solida* [4])) restitui posse: nimirum e versu praecedenti subaudias *delicta priora*.

Identidem Commodianus confitetur se quoque gentilium deos coluisse et nunc se eius rei paenitere e. g.

1) *Carybdis* edatur cum Martino et codicibus.

2) Saepissime Commodianus singularem et pluralem inter se permutat: vide Dombartii Indicem i. v. *numerorum inconstantia* (p. 228) et Martinum l.l. 13, 19, 75 sq.

3) Kommodian von Gaza (Paderborn 1906) p. 119, 1.

4) Et Horatius formam *soldum* agnoscit, quamquam alio sensu posuit Sat. II 5, 65 reddere *soldum*. Apud Varronem legimus; R. R. I 48, 1 granum dictum quod est intimum *soldum* cet.

Digitized by Google

II 8, 8 namque fatebor enim unum me ex vobis adesse
terroremque *linquendam* sensisse ruinae.

Dombart pro *linquendam* substituit *item quondam*, quarum vocum altera modo recte se habet. Dubitari vix potest, quin vera lectio sit:

terroremque *diu quondam* sensisse ruinae.

Non minus leni medicina videtur sanari posse hic locus:

II 13, 6 vult vagus errare sine disciplina profanus,
grassari per fauces viarum lege solutus.
isti ergo tales, quos nulla poena coegit
si *dere* volunt ab idolis, respui debeut.

Dombart edidit: si ⟨ce⟩dere ⟨n⟩olunt ab idolis, at Martin iam multo melius: si *hærere* volunt ab idolis. Equidem quam proxime sequens lectionem traditam:

si *cluere* [1]) volunt ab idolis e. q. s.

i. e. si quis ob idololatriam idololatres vocari cupit, cf. Tertull. de idol. 1 (C S E L XX p. 30) *idololatres* idem homicida est; ibid. 14 (p. 46) proinde cum dicit, omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifaciam [2]): numquid *idololatris idololatres*? numquid ethnicis ethnicus? numquid saecularibus saecularis? — Adhibet noster et alias voces priscas velut *duellum*, *fruniscor*, *cuias* cet.

Multi scriptores Christiani Romanorum spectacula condemnaverunt, velut Tertullianus, Arnobius, Salvianus. Iis adiungendus est Commodianus, ut elucet ex hisce versibus:

II 16, 4 Cum caterva Mali pergis ad *exspectacula* [3]) vana,
ubi Satanas fragoribus *conparatus*.
licere persuadis [4]) tibi, quocumque placebit.

Textum dedi secundum Martinum l.l. 51 sq., cum Dombart in tribus versibus sexies verba tradita mutaverit. Pro corrupto vocabulo *conparatus* Martin requisivit *comit paratus* (= appa-

1) Saepe *d* et *cl* inter se confunduntur, e. g. Stat. Silv. IV 3, 59 codices exhibent *deviae* pro *cliviae*. 2) I Cor. 9, 22.

3) Unicus codex, qui Arnobii libros continet, exhibet IV 9 (Reiff. 148, 19): *exspectaculis*.

4) Cf. respondis II 35, 16; subridis II 35, 19; sorbitis II 29, 9 cet.

Digitized by Google

natus), at ego restituerim *conparat astus*, cf. C. A. 152 inventiones diabuli.

Instructio duodevicesima alterius libri destinata matronis ecclesiae dei vivi ab hoc versu incipit:

II 18, 1 matrona vis esse Christiana ut saeculi *dsces*.

Ex quinque illis ultimis litteris Dombart eruit verbum *discens* (= discipula), quod minus huc quadrat. Ego revocandum censeo *adsis*, Bataveque verto: gij wilt slechts in zooverre een Christelijke matrone zijn, dat gij tot de wereld blijft behooren.

Adesse frequenter a Commodiano adhibetur pro *esse*; huius usus Dombart in Indice (p. 196) permulta exempla affert, laudo tantum:

I 29, 12 disce Deum, stulte, qui vult te immortalem *adesse*. [1])

Instructionem, quae inscribitur *qui de malo donant*, claudunt hi duo versus:

II 24, 14 nec non et de lucro mercis *suis* te piare;
te ipsum inlidis, non alium, ⟨*inquam*⟩ inique.

Pro *suis* Dombart edidit *sumis*, quod ego Commodianum scripsisse non credo, multo praestare videtur restituere: *studis te piare*. Cum forma *studis* confer *subridis* (II 35, 9), *respondis* (II 35, 16), cet.

Versum 15. sanavi supplendo *inquam*. Verba *non alium* idem valent atque *te ipsum*; in talibus repetitionibus *inquam* usurpari solet. Hic certe de verisimilitudine palaeographica nihil addendum erit.

Quemadmodum morbo laborantes oporteat visitari, poeta docet sic:

II 30, 1 infirmus si fuerit frater — de paupere dico —
nolite vacui talem visitare iacentem.
fac sub Deo bonum, obsequium *redde* primum,
inde si valescit, vel si considerat ille.

1) Ovidius iam praeiit cf. Fast. II 230
quidve, quod in misero tempore restet, *adest*?
et Trist. IV 10, 42
quotque *aderant* vates, rebar *adesse* deos.

Digitized by Google

Versus tertius ne a Scheiflero [1]) quidem habetur in spondiacis; ut iustum pedem quintum nanciscar, repono:

fac sub Deo bonum, obsequium *reddite* primum.

Quod *reddite* pluralis est post singularem *fac*, observandum est iam pluralem *nolite* (vs. 2) antecedere. Ceterum de inconstantia numerorum iam supra egi (ad I 30, 11).

Eadem Instructio sic finitur:

II 30, 16 transigere sese qui non possunt, date subinde!
a Domino vobis spondeo *dari* quadruplum.

Ultimus quoque versus claudicare videtur, quare scribo;

a Domino vobis spondeo *donari* quadruplum,

at Dombart edere maluit:

a Domino vobis spondeo ⟨*ego*⟩ dari quadruplum.

Narrata Christi morte et solis defectione in Carmine Apologetico poeta pergit sic:

423 praedictum hoc fuerat fieri per prophetam Amos,
ut tegeret subito sese per sollemnia sancta.
o mala progenies, ⟨*o proles*⟩ subdola fronte!
generavi suboles, dixit Deus, qui me negarent.

Quae inserui per haplographiam videntur omissa.

Variae observationes.

De genetivo inhaerentiae.

His coniecturis liceat subiungere aliquot observationes varii generis.

Semel Commodianus utitur genetivo, qui dicitur, inhaerentiae nempe C. A. 238

qui magis invidia ducti sunt in *zelo livoris*,

quocum genetivo conferendus est similis adhibitus a Salviano (ad Eccl. I 1) inter ceteros..... pestilentiae morbos, quos tibi antiquissimus ille ac foetidissimus serpens gravissima letiferae *aemulationis invidia*..... inalat e. q. s.

Prudentius quoque haud raro vocem Graecam et Latinam synonymam coniungit, ut genetivus inhaerentiae oriatur e. g.

1) Quaestiones Commodianeae (Diss. Vratislaviae 1908) p. 6—8.

Digitized by Google

Cath. V 156 chrismatis unguine; Perist. X 838 hymnum.... carminis Davidici; Contra Symm. I 136 in littoris acta [1]) cet.

Ceterum de *zelo* Commodianus et Salvianus non multo diversa exponunt, nam conferri possunt:

II 23, 1 dum cupis, inde peris, dum *ardes proximi zelo*,
extinguis te ipsum, quando te incendis abactus.
zelaris alium, invide, de malo lucrantem

et Salvian. de gub. V 16 quis tam *propinquus* corde quam sanguine, in quo non luridus malivolentiae *zelus ardet*, cuius non sensum livor invasit, cui non prosperitas aliena supplicium est? [2])

De participio.

Participium praesens cum verbo substantivo coniunctum positum est pro perfecto:

I 33, 2 et ego, qui moneo, idem *fui* nescius *errans*.

Eiusmodi exempla inveniuntur multa apud Salvianum. [3])

Valde notabile est exemplum nominativi, qui dicitur, absoluti [4]):

I 27, 15 rector eras carnis, non te certe caro regebat;
exemptus ab illa, reconditur illa tuorum.

De verbis *incipere* et *coepisse*.

Incipiendi verbum in posteriore latinitate circumlocutioni saepe inservit: e Commodiano afferri potest hic locus:

II 30, 9 similiterque soror si paupera lecto decumbet,
incipiant vestrae matronae victualia *ferre*.

Incipiant ferre nimirum idem significat atque *ferant*. [5])

---

1) Cf. Mnemos. 49 (1921) p. 106 sq.

2) Et alia similia inveniuntur apud illos scriptores, confer C. A. 922 vix tamen advenit illi *retributio digna*
cum Salvian. de gub. VI 90 ut probaremus omnia quae pertulimus... nos... *digissima retributione* tolerasse.

Post adverbium interrogativum *utique* suam vim amisit, ut apparet ex C. A. 738 *qui* poterant *utique* participes esse bonorum
et Salvian. ad Eccl. II 22 *cur utique* nisi, ut ipse dixit, quia praeterit figura huius mundi?

3) Mnemos. 52 (1924) p. 141 sq.

4) Cf. Schmalz p. 391 Adnot. 3; Löfstedt Peregr. Aeth. p. 158.

5) Löfstedt l.l. 210 laudat Nepotian. (14, 17 Kempf) ait sumptu minore marmore *incipere* deis simulacra fieri.

Digitized by Google

Verum praeterea *incipere* nonnumquam respondet τῷ μέλλειν [1]) e. g.

I 34, 18 aurea post fata veniet tibi saecla, si credis,
rursus ut *incipias* immortale vivere semper.

Alterum exemplum legitur:

II, 1, 47 ventum est ad finem: quod tollantur scandala mundo,
incipiet Dominus iudicium dare per ignem.

Manifesto *incipiet dare* dictum est pro *dabit*.

Coepisse interdum vicem obit aoristi ingressivi [2]) e. g.

C. A. 555 inter quos discipulos non adfuit unus orantes,
cui cum referrent, discredere *coepit* et addit:
si prius non digitum misero, ubi clavi fuerunt,
aut ubi percussus de lancea, non ego credo.

De verbo *vadere*.

Sedulo Commodianus vitat formas monosyllabas verbi, quod est *ire*: pro illis sicut alii scriptores [3]) substituit verbum *vadendi*, e. g.

I 37, 5 ***vadis*** ubi nescis (= I 30, 3).

I 37, 8 *exis* pro foribus, inde et ad idola ***vadis***.

Nihilominus metro coactus ab imperativo *i* non abstinuit:

II 17, 19 si refrigerare cupis animam, ad martyres *i*!

De repetitionibus. [4])

Commodianus aliquotiens versus vel totos vel ex parte repetit, voluit nimirum pectora legentium illis praesertim praeceptis imbuere [5]) e. g.

I 30, 3 vadis ubi nescis, et inscius inde recedis,

qui hexameter redit I 37, 5.

1) Schmalz p. 463.

2) Cf. H. B. Vroom, De Commodiani metro et syntaxi annotationes p. 62, qui praeterea affert C. A. 187 *coeperunt* unum Deum nosse; ibid. 565 tangere *coepit*.

3) Cf. Peregr. Aether. 24, 7; Löfstedt p. 287 sq.

4) Alias iterationes tractat Brewer l.l. 68 sq.

5) Salvianus quoque suas ipse cogitationes repetit e. g. de gub. IV 91 et 92; VII 26 et 29 cet.

Locis similibus a Martino allatis p. 119 sq. — nam eae quoque repetitiones sunt — addo Verg. Aen. VI 625 sq. non... omnes scelerum comprendere formas... possim (cf. Commod. Instr. II 39. 25 omnia non possum conprehendere...).

Digitized by Google

Legimus II 18, 4 *de zabuli pompa*, quae verba iterantur fere II 19, 16.

Interdum unus versus respicit ad duos: nonne

II 22, 11 in tuis divitiis communem te redde pusillis

in mentem revocat:

I 30, 15 estote communes minimis, dum tempus habetis;
sicut ulmus amat vitem, sic ipsi pusillos?

Manifesto hic unus hexameter:

C. A. 778 stultos infatuant scelere commisso cruenti
conflatus est partim ex

C. A. 527 infatuant stultos maius evanescere dictis
partim ex

C. A. 737 ipsi sibi reputent; scelere commisso cruenti
qui poterant utique participes esse bonorum?

Exigua denique variatio est inter

II 21, 15 tu ergo qui quaeris martyrium tollere verbo

et II 22, 17 martyrium quaeris otiosus tollere Christo.

De oxymoro.

Figuram quam dicunt oxymoron Commodianus et Salvianus in deliciis habent. Apud illum reperimus e. g.

I 7, 18 lex sine lege, fuga vestra, quod vult esse valebit;

I 33, 9 uno crede Deo, ubi mortuus vivere possis;

C. A. 313 sic Dei lex clamat: fieret cum humilis Altus;

C. A. 670 Ut socius Dei sit homo post funera vivens, cet.

Nonnulla exempla e Salviano desumpta attuli Mnemos. 52 (1924) p. 159 sq., quamobrem hic tantum commemoro de gub. VI 87 quo magis hi, de quibus loquimur, accusandi sunt, quia sani insaniebant et IV 75 audita religiosissimi sceleris ratione discessi.

De arte Commodiani.

Confitendum est hunc poetam quamvis mediocri ingenio a Musis praeditum hic illic imprimis autem in extrema parte Carminis Apologetici versus panxisse magno vate dignos. Praedicandus est locus agens de resurrectione et victoria Christi (309—322); venusta est narratio de incredulitate Tho-

Digitized by Google

mae a Domino ipso ad fidem revocati (549—570); semper descriptio agminis tribuum ex Oriente a Deo in sanctam urbem ductarum summis solet laudibus extolli (959—970). Mihi praeterea videntur legentes saepe commovisse:

881 vincunt enim lacrimae, defuit manus, corda tremescunt,

qui versus dolores et planctus martyrum eximie depingit;

885 haec Nero tunc faciet, triennio tempore toto,

ubi hominum indignatio allitteratione non male redditur [1]);

923 luget in aeternum, quae se iactabat aeterna,

qui versus conspicuus est figura traductionis, quam dicunt.

Verum ne in optimo quidem opere suo Commodianus a rusticitatibus abstinet, loquitur enim de *rostris* (388) prophetarum, etiam turpius se habet:

612 nam quidem sequitur, *copria* iudicatur ab ipsis. [2])

De Commodiani hexametro.

Qui Commodiani carmina comparat cum inscriptione Alliae Potestati dedicata, observabit utriusque hexametros pertinere ad sermonem vulgarem, sed ceteroquin prorsus diversos esse. Auctor eius inscriptionis saepius peccat contra quantitatem atque interdum pluribus hexametris subicit pentametrum, quae res nos commonet de arte Trimalchionis nota e Petronii fabula. Nihilominus ille titulus, quem vulgo attribuunt saeculo quarto vel exeunti tertio metricus est, secundum quantitatem syllabarum compositus. At Commodiano omnes syllabae *ἰσόχρονοι* sunt, quantitatem igitur hic poeta non curat, tamen id agit ut soni ictus clare audiantur, quamobrem quasi ad accentum versus videntur esse facti. Imitatur certe quam optime potest Commodianus veterem hexametrum, verum similitudo inter eius versus et antiquam poesin dactylicam externa modo est. Nonne igitur recte quispiam dixerit in huius scriptoris carminibus interitum aspici versus heroici? [3]) Quocirca non sequor

1) Admonemur de versu illo Sophoclis (Oed. Tyr. 371):

τυφλὸς τά τ' ὦτα τόν τε νοῦν τά τ' ὄμματ εἶ.

2) Cf. I 19, 6 *incoprial* cives unus detestabilis omnes; C. A. 642 et levat de tumulis Lazarum die quarta fetentem.

3) De Commodiani metro disputaverunt nostrates viri docti H. B Vroom (de Commodiani metro et syntaxi Annot. 1917) et A. W. de Groot in Neo-Philol.

Digitized by Google

viros doctos, qui putant Commodiani scripta titulum Alliae Potestatis tempore antecedere. Ceterum carmina I 35 et II 19, quorum versus incipiunt deinceps a litteris alphabeti, praeterea acrostichides II 8 et II 39, quarum versus exeunt illius in *e* (vel *ae*), huius in *o*, vix scripta videntur ante Augustini Abcdarium (i. e. a. 393), ubi item eiusmodi res inveniuntur. Talia denique poematia post aetatem Ausonii, auctoris Technopaegnii, facta esse potius sibi finxerit quis, quam saeculo tertio.

Quae ratio intercedat inter Commodianum et Salvianum.

Supra statuimus similitudines quasdam existere inter genus dicendi Commodiani et Salviani (cf. p. 126—129); hic monstrandum est eos scriptores interdum prorsus eadem cogitasse. Sicut multi auctores Christiani etiam Commodianus et Salvianus ludos scaenicos aliosque condemnaverunt. Hi duo censores insuper eadem fere mente non longe diversis vocibus sententiam suam dicunt. Compara:

II 16, 4 cum caterva Mali pergis ad exspectacula vana,
5 ubi Satanas fragoribus comparat astus [1]),
20 gaudia te mundi removent a gratia Christi

cum Salv. de gub. Dei VI 33 diabolus autem in spectaculis est et in pompis suis ac per hoc, cum redimus ad spectacula diaboli, relinquimus fidem Christi.

Paulo supra idem auctor ait cotidianas illas obscenitates amphitheatrorum, odeorum, pantomimorum excogitatas esse a legionibus daemonum.

Cum Commodianus tum Salvianus avaritiam vehementer impugnat, ille ad hunc modum:

II 23, 6 omnia suspensus vivis in ardore lucrorum;

optat igitur:

II 23, 9 nunc ergo sic redeas et cogites: vana cupido est
congerere nimium sub fragili vita moranti

monetque:

II 23, 11 unde Deus clamat: stulte, hac nocte vocaris!

VIII (1923) p. 304 sqq. Ille singulis fere versibus examinatis utiles observationes fecit, hic via ac ratione rem tractans metrum Commodianeum in disciplinam redegit.

1) Hos versus tractavi supra p. 124.

Digitized by Google

At quattuor libris operis c. t. Ad ecclesiam, haec una res probatur: avaritia fit ut Christiani suam rem familiarem ecclesiae non legent, tamen oportet eos illi donare sua bona terrestria, ut caelestia adipiscantur. Cur non efficis — sic fere quaerit presbyter ille Massiliensis III 78 — „certe ut miser non sis, certe non uraris, certe non torquearis, certe tenebris exterioribus non eneceris et ardentibus sine fine flammis non decoquaris"? Iam intellegimus huius operis alium titulum commemorare Gennadium (de vir. illustr. 68): Adversum avaritiam.

Ceterum dubitari nequit quin uterque scriptor magnam pecuniam et pauperibus et ecclesiae largitus sit, ita demum alter iure in ultimo acrosticho se mendicum Christi vocare potuit, alterius autem multum valuit oratio apud fideles.

Verum omnino uterque pietate Christiana et amore fraterno impulsus pauperum sortem lenire vult et stat a partibus inopum. Commodianus in Instructione, quae inscribitur: qui de malo donant, homini opulento exprobrat:

II 24, 5 erumpis miseris, dum fueris locum adeptus [1]);

sed de viro inopi queritur:

II 24, 10 ille nigratus
oppressus usuris deplorat factus egenus;

hic denique spoliatur ab „hoste", quem patronus ille pauperum sic alloquitur:

II 24, 12 nanctus praeterea tempus capta toribus hostis
ad praesens populas pretio tu sanctos iniquus.

At Salvianus de more vividissimis coloribus depingit miserias, in quibus versabantur eius cives oppressi a locupletibus. De ea re praecipue agitur in libro quarto operis c. t. De gubernatione Dei, cuius magna pars illustrat infelicem statum et conditionem egenorum. Ibi auctor narrat se quondam hominem pauperem voluisse defendere contra divitem praepotentem, sed hunc sibi respondisse tale auxilium plane esse irritum, cum ipse per Christum iuravisset se illi personae omnia adempturum. Describo potius presbyteri ipsius verba: de gub. IV 75 cumque ego causam, qua hoc fieri non valeret, inquirerem, dixit rem violentissimam et cui contradici penitus non deberet:

1) Batave verto: gij kleedt de armen uit, als gij er maar gelegenheid toe krijgt.

Digitized by Google

„iuravi", inquit, „res illius a me esse tollendas. vide ergo an possim vel debeam non efficere quod etiam interposito Christi nomine me dixi esse facturum". Sed haec ad unum modo hominem pertinent, de omni autem multitudine miserorum legimus (de gub. V 21): „inter haec vastantur pauperes, viduae gemunt, orfani proculcantur, in tantum ut multi eorum, et non obscuris natalibus editi et liberaliter instituti, ad hostes fugiant". Paulo infra discimus, quo fugiant illi cives afflicti, nempe ad Gothos, qui propter humanitatem et pudicitiam magnopere laudantur.

Ecce rursus consentiunt Commodianus et Salvianus, nam et ille praedicat Gothos, qui Roma capta Christianos non laedant, immo ut fratres conveniant, cum idololatrae omnes aerumnas perpetiantur (C. A. 815 sqq.). Videtur autem poetam alludere ad Romam ab Alarico anno 410. expugnatam [1]), etenim parum probabile est vatem nescioquem tale quid finxisse temporibus Decii. Illa vero calamitas, a qua Augustinus in Civitate Dei proficiscitur et alios scriptores adeo commovit, ut eam silentio praeterire non possent.

Iam animadvertimus in ducentis fere extremis versibus Carminis apologetici, ubi piorum resurrectio depingitur, sublimitatem quandam elocutionis obtinere. Haud falso composueris Salviani descriptionem locorum caelestium, ubi post resurrectionem iusti commorabuntur. Satis sit laudare haec verba (ad Eccl. II 48): „(cogitantes) aeternum iustitiae habitaculum, recens aedificium creaturarum, aureas super virides [2]) caelos sanctorum omnium domus, aulas gemmis intermicantibus expolitas et inmortalium metallorum fulgore pretiosas..... beatitudinem ineffabilibus bonis divitem, laetam cum incolis suis perennitatem et in omnibus sanctis angelorum similitudinem, opum caelestium copiam, deliciarum inmortalium affluentiam, communem cum deo vitam".

Similitudines, quae intercedunt inter Commodianum et Salvianum, optime explicari possunt, si sumimus utrumque vitia eorundem fere hominum corrigere, eosdem Christianos, Iudaeos,

1) Cf. Brewer l.l. pag. 29—39.

2) Sic scripsi pro *rudes*, cf. Mnemos. 52 (1924) p. 174 sq.

Digitized by Google

gentiles docere et cohortari voluisse. Ergo potest Commodianus aequalis minor fuisse Salviani, qui circiter anno quadringentesimo natus est.

Quod Commodianus non pauca e Tertulliani et Cypriani scriptis petivit, non declarat poetam quoque pertinere ad saeculum tertium: nam et Vincentius Lerinensis, qui mortuus est circiter anno 445., multa hausta e Tertulliani tractatu: De praescriptione haereticorum transtulit in Commonitorium suum. Ibi tamen plerumque sermo est de dogmatis et exegesi, sed in Commodiani et Salviani scriptis videtur idem saeculum cum vitiis suis et iisdem peccatis impugnari, quae sananda modo sunt minis aeternorum cruciatuum gehennae.

Ad hoc ecclesia iam bene constituta adoleverat, id quod declarare videntur tot nomina pro civitate Christianorum adhibita velut aula, mater, antrum, crypta, plebs, sancta, ecclesia, synagoga; nimirum vocatur etiam domus Dei et domus orationis. Tertio certe saeculo i. e. temporibus persecutionis matronae non in ecclesiam conveniebant quasi in balneum ad garriendum, ridendum, obtrectandum aliarum mulierum famae: ergo Instructio II 35, quae inscribitur: De fabulosis et silentio, attribuenda est saeculo quinto.

De rebus astrologicis.

Septima acrostichis continens ter septenos [1]) versus agensque de septizonio et stellis sic terminatur:

I 7, 21 sic ego colui, dum erravi, quod modo culpo.

Itaque poeta confitetur se quoque quondam sidera coluisse, verum nunc tales respuere deos. Eos profecto vehementissime impugnat, qui primum moechi (vs. 9) appellantur, deinde

I 7, 12 obsceni, furiosi, bellatores, impii vitae.

Post hos stellarum errantium deos repudiantur zodiaci numina:

I 7, 15 si stellas colitis, colite et bis sena sigilla!
tum arietem, taurum, geminos forvumque leonem
et dein quae vadunt in piscis tu quoque probabis.

1) Haud temere videtur in hac Instructione numerus sacer (7) regnare.

Digitized by Google

lex sine lege, fuga vestra, quod vult esse valebit. [1])

Quis veterum Christianorum tam severe in astrologiam invectus est? Tertullianus utique satis placide eam aggreditur scribens (de idololatr. 9): „at enim scientia ista usque ad evangelium fuit concessa". Cyprianus et Arnobius omnino de ea religione tacent. Lactantius vero parvi eam faciens sic iudicat (Div. Institut. II 16, 1) eorum (sc. daemonum) inventa sunt astrologia et haruspicina et auguratio". Augustinus, qui Confess. VII 6 refert quomodo ipse fidem astrologiae prodiderit, putabat daemonas versari in astris. Quam sententiam amplexus canit Prudentius die natali Christi sidus Diaboli i. e. Anguem in statione non mansisse:

Apotheos. 615 vidimus hunc, aiunt, puerum per sidera ferri
et super antiquos signorum ardescere tractus.
deriguit trepidans Chaldaeo in vertice pernox
astrologus; cessisse Anguem, fugisse Leonem.....
623 inproba Virgo
prodit amatores tacitos in fornice mundi.

Ergo gradatio quaedam a primis auctoribus Christianis nos ducit ad Commodianum, qui etiam acrius quam Augustinus et Prudentius stellarum cultum destruit, neque igitur ante eos talem sententiam tulit.

Attendamus nunc vs. 13 et 14 docentes Martis et Iovis filios vires debere planetis se convertentibus:

I 7, 13 et filios totidem mortales illi fecere:
terribilis omnis, stulti, *septizonio fortis*!

Sane illa locutio *septizonio fortis*, quam Maasz [2]) vertit „stark durch die Planetenbahnen", tertio saeculo ignota erat [3]). Valde memorabile certe est Firmicum Maternum, qui Matheseos libros composuit imperante etiam tum Constantino Magno, ne agnoscere quidem vocabulum septizonii.

1) Batave verto: dit is een wet, die alles toelaat, 't komt te pas in uw kraam, zelden zal de willekeur.

2) Die Tagesgötter. Berlin 1902, p. 32.

3) Similis observatio legitur Schanz RLG 3e Aufl. III p. 399 (dasz) die Selbstbezeichnungen des Dichters als *mendicus Christi* und *poenitens* sehr wohl im 5. Jahrhundert, im dritten aber überhaupt nicht verständlich sind.

Digitized by Google

Apud Gennadium sibi succedunt Prudentius, Audentius, Commodianus.

Maasz [1]) non dubitat Commodianum vocare aequalem Prudentii fretus nimirum Gennad. de vir. illustr. 15, ubi prope continuo post Prudentium sequitur Commodianus, tantummodo Audentius interpositus est. Sunt etiam nunc qui existiment Commodianum floruisse saeculo tertio: ii ergo accusant proprie Hieronymum quod in suo catalogo praetermiserit auctorem Instructionum et Carminis Apologetici atque simul Gennadium, primum quod observaverit Lactantium (cuius opera pertinent ad saeculum quartum) illi poetae exemplo [2]) fuisse, secundo quod Commodianum in catalogum suum inseruerit post Prudentium.

Negandum non est Gennadium aliquot operum titulos commemorare diversos a notis vel traditis. Huius rei tamen haud raro optima causa afferri potest. Ceterum illius historici iudicium de auctoribus eorumque scriptis plerumque verissimum est. Hac in re certe assentiri possum Czaplae de Commodiano scribenti [3]): sein selbständiges Urteil, seine scharfsinnige Kritik der Schreibweise, des theologischen Bildungsgrades und der Abhängigkeit des Commodian von andern christlichen Schriftstellern bezeugt uns die hohe wissenschaftliche Befähigung des Gennadius. Quo magis miror Czaplam Gennadii testimonium de Commodiani vitae temporibus reiecisse i. e. infitiatum esse Commodianum fuisse Prudentii aequalem.

Idem Czapla l.l. putat Commodianum a Gennadio in catalogo suo praetermissum non esse „weil ihm die Dichtungen des Commodian zufällig in die Hände gefallen waren, doch wahrscheinlicher wäre als Grund hierfür anzunehmen, dasz Commodian zu Gennad's Zeit mehr in Aufnahme gekommen war und mehr gelesen wurde; dafür spricht vielleicht auch, wenn

1) Die Tagesgötter p. 26 sq.

2) Ex Lactant. Divin. Institut. VII 16 sq. videtur poeta duplicem Antichristum desumpsisse. Fortasse etiam *septima persecutio* (C. A. 808) numeratur secundum Lact. de mort. pers. 2—7.

3) Gennadius als Literarhistoriker, Münster. Schöningh 1898 p. 37.

Digitized by Google

in dem allerdings unechten und erst später entstandenen decretum Gelasianum die Schriften des Commodian zu den Apocrypha gezählt werden".

De hac re haec mea sententia est. Satis multis hominibus praesertim de infima plebe Commodiani carmina placebant et propter praecepta popularia et sermonem cotidianum et ipsum rhythmum. Sed cum iam diligentius leges et dogmata principes ecclesiae edixissent, opiniones illius mendici Christi tamquam privatae et arbitrariae non diutius tolerari poterant. Gennadius vir doctissimus interpresque subtilis disciplinae et religionis non potuit non improbare rusticiores illas Instructiones a Commodiano scriptas. Quae si ab auctore virorum illustrium silentio praeteritae essent, periculum erat ne semper vigerent. Ita factum est ut a censore idoneo haec poesis satis recens necdum ducentos annos vulgata palam notaretur.

Hic si usquam commemorandum est Martini opus, quod inscribitur: Studien und Beiträge zur Erklärung und Zeitbestimmung Commodians, nam quamquam ille vir doctus felicissime saepius Brewerum impugnat, tamen interdum eius dubitationes legitimae non sunt. Scribit enim Martin in capite c. t. Die Notiz des Gennadius pag. 25 dasz Genn. nur ein Werk des Commodian gekannt hat, das sich näher als das erste Buch der Instructionen erweist mit Einschlusz der 4 ersten Akrosticha des zweiten. Ille ergo contendit Gennadium vix 720 versus i. e. tertiam partem Commodiani versuum, qui aetatem tulerunt, legisse. Sequitur ut hic rerum scriptor non noverit acrostichon illud, cuius auctorem indicant verba: Commodianus mendicus Christi. Iam vero incredibile est eundem ignorasse Carmen Apologeticum, quo pauci tractatus Christiani insigniores sunt. Qui tamen attendit Gennadii verba (de vir. illustr. 15): et de divinis *repromissionibus* adversus illos (sc. paganos) agens, non potest ea non referre ad:

C. A. 989 interea sancti intrant in colonia sancta,
quod et *promissa* capiant sine fine laetantes.
exorant Deum pro mortuis uti resurgant,
quod ipse *promisit* olim de anastasi prima.

Eiusdem autem capitis extrema verba (de vir. illustr. 15): *et maxime voluntariae paupertatis amorem prosecutus studenti-*

Digitized by Google

bus inculcavit procul dubio imprimis spectant ad Instr. II 39, ubi Commodianus se appellat mendicum Christi. Itaque cum Czapla et Brewero asseverandum est Gennadium non modo Instructionum duos libros, sed et Carmen Apologeticum novisse. Quamobrem Martini verba (p. 19): Von all den durch Czapla und Brewer erbrachten Gründen ist keiner angetan, zu der Annahme ihrer Ansichten zu zwingen in auctorem ipsum retorqueo, cum sex thesibus (p. 24 sq.) Gennadium quasi accuset, quod Instr. Lib. II et Carmen Apologeticum non legerit.

Martin quoniam Gennadii magnopere obtrectavit auctoritati, non curat eius testimonium de ratione, quae intercedit inter Lactantium et Commodianum: ipse putat Commodianum fontem fuisse Lactantii, qui praecipue in opusculo c. t. de mortibus persecutorum nonnullas res peculiares Carminis Apologetici ad verbum expressisset. Qui tamen comparat posteriorem partem huius Carminis cum Lactant. Instit. VII 16, 17, 66, 67, eum non fugiet similitudo haud parva inter poetam et Institutionum scriptorem. Verum vix credo cuiquam probari posse Ciceronem quem vocant Christianum hausisse ex auctore in universum parum culto. Immo Commodianus canens:

C. A. 808 sed erit initium septima persecutio nostra

videtur Lactantii rationem sequi, qui a Nerone usque ad Diocletianum sex persecutiones enumerat (de mortib. 2—7).

Operae pretium est afferre quae de hac re Harmack iudicat [1]): Die Uebereinstimmung ist sehr grosz, so dasz die Annahme, sie seien von einander unabhängig, nicht wohl möglich ist. Hätte aber Laktanz den Kommodian gekannt, so hätte er ihn wohl genannt, wie seine anderen Vorgänger. Magnam illam similitudinem omnibus locis parallelis afferendis egregie demonstrat Brewer p. 303—313, quare meritissimo concludit p. 313: Die Art und die Menge der Uebereinstimmungen zwischen Laktanz und Kommodian dürfte eine Abhängigkeit des Dichters von dem Verfasser der Institutionen nicht nur mit Harnack als wahrscheinlich, sondern als gewisz bezeichnen lassen.

Martin revera parum sibi constat, cum Gennadii testimonium de Papia Commodiani fonte probet, improbet de Lactantio.

---

1) Chronologie der altchristl. Lit. II 441 (cf. Brewer Kommod. 305).

Digitized by Google

Ad extremum pauca observanda sunt de senatu. Commodianus narrata Romae expugnatione a Gothis pergit sic:

C. A. 815 multi senatorum tunc enim captivi deflebunt
et Deum caelorum blasphemant a barbaro victi.
hi tamen gentiles pascunt Christianos ubique,
quos magis ut fratres requirunt gaudio pleni.
nam luxuriosos et idola vana colentes
820 persecuntur enim et senatum sub iugo mittunt.

Quoniam gentiles i. e. Gothi (cf. vs. 810) Christianos quidem pascunt, sed idola vana colentes (819) i. e. paganos persecuntur, fieri non potest ut ipsi pagani sint. *Gentiles* igitur valet *barbaros* vel gentes non Romanas [1]). Gothi autem aetate imperatoris Decii erant pagani, sed temporibus regis Alarici ad fidem Dei se converterant. Quodsi suminus Commodianum circiter a°. 420 Carmen Apologeticum panxisse, non miramur eum statuere Gothos Christianis favisse eosque pro fratribus habuisse (vs. 818). Tunc maior pars senatorum quoque fidem profitebatur Christianam, verum semper erant haud ignobiles viri eius ordinis velut Symmachi, Nicomachi cet. cultores deorum Romanorum. Itaque hos senatores consentaneum est secundum poetam deflere suam sortem et Deum blasphemare. (vs. 816). At vs. 819 Commodianus loquitur de omnibus idololatris, quos Gothi persequuntur additque *senatum sub iugo mittunt*. Si poeta *senatum* voluisset intellegi etiam de fidelibus, sibi oblocutus esset, quippe qui modo et hos fratres Gothorum vocaret. Ceterum non ita parvum fuisse etiamtum numerum senatorum, qui a nova religione alieni erant, vel inde apparet Prudentium, cum Ambrosius in. causa de ara Victoriae Symmachum vicisset (a° 384), viginti quinque fere annis post duos libros contra eundem Symmachum composuisse. Hos autem senatores paganos respiciens Commodianus paene triumphans exclamat id consilium, penes quod plus quam mille annis auspicia fuerant, interiturum novumque saeculum nempe caelestis regni oriturum esse. Haec fere videtur poeta

1) Cf. Auson. Gratiar. act. II 8 possum ire per omnes appellationes tuas, quas olim virtus dedit, quas proxime fortuna concessit, quas adhuc indulgentia divina meditatur, vocare Germanicum deditione gentilium; cet.

Digitized by Google

designare voluisse scribens *senatum sub iugo mittunt* neque quicquam totus locus habet, quod abhorreat a rebus gestis a° 410° fere.

Ceterum quae ipsi observavimus de similitudine inter Commodianum et Salvianum intercedente, de structura hexametri huius poetae vel „quasi versus", ut Gennadii verbis utar, de rebus astrologicis in Instr. I 7 expositis, confirmant testimonium illius historici, docentis Commodianum floruisse *paulo* post Prudentium.

Digitized by Google

DE CARMINE EPIGRAPHICO 186°.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Sub titulo, quem exhibet Buecheler I p. 90 sq., latere carmen metro, quod dicitur, Commodianeo compositum sagaciter perspexit A. W. de Groot, qui totam inscriptionem in formam poematii duodecim versuum redegit [1]). Verum nullus dubito quin ii qui legunt dolituri sint eundem virum doctum vix quicquam explanasse aut ullam rationem reddidisse verborum a se mutatorum. Cum paulum ab eo dissentiam, necesse videtur hic ipsos versus describere

Maximus et Lascivus [2]) duo fratres *convenientes*
in uno hunc titulum nobis *posuimus* [3]) vivis,
ut possemus at superos *securius* vitam
bonam gerere qua fini fata volebant.
qui qua vita viximus una numquam inter *nos*
fecimus verbum amarum. *voluptates* secuti
simus [4]) omnes. vitae nostrae a *nobis* numquam
quitquam negatum *est*. ita tu qui *legis* bona
vita vive sodalis, quare post *obitum nec*
risus nec lusus, ⟨*prorsus* [5])⟩ nec ulla voluptas
érit. „havé Maximáe". menten hábae [6]) quod *légeris*, quáre
vita morti propior fit cottidie. vale!

1) Cf. Mnemos. vol. 54 (1926) p. 163.
2) Quae Buecheler correxit silentio praeterii: adeunda est ipsa editio.
3) De Groot edidit *posívimus*.
4) Scriptum est pro *sumus* (vid. Buechelerum).
5) Deest in titulo.
6) In ictibus ponendis leviter erravit de Groot.

Digitized by Google

Ut metrum vs. 10. sanarem addidi *prorsus*, quod sententia flagitat; de Groot supplet *et iocus* legentes relegans ad Gell. N. A. I 24, 3 dein Risus, Ludus Iocusque
et Numeri innumeri simul omnes conlacrimarunt,
sed parum verisimile est fratres Maximum et Lascivum memores fuisse Plauti epigrammatis.

Versu 2° de Groot edidit *posivimus*. Cur? Auctor tacet. Fortasse quaerendum est in disputatione, quae inscribitur Le Rhythme de Commodien[1]). Re vera ibi legimus p. 313 la pénultième brève d'un bisyllabe ne porte que rarement le temps marqué, *l'antipénultième brève d'un mot polysyllabique ne le porte jamais*, i. e. in arsi brevis antepaenultima verbi polysyllabi non admittitur. Itaque contra hanc legem titulus noster praebet *posúimus*, quamobrem de Groot edidit *posívimus* forma perfecti e vetusta Latinitate petita.

Sed videamus num hac in re legitimae sint dubitationes illius viri docti. Evolvamus Commodianum ipsum; facile ibi permulta exempla reperiri possunt pugnantia contra legem illam e. g.

I 3, 6 *rébelles* ex illo contra Deum verba misere;
I 6, 3 *fúistis* infantes: numquid et semper critis?
cf. II 24, 5 *fúeris*; C. A. 421 *fúerunt*;
I 6, 10 in istis temporibus quis *plúebat* illo defuncto?
I 14, 8 secede ab istis, qui sunt *biothánati* facti;
I 15, 3 rustica mens hominum, *indócilis* quoque, pro laude;
II 23, 10 congerere nimium sub *frágili* vita moranti;
II 23, 20 arbitrare tibi *simplíciter* valde cavendum;
II 25, 5 conspicitis stipulam cohaerentem in *óculis* nostris;
II 26, 8 *béati* facti estis, cum feceritis edicta;
C. A. 103 *rélucet* immensa super caelos et sine fine;
C. A. 346 cum et Iudaeorum reprobet *sacrifícia* dicens;
C. A. 347 non erit acceptum mihi *sacrifícium* vestrum;
C. A. 433 *vídete* iam ergo, dubii qui nunc usque natatis;
C. A. 477 quid illi infamant in *púteum* esse demissum.

Sine ullo negotio unusquisque ad libidinem haec exempla

1) Insertus est commentariolus ille in Diarium c. t. Neo-Philologus VIII (1926) p. 304—313.

Digitized by Google

augere potest. Ceterum res nihil habet quod mireris, nempe nihil impedivit quominus Commodianus primas syllabas vocum *fueris*, *fragili*, *docilis*, *oculis*, *puteum* cet. secundum vulgarem pronuntiationem in arsi poneret. Cum autem apud eum omnes syllabae *ἰσόχρονοι* essent, item primae syllabae verborum *rebelles*, *beati*, *relucet*, *videte*, cet. arsin obtinere poterant.

Transeamus ad aliam legem quae invenitur l.l. p. 307: (3) il évite de placer dans le deuxième et le cinquième demi pied faible, s'il contient deux syllabes, des syllabes longues par position, les exceptions, qui sont rares, ont été énumerées par M. Vroom p. 26 n. 2, p. e..... | *universas vestras de lege* (I 40, 4); il me semble encore nécessaire d'en éliminer les cas singulièrement nombreux où la „position" est faite par une nasale, p. e..... | *deás Furínam Caeléstem* (I 16, 9). Auctor igitur docet: in thesi quinta, quae ex duabus syllabis constat, vitatur syllaba positione longa. At in titulo nostro legimus:

vs. 2 posui*mus* vivis;
3 securi*us* vitam;
6 voluptat*es* secuti;
7 a nob*is* numquam;
8 qui le*gis* bona;
8 lege*ris* quare.

Ergo in duodecim versibus unius parvuli carminis vel sex exceptiones offenduntur; sexies autem vox praecedens ultimam terminatur littera *s*. Quam litteram apud Ennium et Lucretium in fine verborum meminimus saepe neglegi ita ut eiusmodi syllaba antecedens vocem a consonanti incipientem non producatur. Ecquis dubitat quin hic quoque idem statuendum sit. Confirmamur exemplis, quae e Commodiani Instructionibus afferri possunt:

I 7, 5 solusque sator;
I 15, 4 absentis Tonantis;
I 40, 4 vestras de lege;
II 1, 21 legis narrata;
II 21, 13 pugnis pertunde;
II 32, 1 cordis relinquat.

Lex igitur, quam supra commemoravimus, salva est, modo meminerimus licere litteram *s* neglegi.

Digitized by Google

Redeamus ad titulum. Versus primus exiens in *conrenientes* peccat contra legem p. 307 (2) *b* il évite aussi de former les deux derniers pieds du vers par un mot (les exceptions à cette règle sont rares).

Ibidem legimus: il évite de placer un monosyllabe après le dernier temps marqué et de commencer un mot après l'avant-dernier temps marqué. Huic legi contrarii sunt hi versus:

5 . . . . . intér nos;
9 . . . . . póst obitúm nec;
7 . . . . . á nobis numquam;
8 . . . . . quí legis bona;
9 . . . . . póst obitum nec.

Maioris vero momenti videtur observare vs. 4. incipere a vocabulo *bónam* et vs. 8 exire in *bóna*, quamquam promulgatur haec lex (p. 307) 4 *b* un demi-pied fort peut être formé par toutes les syllabes exceptées les suivantes..... *bonus*, *malus*, c.-à.-d. la pénultième brève d'un mot bisyllabique, pourvu que ce mot soit fréquent dans la poésie classique.

Ex iis quae hic disputata sunt, discimus fortasse maturius virum doctum De Groot exclamasse p. 313 Voilà l'énigme du rhythme de Commodien résolu.

Ceterum in inscriptione ipsa attendamus multas allitterationes: *superos securius* (vs. 3); *fini fata* (vs. 4); *qui qua* (vs. 5); *Maximae menten* (vs. 11); quin etiam allitteratio coniuncta est cum *πχριχήτει vita viximus* (vs. 5) et *vita vive* (vs. 9). Quare commendari videtur *ἐμοιστελεύτῳ* coniectura mea

10 ri*sus* nec lu*sus* ⟨pror*sus*⟩ nec ulla voluptas.

Cum Commodianus secundum Gennadium floruisse videatur paulo post Prudentium, titulus noster incultior quam Instructiones et Carmen Apologeticum pertinet fortasse ad medium saeculum quintum.

Digitized by Google

DEIANIRA VERE ΔΗΙ—ΑΝΕΙΡΑ.

SCRIPSIT

IGN. ERRANDONEA S. I.

> Ὁ.... Ἡρακλῆς, πολλὰ τῶν ἐπιλυμαινομένων τὸν ἀνθρώπινον βίον καθάρας, ὑπὸ Δηϊανείρας φαρμακευθεὶς ἐδολοφονήθη.
> (Περὶ τῶν ἀρεσκ. φιλοσόφοις φυσ. δογ.)

Sophoclis tragoedia Trachiniae exiguam praebet iam dudum segetem scriptoribus, praeteritur fere cum de Graecorum arte dramatica agitur, exsulat ferme a scholis et innumeris peccatis dicitur foedata.

Nemo est iam qui cum Schlegelio eam a Sophocle scriptam esse aut neget aut dubitet, sed multi verentur ne secunda pars non sit Sophoclis aut not huius ipsius tragoediae, et ii ipsi qui eius et veritatem sive authentiam et integritatem admittunt et defendunt, innumeros naevos et maculas detegunt, quae aut palam proferunt aut dissimulare contendunt [1]).

1) Infinita est varietas sententiarum: sunt qui cupiant aliquem confirmare non esse Sophocleam hanc tragoediam (Donaldson, *Theater of the Greeks*, p. 311), qui dicant esse inexperti poetae iuvenile opus (Dissen, *Kleine Schriften*, 343; Bergk, *De Sophoclis arte*, 26), qui senectuti caducae ascribant (Bernhardy, *Griech. Litterat.*, III, p. 398 sq.); sunt qui eam ita deprimant ut indignam Sophocle putent aut multis rebus interpolatam (Blaydes, *The Trachiniae of Sophocles*, p. 4 sqq.), et qui eam perfectam praedicent, immo etiam perfectissimam, ut Wecklein qui eam ipsa Electra perfectiorem credit.

Difficillimam vero intellectu omnes fere dicunt: „Am schwersten zu verstehen sind unter allen sophokleischen Tragödien die Τραχίνιαι" (Christ-Schmidt, *Griech. Litter.* n. 176). „The play is in fact an exceptionally difficult one to appreciate justly" (Jebb, *Introd.*, p. X). „Mehr als alle übrigen Dramen des Sophokles haben die Trachinierinnen schon früh wegen zahlreicher Anstösse im

Digitized by Google

Fabula ipsa accusatur quod minus cohaereat cum his quae ante drama de personis erant nota; in ipsa tragoedia multa reperiuntur minus cohaerentia et etiam aperte inter se pugnantia; actio exagitatur quasi fluxa et incerta; reprehenditur nexus ille aut debilis aut nullus secundae partis cum prima, quem explicare non possunt neque conantur nisi adducto exemplo similis peccati in Aiace; et tametsi in caelum tollitur fere ab omnibus Deianira, tamquam sanctissima coniux et omnium in antiquitate feminarum perfectissima, damnantur aliae personae et praesertim condemnatur Hercules eiusque et ingressus et vulnera et lamentationes in scaena; eaque nobis deliberatio difficilis est quomodo et Sophocles ita hanc tragoediam scribere potuerit et antiquitas eam cum aliis sex inter selectissimas Colonei poetae tragoedias nobis suis posteris tradiderit.

Sed nolo eum, qui me legat, morari diutius longiore expositione rei tam facilis quam his, quos nunc alloquor, inutilis [1]). Commemoravi haec tantummodo ut ostenderem operae pretium esse excutere et explorare denuo et sine metu hanc tragoediam, ne forte subsit nobis interpretantibus aliquis error quo splendor Sophoclis sit ob oculos nostros immerito obscuratus.

I.

Et quoniam haec tragoedia non nobis scripta est sed illis Atheniensibus qui cum Sophocle vivebant, diligenter investigandum nobis est quo illi animo ei interessent, quid de tota fabula nossent antequam in scaena ageretur, et quid vel maxime de Deianira sentirent, quae maximam occupat dramatis partem.

Eam feminam nobis luculenter descripserunt ii ipsi commentatores qui in tragoediae interpretatione longe a nobis absunt, Jebb Wilamowitz Radermacher Zielinski Schneidewin A. Müller K. Kunst ceteri. „Non novimus, ait Jebb, qualis

einzelnen wie in der ganzen Anlage die Kritik hervorgerufen, so dass sogar der Versuch gemacht werden konnte, Sophokles das Stück ganz abzusprechen" (T. v. Wilamowitz-Möllendorff, *Die dramatische Technik des Sophokles*, p. 89).

1) Plura dabunt alii scriptores, ex. c. W. Schmid in *Philologo* (1903 sq. 1, sqq.), et deinde in *Griech. Litteraturgesch.*, (I, n. 176), ubi audet de Deianirae fama detrahere quantum nemo ausus erat ante eum: „Nirgends sonst hat Sophokles das Weib so von der Seite ihrer Schwäche dargestellt".

Digitized by Google

fuerit et Pindari et Archilochi Deianira, sed veri simile est in antiqua Aetolica traditione eam omnino aliam fuisse ac Deianiram Sophocleam. Postquam enim cum Herculis fabula eius fabula connexa est, nomen Δηϊάνειρα significavit „*coniugis* peremptricem", sed olim ante adventum Dorium in Graeciam, cum primum reperta ab Aetolis est et nihildum ad Herculem pertinebat, Deinanira significavit „*hominum* destructricem"; amazoniam naturam denotabat, sicut amazones dicebantur ἀντιάνειραι. Filia Oenei vere genuino sanguine Aetolico nata in venatorum et bellatorum loco αὐτὴ δὲ ἡνιόχει καὶ τὰ κατὰ πόλεμον ἤσκει (APOLL. Bibl. 1, 8, 1) [1]). Radermacher eam tam valentem et robustam olim fuisse comperit, ut si eius antiqua imago retineatur, raptus ille et congressus cum Nesso haberi non potuerit, qualis describitur in dramate, ideoque hunc recentissimum esse autumavit. Praeterea dici Martis filiam et esse matrem Hylleidos tribus, vere pugnacis et bellicosae, unius ex Doricis fortissimae [2]). Plura sunt et copiosiora documenta apud utrumque Wilamowitzium reliquosque scriptores, quibus haec confirmantur uberius.

Haec igitur Herculea coniux ob oculos spectatorum obiecta a Sophocle est, et ea omnibus illis adiunctis circumdata quibus in eorum mente et memoria erat cincta. Ut exemplo utar, fabulam Nessi et Deianirae noverant, non eam quae in dramate narratur, sed eam quae ab antiqua traditione et imaginibus fuerat eis conservata. Nessus igitur eorum, non dum puella imbellis erat, Deianiram tentavit, sed iam robore et viribus valentem, nec in flumine transeundo, sed in littore, id enim in omnibus ante Sophoclem picturis exhiberi certissimum est.

Quod si iam interrogamus Athenienses quid de Deianira vulgo feratur Athenis et extra theatrum, habemus praeclarum documentum quod praetermittere in huius dramatis interpretatione non possumus: nihil erat eis magis odiosum, nihil magis superbum in mulieribus quam Iuno; est in hoc ipso dramate huius rei testimonium, cum Hercules nihil crudelius ea dea reperit ut ferociam et vim Deianirae exaggeret: κεὔπω

1) Jebb, *The Trachiniae*, Introduction, p. 11.

2) *Sophokles*, erklärt von F. W. Schneidewin und A. Nauck, Sechstes Bändchen: *Trachinierinnen*, 7 Aufl. von L. Radermacher, Einleitung, p. 9.

Digitized by Google

τοιοῦτον οὔτ' ἄκοιτις ἡ Διός... (1048). Omphalen vero tyrannicos mores habuisse Graecis visam esse novit quisquis de Hercule aliquid audivit. Iam vero, huic Iunoni, huic Omphalae comparata est passim ab Atheniensibus Deianira; nam ait de Aspasia Plutarchus: ἐν δὲ ταῖς κωμῳδίαις Ὀμφάλη τε νέα καὶ Δηϊάνειρα καὶ πάλιν Ἥρα προσαγορεύεται [1]); quod fieri a comicis non potuisset nisi et ipsi et auditores ita de Deianira sentirent. Id si paulo post Sophoclis tragoediam fiebat, a nobis praeteriri non potest, si vero ante eam, nec praeteriri a nobis potest nec a Sophocle potuit.

Talem igitur Deianiram talibus spectatoribus adduxit in theatrum Sophocles, verum non illa usitata sua virilitate quam ex Aetolia attulerat, sed in eiusmodi rerum discrimen adductam, quo etiam infirmissimae mulieres solent acerrimae fieri et violentissimae, scilicet, cum in his quae ad torum pertinent iniuriam passae sunt, quo tempore quam soleant exardescere in furiosam iram norunt optime Graeci:

ὅταν δ' εἰς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ,
οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα [2]).

Materies est haec non ignota theatro graeco, quippe quae etiam in Aeschyli Agamemnone et in Andromacha et Medea Euripidis agitetur.

Apud Aeschylum Clytaemestra, etsi est ipsa iisdem peccatis implicata, tamen cum videt Cassandram adduci domum, machinatur homicidium et tum ipsam Cassandram, tum Agamemnonem occidit, quemadmodum iam Cassandra (1260) praeviderat futurum [3]).

1) Plut. *Pericles*, 24.

2) *Medea*, 265, 266; cf. etiam *Andromacha*, 240 sqq.

3) Multa sunt inter Aeschyli *Agamemnonem* et Sophoclis *Trachinias* similia; etiam ipsum Cassandrae silentium simile est silentio Iolae, et peplum Deianirae non multum abest a tapetibus quibus via πορφυρόστρωτος strata Agamemnoni est Clytaemestra ἐς δῶμ' ἄελπτον ὡς ἂν ἡγῆται δική (911).

Ad. Müller (*Kommentar zu Soph.*, 418): „In beiden Stücken steht die Ankunft eines Helden bevor, der lange fern war. Beide Helden kehren heim von der Bezwingung einer Stadt: Agamemnon hat Troja, Herakles Oichalia zerstört, beide haben ein Königsgeschlecht vertilgt, beiden ist als Siegesbeute der gleiche köstliche Preis geworden, eine auserlesene Jungfrau aus königlichem Geblüt. Beide haben die Frucht ihres Sieges schon genossen und führen die Beute in ihr Haus,

Digitized by Google

Andromacham cum videt iam Neoptolemo nuptam, invidia et ira accensa Hermione, nova coniux, eam cum filio interimere tentat dum abest maritus, cumque ad id facinus perpetrandum impeditur, ipsa sibi vim inferre conatur et tandem fugit. Videlicet erat tunc etiam verum, et non minus Euripidi quam Sophocli et Aeschylo:

ἐπίφθονόν τοι χρῆμα θηλείας φρενὸς
κἀὶ συγγάμοισι δυσμενὲς μάλιστ' ἀεί
(Androm. 182; cfr. 241).

Sed omnium maxima est similitudo Trachiniarum cum Medea Euripidis. Deianira, ut Medea, est barbara mulier; utraque versatur veluti exsul in Graecia, illa Trachine, haec Corinthi. Filia est Oenei Deianira, aut si alios audias Bacchi (Oeneus Διόνυσος), sicut est filia Aeetae et neptis Solis Medea; Deianira Aetolia mulier et vere Aetolia, ex venatorum bellique regione, audax et bellicosa, arma et currus agitare solita, immo vero non inscia pugnae qua etiam de curru cum viro pugnavit contra Dryopes, quo in bello etiam vulnus pectore accepit [1]); Medea ex Colchide, pharmacorum loco, venefica ipsa et ferox, quae et fratrem occidit et alios veneno confecit [2]).

Utraque nacta est virum connubio infidum, hoc tamen discrimine quod Medeae maritus, Iason, tunc videtur primo in uxorem peccasse; Deianirae vero, si huic est credendum (459), tam frequenter tamque turpiter sese in istas impudicitias ingurgitavit, ut mirari debeamus quod non antea uxor furore excanduerit, et causas quaerere cur nunc tandem abripiatur furore.

In utroque dramate infidelis maritus detrudit in verae uxoris domum amasiam, Hercules Iolam, regis filiam sed bello captam, Iason filiam Creontis, Glaucen, ipsam regnantem opibusque florentem.

---

damit ihren Gemahlinnen eine Schmach antuend. In beiden Stücken sind nicht die Männer die Helden trotz ihrer sonstigen Bedeutung, sondern die Frauen, in beiden finden die Gatten bei der Rückkehr den Tod durch ihre Gemahlinnen, dort mit Hilfe eines Gewandes, hier durch ein Gewand.

Anderseits, welch fundamentaler Gegensatz in den Charakteren und der Handlungsweise beider Heldinnen!"

1) *Schol. Apollon. Rhod.* I, 1212.

2) V. Seeliger in Roscheri *Lex. d. Mythol.* s. v. Medeia, II, 2483.

Digitized by Google

Quid mulieri quae talia patiatur faciendum putent Athenienses, dicunt quotiens ea res agitur in scaena:

Ὀρ. — Μῶν εἰς γυναῖκ' ἔφραψας οἷα δὴ γυνή;
Ἑρ. — Φόνον γ' ἐκείνῃ καὶ τέκνῳ νοθαγενεῖ
(Androm., 911, 912).

Κεῖται... ἥ τ' αἰχμάλωτος ἥδε καὶ κοινολέκτρος... πιστὴ ξύνευνος
(Agamemn., 1441; cfr. 1260. Cfr. Medea passim: 160—165).

Itaque Medea quae Colchis est et veneficia infinita novit et saepissime applicuit, non tamen eis ad amorem Iasonis pelliciendum utitur, sed necem solam molitur puellae illius competitricis, idque tam naturale putat quam ipsi spectatores Athenienses. Ne igitur putemus tam imperitum Sophoclem ut illam fortissimam et barbaram Deianiram meditari fecerit coram illis Atheniensibus, φάρμακα ad amorem concitandum in illo impudentissimo marito, multo impudentiore quam Iason fuit.

Novit illa Herculem coniugem copulasse sibi saepe multas alias uxores, comperit nunc ardere amore huius puellae ob eamque bellum et obsidionem Oechaliae fecisse, scit iam iam eum adventare, videt eam etiam domum mitti idque tam impudenter ut ipse nuntius Lichas pudore affectus dissimulandum et mentiendum esse crediderit ad rem occultandam, esse eam iam uxorem Herculis pro certo habet et ut ipsa credit et saepe dicit, amore ardere etiam Iolam ipsam; se grandaevam abiectum iam iri sentit, puellam solam iri amatum, utramque simul domi nullo modo esse posse affirmat... quid tandem constituat? — Non philtro animum Herculis sibi devincire ut simulat et interpretes volunt, sed eum perdere ἐπὶ προφάσει θηρός (662).

II.

Medea est iam in dramatis ingressu zelotypia furiosa, et ad mariti, ad aemulae et etiam ad ipsam filiorum internecionem animo parata (93, 113). Ut primum diei unius mora concessa est, deliberat publice [1]) quo modo sit adversarios occisura, et

1) Etiam Deianira ipsa deliberat ita aperte cum nutrice in Senecae tragoedia, cui inscribitur *Herc. Oet.* act. II, 436 sqq.:

Nut. Perimes maritum? — *Dei.* Pellicis certe meae.

Nut. Ferrone? — *Dei.* Ferro. — *Nut.* Si nequis? — *Dei.* Perimam dolo.

Digitized by Google

statim exponit choro se dolo, non ferro, neces perfecturam: *κράτιστα τὴν εὐθεῖαν, ἢ πεφύκαμεν | σοφαὶ μάλιστα, φαρμάκοις κτείνειν ἑλεῖν* (384 sq.). Non quia neptis Solis est, sed quia mulier est [1]), novit omnes has malas artes; eas tamen secreto et sine strepitu se velle exsequi dicit:

390 *δόλῳ μέτειμι τόνδε καὶ σιγῇ φόνον.*

Qua in re admodum absonum iudicatum a multis est, non solum quod res tam gravis et atrox cum choro communicatur, sed vel maxime quod chorus nihil obsistit (906 sq.), sed alia canit, et tametsi dissentit omnino a puerorum saltem occisione, nihil facit cum ea res se praesente proxime paratur, sed etiam fere consultus a Medea ne verbo quidem eam reprehendit (1043), et in fine tandem monologi canit sibi alia, nihil vero quod Medeam ab occisione deterrere possit.

Eiusmodi partes Sophocles numquam choro tribuit, sed, ut est apud Aristotelem [2]), chorum vult Sophocles semper veram esse personam quae audiat, intellegat, recordetur, adlaboret. Ad ultionem igitur Deianira apud Sophoclem quoque decurret, sed praesente chori persona. Quomodo poeta haec conciliabit? Sive ob hanc causam, sive ob aliam quampiam, constituit chorum puellarum vitae rerumque valde imperitarum [3]); id enim in

1) *πρὸς δὲ καὶ πεφύκαμεν*
γυναῖκες, ἐς μὲν ἔσθλ' ἀμηχανώταται,
κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται. (*Med.* 407—409).

Cf. *Agamemnon*, 1636 sqq., *Androm.* 85.

2) Aristot. *Art. poet.* cap. XVIII: *τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι, μὴ ὥσπερ Εὐριπίδῃ, ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλεῖ.*

Cf. mea *Sophoclei chori persona tragica* (Mnemosyne, vol. L, p. 1 sqq.).

3) Chorus quidam *Medeae* est quodammodo, ut dicitur a Medea, alienus ab huius feminae malis, tum quia patria, bonis, pace gaudet (252 sqq.), tum quia non vexatur iniuriis quibus illa a marito vexata est (815 sqq.); nullibi tamen indicatur ab Euripide eas mulieres in choro esse aut aetate juvenes aut rerum experientia orbatas.

Longe aliter Sophocles id maximopere inculcare vult; eiusque chorus est et sicut Medeae chorus liber a malis Deianirae (729) et constat puellis omni prorsus rerum experientia destitutis; id illi tam necessarium est, ut sine ea re propositum assequi nullo modo possit; nisi chorus in Trachiniis ex puellis *inexpertis* constet, improbabilis et absurda fit tota fabula. Ideone ei Sophocles ex chori nomine nomen indidit?

Ea huius chori natura ut emineat in dramate arte sua effecit Sophocles; eam

Digitized by Google

tragoedia saepe repetit iam ab initio et a primo earum ingressu (143 sqq.); eas fallit Deianira dum fingit peplum illum ad amoris irritamentum mitti, cum tamen certum sit et omnibus spectatoribus evidens ad mortem Herculi inferendam mitti.

Clytaemestra in animo habet, idque ab initio, ut omnes fere interpretes viderunt, perimere Agamemnonem; simulat tamen pacem et amorem, ironico sermone utitur, mentitur, δοκεῖ δὲ χαίρειν νοστίμῳ σωτηρίᾳ (1238). Sed postquam interfecit Agamemnonem et Cassandram, aperte et impudenter fatetur se mentitam esse neque veretur πολλῶν πάροιθε καιρίως εἰρημένων· τἀναντί' εἰπεῖν (1372, cfr. 1636).

Contra Medea primum se furiosam perhibet spectatoribus, deinde vero simulat versutissime cum Iasone et Glauce reconciliatum animum et demissionem, tametsi iam in maritum evomuerat virus acerbitatis suae; tum denique conscio et consentiente choro mittit vestem illam funestam qua pereat Creon et eius filia.

Hermione autem in Andromacha occultius agere vult, neque minus tamen Andromachae ipsi significat dolo se usuram ad eius ruinam:

ἀλλὰ γὰρ λόγους
κρύψω, τὸ δ' ἔργον αὐτὸ σημανεῖ τάχα (264).

In Trachiniis Sophocles Deianiram, suam inquam illam Deianiram, vel rectius dixerim Atheniensium Deianiram, ut primum invidia exarsit, dolo machinari facit ea quae omnes mulieres in theatro eo tempore facere solebant, cum in iis adiunctis versari fingebantur; ipsa tamen non consilia quaerit a choro sicut Medea nec dolos minatur inimicae mulieri, quemadmodum Hermione, nec eos explicat postquam perfecti sunt, sicut Clytaemestra Aeschyli [1]), sed ita agit ut chorus

etiam ob causam chorum ita removit a mente spectatorum in postrema parte, ut optime possit etiam ex oculis eorum removeri, postquam ingressus est theatrum Hercules. Vix enim, plus trecentis versibus duo disticha dicit per totum hoc tempus, quorum alterum abest a fine fabulae plus centum sexaginta versibus; et ne in extrema quidem tragoedia epiphonema illud profert quod in reliquis omnibus tragoediis Sophocleis. Adeo elucet hunc chorum ad dolos Deianirae perducendos tantummodo constitutum esse a Sophocle.

1) Illa tamen omnia, et consiliorum petitionem et doli praedictionem et eorum detectionem, Sophocles, qui eius est mos in tragoediis in quibus Aeschylum et

Digitized by Google

quidem puellarum decipi possit, spectatores vero clarissime perspiciant dolos subtexi, multo quidem clarius quam spectatores Agamemnonis ex. c. potuerunt ironiam primae partis tragoediae intellegere. Non clarius rem explicat Sophocles, sed non necesse erat id explicare illis spectatoribus qui cum nossent eam Deianiram, videbant eam veste, persona, motibus barbaram, cum puellis inexpertis agentem et sermone ancipiti utentem quem infra explicabo.

Videlicet, postquam (351—374) nuntius declaravit falsa ea fuisse quae rettulisset Lichas, et cruda claritate ostendit Deianirae Herculem caeco amore ferri in Iolen [1]), hanc vero esse iam novam uxorem pro Deianira, haec mulier quae irritamina cuncta habet quae habuit Medea, iam de Iole male sentit et zelotypia accendi coepit. Id apud omnes in comperto est. Sed rerum veritas inquirenda et ex Licha extundenda erat idque non vi sed dolo: finxit igitur iam a primis verbis animum tranquillum, addidit sermonem revera indignum ea Deianira quae a commentatoribus describitur (436—469); adiuvit eam chorus (470, 471); fassus est tandem omnia Lichas; ut omnes concedunt, (490—496) iam illud quod factura est, quidquid tandem illud est, firmum et definitum in animo habet.

Post cantum, astus suos explicat choro (531—587), id est, verum rerum statum perfecte novit: Iole vera uxor futura est Herculis; id acriter dolet, acerba ironia iam [2]) a principio utitur (540 sqq.); bis in iram fere concitatur, bis retro cedit

---

Euripidem sequitur et corrigit, ea, inquam, omnia significat tacite: iram Medeae, cum saepe ait Deianira se irasci nec scire nec velle; vindictam iam sumptam, cum ait in fine Hyllus: *κοὐδὲν τούτων ὅτι μὴ Ζεύς.* (Cf. *Med.* 1215: *πολλῶν ταμίας Ζεὺς ἐν Ὀλύμπῳ.... Agamem.* 1485: *Ἰώ, Ἰή, διαὶ Διὸς παναιτίου πανεργέτα· τί γὰρ βροτοῖς ἄνευ Διὸς τελεῖται·* cf. *Androm.* 1287), consiliorum communicationem velatam (375) et cum se Deianira malas artes ignorare profitetur et male dissimulat coram spectatoribus, tum denique alia multa.

1) Sophocles Deianiram suam cogitare saepe facit non solum Herculem amore esse raptum, sed etiam ipsam Iolen in eum accensam esse non minus ardenti amore (445 sqq.).

2) Nemo id infitiabitur qui eum locum totum attente legerit. Hic etiam facit occulte Deianira quod aperte, Sophoclis iudicio nimis aperte, facit Medea, dum ait se tranquille allocuturam et amice Iasonem, id vero totum fictum esse (807): *μηδείς με φαύλην κἀσθενῆ νομιζέτω....*

Digitized by Google

(543, 552), paratum habet iam „veneno" hydrae unctum peplum, quem ut secreto mittat Herculi, misere decipit puellas et totam fabulam Nessi congressus conturbat, unde tot difficultates chronologicae, historicae, litterariae exortae sunt commentatoribus, quia haec omnia sincere et sine dolo dicta esse existimarunt. Ea autem ita composita sunt ut ipsae virgines quibus chorus constat plene iis fidere non audeant et prudentiam commendent et ad experimentum exhortentur Deianiram. Tum ipsa: τὸ μὲν δοκεῖν ἔνεστι (590, cfr. Agamemn. 1238).

At ecce Lichas denuo adest; nova mendacia Deianirae: illum peplum mitti ad Herculem quia ita diis promisisset.... (itane vero?) πανδικῶς, ut coniugem suum exhiberet

θυτῆρα καινῷ καινὸν ἐν πεπλώματι (613).

Cfr. etiam 867, 873.

Clarior esse nequit ironia. A versu 672 exponit ipsa quid timeat ex his quae lanae acciderant qua unxit peplum, et tunc demum intellegit (candida Deianira!) omnia haec se debuisse suspicari antea [1]), siquidem noverat eo ipso veneno Chironem centaurum fuisse male mulcatum: qui enim tanquam illecebram amoris Herculis daret quidquam ille Nessus qui ab ipso Hercule occidebatur? Et ipsa profitetur se quoque simul perituram: κεῖνος εἰ σφαλήσεται

ταὐτῇ σὺν ὁρμῇ κἀμὲ συνθανεῖν ἅμα (720).

1) Volckmari *Disputatio de Sophoclis Trachiniis*, Nordhusae (1839) p. 20 (explicat hoc loco triplicem Aristotelis (Poet. 17) anagnorismon): „Deinde narrat, quo casu intellexerit venenosam cruoris excetrae Lernaeae vim, tractum laneum illo tinctum evanuisse videns solis radiis (ἀναγν. διὰ σημείου). Obstupefacta recordatur Chironis eodem veneno enecati (ἀν. διὰ μνήμης). Hac igitur rabida cruoris vi Herculem quoque interfectum iri colligit (ἀν. ἐκ συλλογισμοῦ). A Nesso se dicit occaecatam esse, quominus hoc prius animadverteret. Quanquam omnino antea non curaverat philtrum, per multos annos intactum relinquens; nec non festinare rem coacta fuerat νέων ἀισσόντων γάμων (cf. 838 sqq.). — Cur vero fusius exponit Nessi de asservando philtro praecepta? cur nunc demum aperit, quomodo pallium inunxerit? cur non antea haec narravit v. 570 sq., Nessi praecepta leviter modo tetigit v. 577 sq., Lichae praecipiens (v. 603 sq.) nullum metum movere potuit (cf. v. 553, 575 sqq.). Omnibus autem, quae ad venenum pertinebant, h. l. junctim prolatis haud levis existit horror, ad praeparandam terrificam Hylli, quae sequitur, narrationem necessarius". Non ea aesthetica tantum causa est, nec illius brevitatis nec huius amplificationis, sed dolorum certissima apparatio.

Digitized by Google

III.

Iam vero Deianiram ipsam in dramate agentem propius contemplemur. Nisi ita ut dixi actio explicatur, si omnia veluti serio dicta excipiuntur, quot et quanta sunt absona: ait coniugem suum turpissime saepe cum aliis mulieribus vixisse, et ipsa nec antea est umquam stomachata, nec nunc potest irasci in Herculem [1]). Singularem stuporem in Aetola viragine! Erat etiamnum puella cum a Nesso est sollicitata, et tamen iam Hercules hydram necarat, siquidem eius veneno peremit Nessum, et reliqua athla confecerat, nam iam ad inferos descenderat et Meleagrum hortantem audierat, ut duceret uxorem Deianiram; flumen eam transportabat Nessus et tamen sagitta vulneratur ab Hercule cum summo periculo uxorem suam aut sagitta feriendi aut in aquam demergendi; dicit Nessum periisse ab Hercule et tamen ab eo accipit φάρμακον ad amorem Herculis sibi conciliandum; habet a pueritia fere hoc φάρμακον domi et tamen numquam id adhibuit aut adhibere conata est in tot mariti infidelitatibus; noverat hydrae venenum hoc mortiferum esse, si quidem Chironem centaurum laeserat, et tamen eo candide utitur ad amorem Herculis pelliciendum.

Quod si quis putat severius quam par est huius feminae facta nos interpretari, legat versus 436—469, ubi certo constat eam mentiri Lichae multis in rebus, et eo sermone uti qui etiam ipsis Deianirae laudatoribus mirus visus est, et est indignus omni bene nata et generosa muliere. Illud, quod cum Iola Hercules faciat, nihil habere indecori, nihil quod sibi sit damno? (448, cfr. v. 538). Mulieres multas ductas fuisse ab Hercule, numquam se ob eam causam Herculi fuisse iratam? se hanc stolam ideo mittere quia sic diis olim devovisset? quid igitur sibi volunt versus 555 sqq.?

Revera non sine causa Lichas ipse, qui antea confinxerat nuntia ut velaret veritatem, agnovit nunc Deianiram θνητὴν θρασυνθεῖσαν θνητὰ κοὐκ ἀγνώμονα (473), et miratur et stupet hanc

1) Qui id inde explicare conantur quod *domum* nulla antea adducta fuerit mulier ante Iolen, ignorant prorsus aut dissimulant terribilem huius passionis naturam et indolem; tamen ita explicatur a multis etiam recentibus commentatoribus.

Digitized by Google

rationem agendi quam putat sinceram: ὥστ' ἐκπλαγῆναι τοὐμὸν ἡδονῇ κέαρ (629).

IV.

Age vero, si fraudis et dolorum nihil versatur in tragoedia hac et Deianira innocua et simplicissima coniux est, quorsum Sophocles rem ita disponit ut doli identidem et fere continenter et assidue animum subeant illorum maxime auditorum qui noverant Deianirae res gestas quique et illius et theatri Dionysiaci mores callebant, praesertim si iam Euripidis Medeae interfuissent?

Videamus illud quod est Herculi missura quid tandem sit. Cum suas artes molitur Medea dicit choro:

μολόντι δ' αὐτῷ μαλθακοὺς λέξω λόγους,
ὡς καὶ δοκεῖ μοι ταὐτά, καὶ καλῶς ἔχειν
γάμους τυράννων οὓς προδοὺς ἡμᾶς ἔχει (776–779);

eadem omnino ait Lichae Deianira (436 sqq.), nihil se offendi, stultam fore si Herculi stomachetur ob eas nugas, nosse se vim amoris.

Explicat Medea statim quorsum haec sit dictura Iasoni:

ἀλλ' ὡς δόλοισι παῖδα βασιλέως κτάνω (783).

Id autem est in eum finem factura: mittet dona, peplum:

πέμψω γὰρ αὐτοὺς δῶρ' ἔχοντας ἐν χεροῖν,
νύμφῃ φέροντας, τήνδε μὴ φυγεῖν χθόνα,
λεπτόν τε πέπλον καὶ πλόκον χρυσήλατον (782–786).

Eiusmodi erit hoc donum ut simul ac corpori applicatum fuerit perimat:

κἄνπερ λαβοῦσα κόσμον ἀμφιβῇ χροΐ,
κακῶς ὀλεῖται πᾶς θ' ὃς ἂν θίγῃ κόρης (787, 788).

Deianira quoque, ut ipsa dicit, accepit dona, mittet dona, eaque applicanda Herculi: donum accepit (id est, Iolen), quale est ipsa, confestim descriptura λωβητὸν ἐμπόλημα τῆς ἐμῆς Φρενός (538); vult applicare huic dono aliud donum eo dignum:

ἅ τ' ἀντὶ δώρων δῶρα χρὴ προσαρμόσαι [1])
καὶ ταῦτ' ἄγης· κενὸν γὰρ οὐ δίκαιά σε

1) De *poena* applicanda usurpatur hoc verbum etiam in Oed. Col.:
νῦν δ' οὕσπερ αὐτὸς τοὺς νόμους εἰσῆλθ' ἔχων
τούτοισι κοὐκ ἄλλοισιν ἁρμοσθήσεται.

Digitized by Google

χωρεῖν, προσελθόν θ' ὧδε σὺν πολλῷ στόλῳ (494–496). Cfr. 603.

Estne hic tacita solum ironia et ipsi Deianirae ignota, ut volunt interpretes, an etiam diserta et praecogitata significatio futurae necis? Cum iam in eo est ut Medea mittat donum, ficte et dolose Iasonem alloquitur similibus verbis:

947 πέμψω γὰρ αὐτῇ δῶρ' ἃ καλλιστεύεται
τῶν νῦν ἐν ἀνθρώποισιν, οἷδ' ἐγώ, πολύ

idemque fere repetit statim vv. 958, 964, 974. Deianira quoque ita exornari vult virum suum: θυτῆρα καινῷ καινὸν ἐν πεπλώματι (613).

Narrat deinde choro Deianira quid consilii ceperit, et quasi nescia simulandi ait (post versum 541!):

ἐγὼ δὲ θυμοῦσθαι μὲν οὐκ ἐπίσταμαι (543)

et iterum paulo inferius:

κακὰς δὲ τόλμας μήτ' ἐπισταίμην ἐγώ
μήτ' ἐκμάθοιμι, τάς τε τολμώσας στυγῶ (582, 583)

multo apertius Medea dixit se dissimulaturam iram suam (776), et dissimulavit (869 sqq.) et ait dum dabat peplum: οὗτοι δῶρα μεμπτὰ δέξεται (958). Ita etiam Clytaemestra postquam mentita est de Oreste:

τοιάδε μέντοι σκῆψις οὐ δόλον Φέρει (886).

Quae Deianirae ratio agendi tam suspiciosa etiam ipsis puellis chori videtur ut urgeant Deianiram ut prudentius agat (588—593), quibus ea tum: τὸ μὲν δοκεῖν ἔνεστι ait (cfr. etiam 588, 592), sicut olim Clytaemestram fecisse dicit Cassandra (1268), tum alia ludit: (πίστις, cfr. 623, πεῖρα κτλ.). Tam clare loquitur Sophocles.

Cum autem accedentem prospicit Licham, ut secretum sibi celent rogat enixe: μόνον παρ' ὑμῶν εὖ στεγοίμεθα (596); si de philtro ageretur tantummodo, quid erat quod adeo celaretur et quod Licham ignorare adeo expediret? Maxime vero cur eam turpem causam afferat, qua suam fraudem paene diserte fateatur:

ὡς σκότῳ
κἂν αἰσχρὰ πράσσῃς, οὔποτ' αἰσχύνῃ πεσεῖ (595, 596)?

De dolis qui sermoni Deianirae cum Licha subsunt, dixi iam antea.

Digitized by Google

Postquam vero abiit Lichas, iam ostendi quam aut nimis stulte aut vere fraudulenter loquatur Deianira accusetque credulitatem suam qua Nesso temere fisa sit. Sed tandem Sophocles quo intendit cum accusatam Deianiram a filio de crudelissimo parricidio ne verbulo quidem se purgare fingit? Immo vero ne postea quidem, cum iam domum ingressa filium videt lectulos patri venienti sternentem, ne tunc quidem eam filio se errore peccasse, sed multa alia dicere fingit (920 sqq.) neque usquam eam se de eo crimine purgare facit.

Id autem est multo gravius si hoc consideratur: Sophocles voluit tandem filium credere Deianiram errore peccasse, non dolo; constituit autem ut doceretur non ab ipsa parente, ut par erat, non a nutrice quacum versatus est cum mater peribat (929 sqq.), non a choro, qui rem ita existimat fuisse, sed a quo? a nescio quo domi ἐκδιδαχθείς τῶν κατ' οἶκον (964), a matre vero quam parricidii insimulaverat ne verbum quidem audiret.

Et si ipse Hercules, qui furiosus venit ut uxorem manibus discerpat si potest (1136—1142), docendus est de Deianirae innocentia, a filio, a filio ita per servuli cuiuspiam rumores edocto et ab eo solo de errore, si error tandem est, deducendus est?

Ubi est iam summa illa Sophoclis peritia in anagnorismis enarrandis quae in aliis tragoediis (ex. gr. in Oedipo Rege et Electra) tantopere eminet?

Magis etiam miranda sunt verba quibus postremo alloquitur Deianiram chorus, tragico illo silentio iam discedentem de theatro: „quid ita silentio recedis? nonne vides, si sileas, a te omnes has accusationes confirmari?". Scilicet sicut abeunte simillimo modo Eurydice in *Antigona* clamavit chorus: „quid de ea conieceris? mulier abiit et evanuit, nec verbum protulit nec bonum nec malum", et paulo post: „nescio, ego et nimis altum silentium metuo et nimis alta verba", ita nunc etiam eiusdem Sophoclis chorus; et sicut illic illi senes futura praesentiebant, ita hae virgines praesentium rerum statum significant [1]).

1) Pertinet hoc ad viam et rationem scribendi Sophocleam: in eadem *Antigona* eodem modo exclamat chorus cum Haemonem silentio abeuntem cernit.

Digitized by Google

Hoc igitur Sophocles mentibus nostris inculcat: accusatur Deianira a filio, accusanda est a marito, fere accusatur a choro. Tacet, consentire videtur. Sin minus, imperitissime totum hoc episodium fabricavit.

Summam totius huius dramatis, ita ut dixi explicati, videntur facere verba illa, operis *περὶ τῶν ἀρεσκόντων Φιλοσόφοις*... [1]) ex antiquo aliquo philosopho fortasse Sophoclis aequali deprompta, dum negant iustos esse deos, siquidem viros bonos perdant, et iniquos extollant; quo loco Deianira et tanquam perdita mulier adducitur, et dolo molitur necem Herculis illius qui humano generi tanta bona comparaverit, et moribus mente factis Clytaemestrae aequiparatur Agamemnonem malo dolo interficienti: *πῶς δέ, εἴπερ ὁ θεὸς ἔστι, καὶ τῇ τούτου Φροντίδι τὰ κατ' ἄνθρωπον οἰκονομεῖται, τὸ μὲν κίβδηλον εὐτυχεῖ, τὸ δ' ἀστεῖον τἀναντία πάσχει;* *Ἀγαμέμνων τε γάρ,*

ἀμΦότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής,
ὑπὸ μοιχοῦ καὶ μοιχάδος ἡττηθεὶς ἐδολοΦονήθη· καὶ ὁ τούτου δὲ συγγενὴς Ἡρακλῆς πολλὰ τῶν ἐπιλυμαινομένων τὸν ἀνθρώπινον βίον

---

766 *ἀνὴρ, ἄναξ, βέβηκεν ἐξ ὀργῆς ταχύς·*
νοῦς δ' ἐστὶ τηλικοῦτος ἀλγήσας βαρύς

et in *Oed. Rege* abit Iocasta omnino sicut hic Deianira; tunc chorus calamitatem praesentiens:

1073 *τί ποτε βέβηκεν, Οἰδίπους, ὑπ' ἀγρίας*
ἄξασα λύπης ἡ γυνή; δέδοιχ' ὅπως
μὴ 'κ τῆς σιωπῆς τῆσδ' ἀναρρήξει κακά.

1) Plutarcho tribuebatur... iam a saec. II haec „De placitis Philosophorum epitome" (Christ-Schmidt, *Griech. Litteraturgesch.* n. 582), sed profecto e libro multo antiquiore excerpta est. Diels quidem non solum opus ipsum sed etiam hoc maxime caput septimum ex Aëtii *Placitis*, quae a Theophrasto pendebant, decerptum esse confirmat (*Doxographi graeci*, collegit, recensuit, prolegomenis indicibusque instruxit Hermannus Diels, Berolini, MDCCCLXXIX). Tametsi vero totum opus refert antiquiora tempora, hoc praecipue caput VII, *τίς ἐστιν ὁ θεός*, breve admodum et simplex, versatur totum in antiquissimis philosophis excerpendis; qui omnes fere sunt saec. VI, V, IV: Diagoras Malius, Theodorus Cyrenaeus, Euhemerus Tegeates, Thales, Anaximander, Pythagoras, Socrates, Aristoteles, Democritus, Stoici, poëta Euripides, frequenterque Plato; recentissimi omnium Epicurus et poëta Callimachus.

Verba haec quibus de Deianira loquitur, etsi nulli scriptori tribuit ea, sed dicit tanquam propria libelli auctor, dum refutat Platonem, tamen sumpta sunt sine dubio ex fonte aliquo antiquissimo. Nam cum liber scriptus est saec. II, nemo ita sentiebat de Deianira; praeterea ita confectus liber est, ut vix quidquam proprium et tanquam ab auctore excogitatum expromat.

Digitized by Google

Fabula ipsa accusatur quod minus cohaereat cum his quae ante drama de personis erant nota; in ipsa tragoedia multa reperiuntur minus cohaerentia et etiam aperte inter se pugnantia; actio exagitatur quasi fluxa et incerta; reprehenditur nexus ille aut debilis aut nullus secundae partis cum prima, quem explicare non possunt neque conantur nisi adducto exemplo similis peccati in Aiace; et tametsi in caelum tollitur fere ab omnibus Deianira, tamquam sanctissima coniux et omnium in antiquitate feminarum perfectissima, damnantur aliae personae et praesertim condemnatur Hercules eiusque et ingressus et vulnera et lamentationes in scaena; eaque nobis deliberatio difficilis est quomodo et Sophocles ita hanc tragoediam scribere potuerit et antiquitas eam cum aliis sex inter selectissimas Colonei poetae tragoedias nobis suis posteris tradiderit.

Sed nolo eum, qui me legat, morari diutius longiore expositione rei tam facilis quam his, quos nunc alloquor, inutilis [1]). Commemoravi haec tantummodo ut ostenderem operae pretium esse excutere et explorare denuo et sine metu hanc tragoediam, ne forte subsit nobis interpretantibus aliquis error quo splendor Sophoclis sit ob oculos nostros immerito obscuratus.

I.

Et quoniam haec tragoedia non nobis scripta est sed illis Atheniensibus qui cum Sophocle vivebant, diligenter investigandum nobis est quo illi animo ei interessent, quid de tota fabula nossent antequam in scaena ageretur, et quid vel maxime de Deianira sentirent, quae maximam occupat dramatis partem.

Eam feminam nobis luculenter descripserunt ii ipsi commentatores qui in tragoediae interpretatione longe a nobis absunt, Jebb Wilamowitz Radermacher Zielinski Schneidewin A. Müller K. Kunst ceteri. „Non novimus, ait Jebb, qualis

einzelnen wie in der ganzen Anlage die Kritik hervorgerufen, so dass sogar der Versuch gemacht werden konnte, Sophokles das Stück ganz abzusprechen" (T. v. Wilamowitz-Möllendorff, *Die dramatische Technik des Sophokles*, p. 89).

1) Plura dabunt alii scriptores, ex. c. W. Schmid in *Philologo* (1903 sq. 1, sqq.), et deinde in *Griech. Litteraturgesch.*, (I, n. 176), ubi audet de Deianirae fama detrahere quantum nemo ausus erat ante eum: „Nirgends sonst hat Sophokles das Weib so von der Seite ihrer Schwäche dargestellt".

Digitized by Google

fuerit et Pindari et Archilochi Deianira, sed veri simile est in antiqua Aetolica traditione eam omnino aliam fuisse ac Deianiram Sophocleam. Postquam enim cum Herculis fabula eius fabula connexa est, nomen Δηϊάνειρα significavit „*coniugis* peremptricem", sed olim ante adventum Dorium in Graeciam, cum primum reperta ab Aetolis est et nihildum ad Herculem pertinebat, Deinanira significavit „*hominum* destructricem"; amazoniam naturam denotabat, sicut amazones dicebantur ἀντιάνειραι. Filia Oenei vere genuino sanguine Aetolico nata in venatorum et bellatorum loco αὐτὴ δὲ ἡνιόχει καὶ τὰ κατὰ πόλεμον ἤσκει (APOLL. Bibl. 1, 8, 1) [1]). Radermacher eam tam valentem et robustam olim fuisse comperit, ut si eius antiqua imago retineatur, raptus ille et congressus cum Nesso haberi non potuerit, qualis describitur in dramate, ideoque hunc recentissimum esse autumavit. Praeterea dici Martis filiam et esse matrem Hylleidos tribus, vere pugnacis et bellicosae, unius ex Doricis fortissimae [2]). Plura sunt et copiosiora documenta apud utrumque Wilamowitzium reliquosque scriptores, quibus haec confirmantur uberius.

Haec igitur Herculea coniux ob oculos spectatorum obiecta a Sophocle est, et ea omnibus illis adiunctis circumdata quibus in eorum mente et memoria erat cincta. Ut exemplo utar, fabulam Nessi et Deianirae noverant, non eam quae in dramate narratur, sed eam quae ab antiqua traditione et imaginibus fuerat eis conservata. Nessus igitur eorum, non dum puella imbellis erat, Deianiram tentavit, sed iam robore et viribus valentem, nec in flumine transeundo, sed in littore, id enim in omnibus ante Sophoclem picturis exhiberi certissimum est.

Quod si iam interrogamus Athenienses quid de Deianira vulgo feratur Athenis et extra theatrum, habemus praeclarum documentum quod praetermittere in huius dramatis interpretatione non possumus: nihil erat eis magis odiosum, nihil magis superbum in mulieribus quam Iuno; est in hoc ipso dramate huius rei testimonium, cum Hercules nihil crudelius ea dea reperit ut ferociam et vim Deianirae exaggeret: κοὔπω

1) Jebb, *The Trachiniae*, Introduction, p. 11.

2) *Sophokles*, erklärt von F. W. Schneidewin und A. Nauck, Sechstes Bändchen: *Trachinierinnen*, 7 Aufl. von L. Radermacher, Einleitung, p. 9.

Digitized by Google

τοιοῦτον οὔτ' ἄκοιτις ἡ Διός... (1048). Omphalen vero tyrannicos mores habuisse Graecis visam esse novit quisquis de Hercule aliquid audivit. Iam vero, huic Iunoni, huic Omphalae comparata est passim ab Atheniensibus Deianira; nam ait de Aspasia Plutarchus: ἐν δὲ ταῖς κωμῳδίαις Ὀμφάλη τε νέα καὶ Δηϊάνειρα καὶ πάλιν Ἥρα προσαγορεύεται [1]); quod fieri a comicis non potuisset nisi et ipsi et auditores ita de Deianira sentirent. Id si paulo post Sophoclis tragoediam fiebat, a nobis praeteriri non potest, si vero ante eam, nec praeteriri a nobis potest nec a Sophocle potuit.

Talem igitur Deianiram talibus spectatoribus adduxit in theatrum Sophocles, verum non illa usitata sua virilitate quam ex Aetolia attulerat, sed in eiusmodi rerum discrimen adductam, quo etiam infirmissimae mulieres solent acerrimae fieri et violentissimae, scilicet, cum in his quae ad torum pertinent iniuriam passae sunt, quo tempore quam soleant exardescere in furiosam iram norunt optime Graeci:

ὅταν δ' εἰς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ,
οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα [2]).

Materies est haec non ignota theatro graeco, quippe quae etiam in Aeschyli Agamemnone et in Andromacha et Medea Euripidis agitetur.

Apud Aeschylum Clytaemestra, etsi est ipsa iisdem peccatis implicata, tamen cum videt Cassandram adduci domum, machinatur homicidium et tum ipsam Cassandram, tum Agamemnonem occidit, quemadmodum iam Cassandra (1260) praeviderat futurum [3]).

1) Plut. *Pericles*, 24.

2) *Medea*, 265, 266; cf. etiam *Andromacha*, 240 sqq.

3) Multa sunt inter Aeschyli *Agamemnonem* et Sophoclis *Trachinias* similia; etiam ipsum Cassandrae silentium simile est silentio Iolae, et peplum Deianirae non multum abest a tapetibus quibus via πορφυρόστρωτος strata Agamemnoni est Clytaemestra ἐς δῶμ' ἄελπτον ὡς ἂν ἡγῆται δική (911).

Ad. Müller (*Kommentar zu Soph.*, 418): „In beiden Stücken steht die Ankunft eines Helden bevor, der lange fern war. Beide Helden kehren heim von der Bezwingung einer Stadt: Agamemnon hat Troja, Herakles Oichalia zerstört, beide haben ein Königsgeschlecht vertilgt, beiden ist als Siegesbeute der gleiche köstliche Preis geworden, eine auserlesene Jungfrau aus königlichem Geblüt. Beide haben die Frucht ihres Sieges schon genossen und führen die Beute in ihr Haus,

Digitized by Google

Andromacham cum videt iam Neoptolemo nuptam, invidia et ira accensa Hermione, nova coniux, eam cum filio interimere tentat dum abest maritus, cumque ad id facinus perpetrandum impeditur, ipsa sibi vim inferre conatur et tandem fugit. Videlicet erat tunc etiam verum, et non minus Euripidi quam Sophocli et Aeschylo:

ἐπίφθονόν τοι χρῆμα θηλείας φρενὸς
καὶ συγγάμοισι δυσμενὲς μάλιστ' ἀεί
(Androm. 182; cfr. 241).

Sed omnium maxima est similitudo Trachiniarum cum Medea Euripidis. Deianira, ut Medea, est barbara mulier; utraque versatur veluti exsul in Graecia, illa Trachine, haec Corinthi. Filia est Oenei Deianira, aut si alios audias Bacchi (Oeneus Οἰνεύς), sicut est filia Aeetae et neptis Solis Medea; Deianira Aetolia mulier et vere Aetolia, ex venatorum bellique regione, audax et bellicosa, arma et currus agitare solita, immo vero non inscia pugnae qua etiam de curru cum viro pugnavit contra Dryopes, quo in bello etiam vulnus pectore accepit [1]); Medea ex Colchide, pharmacorum loco, venefica ipsa et ferox, quae et fratrem occidit et alios veneno confecit [2]).

Utraque nacta est virum connubio infidum, hoc tamen discrimine quod Medeae maritus, Iason, tunc videtur primo in uxorem peccasse; Deianirae vero, si huic est credendum (459), tam frequenter tamque turpiter sese in istas impudicitias ingurgitavit, ut mirari debeamus quod non antea uxor furore excanduerit, et causas quaerere cur nunc tandem abripiatur furore.

In utroque dramate infidelis maritus detrudit in verae uxoris domum amasiam, Hercules Iolam, regis filiam sed bello captam, Iason filiam Creontis, Glaucen, ipsam regnantem opibusque florentem.

---

damit ihren Gemahlinnen eine Schmach antuend. In beiden Stücken sind nicht die Männer die Helden trotz ihrer sonstigen Bedeutung, sondern die Frauen, in beiden finden die Gatten bei der Rückkehr den Tod durch ihre Gemahlinnen, dort mit Hilfe eines Gewandes, hier durch ein Gewand.

Anderseits, welch fundamentaler Gegensatz in den Charakteren und der Handlungsweise beider Heldinnen!"

1) *Schol. Apollon. Rhod.* I, 1212.

2) V. Seeliger in Roscheri *Lex. d. Mythol.* s. v. Medeia, II, 2483.

Digitized by Google

Quid mulieri quae talia patiatur faciendum putent Athenienses, dicunt quotiens ea res agitur in scaena:

Ὑπ. — Μῶν εἰς γυναῖκ' ἔρραψας οἷα δὴ γυνή;
Ὑπ. — Φόνον γ' ἐκείνη καὶ τέκνῳ νοθαγενεῖ
(Androm., 911, 912).

Κείνου... ἥ τ' αἰχμάλωτος ἥδε καὶ κοινόλεκτρος... πιστὴ ξύνευνος
(Agamemn., 1441; cfr. 1260. Cfr. Medea passim: 160—165).

Itaque Medea quae Colchis est et veneficia infinita novit et saepissime applicuit, non tamen eis ad amorem Iasonis pelliciendum utitur, sed necem solam molitur puellae illius competitoris, idque tam naturale putat quam ipsi spectatores Atheniensis. Ne igitur putemus tam imperitum Sophoclem ut illam [illegible] et barbaram Deianiram meditari fecerit coram illis Atheniensibus, [illegible] ad amorem concitandum in illo impudentissimo [illegible] multo impudentiore quam Iason fuit.

[illegible] Herculem coniugem expulisse sibi saepe multas [illegible] amore huius puellae ob [illegible] et ob [illegible] fecisse, scit iam iam [illegible] idque tam [illegible] dissimulandum [illegible] esse eam [illegible] ut ipsa credit et [illegible] grandaevam [illegible] amatum, utramque [illegible] quid tandem [illegible] devincire ut [illegible]

[illegible] et ad [illegible] [illegible] et [illegible]

statim exponit choro se dolo, non ferro, neces perfecturam: *κράτιστα τὴν εὐθεῖαν, ἢ πεφύκαμεν | σοφαὶ μάλιστα, φαρμάκοις κτείνειν ἐλεῖν* (384 sq.). Non quia neptis Solis est, sed quia mulier est [1]), novit omnes has malas artes; eas tamen secreto et sine strepitu se velle exsequi dicit:

390 *δόλῳ μέτειμι τόνδε καὶ σιγῇ Φόνον.*

Qua in re admodum absonum iudicatum a multis est, non solum quod res tam gravis et atrox cum choro communicatur, sed vel maxime quod chorus nihil obsistit (906 sq.), sed alia canit, et tametsi dissentit omnino a puerorum saltem occisione, nihil facit cum ea res se praesente proxime paratur, sed etiam fere consultus a Medea ne verbo quidem eam reprehendit (1043), et in fine tandem monologi canit sibi alia, nihil vero quod Medeam ab occisione deterrere possit.

Eiusmodi partes Sophocles numquam choro tribuit, sed, ut est apud Aristotelem [2]), chorum vult Sophocles semper veram esse personam quae audiat, intellegat, recordetur, adlaboret. Ad ultionem igitur Deianira apud Sophoclem quoque decurret, sed praesente chori persona. Quomodo poeta haec conciliabit? Sive ob hanc causam, sive ob aliam quampiam, constituit chorum puellarum vitae rerumque valde imperitarum [3]); id enim in

1) *πρὸς δὲ καὶ πεφύκαμεν*
γυναῖκες, ἐς μὲν ἔσθλ' ἀμηχανώταται,
κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται. (*Med.* 407—409).

Cf. *Agamemnon*, 1636 sqq., *Androm.* 85.

2) Aristot. *Art. poet.* cap. XVIII: *τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι, μὴ ὥσπερ Εὐριπίδῃ, ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλεῖ.*

Cf. mea *Sophoclei chori persona tragica* (Mnemosyne, vol. L, p. 1 sqq.).

3) Chorus quidam *Medeae* est quodammodo, ut dicitur a Medea, alienus ab huius feminae malis, tum quia patria, bonis, pace gaudet (252 sqq.), tum quia non vexatur iniuriis quibus illa a marito vexata est (815 sqq.); nullibi tamen indicatur ab Euripide eas mulieres in choro esse aut aetate juvenes aut rerum experientia orbatas.

Longe aliter Sophocles id maximopere inculcare vult; eiusque chorus est et sicut Medeae chorus liber a malis Deianirae (729) et constat puellis omni prorsus rerum experientia destitutis; id illi tam necessarium est, ut sine ea re propositum assequi nullo modo possit; nisi chorus in Trachiniis ex puellis *inexpertis* constet, improbabilis et absurda fit tota fabula. Ideone ei Sophocles ex chori nomine nomen indidit?

Ea huius chori natura ut emineat in dramate arte sua effecit Sophocles; eam

Digitized by Google

tragoedia saepe repetit iam ab initio et a primo earum ingressu (143 sqq.); eas fallit Deianira dum fingit peplum illum ad amoris irritamentum mitti, cum tamen certum sit et omnibus spectatoribus evidens ad mortem Herculi inferendam mitti.

Clytaemestra in animo habet, idque ab initio, ut omnes fere interpretes viderunt, perimere Agamemnonem; simulat tamen pacem et amorem, ironico sermone utitur, mentitur, *δοκεῖ δὲ χαίρειν νοστίμῳ σωτηρίᾳ* (1238). Sed postquam interfecit Agamemnonem et Cassandram, aperte et impudenter fatetur se mentitam esse neque veretur *πολλῶν πάροιθε καιρίως εἰρημένων | τἀναντί' εἰπεῖν* (1372, cfr. 1636).

Contra Medea primum se furiosam perhibet spectatoribus, deinde vero simulat versutissime cum Iasone et Glauce reconciliatum animum et demissionem, tametsi iam in maritum evomuerat virus acerbitatis suae; tum denique conscio et consentiente choro mittit vestem illam funestam qua pereat Creon et eius filia.

Hermione autem in Andromacha occultius agere vult, neque minus tamen Andromachae ipsi significat dolo se usuram ad eius ruinam:

ἀλλὰ γὰρ λόγους
κρύψω, τὸ δ' ἔργον αὐτὸ σημανεῖ τάχα (264).

In Trachiniis Sophocles Deianiram, suam inquam illam Deianiram, vel rectius dixerim Atheniensium Deianiram, ut primum invidia exarsit, dolo machinari facit ea quae omnes mulieres in theatro eo tempore facere solebant, cum in iis adiunctis versari fingebantur; ipsa tamen non consilia quaerit a choro sicut Medea nec dolos minatur inimicae mulieri, quemadmodum Hermione, nec eos explicat postquam perfecti sunt, sicut Clytaemestra Aeschyli [1]), sed ita agit ut chorus

etiam ob causam chorum ita removit a mente spectatorum in postrema parte, ut optime possit etiam ex oculis eorum removeri, postquam ingressus est theatrum Hercules. Vix enim, plus trecentis versibus duo disticha dicit per totum hoc tempus, quorum alterum abest a fine fabulae plus centum sexaginta versibus; et ne in extrema quidem tragoedia epiphonema illud profert quod in reliquis omnibus tragoediis Sophocleis. Adeo elucet hunc chorum ad dolos Deianirae perducendos tantummodo constitutum esse a Sophocle.

1) Illa tamen omnia, et consiliorum petitionem et doli praedictionem et eorum detectionem, Sophocles, qui eius est mos in tragoediis in quibus Aeschylum et

Digitized by Google

quidem puellarum decipi possit, spectatores vero clarissime perspiciant dolos subtexi, multo quidem clarius quam spectatores Agamemnonis ex. c. potuerunt ironiam primae partis tragoediae intellegere. Non clarius rem explicat Sophocles, sed non necesse erat id explicare illis spectatoribus qui cum nossent eam Deianiram, videbant eam veste, persona, motibus barbaram, cum puellis inexpertis agentem et sermone ancipiti utentem quem infra explicabo.

Videlicet, postquam (351—374) nuntius declaravit falsa ea fuisse quae rettulisset Lichas, et cruda claritate ostendit Deianirae Herculem caeco amore ferri in Iolen [1]), hanc vero esse iam novam uxorem pro Deianira, haec mulier quae irritamina cuncta habet quae habuit Medea, iam de Iole male sentit et zelotypia accendi coepit. Id apud omnes in comperto est. Sed rerum veritas inquirenda et ex Licha extundenda erat idque non vi sed dolo: finxit igitur iam a primis verbis animum tranquillum, addidit sermonem revera indignum ea Deianira quae a commentatoribus describitur (436—469); adiuvit eam chorus (470, 471); fassus est tandem omnia Lichas; ut omnes concedunt, (490—496) iam illud quod factura est, quidquid tandem illud est, firmum et definitum in animo habet.

Post cantum, astus suos explicat choro (531—587), id est, verum rerum statum perfecte novit: Iole vera uxor futura est Herculis; id acriter dolet, acerba ironia iam [2]) a principio utitur (540 sqq.); bis in iram fere concitatur, bis retro cedit

---

Euripidem sequitur et corrigit, ea, inquam, omnia significat tacite: iram Medeae, cum saepe ait Deianira se irasci nec scire nec velle; vindictam iam sumptam, cum ait in fine Hyllus: *κοὐδὲν τούτων ὅτι μὴ Ζεύς.* (Cf. *Med.* 1215: *πολλῶν ταμίας Ζεὺς ἐν Ὀλύμπῳ.... Agamem.* 1485: *Ἰώ, ἰώ, διαὶ Διὸς πανσθίτου πανεργέτα· τί γὰρ βροτοῖς ἄνευ Διὸς τελεῖται·* cf. *Androm.* 1287), consiliorum communicationem velatam (375) et cum se Deianira malas artes ignorare profitetur et male dissimulat coram spectatoribus, tum denique alia multa.

1) Sophocles Deianiram suam cogitare saepe facit non solum Herculem amore esse raptum, sed etiam ipsam Iolen in eum accensam esse non minus ardenti amore (445 sqq.).

2) Nemo id infitiabitur qui eum locum totum attente legerit. Hic etiam facit occulte Deianira quod aperte, Sophoclis iudicio nimis aperte, facit Medea, dum ait se tranquille allocuturam et amice Iasonem, id vero totum fictum esse (807): *μηδείς με φαύλην κἀσθενῆ νομιζέτω....*

Digitized by Google

(543, 552), paratum habet iam „veneno" hydrae unctum peplum, quem ut secreto mittat Herculi, misere decipit puellas et totam fabulam Nessi congressus conturbat, unde tot difficultates chronologicae, historicae, litterariae exortae sunt commentatoribus, quia haec omnia sincere et sine dolo dicta esse existimarunt. Ea autem ita composita sunt ut ipsae virgines quibus chorus constat plene iis fidere non audeant et prudentiam commendent et ad experimentum exhortentur Deianiram. Tum ipsa: τὸ μὲν δοκεῖν ἔνεστι (590, cfr. Agamemn. 1238).

At ecce Lichas denuo adest; nova mendacia Deianirae: illum peplum mitti ad Herculem quia ita diis promisisset.... (itane vero?) πανδίκως, ut coniugem suum exhiberet

θυτῆρα καινῷ καινὸν ἐν πεπλώματι (613).

Cfr. etiam 867, 873.

Clarior esse nequit ironia. A versu 672 exponit ipsa quid timeat ex his quae lanae acciderant qua unxit peplum, et tunc demum intellegit (candida Deianira!) omnia haec se debuisse suspicari antea [1]), siquidem noverat eo ipso veneno Chironem centaurum fuisse male mulcatum: qui enim tanquam illecebram amoris Herculis daret quidquam ille Nessus qui ab ipso Hercule occidebatur? Et ipsa profitetur se quoque simul perituram: κεῖνος εἰ σφαλήσεται

ταὐτῇ σὺν ὁρμῇ κἀμὲ συνθανεῖν ἅμα (720).

1) Volckmari *Disputatio de Sophoclis Trachiniis*, Nordhusae (1839) p. 20 (explicat hoc loco triplicem Aristotelis (Poet. 17) anagnorismon): „Deinde narrat, quo casu intellexerit venenosam cruoris excetrae Lernaeae vim, tractum laneum illo tinctum evanuisse videns solis radiis (ἀναγν. διὰ σημείου). Obstupefacta recordatur Chironis eodem veneno enecati (ἀν. διὰ μνήμης). Hac igitur rabida cruoris vi Herculem quoque interfectum iri colligit (ἀν. ἐκ συλλογισμοῦ). A Nesso se dicit occaecatam esse, quominus hoc prius animadverteret. Quanquam omnino antea non curaverat philtrum, per multos annos intactum relinquens; nec non festinare rem coacta fuerat νέων ἀισσόντων γάμων (cf. 838 sqq.). — Cur vero fusius exponit Nessi de asservando philtro praecepta? cur nunc demum aperit, quomodo pallium inunxerit? cur non antea haec narravit v. 570 sq., Nessi praecepta leviter modo tetigit v. 577 sq., Lichae praecipiens (v. 603 sq.) nullum metum movere potuit (cf. v. 553, 575 sqq.). Omnibus autem, quae ad venenum pertinebant, h. l. junctim prolatis haud levis existit horror, ad praeparandam terrificam Hylli, quae sequitur, narrationem necessarius". Non ea aesthetica tantum causa est, nec illius brevitatis nec huius amplificationis, sed dolorum certissima apparatio.

Digitized by Google

III.

Iam vero Deianiram ipsam in dramate agentem propius contemplemur. Nisi ita ut dixi actio explicatur, si omnia veluti serio dicta excipiuntur, quot et quanta sunt absona: ait coniugem suum turpissime saepe cum aliis mulieribus vixisse, et ipsa nec antea est umquam stomachata, nec nunc potest irasci in Herculem [1]). Singularem stuporem in Aetola viragine! Erat etiamnum puella cum a Nesso est sollicitata, et tamen iam Hercules hydram necarat, siquidem eius veneno peremit Nessum, et reliqua athla confecerat, nam iam ad inferos descenderat et Meleagrum hortantem audierat, ut duceret uxorem Deianiram; flumen eam transportabat Nessus et tamen sagitta vulneratur ab Hercule cum summo periculo uxorem suam aut sagitta feriendi aut in aquam demergendi; dicit Nessum periisse ab Hercule et tamen ab eo accipit φάρμακον ad amorem Herculis sibi conciliandum; habet a pueritia fere hoc φάρμακον domi et tamen numquam id adhibuit aut adhibere conata est in tot mariti infidelitatibus; noverat hydrae venenum hoc mortiferum esse, si quidem Chironem centaurum laeserat, et tamen eo candide utitur ad amorem Herculis pelliciendum.

Quod si quis putat severius quam par est huius feminae facta nos interpretari, legat versus 436—469, ubi certo constat eam mentiri Lichae multis in rebus, et eo sermone uti qui etiam ipsis Deianirae laudatoribus mirus visus est, et est indignus omni bene nata et generosa muliere. Illud, quod cum Iola Hercules faciat, nihil habere indecori, nihil quod sibi sit damno? (448, cfr. v. 538). Mulieres multas ductas fuisse ab Hercule, numquam se ob eam causam Herculi fuisse iratam? se hanc stolam ideo mittere quia sic diis olim devovisset? quid igitur sibi volunt versus 555 sqq.?

Revera non sine causa Lichas ipse, qui antea confinxerat nuntia ut velaret veritatem, agnovit nunc Deianiram θνητὴν Ὀρνεῦσαν θνητὰ κοὐκ ἀγνώμονα (473), et miratur et stupet hanc

1) Qui id inde explicare conantur quod *domum* nulla antea adducta fuerit mulier ante Iolen, ignorant prorsus aut dissimulant terribilem huius passionis naturam et indolem; tamen ita explicatur a multis etiam recentibus commentatoribus.

Digitized by Google

designare voluisse scribens *senatum sub iugo mittunt* neque quicquam totus locus habet, quod abhorreat a rebus gestis a° 410° fere.

Ceterum quae ipsi observavimus de similitudine inter Commodianum et Salvianum intercedente, de structura hexametri huius poetae vel „quasi versus", ut Gennadii verbis utar, de rebus astrologicis in Instr. I 7 expositis, confirmant testimonium illius historici, docentis Commodianum floruisse paulo post Prudentium.

Digitized by Google

DE CARMINE EPIGRAPHICO 186°.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Sub titulo, quem exhibet Buecheler I p. 90 sq., latere carmen metro, quod dicitur, Commodianeo compositum sagaciter perspexit A. W. de Groot, qui totam inscriptionem in formam poematii duodecim versuum redegit [1]). Verum nullus dubito quin ii qui legunt dolituri sint eundem virum doctum vix quicquam explanasse aut ullam rationem reddidisse verborum a se mutatorum. Cum paulum ab eo dissentiam, necesse videtur hic ipsos versus describere

Maximus et Lascivus [2]) duo fratres *convenientes*
in uno hunc titulum nobis *posuimus* [3]) vivis,
ut possemus at superos *securius* vitam
bonam gerere qua fini fata volebant.
qui qua vita viximus una numquam inter *nos*
fecimus verbum amarum. *voluptates* secuti
simus [4]) omnes. vitae nostrae a *nobis* numquam
quitquam negatum *est*. ita tu qui *legis* bona
vita vive sodalis, quare post *obitum nec*
risus nec lusus, ⟨*prorsus* [5])⟩ nec ulla voluptas
érit. „havé Maximáe". menten hábae [6]) quod *légeris*, quáre
vita morti propior fit cottidie. vale!

1) Cf. Mnemos. vol. 54 (1926) p. 163.
2) Quae Buecheler correxit silentio praeterii: adeunda est ipsa editio.
3) De Groot edidit *posivimus*.
4) Scriptum est pro *sumus* (vid. Buechelerum).
5) Deest in titulo.
6) In ictibus ponendis leviter erravit de Groot.

Digitized by Google

Ut metrum vs. 10. sanarem addidi *prorsus*, quod sententia flagitat; de Groot supplet *et iocus* legentes relegans ad Gell. N. A. I 24, 3 dein Risus, Ludus Iocusque
et Numeri innumeri simul omnes conlacrimarunt,
sed parum verisimile est fratres Maximum et Lascivum memores fuisse Plauti epigrammatis.

Versu 2° de Groot edidit *posivimus*. Cur? Auctor tacet. Fortasse quaerendum est in disputatione, quae inscribitur Le Rhythme de Commodien[1]). Re vera ibi legimus p. 313 la pénultième brève d'un bisyllabe ne porte que rarement le temps marqué, *l'antipénultième brève d'un mot polysyllabique ne le porte jamais*, i. e. in arsi brevis antepaenultima verbi polysyllabi non admittitur. Itaque contra hanc legem titulus noster praebet *posúimus*, quamobrem de Groot edidit *posívimus* forma perfecti e vetusta Latinitate petita.

Sed videamus num hac in re legitimae sint dubitationes illius viri docti. Evolvamus Commodianum ipsum; facile ibi permulta exempla reperiri possunt pugnantia contra legem illam e. g.

I 3, 6 *rébelles* ex illo contra Deum verba misere;
I 6, 3 *fúistis* infantes: numquid et semper critis?
cf. II 24, 5 *fúeris*; C. A. 421 *fúerunt*;
I 6, 10 in istis temporibus quis *plúebat* illo defuncto?
I 14, 8 secede ab istis, qui sunt *biothánati* facti;
I 15, 3 rustica mens hominum, *indócilis* quoque, pro laude;
II 23, 10 congerere nimium sub *frágili* vita moranti;
II 23, 20 arbitrare tibi *simplíciter* valde cavendum;
II 25, 5 conspicitis stipulam cohaerentem in *óculis* nostris;
II 26, 8 *béati* facti estis, cum feceritis edicta;
C. A. 103 *rélucet* immensa super caelos et sine fine;
C. A. 346 cum et Iudaeorum reprobet *sacrifícia* dicens;
C. A. 347 non erit acceptum mihi *sacrifícium* vestrum;
C. A. 433 *vídete* iam ergo, dubii qui nunc usque natatis;
C. A. 477 quid illi infamant in *púteum* esse demissum.

Sine ullo negotio unusquisque ad libidinem haec exempla

1) Insertus est commentariolus ille in Diarium c. t. Neo-Philologus VIII (1926) p. 304—313.

Digitized by Google

augere potest. Ceterum res nihil habet quod mireris, nempe nihil impedivit quominus Commodianus primas syllabas vocum *fueris*, *fragili*, *docilis*, *oculis*, *puteum* cet. secundum vulgarem pronuntiationem in arsi poneret. Cum autem apud eum omnes syllabae *ἰσόχρονοι* essent, item primae syllabae verborum *rebelles*, *beati*, *relucet*, *videte*, cet. arsin obtinere poterant.

Transeamus ad aliam legem quae invenitur l.l. p. 307: (3) il évite de placer dans le deuxième et le cinquième demi pied faible, s'il contient deux syllabes, des syllabes longues par position, les exceptions, qui sont rares, ont été énumerées par M. Vroom p. 26 n. 2, p. e..... | *universas vestras de lege* (I 40, 4); il me semble encore nécessaire d'en éliminer les cas singulièrement nombreux où la „position" est faite par une nasale, p. e..... | *deás Furínam Caeléstem* (I 16, 9). Auctor igitur docet: in thesi quinta, quae ex duabus syllabis constat, vitatur syllaba positione longa. At in titulo nostro legimus:

vs. 2 posui*mus* vivis;
3 securi*us* vitam;
6 voluptat*es* secuti;
7 a nob*is* numquam;
8 qui le*gis* bona;
8 lege*ris* quare.

Ergo in duodecim versibus unius parvuli carminis vel sex exceptiones offenduntur; sexies autem vox praecedens ultimam terminatur littera *s*. Quam litteram apud Ennium et Lucretium in fine verborum meminimus saepe neglegi ita ut eiusmodi syllaba antecedens vocem a consonanti incipientem non producatur. Ecquis dubitat quin hic quoque idem statuendum sit. Confirmamur exemplis, quae e Commodiani Instructionibus afferri possunt:

I 7, 5 solusque sator;
I 15, 4 absentis Tonantis;
I 40, 4 vestras de lege;
II 1, 21 legis narrata;
II 21, 13 pugnis pertunde;
II 32, 1 cordis relinquat.

Lex igitur, quam supra commemoravimus, salva est, modo meminerimus licere litteram *s* neglegi.

Digitized by Google

Redeamus ad titulum. Versus primus exiens in *convenientes* peccat contra legem p. 307 (2) *b* il évite aussi de former les deux derniers pieds du vers par un mot (les exceptions à cette règle sont rares).

Ibidem legimus: il évite de placer un monosyllabe après le dernier temps marqué et de commencer un mot après l'avant-dernier temps marqué. Huic legi contrarii sunt hi versus:

5 . . . . . intér nos;
9 . . . . . póst obitúm nec;
7 . . . . . á nobis numquam;
8 . . . . . quí legis bona;
9 . . . . . póst obitum nec.

Maioris vero momenti videtur observare vs. 4. incipere a vocabulo *bónam* et vs. 8 exire in *bóna*, quamquam promulgatur haec lex (p. 307) 4 *b* un demi-pied fort peut être formé par toutes les syllabes exceptées les suivantes . . . . . *bonus*, *malus*, c.-à.-d. la pénultième brève d'un mot bisyllabique, pourvu que ce mot soit fréquent dans la poésie classique.

Ex iis quae hic disputata sunt, discimus fortasse maturius virum doctum De Groot exclamasse p. 313 Voilà l'énigme du rhythme de Commodien résolu.

Ceterum in inscriptione ipsa attendamus multas allitterationes: *superos securius* (vs. 3); *fini fata* (vs. 4); *qui qua* (vs. 5); *Maximae menten* (vs. 11); quin etiam allitteratio coniuncta est cum πτρηχήσει *vita viximus* (vs. 5) et *vita vive* (vs. 9). Quare commendari videtur ὁμοιοτελεύτῳ coniectura mea

10 ri*sus* nec lu*sus* ⟨pror*sus*⟩ nec ulla voluptas.

Cum Commodianus secundum Gennadium floruisse videatur paulo post Prudentium, titulus noster incultior quam Instructiones et Carmen Apologeticum pertinet fortasse ad medium saeculum quintum.

Digitized by Google

DEIANIRA VERE ΔΗΙ–ΑΝΕΙΡΑ.

SCRIPSIT

IGN. ERRANDONEA S. I.

> Ὁ .... Ἡρακλῆς, πολλὰ τῶν ἐπιλυμαινομένων τὸν ἀνθρώπινον βίον καθάρας, ὑπὸ Δηϊανείρας φαρμακευθεὶς ἐδολοφονήθη.
> (Περὶ τῶν ἀρεσκ. φιλοσόφοις φυσ. δογ.)

Sophoclis tragoedia Trachiniae exiguam praebet iam dudum segetem scriptoribus, praeteritur fere cum de Graecorum arte dramatica agitur, exsulat ferme a scholis et innumeris peccatis dicitur foedata.

Nemo est iam qui cum Schlegelio eam a Sophocle scriptam esse aut neget aut dubitet, sed multi verentur ne secunda pars non sit Sophoclis aut not huius ipsius tragoediae, et ii ipsi qui eius et veritatem sive authentiam et integritatem admittunt et defendunt, innumeros naevos et maculas detegunt, quae aut palam proferunt aut dissimulare contendunt [1]).

1) Infinita est varietas sententiarum: sunt qui cupiant aliquem confirmare non esse Sophocleam hanc tragoediam (Donaldson, *Theater of the Greeks*, p. 311), qui dicant esse inexperti poetae iuvenile opus (Dissen, *Kleine Schriften*, 343; Bergk, *De Sophoclis arte*, 26), qui senectuti caducae ascribant (Bernhardy, *Griech. Litterat.*, III, p. 398 sq.); sunt qui eam ita deprimant ut indignam Sophocle putent aut multis rebus interpolatam (Blaydes, *The Trachiniae of Sophocles*, p. 4 sqq.), et qui eam perfectam praedicent, immo etiam perfectissimam, ut Wecklein qui eam ipsa Electra perfectiorem credit.

Difficillimam vero intellectu omnes fere dicunt: „Am schwersten zu verstehen sind unter allen sophokleischen Tragödien die Τραχίνιαι" (Christ-Schmidt, *Griech. Litter.* n. 176). „The play is in fact an exceptionally difficult one to appreciate justly" (Jebb, *Introd.*, p. X). „Mehr als alle übrigen Dramen des Sophokles haben die Trachinierinnen schon früh wegen zahlreicher Anstösse im

Digitized by Google

Fabula ipsa accusatur quod minus cohaereat cum his quae ante drama de personis erant nota; in ipsa tragoedia multa reperiuntur minus cohaerentia et etiam aperte inter se pugnantia; actio exagitatur quasi fluxa et incerta; reprehenditur nexus ille aut debilis aut nullus secundae partis cum prima, quem explicare non possunt neque conantur nisi adducto exemplo similis peccati in Aiace; et tametsi in caelum tollitur fere ab omnibus Deianira, tamquam sanctissima coniux et omnium in antiquitate feminarum perfectissima, damnantur aliae personae et praesertim condemnatur Hercules eiusque et ingressus et vulnera et lamentationes in scaena; eaque nobis deliberatio difficilis est quomodo et Sophocles ita hanc tragoediam scribere potuerit et antiquitas eam cum aliis sex inter selectissimas Colonei poetae tragoedias nobis suis posteris tradiderit.

Sed nolo eum, qui me legat, morari diutius longiore expositione rei tam facilis quam his, quos nunc alloquor, inutilis [1]). Commemoravi haec tantummodo ut ostenderem operae pretium esse excutere et explorare denuo et sine metu hanc tragoediam, ne forte subsit nobis interpretantibus aliquis error quo splendor Sophoclis sit ob oculos nostros immerito obscuratus.

I.

Et quoniam haec tragoedia non nobis scripta est sed illis Atheniensibus qui cum Sophocle vivebant, diligenter investigandum nobis est quo illi animo ei interessent, quid de tota fabula nossent antequam in scaena ageretur, et quid vel maxime de Deianira sentirent, quae maximam occupat dramatis partem.

Eam feminam nobis luculenter descripserunt ii ipsi commentatores qui in tragoediae interpretatione longe a nobis absunt, Jebb Wilamowitz Radermacher Zielinski Schneidewin A. Müller K. Kunst ceteri. „Non novimus, ait Jebb, qualis

einzelnen wie in der ganzen Anlage die Kritik hervorgerufen, so dass sogar der Versuch gemacht werden konnte, Sophokles das Stück ganz abzusprechen" (T. v. Wilamowitz-Möllendorff, *Die dramatische Technik des Sophokles*, p. 89).

1) Plura dabunt alii scriptores, ex. c. W. Schmid in *Philologo* (1903 sq. 1, sqq.), et deinde in *Griech. Litteraturgesch.*, (I, n. 176), ubi audet de Deianirae fama detrahere quantum nemo ausus erat ante eum: „Nirgends sonst hat Sophokles das Weib so von der Seite ihrer Schwäche dargestellt".

Digitized by Google

fuerit et Pindari et Archilochi Deianira, sed veri simile est in antiqua Aetolica traditione eam omnino aliam fuisse ac Deianiram Sophocleam. Postquam enim cum Herculis fabula eius fabula connexa est, nomen Δηϊάνειρα significavit „*coniugis* peremptricem", sed olim ante adventum Dorium in Graeciam, cum primum reperta ab Aetolis est et nihildum ad Herculem pertinebat, Deinanira significavit „*hominum* destructricem"; amazoniam naturam denotabat, sicut amazones dicebantur ἀντιάνειραι. Filia Oenei vere genuino sanguine Aetolico nata in venatorum et bellatorum loco αὐτὴ δὲ ἡνιόχει καὶ τὰ κατὰ πόλεμον ἤσκει (APOLL. Bibl. 1, 8, 1) [1]). Radermacher eam tam valentem et robustam olim fuisse comperit, ut si eius antiqua imago retineatur, raptus ille et congressus cum Nesso haberi non potuerit, qualis describitur in dramate, ideoque hunc recentissimum esse autumavit. Praeterea dici Martis filiam et esse matrem Hylleidos tribus, vere pugnacis et bellicosae, unius ex Doricis fortissimae [2]). Plura sunt et copiosiora documenta apud utrumque Wilamowitzium reliquosque scriptores, quibus haec confirmantur uberius.

Haec igitur Herculea coniux ob oculos spectatorum obiecta a Sophocle est, et ea omnibus illis adiunctis circumdata quibus in eorum mente et memoria erat cincta. Ut exemplo utar, fabulam Nessi et Deianirae noverant, non eam quae in dramate narratur, sed eam quae ab antiqua traditione et imaginibus fuerat eis conservata. Nessus igitur eorum, non dum puella imbellis erat, Deianiram tentavit, sed iam robore et viribus valentem, nec in flumine transeundo, sed in littore, id enim in omnibus ante Sophoclem picturis exhiberi certissimum est.

Quod si iam interrogamus Athenienses quid de Deianira vulgo feratur Athenis et extra theatrum, habemus praeclarum documentum quod praetermittere in huius dramatis interpretatione non possumus: nihil erat eis magis odiosum, nihil magis superbum in mulieribus quam Iuno; est in hoc ipso dramate huius rei testimonium, cum Hercules nihil crudelius ea dea reperit ut ferociam et vim Deianirae exaggeret: κοὔπω

1) Jebb, *The Trachiniae*, Introduction, p. 11.

2) *Sophokles*, erklärt von F. W. Schneidewin und A. Nauck, Sechstes Bändchen: *Trachinierinnen*, 7 Aufl. von L. Radermacher, Einleitung, p. 9.

Digitized by Google

τοιοῦτον οὔτ' ἄκοιτις ἡ Διός... (1048). Omphalen vero tyrannicos mores habuisse Graecis visam esse novit quisquis de Hercule aliquid audivit. Iam vero, huic Iunoni, huic Omphalae comparata est passim ab Atheniensibus Deianira; nam ait de Aspasia Plutarchus: ἐν δὲ ταῖς κωμῳδίαις Ὀμφάλη τε νέα καὶ Δηϊάνειρα καὶ πάλιν Ἥρα προσαγορεύεται [1]); quod fieri a comicis non potuisset nisi et ipsi et auditores ita de Deianira sentirent. Id si paulo post Sophoclis tragoediam fiebat, a nobis praeteriri non potest, si vero ante eam, nec praeteriri a nobis potest nec a Sophocle potuit.

Talem igitur Deianiram talibus spectatoribus adduxit in theatrum Sophocles, verum non illa usitata sua virilitate quam ex Aetolia attulerat, sed in eiusmodi rerum discrimen adductam, quo etiam infirmissimae mulieres solent acerrimae fieri et violentissimae, scilicet, cum in his quae ad torum pertinent iniuriam passae sunt, quo tempore quam soleant exardescere in furiosam iram norunt optime Graeci:

ὅταν δ' εἰς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ,
οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα [2]).

Materies est haec non ignota theatro graeco, quippe quae etiam in Aeschyli Agamemnone et in Andromacha et Medea Euripidis agitetur.

Apud Aeschylum Clytaemestra, etsi est ipsa iisdem peccatis implicata, tamen cum videt Cassandram adduci domum, machinatur homicidium et tum ipsam Cassandram, tum Agamemnonem occidit, quemadmodum iam Cassandra (1260) praeviderat futurum [3]).

1) Plut. *Pericles*, 24.

2) *Medea*, 265, 266; cf. etiam *Andromacha*, 240 sqq.

3) Multa sunt inter Aeschyli *Agamemnonem* et Sophoclis *Trachinias* similia; etiam ipsum Cassandrae silentium simile est silentio Iolae, et peplum Deianirae non multum abest a tapetibus quibus via πορφυρόστρωτος strata Agamemnoni est Clytaemestra ἐς δῶμ' ἄελπτον ὡς ἂν ἡγῆται δική (911).

Ad. Müller (*Kommentar zu Soph.*, 418): „In beiden Stücken steht die Ankunft eines Helden bevor, der lange fern war. Beide Helden kehren heim von der Bezwingung einer Stadt: Agamemnon hat Troja, Herakles Oichalia zerstört, beide haben ein Königsgeschlecht vertilgt, beiden ist als Siegesbeute der gleiche köstliche Preis geworden, eine auserlesene Jungfrau aus königlichem Geblüt. Beide haben die Frucht ihres Sieges schon genossen und führen die Beute in ihr Haus,

Digitized by Google

Andromacham cum videt iam Neoptolemo nuptam, invidia et ira accensa Hermione, nova coniux, eam cum filio interimere tentat dum abest maritus, cumque ad id facinus perpetrandum impeditur, ipsa sibi vim inferre conatur et tandem fugit. Videlicet erat tunc etiam verum, et non minus Euripidi quam Sophocli et Aeschylo:

ἐπίφθονόν τοι χρῆμα θηλείας φρενὸς
καὶ συγγάμοισι δυσμενὲς μάλιστ' ἀεί
(Androm. 182; cfr. 241).

Sed omnium maxima est similitudo Trachiniarum cum Medea Euripidis. Deianira, ut Medea, est barbara mulier; utraque versatur veluti exsul in Graecia, illa Trachine, haec Corinthi. Filia est Oenei Deianira, aut si alios audias Bacchi (Oeneus ⟩ οἶνος), sicut est filia Aeetae et neptis Solis Medea; Deianira Aetolia mulier et vere Aetolia, ex venatorum bellique regione, audax et bellicosa, arma et currus agitare solita, immo vero non inscia pugnae qua etiam de curru cum viro pugnavit contra Dryopes, quo in bello etiam vulnus pectore accepit [1]); Medea ex Colchide, pharmacorum loco, venefica ipsa et ferox, quae et fratrem occidit et alios veneno confecit [2]).

Utraque nacta est virum connubio infidum, hoc tamen discrimine quod Medeae maritus, Iason, tunc videtur primo in uxorem peccasse; Deianirae vero, si huic est credendum (459), tam frequenter tamque turpiter sese in istas impudicitias ingurgitavit, ut mirari debeamus quod non antea uxor furore excanduerit, et causas quaerere cur nunc tandem abripiatur furore.

In utroque dramate infidelis maritus detrudit in verae uxoris domum amasiam, Hercules Iolam, regis filiam sed bello captam, Iason filiam Creontis, Glaucen, ipsam regnantem opibusque florentem.

---

damit ihren Gemahlinnen eine Schmach antuend. In beiden Stücken sind nicht die Männer die Helden trotz ihrer sonstigen Bedeutung, sondern die Frauen, in beiden finden die Gatten bei der Rückkehr den Tod durch ihre Gemahlinnen, dort mit Hilfe eines Gewandes, hier durch ein Gewand.

Anderseits, welch fundamentaler Gegensatz in den Charakteren und der Handlungsweise beider Heldinnen!"

1) *Schol. Apollon. Rhod.* I, 1212.

2) V. Seeliger in Roscheri *Lex. d. Mythol.* s. v. Medeia, II, 2483.

Digitized by Google

Quid mulieri quae talia patiatur faciendum putent Athenienses, dicunt quotiens ea res agitur in scaena:

Ὀρ. — Μῶν εἰς γυναῖκ' ἔρραψας οἵα δὴ γυνή;
Ἑρ. — Φόνον γ' ἐκείνῃ καὶ τέκνῳ νοθαγενεῖ
(Androm., 911, 912).

Κεῖται... ἥ τ' αἰχμάλωτος ἥδε καὶ κοινόλεκτρος... πιστὴ ξύνευνος
(Agamemn., 1441; cfr. 1260. Cfr. Medea passim: 160—165).

Itaque Medea quae Colchis est et veneficia infinita novit et saepissime applicuit, non tamen eis ad amorem Iasonis pelliciendum utitur, sed necem solam molitur puellae illius competitricis, idque tam naturale putat quam ipsi spectatores Athenienses. Ne igitur putemus tam imperitum Sophoclem ut illam fortissimam et barbaram Deianiram meditari fecerit coram illis Atheniensibus, φάρμακα ad amorem concitandum in illo impudentissimo marito, multo impudentiore quam Iason fuit.

Novit illa Herculem coniugem copulasse sibi saepe multas alias uxores, comperit nunc ardere amore huius puellae ob eamque bellum et obsidionem Oechaliae fecisse, scit iam iam eum adventare, videt eam etiam domum mitti idque tam impudenter ut ipse nuntius Lichas pudore affectus dissimulandum et mentiendum esse crediderit ad rem occultandam, esse eam iam uxorem Herculis pro certo habet et ut ipsa credit et saepe dicit, amore ardere etiam Iolam ipsam; se grandaevam abiectum iam iri sentit, puellam solam iri amatum, utramque simul domi nullo modo esse posse affirmat... quid tandem constituat? — Non philtro animum Herculis sibi devincire ut simulat et interpretes volunt, sed eum perdere ἐπὶ προφάσει θηρός (662).

II.

Medea est iam in dramatis ingressu zelotypia furiosa, et ad mariti, ad aemulae et etiam ad ipsam filiorum internecionem animo parata (93, 113). Ut primum diei unius mora concessa est, deliberat publice [1]) quo modo sit adversarios occisura, et

1) Etiam Deianira ipsa deliberat ita aperte cum nutrice in Senecae tragoedia, cui inscribitur *Herc. Oet.* act. II, 436 sqq.:

Nut. Perimes maritum? — *Dei.* Pellicis certe meae.
Nut. Ferrone? — *Dei.* Ferro. — *Nut.* Si nequis? — *Dei.* Perimam dolo.

Digitized by Google

statim exponit choro se dolo, non ferro, neces perfecturam: *κράτιστα τὴν εὐθεῖαν, ἢ πεφύκαμεν | σοφαὶ μάλιστα, φαρμάκοις κτείνειν ἐλεῖν* (384 sq.). Non quia neptis Solis est, sed quia mulier est [1]), novit omnes has malas artes; eas tamen secreto et sine strepitu se velle exsequi dicit:

390 *δόλῳ μέτειμι τόνδε καὶ σιγῇ φόνον.*

Qua in re admodum absonum iudicatum a multis est, non solum quod res tam gravis et atrox cum choro communicatur, sed vel maxime quod chorus nihil obsistit (906 sq.), sed alia canit, et tametsi dissentit omnino a puerorum saltem occisione, nihil facit cum ea res se praesente proxime paratur, sed etiam fere consultus a Medea ne verbo quidem eam reprehendit (1043), et in fine tandem monologi canit sibi alia, nihil vero quod Medeam ab occisione deterrere possit.

Eiusmodi partes Sophocles numquam choro tribuit, sed, ut est apud Aristotelem [2]), chorum vult Sophocles semper veram esse personam quae audiat, intellegat, recordetur, adlaboret. Ad ultionem igitur Deianira apud Sophoclem quoque decurret, sed praesente chori persona. Quomodo poeta haec conciliabit? Sive ob hanc causam, sive ob aliam quampiam, constituit chorum puellarum vitae rerumque valde imperitarum [3]); id enim in

1) *πρὸς δὲ καὶ πεφύκαμεν*
γυναῖκες, εἰς μὲν ἔσθλ' ἀμηχανώταται,
κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται. (*Med.* 407—409).

Cf. *Agamemnon*, 1636 sqq., *Androm.* 85.

2) Aristot. *Art. poet.* cap. XVIII: *τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι, μὴ ὥσπερ* Εὐριπίδῃ, *ἀλλ' ὥσπερ* Σοφοκλεῖ.

Cf. mea *Sophoclei chori persona tragica* (Mnemosyne, vol. L, p. 1 sqq.).

3) Chorus quidam *Medeae* est quodammodo, ut dicitur a Medea, alienus ab huius feminae malis, tum quia patria, bonis, pace gaudet (252 sqq.), tum quia non vexatur iniuriis quibus illa a marito vexata est (815 sqq.); nullibi tamen indicatur ab Euripide eas mulieres in choro esse aut aetate juvenes aut rerum experientia orbatas.

Longe aliter Sophocles id maximopere inculcare vult; eiusque chorus est et sicut Medeae chorus liber a malis Deianirae (729) et constat puellis omni prorsus rerum experientia destitutis; id illi tam necessarium est, ut sine ea re propositum assequi nullo modo possit; nisi chorus in Trachiniis ex puellis *inexpertis* constet, improbabilis et absurda fit tota fabula. Ideone ei Sophocles ex chori nomine nomen indidit?

Ea huius chori natura ut emineat in dramate arte sua effecit Sophocles; eam

Digitized by Google

tragoedia saepe repetit iam ab initio et a primo earum ingressu (143 sqq.); eas fallit Deianira dum fingit peplum illum ad amoris irritamentum mitti, cum tamen certum sit et omnibus spectatoribus evidens ad mortem Herculi inferendam mitti.

Clytaemestra in animo habet, idque ab initio, ut omnes fere interpretes viderunt, perimere Agamemnonem; simulat tamen pacem et amorem, ironico sermone utitur, mentitur, δοκεῖ δὲ χαίρειν νοστίμῳ σωτηρίᾳ (1238). Sed postquam interfecit Agamemnonem et Cassandram, aperte et impudenter fatetur se mentitam esse neque veretur πολλῶν πάροιθε καιρίως εἰρημένων | τἀναντί' εἰπεῖν (1372, cfr. 1636).

Contra Medea primum se furiosam perhibet spectatoribus, deinde vero simulat versutissime cum Iasone et Glauce reconciliatum animum et demissionem, tametsi iam in maritum evomuerat virus acerbitatis suae; tum denique conscio et consentiente choro mittit vestem illam funestam qua pereat Creon et eius filia.

Hermione autem in Andromacha occultius agere vult, neque minus tamen Andromachae ipsi significat dolo se usuram ad eius ruinam:

ἀλλὰ γὰρ λόγους
κρύψω, τὸ δ' ἔργον αὐτὸ σημανεῖ τάχα (264).

In Trachiniis Sophocles Deianiram, suam inquam illam Deianiram, vel rectius dixerim Atheniensium Deianiram, ut primum invidia exarsit, dolo machinari facit ea quae omnes mulieres in theatro eo tempore facere solebant, cum in iis adiunctis versari fingebantur; ipsa tamen non consilia quaerit a choro sicut Medea nec dolos minatur inimicae mulieri, quemadmodum Hermione, nec eos explicat postquam perfecti sunt, sicut Clytaemestra Aeschyli [1]), sed ita agit ut chorus

etiam ob causam chorum ita removit a mente spectatorum in postrema parte, ut optime possit etiam ex oculis eorum removeri, postquam ingressus est theatrum Hercules. Vix enim, plus trecentis versibus duo disticha dicit per totum hoc tempus, quorum alterum abest a fine fabulae plus centum sexaginta versibus; et ne in extrema quidem tragoedia epiphonema illud profert quod in reliquis omnibus tragoediis Sophocleis. Adeo elucet hunc chorum ad dolos Deianirae perducendos tantummodo constitutum esse a Sophocle.

1) Illa tamen omnia, et consiliorum petitionem et doli praedictionem et eorum detectionem, Sophocles, qui eius est mos in tragoediis in quibus Aeschylum et

Digitized by Google

quidem puellarum decipi possit, spectatores vero clarissime perspiciant dolos subtexi, multo quidem clarius quam spectatores Agamemnonis ex. c. potuerunt ironiam primae partis tragoediae intellegere. Non clarius rem explicat Sophocles, sed non necesse erat id explicare illis spectatoribus qui cum nossent eam Deianiram, videbant eam veste, persona, motibus barbaram, cum puellis inexpertis agentem et sermone ancipiti utentem quem infra explicabo.

Videlicet, postquam (351—374) nuntius declaravit falsa ea fuisse quae rettulisset Lichas, et cruda claritate ostendit Deianirae Herculem caeco amore ferri in Iolen [1]), hanc vero esse iam novam uxorem pro Deianira, haec mulier quae irritamina cuncta habet quae habuit Medea, iam de Iole male sentit et zelotypia accendi coepit. Id apud omnes in comperto est. Sed rerum veritas inquirenda et ex Licha extundenda erat idque non vi sed dolo: finxit igitur iam a primis verbis animum tranquillum, addidit sermonem revera indignum ea Deianira quae a commentatoribus describitur (436—469); adiuvit eam chorus (470, 471); fassus est tandem omnia Lichas; ut omnes concedunt, (490—496) iam illud quod factura est, quidquid tandem illud est, firmum et definitum in animo habet.

Post cantum, astus suos explicat choro (531—587), id est, verum rerum statum perfecte novit: Iole vera uxor futura est Herculis; id acriter dolet, acerba ironia iam [2]) a principio utitur (540 sqq.); bis in iram fere concitatur, bis retro cedit

---

Euripidem sequitur et corrigit, ea, inquam, omnia significat tacite: iram Medeae, cum saepe ait Deianira se irasci nec scire nec velle; vindictam iam sumptam, cum ait in fine Hyllus: *κοὐδὲν τούτων ὅτι μὴ Ζεύς.* (Cf. *Med.* 1215: *πολλῶν ταμίας Ζεὺς ἐν Ὀλύμπῳ.... Agamem.* 1485: *Ἰώ, ἰή, διαὶ Διὸς παναιτίου πανεργέτα· τί γὰρ βροτοῖς ἄνευ Διὸς τελεῖται·* cf. *Androm.* 1287), consiliorum communicationem velatam (375) et cum se Deianira malas artes ignorare profitetur et male dissimulat coram spectatoribus, tum denique alia multa.

1) Sophocles Deianiram suam cogitare saepe facit non solum Herculem amore esse raptum, sed etiam ipsam Iolen in eum accensam esse non minus ardenti amore (445 sqq.).

2) Nemo id infitiabitur qui eum locum totum attente legerit. Hic etiam facit occulte Deianira quod aperte, Sophoclis iudicio nimis aperte, facit Medea, dum ait se tranquille allocuturam et amice Iasonem, id vero totum fictum esse (807): *μηδείς με φαύλην κἀσθενῆ νομιζέτω....*

Digitized by Google

(543, 552), paratum habet iam „veneno" hydrae unctum peplum, quem ut secreto mittat Herculi, misere decipit puellas et totam fabulam Nessi congressus conturbat, unde tot difficultates chronologicae, historicae, litterariae exortae sunt commentatoribus, quia haec omnia sincere et sine dolo dicta esse existimarunt. Ea autem ita composita sunt ut ipsae virgines quibus chorus constat plene iis fidere non audeant et prudentiam commendent et ad experimentum exhortentur Deianiram. Tum ipsa: *τὸ μὲν δοκεῖν ἔνεστι* (590, cfr. Agamemn. 1238).

At ecce Lichas denuo adest; nova mendacia Deianirae: illum peplum mitti ad Herculem quia ita diis promisisset.... (itane vero?) *πανδίκως*, ut coniugem suum exhiberet

θυτῆρα καινῷ καινὸν ἐν πεπλώματι (613).

Cfr. etiam 867, 873.

Clarior esse nequit ironia. A versu 672 exponit ipsa quid timeat ex his quae lanae acciderant qua unxit peplum, et tunc demum intellegit (candida Deianira!) omnia haec se debuisse suspicari antea [1]), siquidem noverat eo ipso veneno Chironem centaurum fuisse male mulcatum: qui enim tanquam illecebram amoris Herculis daret quidquam ille Nessus qui ab ipso Hercule occidebatur? Et ipsa profitetur se quoque simul perituram:

κεῖνος εἰ σφαλήσεται
ταὐτῇ σὺν ὁρμῇ κἀμὲ συνθανεῖν ἅμα (720).

1) Volckmari *Disputatio de Sophoclis Trachiniis*, Nordhusae (1839) p. 20 (explicat hoc loco triplicem Aristotelis (Poet. 17) anagnorismon): „Deinde narrat, quo casu intellexerit venenosam cruoris excetrae Lernaeae vim, tractum laneum illo tinctum evanuisse videns solis radiis (*ἀναγν. διὰ σημείου*). Obstupefacta recordatur Chironis eodem veneno enecati (*ἀν. διὰ μνήμης*). Hac igitur rabida cruoris vi Herculem quoque interfectum iri colligit (*ἀν. ἐκ συλλογισμοῦ*). A Nesso se dicit occaecatam esse, quominus hoc prius animadverteret. Quanquam omnino antea non curaverat philtrum, per multos annos intactum relinquens; nec non festinare rem coacta fuerat *νέων ἀισσόντων γάμων* (cf. 838 sqq.). — Cur vero fusius exponit Nessi de asservando philtro praecepta? cur nunc demum aperit, quomodo pallium inunxerit? cur non antea haec narravit v. 570 sq., Nessi praecepta leviter modo tetigit v. 577 sq., Lichae praecipiens (v. 603 sq.) nullum metum movere potuit (cf. v. 553, 575 sqq.). Omnibus autem, quae ad venenum pertinebant, h. l. junctim prolatis haud levis existit horror, ad praeparandam terrificam Hylli, quae sequitur, narrationem necessarius". Non ea aesthetica tantum causa est, nec illius brevitatis nec huius amplificationis, sed dolorum certissima apparatio.

Digitized by Google

III.

Iam vero Deianiram ipsam in dramate agentem propius contemplemur. Nisi ita ut dixi actio explicatur, si omnia veluti serio dicta excipiuntur, quot et quanta sunt absona: ait coniugem suum turpissime saepe cum aliis mulieribus vixisse, et ipsa nec antea est umquam stomachata, nec nunc potest irasci in Herculem [1]). Singularem stuporem in Aetola viragine! Erat etiamnum puella cum a Nesso est sollicitata, et tamen iam Hercules hydram necarat, siquidem eius veneno peremit Nessum, et reliqua athla confecerat, nam iam ad inferos descenderat et Meleagrum hortantem audierat, ut duceret uxorem Deianiram; flumen eam transportabat Nessus et tamen sagitta vulneratur ab Hercule cum summo periculo uxorem suam aut sagitta feriendi aut in aquam demergendi; dicit Nessum periisse ab Hercule et tamen ab eo accipit φάρμακον ad amorem Herculis sibi conciliandum; habet a pueritia fere hoc φάρμακον domi et tamen numquam id adhibuit aut adhibere conata est in tot mariti infidelitatibus; noverat hydrae venenum hoc mortiferum esse, si quidem Chironem centaurum laeserat, et tamen eo candide utitur ad amorem Herculis pelliciendum.

Quod si quis putat severius quam par est huius feminae facta nos interpretari, legat versus 436—469, ubi certo constat eam mentiri Lichae multis in rebus, et eo sermone uti qui etiam ipsis Deianirae laudatoribus mirus visus est, et est indignus omni bene nata et generosa muliere. Illud, quod cum Iola Hercules faciat, nihil habere indecori, nihil quod sibi sit damno? (448, cfr. v. 538). Mulieres multas ductas fuisse ab Hercule, numquam se ob eam causam Herculi fuisse iratam? se hanc stolam ideo mittere quia sic diis olim devovisset? quid igitur sibi volunt versus 555 sqq.?

Revera non sine causa Lichas ipse, qui antea confinxerat nuntia ut velaret veritatem, agnovit nunc Deianiram θνητὴν φρονοῦσαν θνητὰ κοὐκ ἀγνώμονα (473), et miratur et stupet hanc

1) Qui id inde explicare conantur quod *domum* nulla antea adducta fuerit mulier ante Iolen, ignorant prorsus aut dissimulant terribilem huius passionis naturam et indolem; tamen ita explicatur a multis etiam recentibus commentatoribus.

Digitized by Google

rationem agendi quam putat sinceram: ὥστ' ἐκπλαγῆναι τοὐμὲν ἡδονῇ κέαρ (629).

IV.

Age vero, si fraudis et dolorum nihil versatur in tragoedia hac et Deianira innocua et simplicissima coniux est, quorsum Sophocles rem ita disponit ut doli identidem et fere continenter et assidue animum subeant illorum maxime auditorum qui noverant Deianirae res gestas quique et illius et theatri Dionysiaci mores callebant, praesertim si iam Euripidis Medeae interfuissent?

Videamus illud quod est Herculi missura quid tandem sit. Cum suas artes molitur Medea dicit choro:

μολόντι δ' αὐτῷ μαλθακοὺς λέξω λόγους,
ὡς καὶ δοκεῖ μοι ταὐτά, καὶ καλῶς ἔχειν
γάμους τυράννων οὓς προδοὺς ἡμᾶς ἔχει (776–779);

eadem omnino ait Lichae Deianira (436 sqq.), nihil se offendi, stultam fore si Herculi stomachetur ob eas nugas, nosse se vim amoris.

Explicat Medea statim quorsum haec sit dictura Iasoni:

ἀλλ' ὡς δόλοισι παῖδα βασιλέως κτάνω (783).

Id autem est in eum finem factura: mittet dona, peplum:

πέμψω γὰρ αὐτοὺς δῶρ' ἔχοντας ἐν χεροῖν,
νύμφῃ φέροντας, τήνδε μὴ φυγεῖν χθόνα,
λεπτόν τε πέπλον καὶ πλόκον χρυσήλατον (782–786).

Eiusmodi erit hoc donum ut simul ac corpori applicatum fuerit perimat:

κἄνπερ λαβοῦσα κόσμον ἀμφιθῇ χροΐ,
κακῶς ὀλεῖται πᾶς θ' ὃς ἂν θίγῃ κόρης (787, 788).

Deianira quoque, ut ipsa dicit, accepit dona, mittet dona, eaque applicanda Herculi: donum accepit (id est, Iolen), quale est ipsa, confestim descriptura λωβητὸν ἐμπόλημα τῆς ἐμῆς φρενός (538); vult applicare huic dono aliud donum eo dignum:

ἃ τ' ἀντὶ δώρων δῶρα χρὴ προσαρμόσαι [1])
καὶ ταῦτ' ἄγης· κενὸν γὰρ οὐ δίκαιά σε

1) De *poena* applicanda usurpatur hoc verbum etiam in Oed. Col.:

νῦν δ' οὕσπερ αὐτὸς τοὺς νόμους εἰσῆλθ' ἔχων
τούτοισι κοὐκ ἄλλοισιν ἁρμοσθήσεται.

Digitized by Google

χωρεῖν, προσελθόν θ' ὧδε σὺν πολλῷ στόλῳ (494–496). Cfr. 603.

Estne hic tacita solum ironia et ipsi Deianirae ignota, ut volunt interpretes, an etiam diserta et praecogitata significatio futurae necis? Cum iam in eo est ut Medea mittat donum, ficte et dolose Iasonem alloquitur similibus verbis:

947 *πέμψω γὰρ αὐτῇ δῶρ' ἃ καλλιστεύεται*
τῶν νῦν ἐν ἀνθρώποισιν, οἷδ' ἐγώ, πολύ

idemque fere repetit statim vv. 958, 964, 974. Deianira quoque ita exornari vult virum suum: *θυτῆρα καινῷ καινὸν ἐν πεπλώματι* (613).

Narrat deinde choro Deianira quid consilii ceperit, et quasi nescia simulandi ait (post versum 541!):

ἐγὼ δὲ θυμοῦσθαι μὲν οὐκ ἐπίσταμαι (543)

et iterum paulo inferius:

κακὰς δὲ τόλμας μήτ' ἐπισταίμην ἐγώ
μήτ' ἐκμάθοιμι, τάς τε τολμώσας στυγῶ (582, 583)

multo apertius Medea dixit se dissimulaturam iram suam (776), et dissimulavit (869 sqq.) et ait dum dabat peplum: *οὗτοι δῶρα μεμπτὰ δέξεται* (958). Ita etiam Clytaemestra postquam mentita est de Oreste:

τοιάδε μέντοι σκῆψις οὐ δόλον φέρει (886).

Quae Deianirae ratio agendi tam suspiciosa etiam ipsis puellis chori videtur ut urgeant Deianiram ut prudentius agat (588—593), quibus ea tum: *τὸ μὲν δοκεῖν ἔνεστι* ait (cfr. etiam 588, 592), sicut olim Clytaemestram fecisse dicit Cassandra (1268), tum alia ludit: (*πίστις*, cfr. 623, *πεῖρα κτα*). Tam clare loquitur Sophocles.

Cum autem accedentem prospicit Licham, ut secretum sibi celent rogat enixe: *μόνον παρ' ὑμῶν εὖ στεγοίμεθα* (596); si de philtro ageretur tantummodo, quid erat quod adeo celaretur et quod Licham ignorare adeo expediret? Maxime vero cur eam turpem causam afferat, qua suam fraudem paene diserte fateatur:

ὡς σκότῳ
κἂν αἰσχρὰ πράσσῃς, οὔποτ' αἰσχύνῃ πεσεῖ (595, 596)?

De dolis qui sermoni Deianirae cum Licha subsunt, dixi iam antea.

Digitized by Google

Postquam vero abiit Lichas, iam ostendi quam aut nimis stulte aut vere fraudulenter loquatur Deianira accusetque credulitatem suam qua Nesso temere fisa sit. Sed tandem Sophocles quo intendit cum accusatam Deianiram a filio de crudelissimo parricidio ne verbulo quidem se purgare fingit? Immo vero ne postea quidem, cum iam domum ingressa filium videt lectulos patri venienti sternentem, ne tunc quidem eam filio se errore peccasse, sed multa alia dicere fingit (920 sqq.) neque usquam eam se de eo crimine purgare facit.

Id autem est multo gravius si hoc consideratur: Sophocles voluit tandem filium credere Deianiram errore peccasse, non dolo; constituit autem ut doceretur non ab ipsa parente, ut par erat, non a nutrice quacum versatus est cum mater peribat (929 sqq.), non a choro, qui rem ita existimat fuisse, sed a quo? a nescio quo domi ἐκδιδαχθεὶς τῶν κατ' οἶκον (964), a matre vero quam parricidii insimulaverat ne verbum quidem audiret.

Et si ipse Hercules, qui furiosus venit ut uxorem manibus discerpat si potest (1136—1142), docendus est de Deianirae innocentia, a filio, a filio ita per servuli cuiuspiam rumores edocto et ab eo solo de errore, si error tandem est, deducendus est?

Ubi est iam summa illa Sophoclis peritia in anagnorismis enarrandis quae in aliis tragoediis (ex. gr. in Oedipo Rege et Electra) tantopere eminet?

Magis etiam miranda sunt verba quibus postremo alloquitur Deianiram chorus, tragico illo silentio iam discedentem de theatro: „quid ita silentio recedis? nonne vides, si sileas, a te omnes has accusationes confirmari?". Scilicet sicut abeunte simillimo modo Eurydice in *Antigona* clamavit chorus: „quid de ea conieceris? mulier abiit et evanuit, nec verbum protulit nec bonum nec malum", et paulo post: „nescio, ego et nimis altum silentium metuo et nimis alta verba", ita nunc etiam eiusdem Sophoclis chorus; et sicut illic illi senes futura praesentiebant, ita hae virgines praesentium rerum statum significant [1]).

1) Pertinet hoc ad viam et rationem scribendi Sophocleam: in eadem *Antigona* eodem modo exclamat chorus cum Haemonem silentio abeuntem cernit.

Digitized by Google

Hoc igitur Sophocles mentibus nostris inculcat: accusatur Deianira a filio, accusanda est a marito, fere accusatur a choro. Tacet, consentire videtur. Sin minus, imperitissime totum hoc episodium fabricavit.

Summam totius huius dramatis, ita ut dixi explicati, videntur facere verba illa, operis *περὶ τῶν ἀρεσκόντων Φιλοσόφοις...* [1]) ex antiquo aliquo philosopho fortasse Sophoclis aequali deprompta, dum negant iustos esse deos, siquidem viros bonos perdant, et iniquos extollant; quo loco Deianira et tanquam perdita mulier adducitur, et dolo molitur necem Herculis illius qui humano generi tanta bona comparaverit, et moribus mente factis Clytaemestrae aequiparatur Agamemnonem malo dolo interficienti: *πῶς δέ, εἴπερ ὁ θεὸς ἔστι, καὶ τῇ τούτου Φροντίδι τὰ κατ' ἄνθρωπον οἰκονομεῖται, τὸ μὲν κίβδηλον εὐτυχεῖ, τὸ δ' ἀστεῖον τἀναντία πάσχει; Ἀγαμέμνων τε γάρ,*

ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής,
ὑπὸ μοιχοῦ καὶ μοιχάδος ἠττηθεὶς ἐδολοφονήθη· καὶ ὁ τούτου δὲ συγγενὴς Ἡρακλῆς πολλὰ τῶν ἐπιλυμαινομένων τὸν ἀνθρώπινον βίον

---

766 *ἀνὴρ, ἄναξ, βέβηκεν ἐξ ὀργῆς ταχύς·*
νοῦς δ' ἐστὶ τηλικοῦτος ἀλγήσας βαρύς

et in *Oed. Rege* abit Iocasta omnino sicut hic Deianira; tunc chorus calamitatem praesentiens:

1073 *τί ποτε βέβηκεν, Οἰδίπους, ὑπ' ἀγρίας*
ἅλιξασα λύπης ἡ γυνή; δέδοιχ' ὅπως
μὴ 'κ τῆς σιωπῆς τῆσδ' ἀναρρήξει κακά.

1) Plutarcho tribuebatur... iam a saec. II haec „De placitis Philosophorum epitome" (Christ-Schmidt, *Griech. Litteraturgesch.* n. 582), sed profecto e libro multo antiquiore excerpta est. Diels quidem non solum opus ipsum sed etiam hoc maxime caput septimum ex Aëtii *Placitis*, quae a Theophrasto pendebant, decerptum esse confirmat (*Doxographi graeci*, collegit, recensuit, prolegomenis indicibusque instruxit Hermannus Diels, Berolini, MDCCCLXXIX). Tametsi vero totum opus refert antiquiora tempora, hoc praecipue caput VII, *τίς ἐστιν ὁ θεός*, breve admodum et simplex, versatur totum in antiquissimis philosophis excerpendis; qui omnes fere sunt saec. VI, V, IV: Diagoras Malius, Theodorus Cyrenaeus, Euhemerus Tegeates, Thales, Anaximander, Pythagoras, Socrates, Aristoteles, Democritus, Stoici, poëta Euripides, frequenterque Plato; recentissimi omnium Epicurus et poëta Callimachus.

Verba haec quibus de Deianira loquitur, etsi nulli scriptori tribuit ea, sed dicit tanquam propria libelli auctor, dum refutat Platonem, tamen sumpta sunt sine dubio ex fonte aliquo antiquissimo. Nam cum liber scriptus est saec. II, nemo ita sentiebat de Deianira; praeterea ita confectus liber est, ut vix quidquam proprium et tanquam ab auctore excogitatum expromat.

Digitized by Google

καθάρας ὑπὸ Δηιανείρας φαρμακευθεὶς ἐδολοφονήθη (Lib. I, cap. VII, 10).

Cur igitur se Deianira gladio in fine confodit? Prorsus sicut cupit id facere Hermione in Andromacha, et multo graviore iure [1]), si iuris mentionem in his rebus facere fas est. Hermione, quia mortem procuraverat competitrici suae eiusque filio, tametsi impedita a Peleo est, tamen certo putat se punitum iri a coniuge Neoptolemo, si quando domum revertatur, ideoque sibi necem quaerit et deinde fugam cum Oreste; quidni igitur eodem iure polleat Sophocles ut putet Deianiram congressum mariti omni contentione et ope vitaturam, quem lacessivit et furiosum reddidit, non Iole violanda, sed ipsum crudelissimis tormentis afficiens? Atqui eum iam prope adventare et audivit antea et sollicite iterum quaesivit et postremis in theatro verbis de hac sola re interrogavit (748) et tandem se ipsa interimit, cum filium conspicit lectulos sternentem ad patrem domi excipiendum, molles quidem, id est ut ad vivum levandum; id enim continetur versibus 901—903, qui versus nisi eo consilio sunt scripti a Sophocle, tam inepti sunt hoc loco, ut eos T. v. Wilamowitz [2]) delendos esse contendat multis argumentis, quae tamen omnia subito dissipantur, si haec mens Sophoclis intellegitur.

V.

Gravissima erit obiectio his omnibus quae hucusque disputavi, quod haec nova omnino sint et inaudita, quodque feminam quam venerati sunt tot viri quamque dixerunt pulcherrimam omnium in theatro graeco unamque in litteris graecis soli Nausicaae comparandam, eam, inquam, de throno deiecerim et Attico ornatu spoliatam Aetolorum rustico vestimento cooperuerim. Itaque certo scio multos haec quae dixi vituperaturos aut despecturos. Quibus ego, si licet, illud responderim, eam maxime sub indice litem esse, utra tandem sit antiquior et verior dramatis interpretatio.

1) Saepe id repetitur in *Andromacha*; cfr. versus 808, 925 sqq. 989 sq., 1057 πόσιν τρέμουσα, μὴ δόμων νιν ἐκβάλῃ.

2) *Dramat. Technik*, pg. 157 sq.

Digitized by Google

Illis vero, si qui erunt, qui haec sine studio volent considerare, exponam breviter problemata quae subito solvuntur hac interpretatione, scilicet, cur Deianira dolo agat et dolose cum Licha (a versu 395) et postea cum choro (531—596) colloquatur.

Qua in re reverentiam praestare possum et debeo multis eruditis viris praesertim ex Germania, qui tametsi aliter omnino interpretantur hanc tragoediam, tamen reppererunt et aperte fassi sunt incommoda et obstacula quae in ea offendebant; simulque eis gratias ago quam maximas, nam sine eorum elucubrationibus numquam ego in huius novae interpretationis coniecturam devenissem.

1. Ac primum quidem liberatur Sophocles ab inconstantiae accusatione [1]), qua dicitur Deianiram ipsam, quae in dramate honestissima et nobilissima sit, exhibuisse interdum et stulte et satis inhoneste agentem aliquibus locis. Iam Zielinski ex. c. ex 436 sqq. eruerat Herculem saepe antea in Deianiram peccasse, ex 531 sqq. tamen constare nunc primum hac in re lapsum esse; Radermacher et alii interpretantur tunc primum suam amasiam *attulisse domum*; Wilamowitz vero virtutes hic Deianirae colligi putat, etiamsi ita constantia morum eius pereat. Rectius Zielinski mendacium suspicatur. Multa sunt praeterea ἄλογα in moribus Deianirae, quae frustra conantur dissimulare et velare qui eam omnibus numeris et partibus perfectam volunt.

2. Deinde dissolvitur absona illa repugnantia, quod Deianira, quae et in fabula et in mente auditorum tam virili et atroci pectore esse credebatur, repente facta fuerit in Sophoclis fabula mollissima, irae nescia, vindictae impar, incredibiliter credula et improvida et ne illis quidem affectibus praedita, qui vel in tenuissimis mulieribus dominantur, cum a maritis in eiusmodi rebus offenduntur. Longe aliter est: in nostra hac interpretatione non minus Dei-anira est, cum perimit Herculem, quam fuit Dei-anira, cum peremerat multos alios in bello

1) Tam hic quam in sequentibus numeris abstineo a recensendis scriptoribus, quia omnibus noti sunt.

Digitized by Google

et domi [1]). Sumpsit de Medea multa, plura de Clytaemestra.

3. Unitas vero illa quam omnes commentatores in dramate desiderabant, adeo ut denegandum putarent esse Sophocli aut iuvenili imperitiae tribuendum aut saltem ex duobus Sophocleis dramatis confectum existimandum, unitas, inquam, illa subito, nisi fallor, apparuit, siquidem Deianira iam non est victima illa innocens qua exstincta nihil restet in dramate agendum, sed ultrix mariti infidelis, cuius etiam mortuae perstat opus, cum pergant poenae ab ipsa inflictae vexare maritum et docere spectatores. Hic est enim sensus verborum illorum quae ex oraculo refert Hercules *πρὸς τῶν πνεόντων μηδενὸς θανεῖν ὑπό, ἀλλ' ὅστις Ἅιδου φθίμενος οἰκήτωρ πέλοι* (1160). Non Nessus, ut ipse putat, sed Deianira est Herculis peremptrix, mortua iam ipsa.

Nec igitur est superflua secunda pars, sed apprime loco nata, nam sine ea manca et imperfecta fuisset actio tota tragoediae, nec dedecent Herculem tormenta illa quae in theatro patitur, cum talem Herculem [2]) tali modo torqueri et iustum

---

1) Praeter eam quam dixi astuum occultationem aliud est grave discrimen inter *Medeam* et *Trachinias*. Illic vis tota vindictae fertur in mulierem rivalem; ea perit eiusque pater; perfidus vero maritus Iason nihil patitur nisi in suis familiaribus (filiis et amasia), ipse vero vivus et videns in fine dramatis perseverat.

In Sophocle vero eminet conatus verus et perpetuus Iolen liberandi, peccatorem impudicum Herculem perimendi. Ita initio veram, postea minus sinceram misericordiam fingit Deianirae in Iolen, deinde facit Herculem eam tradere connubio ducendam filio Hyllo, (quod et Herculem moresque eius in hac tragoedia non dedecet, et est aliquo modo cum antiqua traditione consentaneum), tandem Hyllus in fine tragoediae eius puellae meminit maxime:

λείπου μηδὲ σύ, παρθέν', ἀπ' οἴκων
μεγάλους μὲν ἰδοῦσα νέους θανάτους κτἀ.

2) Nemini dubium esse potest quin Sophocles voluerit in *Trachiniis* suum Herculem omnibus illis vitiis foedatum quibus erat in comoedia obnoxius; ea omnia, etsi brevi significatione (longior tragoediam non deceret), tamen satis acriter significavit: vinolentiam, impudicitias, animi stuporem.

Non possum vero cernere illam tantam, quam U. v. Wilamowitz et Dieterich videre sibi visi sunt, coniunctionem nexumque inter *Herculem furentem* Euripidis et *Trachinias* Sophoclis, tametsi non negarim eum Herculem notum huic poetae fuisse. Cf. Dr. Richard Strelli O. S. B. *Bemerkungen zu v. Wilamowitz-Moellendorffs und Dieterichs Ansichten über das Verhältnis der Trachiniae des Sophokles zum Herakles des Euripides* (XXVIII Jahresb. d. k. k. Stiftsgymnasiums 1912/1913, St. Paul, 1913); v. praesertim p. 11.

Digitized by Google

sit et exspectatum ab omnibus qui dramati interfuerint et astūs Deianirae intellexerint.

4. Constat nobis et Atheniensibus omnibus constabat et ab omnibus peritis conceditur nuptias Deianirae cum Hercule post omnes huius labores factas fuisse, siquidem hortatu Meleagri paratae sunt, quem ipse in inferis inviserat. At vero, ut Deianira ait, iuvenis nupserat et παῖς ἔτ' οὖσα (557) ad flumen Evenum adducta est cum marito. Non Sophoclem praeteriit haec inter se pugnare, cum etiam hydrae eiusque veneni mentionem faciat eoque utatur; immo vero consulto tam absurde locutus est et Deianiram ita rem confingere fecit, ut simplices illas et alienigenas puellas deciperet, non autem spectatores. Cur hoc modo? Iam Radermacher attigit causam huius rei, etsi Sophocli, non Deianirae tribuebat hanc tergiversationem [1]): nisi puellam adhuc se finxisset illa procera et ferox Deianira, virginibus chori non probasset se non ipsam nefarium Nessi conatum propulsasse.

5. Iam Dio Chrysostomus, or. 62, observarat a multis reprehendi Sophoclem, quod tam inscite finxerit Nessum sagitta peti ab Hercule, cum adhuc pervaderet flumen Deianira onustus cum gravissimo periculo uxorem, non raptorem perimendi. Non est error sed fallacia, nec ea Sophoclis sed Deianirae, qua fallantur non auditores, sed virginum chorus, sicut exposui.

6. Ostendit enim luculenter Quilling [2]), raptum Deianirae non in flumine Eveno sed in littore eius accidisse, neque ullum documentum, ne Archilochi quidem, ut Schneidewin voluerat, exstare, quo liceat fabulam de portitore in flumine peccante ante Sophoclem exstitisse autumare; et asserit Escher [3]) in nulla omnino ex picturis et imaginibus peplum illum figuratum esse, flumen vero Evenum in nullo antiquo vase, ne ut vicinum quidem, esse repraesentatum. Quippe, nam tota res a Deianira conficta est in dramate; quae nisi diceret se a coniuge separatam fuisse flumine, nullam fidem obtinere potuisset neque

1) Einleitung, p. 9.
2) Roscher, *Lexikon der Mythologie*, III, 280 sqq. s. v. Nessos.
3) *Realencyclopädie d. Klass. Altert.* IV, 2381 s. v. Deianira.

Digitized by Google

sagittae, neque veneno, neque sermoni cum Nesso, neque donis illis tam singularibus ab eo acceptis.

7. Ideo etiam suspicatus est Gruppe [1]) illa omnia, Deianiram zelotypia accensam recordatam esse pepli a Nesso donati, et tanquam amatorium philtrum misisse eum veneno tinctum ad maritum et reliqua, ea omnia a Sophocle excogitata esse et a nullo antea usurpata. Ita est omnino: fallacis Deianirae commentum est totum, quod vel Bacchylidis poema XVI satis clare significare videtur. Non est minus verum quod ipse cl. vir addit rem hanc ex Medea Euripidis natam videri, similem peplum mittente, quo Creon eiusque filia pereunt.

Haec si vera sunt, dicendum erit hanc tragoediam cito a theatro remotam esse et de ea lecta scriptores iudicasse, nam auctores antiqui, qui quidem post Sophoclem vixerunt, haec non viderunt et tanquam serio dicta legerunt omnia quae in dramate dicuntur.

---

1) *Realencyclop. Supplement* (1918) III, 1088 s. v. Hercules.

Digitized by Google

DONATEA.

SCRIPSIT

L. RANK.

(*Continuantur ex vol.* LV°, *pag.* 22).

XXXIV. Incipit actus secundus. Prodeunt in scenam Charinus et Byrrhia. „Has personas" inquit Donatus „Terentius addidit fabulae, nam non sunt apud Menandrum". Verane haec sunt? Profecto sunt. Qui de certis his verbis dubitare malit, cur de sexcentis aliis observationibus Donateis non dubitandum putet, causam habet nullam. Cur has personas de suo addidit poeta? „Ne παθητικόν fieret" inquit magister „Philumenam spretam relinquere sine sponso, Pamphilo aliam ducente". Etiamne haec vera sunt? Alia est res. Nam non amplius de facto fit sermo, sed de causa facti. Nihil ergo hic ad tempus responderi potest nisi hoc: sic visum est magistro. Atque constantem sibi admodum eum fuisse in hac opinione luculenter apparet e verbis, quibus multo post illustravit initium scenae quintae actus quinti: „Haec scena alterum generum Chremeti comparat, ne aut Charinus tristis recedat *aut non provisum videatur Philumenae*". Cuius observationis omne pondus est in ultimis illis verbis, quae typis dedi inclinatis. Nam quod et haec legimus: „ne Charinus tristis recedat", non multum abest quin ad ista subridens fere respondeas: „qui nolit Charinum tristem recedere, is curet ne omnino in scenam prodeat".

Sed missa omni cavillatione hoc ocius nosmet rogemus, utrum hac „creandi" causa contenti esse possimus nęcne. Atque equidem contentus esse omnino nequeo. Quin eo audaciae progredi ausus sum, ut mihi persuaserim, magistrum ipsum sibi vix placuisse cum verba ista scriberet. Atque audaciae

Digitized by Google

meae hanc habui causam, quod cogitationi vel suspicioni multo etiam magis temerariae indulgere prorsus nolui. Quid? Num re vera nobis putandum est, id fugisse Donatum magistrum, id eum omnino non cogitasse, primariam atque unicam paene causam novarum istarum personarum creandarum hanc fuisse Terentio, quod ita cuperet superare exemplar suum Graecum, suam fabulam ditare atque ornare novis leporibus, elegantius innectere fabulae nodum novis erroribus excogitatis atque intersertis? Vix opinor. Quin potius credamus et optimum nostrum magistrum penitus hanc veram atque unicam creandi causam agnovisse, quippe qui ad initium scenae quintae actus secundi haec annotaverit: „*vide quam mire* cum omnes consulto consilio sibi agere videantur, omnes tamen exitu inopinato ludificentur et Simo et Pamphilus et Davus et Charinus et ipse Byrrhia", quique initium actus quarti sic illustraverit: „*elegans perturbatio*, in qua inter se Simo, Davus, Pamphilus, Charinus, Byrrhia, Chremes, omnes omnibus redduntur offensi".

„At" dicat hic quispiam „ut concedam vere admodum id esse disputatum, hoc rogatum velim, cur opinionem suam disertis verbis enuntiare noluerit magister". Hoc responsum velim: peculiaris me iudice hic exstat causa, cur non dixerit Donatus id quod in promptu est.

Singulari quadam industria ubiubi potest demonstratum it Donatus, quam praestans sit artifex Terentius suus, quam „multa feliciter ausus sit", „quantum creverit a superioribus". Ibi praesertim egregie sibi placet sedulus magister, ubi lectores suos docere potest, quanta cum cura Terentius hic illicve mundaverit, emendaverit, auxerit, superaverit exemplaria Graeca.

Lepidum quidem (ut hoc in transitu observem) hoc fuit magistri studium quodque nos permultis factis rebusque cognitione dignissimis ditavit, attamen pleraque haec omnia, ut ingenue fatear, mihi ut sunt pretiosa ita tamen pusilla admodum. Verus Donatus mihi est Donatus „scenicus" minime vero Donatus Terentii amator et laudator. Dicit apud Menandrum adulescens quidam amore desperans, se mori velle, „at" inquit magister „Terentius eundem inducit dicentem se patria velle fugere". Utile sane est hoc scire, quin etiam quo plures eiusmodi observationes cognoveris, eo maior tibi crescet volup-

Digitized by Google

tas. Sed aliud est opinor ab exemplari Graeco differre in rebus minutis, aliud exemplar Graecum, Menandri praesertim exemplar vel in quisquiliis istis emendare aut superare. Ne sexcentis quidem istis rebus pusillis stat caditve verus poeta comicus.

Sed periculum est ne a proposito meo aberrem, periculum etiam fit, ne ingratus evadam erga magistrum Donatum, quod utrumque ne fiat cavendum videtur.

Inter virtutes autem scenicas, ob quas magister impense laudat poetam suum, quibusque vel Menandrum ab eo corrigi aut tecte indicat aut aperte testatur primarium locum obtinet ea virtus, quam ut iocose ita tamen haud inepte appellaveris horrorem τοῦ τραγικοῦ καὶ τοῦ παθητικοῦ. Atque in hac re sua quasi trahi voluptate Donatum quis sedulus lector id non animadvertit?

Ipsum hoc studium, ipsa haec voluptas causae exstiterunt bono magistro, cur vitatum tragicum tamquam primariam proferre maluerit causam novarum personarum in Andria creandarum. Nimirum ne misera Philumenae sorte „infuscaretur" exitus hilaris fabulae utque et illi probae virgini maritus probus exsurgeret, ideo per quattuor actus fabulae duae novae personae „serpunt"! Procul absit, ut me διασκευαστήν fabularum profitear, sed hoc rogare ausim, nonne simplicius tali rei providere potuisset Terentius. Ergo vicini Chremetis nulli sunt et si sunt filios non habent isti? Hic ne me temere verba fundere atque effutire putes, candide lector, relege sodes exitum Heautontimorumeni. Quid? Nonne ibi etsi non tribus verbis tamen bis ternis senariis agitur de sorte duarum probarum virginum e viciniae latebris quasi protractarum, ne diutius Clitipho uxore careat? Quarum altera tamquam „rufa, caesia, sparso ore, adunco naso" omni matrimonio indigna statim ablegatur, altera „forma bona fortasse" raptim uxor accipitur. Talia si et fieri et ferri in scena possunt, profecto artifici poetae, *nihil aliud spectanti quam ut maritus appareat relictae virgini*, non opus est, ut inde ab initio secundi actus duas novas personas in fabulae argumentum inserat.

Quid re vera spectaverit Terentius cum exemplar suum Graecum in se sat teres atque rotundum tali modo et ampli-

Digitized by Google

ficaret et ornaret et..... *oneraret* id optime (hoc credamus censeo) perspexit atque intellexit Donatus, quippe qui in fine commenti haec verissime de tota re scripserit: „quia et audacter et artificiosissime binos amores duorum adulescentium et binas nuptias in una fabula machinatus est — et id extra praescriptum Menandri cuius comoediam transferebat — idcirco aliud in proscaenio aliud post scaenam rettulit, ne vel iusto longior fieret vel in eandem propter rerum similitudinem cogerentur". [1])

At vel sic causam huius artificii prave indicare maluit bonus magister quam omittere occasionem aptam iterum demonstrandi, quam penitus usque refugerit poeta suus ab omni re „tragica".

Denique ad testimonium hucusque, quod sciam, neglectum lectorum meorum animos adversos velim, quo luculenter me iudice demonstratur quantopere et probaverit et admiratus sit Donatus magister Terentii sui id inventum et audax et felix, de quo omnis iam fuit sermo. Cognoscamus attente, quomodo Andriae argumentum in Praefatione sua secunda enarraverit magister:

„Chremes Atticus, pater Pasibulae et Philumenae, cum ex his duabus Pasibulam perdidisse se falso crederet relictam Athenis nec visam postea multo tempore, tamquam unicam sibi putabat Philumenam. *Quam Charinus adulescens Atheniensis et amabat unice et petebat uxorem, sed pater eam Pamphilo cuidam, Simonis filio, ultro desponderat.* Qui Pamphilus contra sororem Chrysidis ac peregrinam tum creditam, Pasibulam supra dictam, Chremetis alteram filiam ac sub nomine Glycerii latentem, sic amavit, ut ex ea filium suscepisset inscio patre. Qua re intellecta commotus Simo, Pamphili pater, dum per falsas nuptias temptat animum Pamphili, multis dolis a Davo ipse deluditur servo, periculumque *Charini* et *Pamphili* et totus error inenodabilis [2]) usque ad eum finem est ductus" e. q. s.

Tu nunc benevole lector ad tempus mecum fac Andriam fabulam nobis interisse. Ecquis umquam tali perlecta praefatione iam sibi in animum inducat ut suspicetur bonum istum

1) Ad v. 977. De ipsis verbis suo loco breviter disputabitur infra.

2) Sic Rabbovius. Libri exhibent; *in fabulis*. Ecquid dedit magister: *ineffabilis*?

Digitized by Google

Charinum *bis priore loco* cum rivali suo Pamphilo lectoribus oblatum sine ullo fabulae detrimento prorsus abesse potuisse? Id contra suspicari ausim, eum numquam istum principatum obtenturum fuisse, nisi Terentium suum impense admiratus fuisset Aelius Donatus.

XXXV. Ad ipsum primum versum novi actus subsistere cogor, quippe ubi magistrorum meorum observationibus explicationibusque implicari me potius quam adiuvari sentiam, quod fortasse mea maxima fit culpa. Sed videamus quid rei sit:

(v. 31) Ch. Quid ais Byrrhia? daturne illa Pamphilo hodie nuptum? By. *Sic est.*

Monet Donatus: „ex verbis Charini apparet Byrrhiam nuntiasse futuras nuptias Pamphilo; nec adducitur tamen, ut statim credat et accommodet animum. Saepius ergo repetit interrogando".

Luce clariora haec sunt. Fusius atque verbosius idem explicat Eugraphius „deliberativae" suae ut assolet minime oblitus, quam ego nunc non curo. Sed scribit magister: „Charinus indignatur, quod sibi nuntiatum esset Philumenam quam diligebat Pamphilo esse nupturam..... ac primum an verum sit quaeritur: ideo quaerit quasi verum audierit. Est et familiare timentibus..... nolle audire quod inimicum sit voluntati".

Ferenda est magistri verbositas, sed vix ferenda est mira eius ratiocinatio. Quid? Indignatur aliquis malo nuntio audito. Quaerit an verus sit. Quoniam autem timet proprium suum malum, non vult audire „*quod inimicum est voluntati*". Humanum hoc! „Ideo interrogat"..... Quonam modo obsecro? „Ideo interrogat quasi *verum* audierit.

Immo quasi ⟨*non*⟩ *verum* audierit!

Sic mihi videtur sed alii viderint.

XXXVI. Sed scrupulum multo molestiorem hoc ipso loco mihi iniecit brevis quaedam Donati magistri notula. Ad Charini verba annotavit magister: QUID AIS B.] „miratur magis quam interrogat vel potius indignatur". Recte haec sunt observata. Subsequuntur haec: SIC EST] „hoc cum indignatione stomachi dixit". Sic et lemma et scholium tradita sunt, sic usque sunt edita. Sed ego credere nolim sic Donatum scripsisse. Num segnis iste atque immotus verna, idem ille, qui

Digitized by Google

mox ipsum suum dominum est irrisurus his verbis: „Quidni? Si nihil impetres ut te arbitretur sibi paratum moechum" idem ille, qui mox eo socordiae est processurus, ut placide observet: „quo aequior sum Pamphilo, si se illam in somnis quam illum amplecti maluit", num idem dico iste hic nunc voculas suas: „Sic est" non sedate pronuntiabit (ut fert eius χαρακτήρ) sed „cum indignatione stomachi"? Credat Iudaeus Apella. Ocius ergo deleamus breve lemma et scholium ipsum cum praecedentibus iungamus. Iam utra harum notularum ad idem lemma: QUID AIS B. pertinentium Donato sit digna, minus digna, indigna, id me sagaciores audaciores feliciores diiudicent.

XXXVII. Nunc quasi in transitu adspiciamus illum „attentum auditorem" quem laudat Donatus ad verba Terentiana: Animus attentus fuit (v. 303). Nam mihi collatis locis, qui leguntur in primo libro Rhetoricorum ad Herennium [1]), nec non in primo libro de Inventione [2]) vere Tullianus videtur homo. Tibi autem, lector candide, si κοσμοπολίτης videtur ἀνήρ, ego nil moror.

XXXVIII. Ad verba Charini „tu si hic sis aliter sentias (v. 310) servus, qui herum dolentem consolatione et sapientia sua irritare non vult, sedate respondet: „age age ut lubet". Recte annotat Donatus: „adversus haec non habuit, quid loqueretur". Pergit magister: „et est permissio reprobantis ea, quae *sentit*". Immo „quae ⟨*con*⟩*sentit*". Ita iam Stephanus, Lindenbrogius, alii. Res dubia esse nequit. Conferatur modo notula Donati ad nostrae fabulae versum 713um: AGE VENIAM] concedentis et vix *con*sentientis est: age veniam. Quid quod ipse Wessnerus allegat hoc scholium Bembinum ad Heaut II. 3. 91 ubi legimus: AGE AGE]: haec repetitio quasi aegre permittentis est et vix adducti ut *con*sentiat [3]). Estne typothetae error editionis Wessnerianae? Sed cur molestum istum errorem repetiverit Karstenus cum totam notulam miseram proscriberet, id scire pervelim.

1) Ad. Her. I: 7. 2) De Invent. I: 23.

3) Conferatur etiam haec notula in farragine Calphurniana ad Heaut. 4 : 3 : 44 obvia: AGE AGE] VOX *con*sentientis.

Digitized by Google

XXXIX. Nihil amplius sperare audet miser Charinus quam fore ut hoc saltem a Pamphilo impetret, ut ille per aliquot dies differat nuptias suas. Id orare aggreditur. More autem vere humano prius rogat τὸ ἀδύνατον (nempe ut recuset Pamphilus nuptias), mox ad preces magis sanas rediturus. Minime haec precandi ratio fugit magistrum Donatum qui ad lemma: HUNC ORABO annotavit: „prooemia sunt petitionis, quibus ostendit poeta *rationem*, qua nova et improba res tamen petitur". Nam quin veram lectionem restituerit Stephanus cum ineptum vocabulum traditum: *narrationem* in *rationem* mutaret, quis dubitet? Attamen vel sic nescio quid curtae rei deesse videtur. Nam cur simplex illud atque unice hic aptum vocabulum *rationem* in ineptissimum istud *narrationem* abierit id iure rogaveris. Iure igitur suo Wessnerus quasi πρὸς τὸ κεχηνός coniecit: ⟨*nunc*⟩ *rationem*. Equidem suspicari ausim voculam et pretiosiorem et speciosiorem hic intercidisse vel potius librariorum socordia cum vocabulo *rationem* coaluisse primo, mox τῇ παραδιορθώσει plane evanuisse in ineptum istud *narrationem*. Quae fuerit haec vocula pro certo statui numquam poterit. Fortasse scripsit magister: ostendit poeta „*arte* [1]) rationem", vel „*miram* [2]) rationem" nam et hic poetam suum admiratum esse Donatum vix dubito.

XL. De causa sua desperans tamen alloquitur Charinus Pamphilum. Hoc colloquii frustum do:

(v. 318) Ch. O salve Pamphile,
Ad te advenio spem salutem auxilium consilium expetens.
Pa. Neque pol consilii locum habeo neque ad auxilium copiam,
Sed istuc quidnamst? Ch. Hodie uxorem ducis? Pa. Aiunt.
Ch. Pamphile,
Si id facis, hodie postremum me vides. Pa. *Quid ita?*
Ch. Ei mihi
Vereor dicere: huic dic quaeso Byrrhia. e. q. s.

Locum sic ornat commentariis suis Eugraphius:

AD TE VENIO SPEM SALUTEM AUXILIUM EXPETENS] Pamphilus

1) Cf. Schol. quo paulo infra in eadem adhuc re versatus, illustrat magister poetae verba: SALTEM A. D.] et hoc *arte*.

2) Infra tractabo schol. ad Hecyram ubi nisi omnia me fallunt *nova ratio* sat inepte abiit in *narratio*.

Digitized by Google

propter amorem suum istud aliter accipit et respondet: NEQUE POL CONSILII LOCUM HABEO NEQUE AD AUXILIUM COPIAM] *interrogat* tamen ille, quoniam pudoris fuerat dicere „uxorem tuam diligo". prius interrogat, an ducat uxorem. respondit Pamphilus, quod in opinione est, quia non est in eius voluntate. adiungit Charinus ad impetrationem vitae suae periculum: Si id facis inquit hodie postremum me vides. sed *interrogatus* a Pamphilo cur istud dixerit pudore confunditur; allegat servum.

Sic locum exhibet Wessnerus. Sed quis hic non haereat in contorta et obscura sententia: *interrogat* tamen ille, quoniam pudoris fuerat dicere: „uxorem tuam diligo". „Ille" nimirum est Charinus, qui *tamen* interrogat, *quoniam* dicere non audet: „uxorem tuam diligo". Sed quid hoc obsecro? Num vel mediocrem commentatorem sic nugari decet dum explicare studet? Non opinor. Atqui longe aliter eadem verba dederunt prisci illi Lindenbrogii et Stallbaumii dum sic interpungunt: „Interrogat tamen ille. Quoniam pudoris fuerat dicere: uxorem tuam diligo, prius interrogat, an ducat uxorem". Nunc „*ille*" non esse non potest Pamphilus et optime sane nunc tria illa verba: „Interrogat tamen ille" respiciunt ad Pamphili interrogationem: „Sed istuc quidnamst", atque hactenus profecto aliquid lucramur. At remota est difficultas non sublata. Nam quid facias verbis proxime insequentibus? Nonne molestissima et obscurissima haec sunt et *ἀσυνδέτως* addita et novo suo iustoque subiecto, quod dicunt, prorsus destituta? Opinor. Quid nunc?

Quin tu, candide lector, mecum lenissima correctiuncula mutes prius istud *interrogat* in interroga*tus*, iterumque omnia perlegas. Iamne sentis, quam facile nunc per totum verborum ambitum boni magistri usque ad finem decurras?

„Interroga*tus* tamen ille, quoniam pudoris fuerat dicere: uxorem tuam diligo, prius interrogat e. q. s.

Nunc et iustum subiectum (Charinus nempe) iusto loco se offert iterum et particularum *tamen* et *quoniam* vis apta sentitur, nunc denique sentimus quam apte quamque pariter respondeat participiorum par ad Pamphili rogata, ita nempe ut prius illud *interrogatus* ad verba: „*sed istuc quidnamst*?" alterum *interrogatus* ad verba „*Quid ita*?" respiciat.

Digitized by Google

Ergo sic scripsisse olim magistrum Eugraphium nullus dubito. [1])

XLI. Rogat Pamphilus Charinum de Philumena amata:
(v. 325) Num quidnam amplius tibi cum illa fuit, Charine?
At ille pudibundus atque indignabundus respondet:
Ah Pamphile nil!
quibus verbis auditis Pamphilus quasi spe frustratus exclamat:
Quam vellem!

Haec observat Donatus: AH PAMPHILE] artificiose Terentius personam expressit nuptias recusantem et simul τὸ πρέπον virgini reservavit.

Praestantem observationem non ad lemma laudatum sed ad verba: QUAM VELLEM pertinere quis non videt?

Porro operae pretium est huc afferre Eunuchi locum simillimum.
(v. 143) Ad virginem animum adiecit. Ph. Etiamne amplius? ubi magister annotavit: „mundat Terentius, ut solet, res huiusmodi per ἔλλειψιν suam". Nam notandum est ἦθος simillimum et locorum Terentianorum et observationum Donatearum.

Sed haec in transitu. Nunc verba: τὸ πρέπον virgini *re*servavit consideremus. Quae mihi ut perspicua ita non prorsus sana videntur. Nam istud verbum compositum *re*servavit male me habet. Supra fusius de sollemni verbo *servandi* apud Donatum usitatissimo disputavi locosque complures, quibus „facies non omnibus una nec diversa tamen" sub unum conspectum composui. Nonnullos consulto omisi, quos neque nunc addere opus est. Plus vicies obvium est verbum simplex omnibusque locis idem fere valet atque *vindicare*. Uno dumtaxat loco (ad Hec. v. 489) legitur compositum *re*servare in hac observatione: „hoc totum repudiaturus inaniter diceret, nisi ad exitum fabulae poeta respiciens reducturi animum in Pamphilo reservaret". Quae cum ita sint tutius profecto est in re levi nostro quoque loco traditam lectionem boni consulere.

Sed admodum me movent duae magistri notulae in ipsa Andria de ipsa illa τοῦ πρέποντος notione conscriptae, quarum prior (ad v. 447) haec praebet: *mire servatum* est in adulescente

1) Mox infra ad simillimam correctiunculam deveniam.

Digitized by Google

libero τὸ πρέπον, altera sic loquitur: τὸ πρέπον etiam *servatum* est gravi viro [1]) (ad. v. 798). En bis verbum simplex adhibitum! Suspicari ausim et nostro loco scripsisse magistrum: „simul τὸ πρέπον virgini ⟨*mi*⟩*re* servavit. Solitum atque hoc loco aptissimum adverbium *mire* hic post ultimam syllabam vocis virg*ini* per ἁπλογραφίαν quandam interiisse puto.

XLII. „Fugin hinc!" exclamat Charinus iratus ad ineptum et insulsum servum suum Byrrhiam aggrediens. (v. 337). Annotavit Donatus: „minantis est et *arguentis* a se". Sic libri. Post Stephanum vulgo editur: et *abigentis* a se. Nonne et lenius et aptius corrigimus: *u*rguentis a se? Innumerabilibus locis literae *a* et *u* et in libris Donateis confunduntur.

XLIII. Iam, si varietas et hic delectare potest, lectionem traditam iniuria sollicitatam pro virili strenue defendamus:

Incipit scena secunda. In scenam provolat Davus:

(v. 338) Di boni! boni quid porto!

Annotat Donatus: „... hic est locus, in quo ut fieri solet fortuna mixta *rebus dispositis* magnas turbas dat".

Recte, vere, lucide locutus est magister, neque ulla iusta causa fuit cur Hartmanus noster haereret in locutione *rebus dispositis*, ubi frustra coniecit: rebus *desperatis* [2]), quae coniectura hactenus saltem placuit Wessnero ut eam in apparatum suum criticum reciperet. Sed Karstenus recte explicavit atque interpretatus est verba sic: „fortuna mixta r. d = se immiscens rebus a fabulae personis scite, ut putabant, ordinatis" [3]).

Iuvat nunc explicationem Karstenianam corroborare et stabilire quattuor allatis locis, uno Donateo, duobus Eugraphianis, uno denique insigni Serviano, qui omnes egregie illustrant sollemnem hunc *disponendi* verbi usum:

Ad Phormionis actus quinti scenam tertiam sic praefatus est magister Donatus: „divitis uxoris de marito licentius conquerentis haec allucutio est *cum dispositione* futurarum turbarum".

Ad Heautontimorumeni versum 541um annotavit Eugraphius: „an consilio istaec dicat an ioco an necessario, intellegere non

---

1) τὸ πρέπον supplevit Stephanus et vix aliud quicquam hic excidere potuit.
2) De Ter. et Don. 138.
3) Vol. I p. 252.

Digitized by Google

possum: unum tantummodo intellego, quod mihi *ad hoc, quod disposui*, cumulat voluntatem".

In fine eiusdem fabulae ad versum 737um sic rem gerit idem magister lemmatis et notulis dispositis: QUIN EST PARATUM ARGENTUM] intellexit servus callidus, quod idcirco Bacchis se ire diceret, quod argentum quaereret — et hac ratione pollicetur: QUIN EGO HIC MANEO] quo et argentum dari possit et nihilominus *illud* fieri, *quod dispositum est.*

Sed vel optime sollemnis verbi vis apparet e brevissima notula, quam adiecit Servius ad Aeneidis libri tertii versum 338um:

aut quisnam ignarum nostris deus appulit oris?

Ad vocem *ignarum* nimirum et breviter et optime annotavit egregius magister: *aliud disponentem.*

Nunc opinor et nostri loci lectio tradita sat tuta est [1]).

XLIV. Iam ad coniecturam simplicem, haud illepidam (si dicere fas est) eandemque audacissimam munire viam instituo. Compluribus hic locis Plautinis allatis opus est, non ita tamen, ut de singulis his locis fuse sit philosophandum. Nam succincta et paene nuda locorum enumeratio ad rem sufficiet aut... non sufficiet.

Ad Davi exclamationem:

(v. 338) Di boni, boni quid porto? Sed ubi inveniam Pamphilum,
Ut metum in quo nunc est adimam atque expleam animum gaudio?

observat Donatus: „ordine locutus est: prius enim metum adimere, sic demum gaudio perfundere". Verum hoc [2]). Nam quis locus est gaudio sive in vera vita sive in vita scenica, ubi adhuc metus praevalet?

Nihil ergo in comoediarum περιπετείαις magis solita quam talia qualia sunt: iam ne longius timeam, timeas, timeat, quin potius gaudeamus, gaudeatis, gaudeant. Rem ipsam demonstratum ire longa serie locorum Terentianorum et Plautinorum sat fatuum sit. Sed rem non curo nisi hactenus, quatenus curo coniecturam meam, sicut apparebit:

---

1) Operae pretium est conferre etiam Donati observationem ad Ad. v. 252: adventus in proscaenio personarum..... tamquam superveniunt aliis rebus *in medio positis.*

2) Suis verbis repetit rem Eugraphius.

Digitized by Google

Cognoscamus finem Amphitryonis:

„Bono animo es, adsum auxilio, nihil est quod timeas". Sic demum ad heroëm usque ad finem fabulae sollicitudinis plenum loquitur Juppiter, mox de Hercule modo nato sic locuturus: „suis factis te immortali afficiet gloria".

En „metus ademptus" „gaudium perfusum".

Relegamus finem Mercatoris:

Charinus amore desperans in exilium proficisci parat. Sed omnem rem in vado esse subito discit ab amico suo Eutycho, qui omnia fausta esse sic narrare incipit: „Ne pave, restituam iam ego te in gaudia".

Quam apte, docte, graphice compositus est ὁ ἀνάγνωρισμός inter Hannonem Poenulum et eius filias, in quo ut maius fiat gaudium magisque penitus percipiatur fictis minis in falsum timorem coniiciuntur puellae a patre, donec „satis iam maceratae" „miseraeque timentes" subito et timore liberantur et gaudio onerantur auditis patris verbis: „vos meae estis ambae filiae".

Legamus Pseudoli actus quarti scenam sextam ubi Ballio leno Simonem senem metu liberat bonoque nuntio recreat: „o fortunate, cedo fortunatam manum..... nihil est, quod metuas..... minae viginti sanae ac salvae sunt tibi".

Iustus ordo non minus religiose servatur a Dinacio ancilla, quae his verbis se ipsa exhortatur in Stichi actus secundi scena secunda: „Propterea Dinacium, pedes hortare!..... heraeque egenti subveni..... quae misera exspectatione est..... Tantum a portu adporto bonum..... Non enim possum, quin revortar, quin loquar..... heramque ex maerore eximam..... atque illam augeam insperato, opportuno bono".

Sed omnium quotquot huius generis exstant loci Plautini, festivissimus vereque ut ita dicam classicus est in Captivorum περιπετείᾳ. Quis est quin sincera animi laetitia sanoque cum risu legerit atque relegerit illa:

E. Cedo manum. H. Manum? E. Manum inquam cedo tuam actutum! H. Tene.

E. Gaude! H. Quid ego gaudeam? E. Quia ego impero. Age gaude modo!

H. Pol maerores mi antevortunt gaudiis. E. Noli irascier,

Digitized by Google

Iam ego ex corpore exigam omnes maculas moerorum tibi. Gaude audacter! H. Gaudeo, etsi nil scio, quod gaudeam. E. Bene facis.

Nonne hic ipsa illa naturalis ordinis regula consulto subversa felicissime ad novas genuinas efficacissimas facetias pervenit ingeniosissimus ille atque hilarissimus omnium poetarum Latinorum? Nonne ipsa haec festiva regulae subversio veritatem eius confirmat? Opinor. [1])

Verus ergo fuit Donatus dum scribit quae iam repeto: „Ordine locutus est: prius enim metum adimere sic demum gaudio perfundere". Sed quid obsecro ultima ista sibi volunt, quae nunc denique addam: „hic ordo etiam *in laude* servatur?"

Idem iam ante triginta annos rogavit Hartmanus noster: „Quid quaeso ultima haec sibi volunt? An: cum aliquem laudes, primum aliqua infamia eum esse purgandum? Mendum subesse suspicor atque pro *laude* scriptum fuisse *narratione* vel simile aliquid: cum enim tandem aliquando eo pervenit Davus ut res sibi cognitas denarret, ab illis facit initium quae metum demere possint. Quo facto sponte gaudio implentur iuvenes, ut ipsi Davo iam nihil sit addendum." [2])

Sed nihil aliud id esse quam de loco desperare, quis non sentit? Quid ego velim iam mente praecepisti candide lector. Me si audis Donato restitues: hic ordo etiam **in Plauto** servatur.

Quid multa addam? Nacti sumus observationem utilissimam et Donateam *κατ' ἐξοχήν*, quamque egregie commendant scholia qualia leguntur ad Eun. v. 694: „Haec Plautina sunt, cum in iisdem sit longa disputatio" et Ad. v. 914: „.....est autem

1) Quam feliciter facetus hic fuerit Sarsinas vetus nulla re planius demonstratur quam quod scenae comicae Gallicae decus magnus Molierius ioci Plautini fur manifestus deprenditur in fabula sua, quae inscribitur: l'Amour médecin, in qua suo loco spectatores hoc *ἐπεισοδίῳ* delectantur (Act. III Sc. IV).

Lisette: Monsieur, allégresse! allégresse!

Sganarelle: Qu' est-ce?

Lisette: Réjouissez-vous.

Sganarelle: De quoi?

Lisette: Réjouissez-vous, vous dis-je.

Sganarelle: Dis-moi donc ce que c'est et puis je me réjouirai peut-être.

Lisette: Non je veux que vous vous réjouissiez auparavant e. q. s.

2) De Ter. et Don. pag. 139.

Digitized by Google

hoc „iube nunc iam" figura etiam apud Plautum frequentissima''.

Accedit, quod huius „regulae comicae", qua metus praecedere debet gaudium, manifesta vestigia est videre in utriusque magistri observationibus ad unum eundemque versum Andriae. In fine fabulae Pamphilus, iamiam felicissimus mortalium futurus, exclamat: „Vix sum apud me: ita animus commotust *metu*, *spe*, *gaudio*", ad quae verba et multa alia annotavit Donatus (ad v. 937) et haec: „et mire *ordinem servavit*, *sic enim se haec invicem secuntur*". Nec deest Eugraphius magister fusius more suo edisserens: „.....deinde *ordine fecit*, nam post metum spes collocata est..... deinde adiecit confirmatum bonum, quod dixit „gaudio".

Ceterum vel sic audax videbitur inventum meum iis praesertim, qui in tali re nil nisi rationes probabilitatesque palaeographicas spectare soleant. Nam plus centies occurrit Plauti nomen in commento nostro et vix usquam corruptela est adrosum. Tamen bis terve illustre nomen est decurtatum et mutilatum in *plau* (cum litera initiali minuscula) [1]) et uno loco quasi versa vice vocabulum *laudi* abiit in *Plauti* [2]). Quam grato animo absurdam istam corruptelam salutaverim iam tu, benevole lector, intelleges.

XLV. „Hodie" „nuptias" fore, id Pamphilus e patris ore audivit, id Davus a furenti domino cognovit. Nescit tamen Pamphilus Davum et rem et tempus scire. Ergo dum servus ad bonum suum nuntium de nuptiis non veris pervenire gestit admodum impeditum se sentit ipsius adulescentis verbis, quibus ille miseram suam sortem quam planissime exponere perseverat. Lepidissimi sunt senarii:

(v. 346) P. Dave, perii. D. Quin tu hoc audi. P. Interii. D. Quid timeas scio.

(v. 348) P. Nuptiae mi. D. Etsi scio? P. *Hodie*. D. Obtundis tametsi intellego?

Hanc deprendimus notulam Donati:

HODIE] tempus addidit tamquam rem *scientis*. Sic exhibent quattuor libri A. T. C. V. Notula in fine leniter est corrupta. Facilis et certa videtur Bentleii correctio: rem *scienti*. Quid

1) Eun. 508. 540. 2) Adelph. 13.

Digitized by Google

Wessnerum moverit ut spreta hac correctiuncula in textum reciperet variam lectionem: rem *sciens*, quam exhibet codex B, id me fugit. [1])

XLVI. Emendemus observationem Eugraphii ad versus proxime insequentes. Exclamat Pamphilus trepidans:

(v. 351) Obsecro te, quam primum hoc me libera miserum metu.

Respondet servus:

Em libero, uxorem tibi non dat iam Chremes.

Ad hos versus respicit magister dum haec scribit: „rogat, ut metu liberet dominum servus, summam collocat".

Satin haec absurda? In promptu est ista ad sanum sensum revocare sic: rogat ut metu ⟨*se*⟩ liberet domin*us*, servus summam collocat. Sed minime opus est nam correctione lenissima emendabimus: rogat⟨*us*⟩, ut metu liberet dominum, servus summam collocat.

Prorsus eodem modo Eugraphii sententiam paulo supra (ad v. 319) correxi: interro*gat* in interroga*tus* mutando. Emendatiunculae se invicem firmant. Socordia librarii brevi intervallo bis neglexit notam: 9 = us, quo facto bis simplex constructio, quam dicunt, verborum interiit. Participii *interrogatus* sic in nominativo positi admodum frequens est usus apud Eugraphium [2]).

XLVII. Paulisper in ipsa hac expositione Eugraphii subsistamus, qua disserit quomodo Davus „summam collocet":

„Est igitur summa: uxorem non dat Chremes filiam suam Pamphilo et ne casu videatur ista argumenta collegisse aut ex eventu, narrat causam, quemadmodum ad indicia veritatis tanta pervenerit".

Recte haec exposita sunt. Lemmate necessario Terentiano interserto [3]) sic pergit magister:

TUUS PATER MODO ME PREHENDIT] „.....quibus in versibus declarat sibi maximam sollicitudinem fuisse, posteaquam patrem cognoverit Pamphilo nuptias *non* parare.

---

1) Wessnerum secutus est Karstenus.

2) Emendatiuncula necessaria prorsus simili sanavit Schopenus annotationem magistri ad Hec. v. 293 ubi pro suscita*tur* vel susci*tat* utique legendum est suscita*tus* ut naturalis decursus verborum efficiatur.

3) Lemma addidit Wessnerus.

Digitized by Google

Immo *nunc* parare! Ecquis mavult credere Eugraphium hic nugas agere suosque lectores ludificari, quam librarium aliquem, verba male sequentem, rem prorsus non tenentem, errore solito *non* pro *nunc* scripsisse?

XLVIII. Redeamus ad Donatum: Pergit Davus erilem filium nuntiis suis „explere gaudio" alacri opinor simulque docto vultu. Sed ille, ut poscit nunc ratio scenica ad tempus gaudere non vult, loquitur paucula, tacet multum. Exponit servus, quomodo iam ipsa „solitudo ante ostium" Chremetis se bona spe et gaudio affecerit, qua re audita bonus Charinus iam non exclamare non potest: „recte dicis", quasi occupans Pamphilum, qui vix tandem dicit: „perge". Ad lemma: SOLITUDO ANTE OSTIUM annotavit magister: „quasi circumventum et non consentientem *Pamphilum* excitat ad gaudium laetitia sua". Bona notula sicut nunc legitur, sed *Pamphilum* invexit Stephanus, dum omnes libri exhibent absurdam vocem: *filium*. Sed vel sic necessaria videtur correctio, quae prima specie certae emendationis instar se offert. Sciendum vero est, Pamphili illud nomen proprium toties per totam fabulam obvium *vix ullam* passum esse corruptelam *in omnibus libris* nisi quod bis terve legitur: Pam*f*ilus vel Pam*p*ilus. Tum de *Pamphilo* „circumvento et non consentiente" hic sermonem fieri quis non intellegit? Facile nomine proprio carebimus.

Quae cum ita essent limis ego aspexi oculis mirum istum *filium* atque graviore hic corruptela inquinatam fuisse Donati optimam notulam suspicatus sum. Quorsum autem cum suspicione mea evaserim statim narrabo.

„Circumventus" est Pamphilus at vel sic „non consentit". Num obloquitur? Minime. Nam vix potest. Quod tamen potest, facit. Tacet. Ipsa sua taciturnitate obloquitur quodque plus est, sedulum servum vexat, qui altiore voce opinor ipse suum: „iam id gaudeo" profert quasi dicat: „quin tu mecum gaude!" Sic locum intellexisse magistrum nullus dubito. Quid si diserte etiam addidit quomodo „non consenserit" Pamphilus etsi circumventus dictis factisque? Quid si scripsit: et non consentientem *p silīum* i. e. *per silentium*. Quid si e *silentio* hic *filium* suum procreavit librarius? An nimiam bonis istis

Digitized by Google

imputabimus socordiam, tales si figuras et dedisse et ademisse eos crediderimus? Sed iam satis. [1])

XLIX. Quam vilis sit cibus, quem „in cenam seni" domum portantem conspexerit puerum Chremetis et succincte et diserte exponit Davus his verbis:

(v. 369) Holera et pisciculos minutos ferre obolo in cenam seni, ad quae verba haec observavit Donatus: „sufficeret diminutive „pisciculos" dixisse, quos sic „minutos" dixit et *pretium* „obolo" esse emptos, quae est ultima nummorum significatio, sunt enim genera piscium minutorum, quae magno veneant; hic ergo etiam *de pretio* vilissimos pisces significavit.

Magnifice hic abundat prius istud *pretium*, quod iure suo uncinis inclusit Wessnerus.

Ecquid corruptum est vocabulum ex: *tertium*? Egregie huc quadrare mihi videtur eiusmodi additamentum, quo magis etiam sentimus curam meticulosam interpretis, singula verba Terentiana lectoris animo quasi infigentis.

Pari cura eodem fungitur officio magister ad locum Phormionis, ubi Phaedria adulescens, culpae sibi conscius, patruum senem peregre reversum in hunc modum salutat, resalutat atque adventum eius gratulatur (v. 254 sqq.): „mi patrue, salve" mox: „salvum venire...." tum: „sed satin omnia ex sententia?" Ad quem locum annotavit magister: „altera salutatio ad leniendum..... sed *et tertio* addidit „satin omnia ex sententia?"

L. Sed circa ipsa illa verba Davi, de quibus modo scripsi, miram quandam nobis exhibet ratiocinationem magister Eugraphius. Utrum hic librariorum somnolentia an interpolatoris cuiusdam sapientia nos ludificata sit, quis dicat? Prorsus sanare istas nugas et ego nequeo; attamen pauca libet de iis disserere, praesertimque ad Wessneri circa hunc locum curas lectoris animum movere.

In hunc modum ratiocinantem Eugraphium nobis inducunt

---

1) Quam scateant codices istiusmodi sive iustis sive vitiosis scripturae compendiis quale sit nostrum *silium* pro *silentium*, id multis exemplis ostendi sibi quis cupiat? Legimus in libris nostris: *emplum* pro *exemplum*, *declonis* pro *declinationis*, *spectoribus* pro *spectatoribus*, *delimti* pro *deliramenti!*

Digitized by Google

libri: „.....Davus, quasi iam collecta sit veritas, indignatus negat dici debuisse „opinor". adiecit: Non recte accipis, certa res est. adiecit alia argumenta ab ipsa divisione factis atque dictis, quod puerum invenerit Chremetis holera et pisciculos minutos ferentem ad cenam seni, *ne forte aliquis puer ferret in cenam seni.* Ita coniectura firmata est a factis et dictis vel a persona Simonis vel persona Chremetis, quae, sicut diximus in divisione consistunt *quemadmodum dicitur.*

De verbis quae typis dedi inclinatis haec observat Wessnerus: „haec omnia interpolatorem sapiunt".

Et sane ultima ista: *quemadmodum dicitur* vim nullam, locum nullum habere videntur. Quid iis facias? Sed audiamus optimum editorem de ipsis illis vocabulis:

„*Quemadmodum dicitur* post *consistunt* legitur in codicibus sed aperte" (sic!) ad *ne forte aliquis puer ferret in cenam seni*" pertinet. Edidit ergo: quemadmodum dicitur: „ne forte aliquis puer ferret in cenam seni."

Sed aut ego nihil iam hic sapio, nihil dispicio, aut nunc demum omnia haec omni sano sensu sunt destituta. Quid! Undenam allegantur ista verba: „*ne forte aliquis puer ferret in cenam seni*"? Ubinam terrarum Terentianarum leguntur? Aut si id dicere noluit magister, quanam de causa, obsecro, hic laudantur? Peculiaremne quandam Latini sermonis elegantiam exhibent an singularis quaedam constructio, quam dicunt, verborum iis illustratur? Ut iam dixi, mihi hic aut oculi et mens caecutiunt aut merae mihi nunc obversantur nugae. Redeant ergo censeo vocabula in locum a librariis iis tributum. Vivant ibi aut intereant sepelianturque crucibus appictis.

Sed quid nunc censendum est de verbis toties iam repetitis: *ne forte aliquis puer ferret in cenam seni?*

Meam mihi super iis informavi hypothesin, quam ut commodius exponam atque commendem mihi utique est redeundum ad notulam brevem, quam in proxima vicinia adscripsit magister ad illa Davi verba, quae iam exhibui: SOLITUDO ANTE OSTIUM] „ubi utique frequentia esse debuit" (nempe si verae nuptiae essent) „*sed ne hoc parvi temporis sit* „maneo" inquit „interea" e. q. s.

Ecce quam accurate, quam minute examinet magister singula

Digitized by Google

verba Terentiana, ut demonstret, quam accurate, quam minute ipse poeta suam rem egerit. „Solitudo" per punctum temporis non sufficit ad rem demonstrandam, ergo „*ne hoc parvi temporis sit*" manendum est servo. Hic illic nimirum Eugraphium cum Donato de palma interpretationis certare voluisse putes.

Sed revertamur ad locum nostrum, ubi agitur „de coniectura firmata a factis et dictis vel a persona Simonis vel persona Chremetis" i. e. ubi cognoscit lector iam omnia ab utroque sene et apud utrumque senem dicta factaque esse, quibus lucide demonstretur veras nuptias esse non posse. Quid nunc si magister et hic pari cura animum attenderit ad „*Chremetis* puerum", quem Davus se convenisse memorat. *Chremetis* fuit puer non alius nescioquis, cui Davus occurrit. Res dubia esse nequit! Sic ergo legamus magistri verba ut vocem tollamus in vocabulis quae inclinatis iterum dabo literis: „adiecit alia argumenta..... quod puerum invenerit *Chremetis*.... ne forte *aliquis* puer f. i. c. s. Iam intellegi poterit bonus magister, qui procul dubio rectius fecisset si post prius illud *seni* interseruisset haec fere: ⟨Chremetis autem dicit⟩.

(Continuabuntur).

Digitized by Google

AD ARISTOTELIS

Περὶ τῶν ζῴων p. 557, a, 10—15.

SCRIPSIT

L. A. W. C. VENMANS.

Ἐγγίνονται δὲ καὶ τῶν ἄλλων ζῴων ἐν πολλοῖς φθεῖρες. καὶ γὰρ οἱ ὄρνιθες ἔχουσι, καὶ οἱ καλούμενοι Φασιανοὶ ἐὰν μὴ κονίωνται, διαφθείρονται ὑπὸ τῶν φθειρῶν· καὶ τῶν ἄλλων δὲ ὅσα πτερὰ ἔχει, τῶν ἐχόντων καυλὸν καὶ τῶν ἐχόντων τρίχας· πλὴν ὄνος οὐκ ἔχει οὔτε φθεῖρας οὔτε κρότωνας.

Codices Marcianus 208 (A^a), Laurentianus 874 (C^a), Vaticanus 1339 (P), 262 (D^1) habent τὸ ἔχον καυλὸν pro τῶν ἐχόντων καυλὸν. Rectissime in editione Auberti-Wimmeri (Lipsiae 1868) I p. 536 verba τὸ ἔχον absurda esse parumque cum verbis prioribus vel sequentibus cohaerere dicuntur. Quamquam *omnes* codices τὸ ἔχον habere falso in apparatu critico affirmatur. Atque illud quoque recte in eadem editione asseveratur verba τῶν ἐχόντων καυλὸν, quae omnes editiones posteriores habere demiror, nihilo magis cum aliquo propinquo vocabulo coniungi, posse.

Conferre possis cum nostro loco Aristot. Περὶ τῶν ζῴων, p. 504, a, 30 sq.:

ἔτι δ' οὔτε φολίδας οὔτε τρίχας ἔχουσιν (sc. οἱ ὄρνιθες), ἀλλὰ πτερά· τὰ δὲ πτερὰ ἔχει καυλὸν ἅπαντα.

et ibidem p. 532, a, 25 sq.:

τὸ πτερὸν (sc. τῶν ἐντόμων) οὐκ ἔχει καυλὸν οὐδὲ σχίσιν.

Igitur Aristoteles seiungit animalia, quorum pennae caulem habent (i. e. aves), et animalia, quorum alae caule carent (i. e.

Digitized by Google

insecta volucria), et animalia, quae pilis teguntur (i. e. *ἔναιμα ζωστικοῦντα ἐν αὐτοῖς*).

Cum autem Aristoteles nostro loco iam de avibus, quarum pennae caulem habent, locutus sit, sine dubio in sequentibus loqui vult de animalibus, quae alas caule *carentes* habent. Non possum quin suspicer eum scripsisse:

καὶ τῶν ἄλλων δὲ ὅσα πτερὰ ἔχει οὐκ ἔχοντα καυλὸν καὶ τῶν ἐχόντων τρίχας.

Causam corruptelae in propatulo esse reor: *οὐκ ἔχοντα* mutatum est in *τῶν ἐχόντων*, cum ea ipsa verba *τῶν ἐχόντων* paene sine intervallo sequantur. Itaque locum latine hoc modo vertendum esse arbitror:

„Proveniunt etiam pediculi in multis aliis animalibus; habent enim aves quoque, et phasiani qui vocantur, nisi se pulverent, ab iis necantur; et [in omnibus] aliis, quaecumque alas habent caule carentes; et [in multis aliis], quae pilis teguntur".

Verba *τῶν ἐχόντων τρίχας* cum *ἐν πολλοῖς* coniungenda esse efficitur etiam ex sequentibus exceptionibus.

Oudemansius [1]) hoc ex loco colligit Aristotelem iam Acarum coleoptratorum L. in Bombycinis, vel omnino animalia generis Acari in insectis cognovisse. Oudemansius l. c. sic interpretatur: „Proveniunt etiam pediculi in multis aliis animalibus; habent enim aves quoque, et phasiani qui vocantur, nisi pulverentur [2]), ab iis necantur; et in omnibus aliis animalibus volucribus eorum, quae aculeum habent; et in iis, quae pilis teguntur".

Ergo Oudemansius verba *τῶν ἐχόντων καυλὸν* conservanda coniungendaque esse putat cum *τῶν ἄλλων*.

Constructio illa falsa interpretatione vocabuli *καυλός* niti mihi videtur; nam vocem *καυλός* non solum nullo loco apud Aristotelem, verum etiam nusquam alibi sensu aculei invenire potui. Aristoteles aculeum vocabulo *κέντρον* designare solet (cf. Aristot.

1) Dr. A. C. Oudemans, Kritisch-Historisch Overzicht der Acarologie, I, p. 11 sq. (Tijdschrift voor Entomologie, LXIX, 1926, Supplement October 1926).

2) *κονίωνται* hoc loco non significat: *zij worden met stof bestrooid*, ut Oudemansius vult, sed: *zij bestrooien zichzelf met stof*: non passivum, sed medium est. Cf. Aristot. p. 633, a, 29, ubi dividuntur aves in *κονιστικούς*, *λούστας* et *τοὺς οὔτε κονιστικοὺς οὔτε λούστας*. *Οἱ λοῦσται* sunt igitur aves, quae aqua, *οἱ κονιστικοί* aves, quae pulvere se conspergunt.

Digitized by Google

p. 532, a, 15; p. 519, a, 28 et alibi). Atque si locos supra commemoratos perlustramus, etiam ex illis efficitur, ut καυλός hoc loco caulem significet.

Quae cum ita sint, non satis pro certo scire possumus, num nostro loco Acarus coleoptratorum L. designetur. Cum enim καυλός non aculeum significet neque igitur hoc loco de solis insectis aculeo armatis, sed omnino de insectis volucribus dicatur, Aristoteles non minus recte alia genera acarorum denotasse credi potest, in his Discopomam romanam G. & R. Can. [1]), quae in Geotrupidis, Trombidium trigonum Herm. [2]), quod in Locustidis vivere solet.

1) Oudemansius l. c. p. 43.
2) Oudemansius l. c. p. 137.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE AD PAPYROS IURIDICAE.

SCRIPSIT

J. C. NABER.

(Continuantur ex vol. LIV pag. 71).

§ 15—18. ΠΕΡΙ ΧΑΡΑΓΜΑΤΩΝ: II.

(Rescriptae).

§ 15. Aut suscipiunt privatorum contractus magistratus, aut scribunt ipsi, quod proprie dicitur *συγχρηματίζειν* [1]), nam simplex *χρηματίζειν* commune est, itaque in utraque specie subscribunt magistratus *κεχρημάτικα* [2]), sive transscripserunt sive scripserunt [3]). Non debebat profecto Mitteis [4]) referre verbum *συγχρηματίζειν* ad alienationem [5]) censualem [6]), id est, ad pro-

1) P. Argentor. 52, 12; *BGU* 379, 19; 1210 § 42; P. Fay. 31, 21/2; Flor. I, 11; Lond. 903, 18 (III p. 117); Oxy. 727, 21/2; Ryl. 118, 13. 16; Tebt. 397, 20. 26. Vertit Wilcken, Ostr. I p. 463: „*in amtlichen Verkehr treten*", et proficere sibi putat (*Archiv* I p. 558), quod inveniatur (P. Argentor. 52, 12; Flor. I, 11) *συγχρηματίζειν τινὰ* pro *τινί*.

2) *Κεχρημάτικα* = *transscripsi* quatuor hactenus inveni locis, quos indicavi ad § 11 (Mnem. 55, 45 not. 5). *Κεχρημάτικα* = *scripsi* innumeris.

3) Dicitur etiam *συγχρηματίζειν* publicanus (P. Ryl. 118, 13. 16), quum trapezitae mandat, is ut accipiat *τὸ τέλος*, quia mandato indiget privatus, ut possit solvere.

4) Herm. XXX (1895) p. 603.

5) Papyri habent *οἰκονομίαν*. Alio sensu mihi, sed eodem Ludovico Mitteis (*Archiv* I p. 186, p. 193) dici videtur *οἰκονομεῖν* P. Oxy. 34 II 7. Cf. P. Amh. 68, 10.

6) Esse censualem quum nos docuimus (§ 14 i. f.) tum perspexit, qui subscripsit CPR I 198, 10: *ποιήσομαι εἰς σὲ τὴν .... δημοσίαν πρᾶσιν καὶ* ⟨*τὴν*⟩ *διὰ τῆς βιβλιοθήκης*. Cf. 175, 5; 176, 10; *BGU* 94, 5; 667, 6; P. Hamb. 15, 6; Gizeh 10871 (Thead. 2), 5 (*Zschr. der Sav.-St.* XXXII p. 345): *κατὰ τήνδε τὴν*

Digitized by Google

fessionis transscriptionem [1]), quae fiebat transscriptio per singulos *νομοὺς* aliquando [*διὰ τῆς δημο*]*σίας* [2]) aliquando *διὰ τῆς τῶν ἐγκτήσεων* [3]) *βιβλιοθήκης* [4]), sicut ipsos praediorum census alias accipiebat *ἡ δημοσία* [5]) alias *ἡ τῶν ἐγκτήσεων* [6]) *βιβλιοθήκη* [7]). Ex diverso mancipia sub Ptolemaeis *διὰ τῶν ἀγορανομ(ε)ίων* [8]), ceterum postea quoque ad finem primi post Chr. saeculi profitenda erant *ἐπ' ἀγορανόμων* [9]). Quibus quia nihilominus, quum servus liberabitur alienabiturve, *ἐπιστέλλεται*, quod quo pertineat, docebimus [10]), et *ἐπιστέλλεται* papyrorum [11]) aut cum P. Oxy. 73, quem laudabam, coaevorum aut eo antiquiorum fide, apparet mancipiorum censum apud eos non constitisse [12]), licet professiones

---

ὁμολογίαν καὶ διὰ τῆς τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκης (Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* (1909) p. 83); 10870 (Thead. 1), 6: *διά τε τοῦ ἐνθάδε μνημονείου καὶ τῆς τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκης*; Ryl. 323, 3: *διὰ τοῦ ἐνθάδε(?) γραφείου καὶ τῆς τῶν ἐγκτήσεω(ν) βιβλιοθήκης.*

1) Mitteis: „*Umschreibung im Kataster*". Ex diverso epistalmatis impetrationem intelligit Woess. *Münch. Beitr.* VI p. 176 ima, p. 189[1] („*nichts anderes kann das διὰ τῆς β. bedeuten*"), p. 273/4, quod quo pertineat dicemus infra (§ 16). 2) CPR I 177, 8.

3) *BGU* 94, 5; 240, 16; 667, 6; P. Gizeh 10870 (Thead. 1); 10871 (Thead. 2); Hamb. 15, 6; CPR I 176, 11; P. Ryl. 323, 3. Accedunt hypothecarum constitutiones: *BGU* 1038, 24; inv. 11664 (*Jur. Pap.* 48), 43, et item *λύσις*: P. Lond. 348, 14 (Chrestom. II 197).

4) Simpliciter *διὰ τῆς βιβλιοθήκης* habent CPR I 198, 10; 206, 16 (cf. Mitteis, Herm. XXX p. 602 not. 1); P. Tebt. 357, 17/8. Accedit hypothecae constitutio: P. Tebt. 389, 18.

5) *BGU* 112 (cf. 379, 18/9).

6) P. Argentor. 34 (*ἐγκτήσεων καὶ δημοσίων λόγων*); *BGU* 420; 459; 536 (cf. 184, 16/7 et P. Lond. 300 (II pag. 151/2), 6); 1034; P. Fay. 32; 216; Genev. 27; Hamb. 16; Hawara 238; 308; Lips. 3 II; 8; 9; Lond. 940; 941 (III p. 118); Oxy. (Heracleop.) 715; Ryl. 107; 108; Tebt. 323; 472.

7) Simpliciter *τοῖς βιβλιοφύλαξιν* editur P. Oxy. 72; 75; 247—249; 483 (cf. lin. 32); 584; 588; 636; 713; 1199; 1268; P. Genev. (Arsin.) 44; Lond. (Hermup.) 945 (III p. 120). Magistratus titulus omittitur P. Hawara 166. — Quae laudat Wilcken, Ostr. I p. 465, ea ad censum non pertinent (cf. P. Oxy. II pag. 177).

8) P. Hibeh 29, 2/3. Videtur quidem locus directo tantum pertinere ad mancipiorum *ὑποθέσεις*, modo recte suppleat Schönbauer, *Ztschr. der Sav.-St.* 46 (1926) p. 338: *ἐὰν δέ τις ἀλλαχῇ ποιήσηται ὑποθέσιν ἢ μὴ ἀπογράψηται διὰ τῶν ἀγορανομείων*. Ergo succurrit statim laudandus P. Oxy. 73.

9) P. Oxy. 73. 10) § 16.

11) Oxy. 48; 49; 349 (= *Sammelb.* 5616) (manum.); 327; 332; 336 (alien.).

12) Idem sentit Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 171/2.

Digitized by Google

acceperint. Quod in aliis quoque speciebus usu venisse notabimus infra (p. 195). Sub Ptolemaeis quidem etiam servasse [1]) censum videntur *οἱ ἀγορά̣νομοι*, quocirca videmus *BGU* 1147, 24/6 dominam *δούλης κατ' (αὐτῆς) ἀναδ(ι)δ(οῦσαν)... ἐν ὑπαλλάγματι...*, *ἣν ἔχει [λαβοῦσα ἐξ ἀγορανο]μείας ἀπογραφήν* [2]). Ex diverso sub Hadriano iam ipsas professiones mancipiorum accipiebat *ἡ τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκη* [3]), nec quidquam obstat, quominus vasaria ante ibi consistere coeperint. Praediorum census *βιβλιοθήκη* non simul utraque accepisse, professiones transscripsisse, videtur — etenim edicto Mettii Rufi [4]) iubentur omnes *ἀπογράψασθαι τὴν ἰδίαν κτῆσιν εἰς τὴν τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκην*, nec fit alterius *βιβλιοθήκης* ulla commemoratio — sed videtur haec provincia principio fuisse *τῆς δημοσίας βιβλιοθήκης*, deinde post annum p. Chr. 67 (*BGU* 379) ante annum 72 (*BGU* 184) in Arsinoite utique [5]) translata esse ad *τὴν τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκην*, sive ea separata fuit, sive, quae opinio est Udalrici Wilcken [6]), *τῆς δημοσίας* quasi schola quaedam („*Departement*"). Mansit huic *ἡ κατ' οἰκίαν ἀπογραφή* [7]), id est, personarum census [8]), cuius alterum [9]) exemplar servabat *ἡ τῶν δημοσίων λόγων βιβλιοθήκη* [10]), quam ipsam quoque *τῆς δημοσίας* scholam esse

1) Hinc dissentit Woess, l.l.

2) Edebatur *μερας*, sed adnotabatur „*oder μειας, auch νειας nicht ganz ausgeschlossen*". Hodie Schubart *νειας* praefert (Preisigke, *Berichtigungsliste* p. 98 not. 4). Quocirca supplet *[κατ' αὐτῆς οἰκογε]νείας* Gradenwitz (ibid. p. 444).

3) P. Lond. 299 (Chrestom. II 204), 15/7 (*Berichtigungsl.* p. 255).

4) P. Oxy. 237 VIII 32.

5) De nomi Oxyrrhynchitae bibliothecarum ratione disputat Preisigke, *Griech. Papyri* I pag. 125/6. Quem corrigit Lewald, *Beiträge zur Kenntniss des röm.-aegypt. Grundbuchrechts* (1909) p. 13[4].

6) Ostr. I p. 461, p. 483 ima.

7) In Prosopita utique anno 161 (P. Lond. 324).

8) Inveniri videtur *ἡ κατ' οἰκίαν ἀπογραφή* ab anno p. Chr. 20 (P. Oxy. II pag. 209), ceterum praevertisse eam vetus *σωμάτων ἀπογραφή*, cuius hactenus inventa sunt exempla utique duo (Ostr. I p. 823 ad p. 436), de quibus alterum editur Chrestom. I 198 (P. Alexandr. sine no.), fortasse tertium (P. Lille 27). Proxime accedunt P. Grenf. I 45; 46 (*Archiv* II p. 395/6).

9) Hoc tamen propterea dubium est, quia potest in Prosopita *ἡ δημοσία βιβλιοθήκη* indivisa perseverasse. Cf. Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* (1909) p. 17. Potest etiam verum esse, quod scribit Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 103 ima: „*Seit der Trennung bezeichnet δημοσία βιβλιοθήκη .... die βιβλιοθήκη δημοσίων λόγων*".

10) *BGU* 545 (cf. Eger, *Grundbuchw.* cit. p. 19 lin. 4—8); P. Hawara 401, 16.

Digitized by Google

putat Wilcken [1]), tertium ἡ τῶν ἐγκτήσεων [2]), quartum ὁ κωμογραμματεύς; quocirca poterat de personarum statu referri ἐκ... βιβλιοθήκης [3]) quum δημοσίας [4]) tum ἐγκτήσεων tum δημοσίων λόγων [5]) vel denique ἐξ ἀπογραφῆς κωμογραμματέων [6]). Praediorum quoque censum apud τὸν κωμογραμματέα extitisse, demonstratur *BGU* 5 et 11 et *BGU* 1047 II 5—8, ubi quum ὁ κωμογραμματεὺς tum [7]) οἱ βιβλιοφύλακες ex vasariis [8]) quisque suis de praediorum statu renuntiant. Et videntur quidem hic οἱ τῶν δημοσίων λόγων βιβλιοφύλακες intelligendi, quorum alia parte eiusdem papyri [9]) laudari videtur relatio quaedam, proinde horum ἀπογραφή, sicut ἡ τοῦ κωμογραμματέως [10]), comprehendisse quum personarum tum praediorum censum, sed nihilominus ἡ τῶν ἐγκτήσεων etiam praediorum [11]); servabat praeterea ἡ δημοσία

1) Philol. 53 p. 99[18].

2) Eo pertinet, quod rogantur οἱ βιβλιοφύλακες ἐγκτήσεων παράθεσιν (ἀτελείας) ποιήσ(α)σθαι τῷ (τινὸς) ὀνόματι (*BGU* 1073, cui similis est P. Oxy. 1264). Intelligunt quidem Lewald, *Beitr.* cit. p. 73 (ia. p. 83), Eger, *Grundbuchw.* cit. p. 27 (et p. 197), Mitteis, *Grundzüge* p. 97, Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 98, praediorum censu faciendam παράθεσιν, sed nihil proficiunt propter P. *Sammelb.* 5808 (SN 144), 14/5 (Βιβλιοφύλαξιν ἐγκτήσεων. Βούλομαι ἐξοικονομῆσαι τῷ δεῖνι ἀναγραφομένῳ ἐπ' ἀμφόδου τῆς δεῖνα ἀπογεγραμμένῳ (ἑαυτὸν, arbitror) τοῖς προτέροις) et P. Argentor. 52, qui laudabitur statim. Ergo eadem causa est P. Ryl. 174, 22/3, ubi fit διὰ τῆς τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκης ἐκουσί(α) κατοχ(ὴ) τοῦ ὀνόματος, id est, προσώπου vel σώματος τινὸς, non ὑποστάσεως, ut vult Mitteis, *Ztschr. der Sav.-St.* 37 (1916) p. 324, et item Schwarz, *Ztschr.* cit. 41 (1920) p. 277[1] („*des Grundbuchfoliums*"), quibus adstipulatur Woess, *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 195[2] (sed cf. etiam p. 235 ima). Quos refellit edictum Tib. Alexandri (CIG 4957) lin. 23 (μήτε ὀνόματος κατεσχημένου μήτε τῶν ὑπαρχόντων κρατουμένων), nec adiuvat CPR I 228, 7 (ἐπὶ κατοχῇ παντὸς τοῦ πόρου σου).

3) P. Argentor. inv. 60 I 14 (*Archiv* II p. 5) (paulo post p. Chr. 159).

4) P. Lond. 324.

5) P. Argentor. 52, 2/3: τῇ δεῖνι ἀναγραφομένῃ διὰ μὲν ἐγκτήσεων ἐπ' ἀμφόδου Φρουρίου λιβὸς, διὰ δὲ δημοσίων λόγων ἐπ' ἀμφόδου Φρουρίου ἀπηλιώτου. Amoliri cupiunt testimonium hoc Preisigke, *Griech. Papyri* I pag. 176 ima; Eger, *Grundbuchw.* cit. p. 180[3]; Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 101, priorem eius partem referendo ad praediorum censum.

6) P. Oxy. 288, 41. 7) Ὁμοίως (5 II 4; 11, 6/7. 17).

8) Cf. Lewald, *Beitr.* cit. p. 76; nihil enim obstat, quod 1047 II 8—10 ὁ κωμογραμματεὺς aliquid προσ(τίθησι) fide ἀπαιτησίμου (cf. Wilcken ante Chrestom. I 239). 9) *BGU* 5 III 14. 10) P. Oxy. 288, 41.

11) Res ipsa loquitur, si quidem ibi professiones transscribebantur. Cf. praeterea P. Oxy. 237 VIII 29 sqq., V 10, 17, 43; P. *Soc. ital.* 450, 48 sqq. (Vo. I); tum vero maxime P. Lond. 903, 9 (III p. 116): ἔχω ἐν ἀπογραφῇ ἐγκτήσεων (recurrit P. Ryl. 103, 21).... τρίτον μέρος ψιλοῦ τόπου.

Digitized by Google

βιβλιοθήκη vasariorum instar quoddam: τὴν πεδιακὴν ἐπίκρισιν [1]). Etsi non propterea recte τοὺς βιβλιοφύλακας appellabant Wilcken [2]) „*Grundbuchführe(r)*", Gradenwitz [3]) „*Grundbuchhüter*", eo tempore, quo nondum dubitabatur [4]) esse revera vasaria τὰ ἐν τῇ τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκῃ διαστρώματα: interest enim inter vasaria et publica monumenta [5]). Ad illam quidem τοῦ κωμογραμματέως ἀπογραφὴν pertinet [6]) querela mulierculae [7]) adscriptam sibi (ὑπὸ) γραμματέ(ω)ς κωμογραμματέως.... πλέον τῆς ὑποστάσεώς μου ἐν ὅλῃ ἀρούρῃ μιᾷ, atque alia commemoratio [8]) ἀρουρ(ῶν) τιν(ῶν) τῷ μὲν τῆς ἀτελείας τριετεῖ χρόνῳ [9]) ὑπὸ ἀμφοτέρων τῶν πρὸς χρείαις διὰ τῶν λόγων ἀνασταθεισ(ῶν) ὕστερον δὲ ὑπὸ μόνου κωμογραμματέως σημανθεισ(ῶν) ὑπ' αὐτοῦ μὴ παραδεδεῖχθαι, id est: quas per tres annos, quibus futurae forent immunes, uterque magistratus in tabulas retulisset, sed postea solum κωμογραμματέα non retulisse, testatus esset [10]) is, cuius nomen cum parte papyri (Vo. I) periit. Nam, quod non perspexit editor, qui sic vertit [11]), acsi scriptum esset: ἀλλ' ὑπ' αὐτοῦ μὴ παραδεδειγμέν(ων), pendet infinitivus μὴ παραδεδεῖχθαι a participio σημανθεισ(ῶν), quia nihil est praeterea unde pendeat, post quod coibunt sponte ὑπὸ μόνου κωμογραμματέως et μὴ παραδεδεῖχθαι [12]) atque praeterea ὑπ' αὐτοῦ et σημανθεισ(ῶν). Esse autem ἀμφοτέρους τοὺς πρὸς χρείαις, quorum unus certe

---

1) P. Oxy. 1287; *Soc. ital.* 450, 69 sqq. (Vo. II). Cf. Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 70/4.

2) Ostr. I p. 463. 3) *Archiv* I p. 329.

4) Dubitari coepit anno 1909 (Lewald, *Beitr.* cit. p. 83/5).

5) Cf. Hofmann, *Beitr. z. Gesch. des griech. u. röm. Rechts* (1870) p. 95 (cum not. 68).

6) Pertineatne, dubitat Lewald, *Beitr.* cit. p. 82, quemadmodum de P. Oxy. 78 Eger, *Grundbuchw.* p. 193.

7) P. Oxy. 488.

8) P. Amh, 68 (Chrestom. I 374), 40—46.

9) Ea scilicet lege emptae erant ἐκ τοῦ βασιλικοῦ (lin. 21) anno 60 post Chr. (lin. 16).

10) De significatione vocabuli σημαίνειν cf. Specim. Wesselyi (7) 9, 3; (11) 9, 4.

11) „*(having been) referred to in a general way* (σημανθείσας) *by the* κωμογραμματεὺς *alone, who had not held a fresh survey of the measurements*". Planius etiam Mitteis, *Ztschr. der Sav.-St.* XXII (1901) p. 159: „*zwar in den Büchern verzeichnet* (σημανθείσας), *aber nicht in Evidenz gehalten*".

12) Cf. lin. 60—62: τὸν μὴ μεταβαλόμενον κωμογραμματέα τετελευτηκέναι

Digitized by Google

fuit ὁ κωμογραμματεὺς [1]), quos putat editor: τὸν κωμογραμματέα et τὸν βασιλικόν, dubitari iam non sinit *BGU* 915, 9/10: ὁ βασιλικὸς γραμματεὺς καὶ ὁ πρὸς ταῖς χρείαις, ἣν παραδεικνύουσι [2]) γῆν, διὰ τῶν σπόρων [3]) κατ' ἔτος ἀναγραφέσθωσαν. Plane ἀρουρῶν μὴ παραδεδειγμένων quia arguebatur ὁ κωμογραμματεύς, non est verisimile, τὴν τούτων ἐξέτασιν, quemadmodum vult editor, huic praecipue delegatum esse, itaque sic potius supplendum est [4]): ἔκρεινε τὸν στρατηγὸν καὶ βασιλικὸν [5]) ἐξετάσαι, εἰ ἀπὸ τοῦ καθηκόντος ὑπολόγου ἡ παράδειξις [6]) ἐγένετο, καὶ τὸ ὁμόλογον [7]) ἀναφέρειν, ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τοῦ ⟨ὑπὸ τοῦ κωμογραμματέως μὴ παραδεδεῖχθαι⟩ βασι[λικὸν [8])] μετὰ τοῦ [τοπογραμ]ματέως [9]) ἐξετάσαι. Erant igitur Romanorum aetate praediorum vasaria quum in omnibus tribus βιβλιοθήκαις tum penes τοὺς γραμματέας, βασιλικὸν utique et κώμης. Erat praeterea proprius census κλήρων κατοικικῶν [10]) et censualis horum alienatio [11]) διὰ τῶν καταλοχισμῶν [12]), quibus alterum nomen erat τὸ κατοικικὸν λογιστή-

1) Latuit hoc Ludovicum Mitteis, *Ztschr.* cit. XXII p. 159 neglecta voce μόνου (lin. 44), sicut p. 160 ἀμφοτέρων (lin. 42).

2) I. e., adsignant. Alio sensu dicitur παραδεικνύναι διὰ τῶν λόγων, id est, in tabulas referre, ut supra.

3) De hoc genus instrumentis dictum est in alteris observatiunculis: cap. CVII (Mnem. 44, 247 not. 11).

4) Lin. 46—52.

5) I. e. τὸν βασιλικόν.

6) I. e. adsignatio.

7) I. e. veritatem. Cf. Wilcken ad Chrestom. I 374, 49.

8) I. e. τὸν βασιλικὸν (sicut lin. 47). Supplevit Grenfell: βασιλικοῦ, quem sinit Wilcken (in Chrestom.)

9) Supplevit Grenfell: κωμογραμματέως, quem rursus sinit Wilcken.

10) Similiter horum praediorum propria creduntur παραδόσεως promissio quum veneunt vel obligantur (Schwarz, *Hypothek und Hypallagma* (1911) p. 16 (cum not. 5) et p. 17 not. 1) et publica μετεπιγραφή, quum veneunt (Grenfell ad P. Oxy. 273, 21; Meyer, *Heerwesen* (1900) p. 107 ante notam 388; Lewald, *Beitr.* cit. (1909) p. 39; Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* (1909) p. 35 not. 2; cf. Mitteis, *Grundzüge* (1912) p. 112). Sed habet P. Ryl. 162, 13 πρᾶσιν οἰκίας εἰς μετεπιγραφήν. Cf. praeterea (propter v. παραχωρεῖν) inprimis Schwarz, *Abhandl. (sächs. Ak.)* XXXI 3 p. 212—219, 294.

11) Et item παράθεσις (P. Flor. 92, 3), qua de re dicetur § 16 (a p. 213).

12) CPR I 1, 22; 170, 12. 29; P. Oxy. 273, 1/2; Hamb. 62, 11; Fay. 154; Argentor. 52, 7; cf. Meyer, *Heerwesen* (1900) p. 106/7. Plenius habent P. *Soc. ital.* 320, 5/9; Ryl. 159, 6/7; Oxy. 504, 9/10; 1635, 4/5: διὰ τῶν ἐκ τοῦ ἱππικοῦ ἀφ' οὗ ἐπιδ[έδωκέ τις] ὑπομνήματος τῷ πρὸς τοῖς καταλοχισμοῖς. Supervixerunt eiusmodi ὑπομνήματα (P. Oxy. 1462) et ἐκ γραφῆς καταλοχισμῶν ἐκδοσίμου particula: *BGU* 866 (Lewald, *Beitr.* cit. p. 20[3]; Woess, *Münch. Beitr.*

Digitized by Google

μεν [1]), neque eo minus census ordinarius [2]) et professionis transscriptio διὰ τῆς δημοσίας [3]), postea vero διὰ τῆς τῶν ἐγκτήσεων [4]) βιβλιοθήκης [5]). Curabant transscriptionem [6]) τὴν διὰ τῶν καταλοχισμῶν οἱ τοὺς καταλοχισμοὺς ἀσχολούμενοι [7]), οἰκονομούντων horum sub imperio τῶν ἐκ τοῦ ἱππικοῦ [8]) γραμματέων [9]), quocirca non debet fallere P. Fay. 154. Eodem sub Ptolemaeis officio fungebantur οἱ πρὸς τῇ συντάξει τῶν κατοίκων [10]), erat praeterea communis praediorum census penes τὸν βασιλικόν [11]). Quocirca extant libelli, quos dederunt τοῖς πρὸς τῇ συντάξει emptores κλήρων [12]) eo fine, ut de translatione certior fiat ὁ βασιλικός, ἵν' εἰδὼς ἀναγράφῃ εἰς μὲ τὰς σημαινομένας ἀρούρας, et secundum libellum epistulae τῶν πρὸς τῇ συντάξει [13]). Ergo transscribebat sub Ptolemaeis professiones, qui interdum accipiebat [14]), ὁ

VI p. 24, p. 91). — Vertendum non est „*das Grundbuchamt*" (Mitteis, Herm. XXXII p. 649), sed „*d(as) Katasteramt*" (Mitteis, Herm. XXX p. 603) „*der Kataster*".

1) CPR I 1, 11 (ia. lin. 22); 188, 9; *BGU* 906, 17/8. — Similiter *BGU* 1127, 8 διὰ τοῦ τῆς στοᾶς λογιστηρίου transferri videmus ἐργαστηρίδιον (lin. 9/10) publici quodammodo iuris τὸ ὑπάρχον (τῷ παραχωροῦντι) ἐν τῇ τετραγώνῳ στοᾷ (lin. 8/9). Quae potest esse eadem. Cf. *Archiv* V p. 80.

2) *BGU* 420; 536 (Wilcken, Ostr. I p. 461); P. Oxy. 248.

3) *BGU* 379 (Meyer, *Heerwesen* p. 108).

4) P. Lond. 300 (Meyer, l.l.); Ryl. 163, 14 (ia. 4); 164, 12 (ia. 4); Hamb. 62, 21 sqq.

5) CPR I 26, 1 (*Berichtigungsliste* p. 115); P. Tebt. 357; Hamb. 84, 3.

6) Et item τὴν (π)αράδεσιν (P. Flor. 92, 3, quo de P. dicetur § 16).

7) Cf. Meyer, *Heerwesen* p. 106; Lewald, *Beitr.* cit. p. 21. Accessit interim P. *Stud. z. P. u. P.* XXII 44, ubi certiorem facit ὁ ἀσχολούμενος κτέ. τὸν συντακτικὸν μετεπιγεγράφθαι τὸν δεῖνα, ἣν παρακεχώρηται παρὰ τοῦ δεῖνος γῆν, ex diverso *BGU* 328 I τὸν δεῖνα μετεπιγεγραφέναι εἰς τὸν δεῖνα ἀπὸ ὁμολογίας. Restat P. Grenf. II 42.

8) P. Oxy. 504, 9/10; 1635, 4/5; Ryl. 159, 6/7; *Soc. Ital.* 320, 5/9.

9) Cf. P. Flor. 92, 2/3.

10) Eo recte, ut videtur, refert Wilcken, *Archiv* V p. 241, epistulam (P. Tebt. 382, 29 sqq.) Spasinae et Apollophanis τῶν ὄντων, ni fallor, πρὸς τῇ συντάξει ad Dionysium et Asclepiadam γραμματέας ipsorum (cf. P. Tebt. 30, 11). Simillimus est P. Flor. 92.

11) Fuisse vidit Lewald, *Beitr.* cit. p. 82[6]. Etsi rem non prorsus esse certam demonstrat Engers, de aegypt. κωμῶν administratione (1909) p. 43/4.

12) P. Tebt. 30, 15 sqq.; 31, 15 sqq.

13) P. Tebt. 30, 10 sqq.; 31, 10 sqq. Utrubique obtemperat ὁ βασιλικός.

14) P. Petrie III 72 (a). Ex diverso P. Lond. 50 porrigitur (τῷ) ἐπιμελητῇ. Mixtum genus exhibetur *Archiv* II p. 82/3 (P. Gizeh 10277; 10323; 10274).

Digitized by Google

βασιλικός. Servabat per idem tempus exemplar praediorum census per singulas κώμας ὁ κωμογραμματεύς [1]) alterum per singulas toparchias ὁ τοπογραμματεύς [2]), quamobrem videmus [3]) τ(ὸν) βασιλικ(ὸν) γραμματ(έα) de professionum [4]) tenore referre ἐκ τῶν παρὰ τοῦ τοπογραμματέως καὶ κωμογραμματέως ἀνενεχθέντων, quod tamen ipsum est ambiguum, quia suppleri quidem potest: τοῦ τοπογραμματέως καὶ ⟨τοῦ⟩ κωμογραμματέως, sed potest etiam: τοῦ τοπογραμματέως ⟨ὄντος⟩ καὶ κωμογραμματέως. Ceterum, qualis ibi significatur ἀναφορά, tales ediderunt Wilcken [5]) atque Grenfell [6]), ubi tamen refert (ὁ) τοπογραμματ(εὺς).... ἐξ ὧν ἀνενήνοχεν ὁ κωμογραμματεὺς [7]), qua re movetur Wilcken [8]), ut neget propria vasaria fuisse τοῦ τοπογραμματέως [9]), sed in contrarium, quia iubetur ὁ τοπογραμματεὺς relationi τοῦ κωμογραμματέως ipse ὑπογράφ(ειν) ταῦθ' οὕτως ἔχειν.... τά τε μέτρα καὶ τὰς γειτνίας ἐντά(σσειν) [10]), quod vix procedere videatur in propria non habente vasaria [11]). Hodie quidem, quia iam propemodum [12]) constat τὸν βασιλικὸν èt propria vasaria habuisse èt retulisse ἐκ τῶν παρὰ τοῦ τοπογραμματέως καὶ κωμογραμματέως ἀνενεχθέντων, ipsa dubitandi causa de vasariis τοῦ τοπογραμματέως sublata est. Multo magis penes τὸν κωμογραμματέα fuisse vasaria constat, quum ipsius testimonio [13]): ἐπισκοποῦντες εὑρίσκομεν διὰ τῶν φυλασσομένων ἡμῖν βιβλίων, tum relationibus

1) Wilcken, Ostr. I p. 485/6. — Τὸ γραφεῖον (l. τοῦ γραφείου) fuisse censum per singulas κώμας, opinio est Ludovici Mitteis, *Archiv* I p. 185.

2) Τὸν τοπογραμματέα fuisse supra τὸν κωμογραμματέα, solide demonstravit Wilcken, *Actenst.* pag. 34 (cf. *GGA* 1895 p. 145).

3) P. Taur. I IV 5—7.

4) Cf. Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 6².

5) *Actenst.* 4 II (cf. ibid. 1 II et pag. 34/5).

6) P. Amh. 31 III (ia. lin. 13/5).

7) *Actenst.* 4 I 6/7 (cf. 1 I 6), P. Amh. 31, 26. Cf. P. Amh. 68, 2—10.

8) Ostr. I p. 486¹.

9) „*(hätte) der Bezirksschreiber..... ein besonderes Kataster geführt,..... dann hätte er die..... Auskunft nicht an den Dorfschreiber abgeschoben*".

10) *Actenst.* 4 II 21; P. Amh. 31, 14.

11) Hoc verum esse, fatetur quodammodo Wilcken: „*(ich) möchte.... nicht folgern, dass der Bezirksschreiber.... ein Kataster geführt habe*". Si liberum esset, nollet. Invenit tamen semitam sibi: „*(der Bezirksschreiber) wird.... die Daten.... aus dem Dorfkataster entnommen haben*".

12) Rem non prorsus esse certam, domonstrat Engers, quem laudavi (p. 193, 11).

13) *Actenst.* 4 II 12/3.

Digitized by Google

vel exstantibus [1]) vel imperatis [2]) vel laudatis [3]). Ergo fuisse videtur sub Ptolemaeis praediorum census triplex: apud *τὸν κωμογραμματέα*, apud *τὸν τοπογραμματέα*, apud *τὸν βασιλικόν*. Ipsa *βιβλιοθήκη* id temporis nondum comparet [4]). Non recte sic vasaria dividit inter *τὸν τοπογραμματέα* et *τὸν κωμογραμματέα* Lumbroso [5]), ut fuerit apud *τὸν κωμογραμματέα* personarum, apud *τὸν τοπογραμματέα* praediorum census. Erat utique Romanorum aevo apud *τὸν κωμογραμματέα* etiam personarum census [6]), quod *περὶ τοῦ τοπογραμματέως* adfirmare non ausim, licet huic datae inveniantur *κατ' οἰκίαν ἀπογραφαί* [7]). Etenim non est perpetuum, ut, apud quos vasaria erunt, iidem professiones accipiant. Veluti, quum tot supersint *κατ' οἰκίαν ἀπογραφαί*, nulla tamen *τοῖς βιβλιοφύλαξι* data superest [8]), quum tamen constet censum hunc fuisse (*τῆς*) *δημοσίας βιβλιοθήκης* [9]). Eo tandem ut redeamus, unde (p. 187) deflexa est disputatio nostra, *συγχρηματίζειν* ideo pertinere non potest ad alienationem censualem, quia *συγχρηματίζει ὁ πρὸς τῷ γραφείῳ*, est autem *διὰ τοῦ γραφείου* nulla censualis alienatio sed vera [10]). Qui vero *συγχρηματίζουσιν*, ii subscribere solent nomen suum et verbum

1) *Actensl.* 4 II 3—16; P. Tebt. 76 (et 88).

2) P. Tebt. 14, 10/1. Iubetur *ὁ κωμογραμματεὺς τὰ τοῦ δεῖνος ὑπάρχοντα .... παραδεῖξαι τά τε μέτρα καὶ γειτνίας καὶ ἀξίας ἀνενεγκεῖν εὐσήμως.*

3) *Ἐξ ὧν ἀνενήνοχεν ὁ κωμογραμματεύς.* Interdum quidem hic renuntiat non (ex) *τῶν βιβλίων* sed *ἐξ ἐπισκέψεως* (P. Oxy. 718, 16/7: *τὰς τέσσαρας ταύτας ἀρούρας τῆς βασιλικῆς συναναμίγους εἶναι τῇ ὑπαρχούσῃ μοι γῇ*) vel mandat alii (P. Amh. 68, 1), quo casu non recte, qui renuntiat, inspexisse se significabit *ἐξ ὧν ἀνήνεγκεν ὁ κωμογραμματεύς* (P. Amh. 68, 25). Aliud enim est *ἀναφέρειν*, aliud *ἐπιστέλλειν*.

4) Primum comparet p. Chr. 59 (*BGU* 112). Cf. Eger, *Grundbuchw.* p. 3.

5) *Recherches* p. 244, p. 291 ima. 6) P. Oxy. 288, 41.

7) P. Oxy. 254; 255. Edendum erat: *τοπ(ογραμματεῖ) καὶ κω(μογραμματεῖ)*.

8) Qui acceperint in Arsinoite secundo saeculo *τὰς κατ' οἰκίαν ἀπογραφάς*, docere potest aut Kenyon, *Catalogue* II pag. 18, aut Wilcken, Ostr. I p. 440 sq. (et *Archiv* IV p. 179 ad P. *Mél. Nic.* 555; V p. 237 ad P. Tebt. 321). De Oxyrrhynchite cf. P. Oxy. 171 (II pag. 208); 254—256; 786; Flor. 4. De Antinoe cf. P. Rein. 49 (pag. 240) (*Archiv* III p. 527). Quasi per indicem rem demonstrat Wilcken, *Grundzüge* (1912) p. 194/5.

9) P. Lond. 324. Aliud exemplum supra datum est (p. 18/9).

10) Huius rei testis esto ipse Mitteis, *Archiv* I p. 193 (lin. 1—9). Similiter ibi (lin. 9/10) *διὰ τοῦ Ναναίου* fieri scribit alienationem veram, antea (p. 186) contenderat censualem.

Digitized by Google

κεχρημάτικα vel σεσημείωμαι vel τετέλεκα [1]) vel εἰκόνικα [2]) neque addere temporis notam, quia contractui annus et dies praemittitur. Sane, ubi demotico contractui Graece subscribitur, cur tempus exprimatur, intelligimus. Quod fieri videmus *BGU* 580; P. Tebt. 386, quin docet generaliter Krall [3]), in omnibus demoticis contractibus VII, VIII, IX post Chr. saeculi Graece subscriptum [4]) esse annum et diem et post testium subscriptiones [5]) dominique [6]) tabellionis subnotationem [7]). Alias quoque temporis nota invenitur, licet ex abundanti, velut P. Oxy. 99: ἔτους δευτέρου Νέρωνος..... μηνὸς Σεβαστοῦ ς' διὰ τῶν δείνων ἀγορανόμων κεχρημάτισται. Cui similem habet sine die subscriptionem P. Flor. 1 A: διὰ τοῦ δεῖνος κεχρημάτισται ἐπιτηρουμένης τῆς ἀγορανομίας, qui sine dubio scriptus est ἐπὶ τῆς ἀρχῆς (lin. 11: συνεχρηματίσθη), rursus cum die P. Oxy. 320, nisi germanum est χάραγμα [8]). Quodsi duplex est scriptura — habent

1) Spec. Wesselyi (12) 27, 13. Sed cf. Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 296 not. 3 (p. 297); Mitteis, *Grundzüge* p. 54[3].

2) P. Fay. 36, 23 (ὁ δεῖνα νομόγραφος). Cf. Wilcken ad Chrestom. I 316.

3) Apud: Hartel, *Griech. P.* (1886) not. 20.

4) Ita ille, sed revera annus et dies praescribitur (Boulard, *la vente dans les actes coptes* (1912) p. 10 = § 9) ne Graece quidem semper (ibid. p. 13 not. 6). Graece praescribitur annus et dies: *Sammelb.* 4319 (pag. 668); 5123; 5287; 5555—5613 eique papyro, cuius ipsam hanc partem ediderunt Egger, *Rev. archéol.* XXIII (1872) p. 147; Revillout (1874) et secundum hos Wessely, Proleg. (1883) p. 5, p. 66, nec dubitat Gardthausen, *griech. Palaeogr.* (1879) p. 34, quin sit πρωτόκολλον. Dabit plura Steinwenter, *Studien zur P. und P.* (19) § 4, sed a proposita disputatione remota.

5) Veteribus, quae nos laudavimus, instrumentis (*BGU* 580; P. Tebt. 386) p. Chr. 2 et ante Chr. 12 testium subscriptiones non interveniunt. Ne postea quidem (saec. VII, VIII, IX) semper (Boulard, op. cit. p. 23 ima: „*on trouve.... des actes.... du Fayoum et de Shmoun sans souscription de témoins*").

6) Saec. VII, VIII, IX dominus plerumque subscribit ante testes sed non semper (Boulard, op. cit. p. 73 summa cum adn. 1, p. 82 summa, p. 83 ima). Graece subscribit hic P. Tebt. 386 (post tabellionem); Lond. 262 (post τὸ χάραγμα); dem. Reinach. 1; 4; 5; Ryl. 160; 160 (a); 160 (b); 160 (c) I; 160 (d) I; *Sammelb.* 5117; *BGU* 854 (ante τὸ χάραγμα); *BGU* 910 I; P. Ryl. 310 I.

7) „*In allen koptischen Contracten (ist) griechisch geschrieben* a. *die Datierung, welche* den.... Zeugenunterschriften (dicendum erat, ut notavimus supra: *dem Contracte) vorausgeht*, b. die Anmerkung (l. *der Vermerk*; Revillout, *Précis* p. 1352: „*souscription avec l'en-tête δι' ἐμοῦ*", p. 835, 831, 880) *des Notars*". Etsi hic quoque interdum subscribit demotice (Boulard, op. cit. p. 77 lin. 2).

8) Dixi § 13 (i. f.).

Digitized by Google

interdum papyri [1]), quos quidem Ptolemaeorum tulit aetas [2]), sicut ligna duplicem scripturam [3]), obsignatam alteram [4]) superiore [5]) vel sinistra [6]) margine, manu plerumque τοῦ χρηματίζοντος [7]), alteram apertam [8]) — si, inquam, duplex est scriptura, extra subscribit magistratus, non intus, quamquam ne extra quidem semper, veluti deest eius subscriptio [9]) duplicem habentibus scripturam *BGU* 997; 1278; P. Grenf. I 27; Leid. O (modo eius lacunas recte expleverit [10]) Grenfell); simplicem P. Amh. 46; Grenf. I 21; 23; II 16; Leid. M; Lips. 1; Paris. 5 et 17; Taur. 4, nondum lata Iustiniani constitutione [11]), qua *contractus.... non aliter vires habere sanci(t), nisi,.... si per tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa* [12]).... *sint.* Subscriptum invenitur etiam: ἐγράφη διὰ τοῦ δεῖνος [13]); posterioribus saeculis frequens fuit subscriptio: δι' ἐμοῦ τοῦ

---

1) Etiam demotici: Elephant. 4—7; 11 (*Archiv* V p. 204). Longe vetustius exemplum („*aus der Zeit des Amasis*") laudat Rubensohn, *Elephantine-papyri* pag. 8 (sed it obviam Möller, *Archiv* VI p. 370).

2) Cf. Mitteis, *röm. Privatr.* I p. 301.

3) Schulten, Herm. XXXII p. 284.

4) Quam, ubi in brevius contracta est, appellat Wessely, *Mitth. P. R.* V p. 86, „*Vormerkung über den Inhalt*", confundit autem cum rubrica (cf. Schulten, Herm. XXXII p. 276 not. 1), quin immo (p. 87) cum magistratus censitorisve ea, de qua dictum est § 11, subscriptione.

5) P. Leid. O (Reuvens, *Lettre* III art. 2 p. 18); Lond. 229 (Schulten, Herm. XXXII p. 276); Tebt. 104 (praef.); Reinach. passim (pag. 47/8); *BGU* 1278 etc.

6) Cf. Wilcken, *Archiv* V p. 203, VII p. 88; Schönbauer, *Ztschr. der Sav.-St.* XXXIX p. 236.

7) Exempla dedimus ad § 14 (Mnem. 54, 65 not. 2), ubi eadem manus interiorem scripturam et τὸ χάραγμα scripsit. Accedit teste Ernesto Schönbauer (*Ztschr.* cit. XXXIX p. 235) agoranomicum instrumentum *BGU* 993, cui qui subscripsit, interiorem partem scripsit.

8) Apertam prius scribi docet Wilcken, *Archiv* III p. 530, 523.

9) Saepe deesse vidit Wessely, CPR I pag. 17. Add. Gerhard, Philol. 63 (1904) p. 515[39]. Putat Schönbauer, *Ztschr. der Sav.-St.* XXXIX (1918) p. 236, subscribere magistratum „*als Publizitätsbeamter*", „*(nicht) als Urkundsverrichter*", proinde, „*nur bei Rechtsgeschäften,..... die kraft zwingender Vorschrift..... ἐγγραφῇ-pflichtig waren*".

10) Ad P. Tebt. 105, 23. 11) c. 17 pr. Cod. 4. 21.

12) Cf. Brunner, *z. Gesch. der Urk.* I (1880) p. 73/4.

13) *BGU* 580 (p. Chr. 2). Similem habent subscriptionem (sed nomographi) *BGU* 581; 647; P. Fay. 24, habet P. *Stud. z. P. u. P.* XXII 45, 30: ἐγράφη διὰ τοῦ γραφείου, nisi potius est χάραγμα quam subscriptio (quia praecedit: ὁ δεῖνα ἔγραψα).

Digitized by Google

δεῖνος ἐτελειώθη [1]), ἀνύσθη [2]), ἐπρ(άχθη) [3]), ἐγένετο [4]), ἐσημειώθη [5]), ἐγράφη [6]), ἔγραψα [7]), ἐξεδόθη [8]), ἐπτύχθη [9]), ἐσωματίσθη [10]), vel sine verbo: δι' ἐμοῦ τοῦ δεῖνος [11]), quae non utique debentur [12]) συμβολαιογράφοις sive νομικοῖς [13]), sed interdum (κώμης) γραμματεῦσι [14]) vel ἰδιώταις [15]).

§ 16. Non autem licebat de praediis mancipiisque magistratibus χρηματίζειν [16]), itaque non poterat in terra Aegypto aut servus [17]) manumitti [18]) aut praedii mancipiive [19]) proprietas

---

1) P. min. 347; 898; P. Oxy. 126; 133; 134; 135; 136 etc.

2) P. min. 867.

3) P. min. 682. Compendium neque solvit editor neque Gardthausen, *Studien zur Pal. und Pap.* (17) p. 8, valde qui stupet *BGU* 364, 21 (*eprate*).

4) P. Oxy. 102. 5) P. min. 761.

6) P. min. 89; 129—131; 140; 263; 469; 491; 502; 639; 1067 (V—VII saeculi). Quarti saeculi exempla quatuor indicavit Grenfell ad P. Oxy. 1627, 29. Non utique sua manu scriptum significat, qui hac voce utitur. Cf. Mitteis, *Archiv* III p. 174/5; Grenfell ad P. Oxy. 1627, 29; Steinwenter, *Studien zur P. und P.* (19) p. 64. — Restat *BGU* 1020, 22 (*Berichtigungsl.*), ubi legendum suspicor ἐγρ(άφη) μη(νὶ) θῶθ, ut P. min. 131.

7) *Sammelb.* 5559; 5570 (Boulard, *la vente dans les actes coptes* (1912) p. 77 not. 16): δι' ἐμοῦ τοῦ δεῖνος ἔγραψα. Cf. Steinwenter, *Studien* cit. (19) p. 64[10].

8) P. min. 436.

9) *Sammelb.* 5174; 5175 (Steinwenter, *Studien* cit. (19) p. 61 not. 2).

10) P. Monac. Byz. 3, 21. Concurrit (4, 58; 8, 50) ὁ δεῖνα ἐσωμάτισα.

11) P. min. passim (pag. 222—224).

12) Quasi deberentur, ita exempla congessit Wessely, *Wiener Studien* IX p. 245—247.

13) Nihil interesse recte docet Steinwenter, *Studien zur P. und P.* (19) p. 62. Cf. etiamnunc *BGU* 1020, 22. 18 (*Berichtigungsl.* p. 88).

14) *Sammelb.* 5589; 5608 (Steinwenter, *Studien* cit. (19) p. 66). P. Jomard lin. ult. atque Paris. 20, 44 (διὰ γρ. τοῦ δεῖνος σὺν θεῷ συμβολαιογράφου) solvendum potius videtur: διὰ γρ(αμματικοῦ) ut P. Lond. 1662, 24. Cf. P. Mon. Byz. 14, 30. 39.

15) Druffel, *Münch. Beitr.* I (1915) p. 68.

16) Quod, ut simile, de terra Germania exemplum evocat Lewald, *Beitr. z. Kenntniss des röm.-aegypt. Grundbuchrechts* (1909) p. 7[1] = A. Leonhardt, *z. Lehre von den Rechtsverh. an Grundst.* (1843) p. 5/6, non est simile, sed, quod occurrit ibid. p. 48, est.

17) De servorum censu cf. P. Hibeh 29, 2/3; Lond. 299 (*Berichtigungsl.* p. 255); Oxy. 73.

18) Cf. P. Lond. 299 (*Berichtigungsl.* p. 255); Oxy. 48; 49; 349 (= *Sammelb.* 5616).

19) Cf. P. Oxy. 327; 332; 336; PR 144 (*Sammelb.* 5808).

Digitized by Google

transferri vel hypotheca constitui [1]) remittive [2]) transferrive [3]) etiam cive Romano agente [4]) δίχα ἐπιστάλματος τοῦ βιβλιοφυλακείου [5]), id est, antequam βιβλιοφύλαξ [6]), id est, censitor [7]) fieri permisisset [8]). Poena transgredientis 50 drachmae [9]). Quae res non impedit, quo minus fiat συγγραφὴ μετέωρος [10]), vel ἰδιόγραφος [11]), sed, etiamsi maxime fallat, quam fallere putat Lewald [12]), putat Eger [13]), putat Woess [14]), clausula restituta [15]): εὐκ ὄφελος τὸ τοιοῦτο, impedit praeceptum τὴν τελείωσιν sive τὴν δημοσίωσιν, qua omissa omnis contractus irritus est [16]). Quamquam impediri τὴν δημοσίωσιν negat post Ioannem Lewald [17]) Andreas Bertalanus Schwarz [18]) aliquot papyrorum fide, ubi

1) Cf. P. Oxy. 241; 243; 483; Flor. 1 (lin. 11); Argentor. 52, 12.

2) Cf. BGU 907; P. Lond. 348 (Chrestom. II 197), 14, Dubitat Mitteis, *Grundzüge* p. 97[7] = Eger, *zum arg. Grundbuchw.* (1909) p. 83. Quamobrem cf. Woess, *Münch. Beitr.* VI p 179.

3) Eo pertinere potest P. Flor. 92. Pertinet utique PR 1489 (*Studien z. P. u. P.* XX 19).

4) PR 1436 (*Stud.* cit. XX 26); 1489 (XX 19). Cf. Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 224[1].

5) P. Oxy. 237 VIII 37. Appellatur τῆς ἐγκτήσεως vel τῶν ἐγκτήσεων ἐπίσταλμα: P. Ryl. 163, 14; 164, 12.

6) Quaeri potest, quis βιβλιοφύλαξ, quia tot sunt βιβλιοφυλακεῖα, quot νομοί. Respondet Woess, *Münch Beitr.* VI p. 181: cuius intra nomum contraheretur. Facilius crediderim: cuius intra nomum alienaturus professus esset, id est, ut demonstrabitur infra (p. 206, 2), cuius intra nomum habitaret.

7) Βιβλιοφύλαξ cur etiamnunc censor nobis intelligatur, diximus § 14 (Mnem. 54, 68 sqq.).

8) Fallitur Woess, quum putat (*Münch. Beitr.* VI (1924) p. 141) etiam publicanum permittere oportere, idque demonstrari posse P. Ryl. 118, 13. 16, ubi συγχρηματίζειν dicitur ὁ τὸ ἐγκύκλιον πραγματευόμενος, verum ideo dicitur, quia sine mandatu eius non potest trapezitae solvi τὸ τέλος.

9) *BGU* 1210 § 101.

10) Μετέωρον syngraphen supra (Mnem. 53, 444, 6) vertimus contractum inchoatum et exempla dedimus P. Argentor. 83; Magd. 12, 4.

11) Esse συγγραφὴν ἰδιόγραφον (P. Oxy. 259, 10/1; 1266, 17/9; 1284, 13/4) sicut ὁμολογία(ν) (*BGU* 405, 16/7) dubitandum non est. Quocirca potest utrumvis suppleri P. Oxy. 719, 26.

12) *Beitr.* cit. (1909) p. 34.

13) *Grundbuchw.* p. 117/8 (hic quidem etiam verba in dubium vocat).

14) *Münch. Beitr.* VI p. 220/2.

15) P. Oxy. 237 VIII 37. 16) Cf. supra (Mnemos. 54, 59/60).

17) *Beitr.* cit. (1909) p. 35.

18) *Abhandl. (sächs. Akad.)* XXXI 3 (1920) p. 271.

Digitized by Google

petitur [1]), quin immo impetratur [2]) alienationis praedii vel obligationis eius per chirographum contractae publicatio nec ulla fit mentio epistalmatis [3]). Sed inprimis constare deberet non intervenisse publicationi τὸ βιβλιοφυλακεῖον [4]); deinde omnia secundum legem acta esse [5]); fieri denique potest, ut ad hanc iuris partem edicta pertinentia archidicastam [6]) non tenuerint [7]) sicut ne trapezitam quidem [8]), nam de hoc quoque dubitari potest [9]). Archidicasta trapezitaque remoto quia non licet sine censore χρηματίζειν, ergo debet praedium quodcumque alienaturus et item debet servum alienaturus manumissurus vel hypothecam daturus translaturus remissurus [10]) hoc censitori προσαγγέλλειν [11]), ut is ἐπιστείλῃ [12]) τῷ πρὸς τῷ γραφείῳ [13]) vel τῷ μνήμονι [14]) vel τοῖς ἀγορανόμοις [15]) vel τῷ τῆς πόλεως [16]) γραμ-

1) *BGU* 455; 970, 20—22; 983, 10; P. Flor. 40; Lips. 10; Oxy. 719; 1200; 1473 (cf. lin. 11/4); 1475; 1561.

2) *BGU* 970, 20—22; 983, 10; P. Oxy. 719; 1200 (cf. lin. 7); 1475 (cf. lin. 5).

3) Ad rem non pertinet *BGU* 50, 5 (iis. lin. 3/4), quia δεδημοσιωμένον ibi appellatur, quod fictam habeat δημοσίωσιν. Diximus supra (Mnem. 54, 61).

4) Hoc quidem largiri paratus sum.

5) Edictum id ipsum, de quo nunc agimus, religiose non semper esse servatum, demonstrabimus paulo post (p. 208).

6) Ad hunc spectant *BGU* 455; P. Flor. 40; Lips. 10; Oxy. 719; 1200; 1473; 1475; 1561. Cf. praeterea P. Oxy. 1203, 4 (ἐν Ἀλεξανδρείᾳ).

7) Cf. Lewald, *Beitr.* cit. (1909) p. 31 (ia. 87); Eger, *Grundbuchw.* (1909) p. 115 (ia. 116 lin. 6—8); Mitteis, *Grundzüge* (1912) p. 97[6]; Woess, *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 181/2 (qui confidit valde P. Oxy. 1268).

8) Cf. Lewald, *Beitr.* cit. p. 32; Eger, *Grundbuchw.* p. 116; Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 184.

9) Posse negat Mitteis, *Grundzüge* p. 97 ima.

10) In causa remissuri dubitat Mitteis, *Grundzüge* p. 97[7] = Eger, *Grundbuchw.* p. 83.

11) *BGU* 112, 25; 379, 17; P. Fay. 31, 19/20. Inde nomen προσαγγελία, quod servat *BGU* 379, 21 (Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 179).

12) *BGU* 184, 27 (*Archiv* III p. 391); 379, 18; P. Fay. 31, 20; Lond. 299, 19 (II pag. 151); 300, 16 (p. 151/2); 903, 17 (III p. 117); Oxy. 483, 18; PR. sine no. (*Sammelb.* 5809); 144 (*Sammelb.* 5808); 1436 (*Stud. zur P. u. P.* XX 26); PR. *Stud.* cit. XXII 79, 15/6; 85, 22/3. Cf. P. Argentor. 52, 12; Flor. 1, 11; Oxy. 504, 17. Deest clausula *BGU* 907; P. Hamb. 14; *Soc. ital.* 314; PR. 1523 (*Stud.* cit. XX 12), qua de re cf. Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 179/80.

13) *BGU* 184, 27 (*Archiv* III p. 391); 379, 18; P. Fay. 31, 20/1.

14) P. Lond. 299, 20. Cf. iufra (§ 17).

15) οὗσι δὲ καὶ μνήμοσι (P. Oxy. 483, 19/20. Cf. *BGU* 177, 6). Semel additur καὶ τῷ τὸ ἐγκύκλιον πραγματευομένῳ: P. Ryl. 118, 13 (ante Chr. 16), quae peti-

Digitized by Google

μπτεῖ[1]) καὶ (= ἤ) οἷς ἄλλοις καθήκει[2]) τοῖς τὰ ἀρχεῖα πραγματευομένοις[3]), solemnia peragant. Cui iuri[4]) documento est èt professionis[5]) conclusio: ὅ τι δ' ἂν ἀπὸ τούτων ἐξοικονομήσω[6]) πρότερον προσαγγελῶ, ὡς ἐκελεύσθη[7]), èt ipsae προσαγγελίαι[8]) alienare volentium[9]) èt, quae subscribuntur interdum[10]) ταῖς προσ-

tio data est τῷ ἐξηγητῇ ut P. Tebt. 397, neutra censori. Qua de re cf. Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 132/6. Intervenit autem ὁ πραγματευόμενος non ipsi negotio, sed, ut supra quoque diximus (199, 8), solutioni vectigalis.

16) I. e., τῆς μητροπόλεως τοῦ νομοῦ (*Archiv* V p. 246).

1) P. Lond. 903, 17 (III p. 117). Cf. Eger, *Grundbuchw.* (1909) p. 81[2]; Preisigke, *Girowesen* (1910) p. 306[3]; Mitteis, *Grundzüge* p. 67 ima. Γ(ραμματέως) χάραγμα esse videtur *BGU* 813, 1.

2) Cf. P. Tebt. 397, 19. 26; *BGU* 177, 6.

3) P. Rain. 2304 (*Studien zur P. u. P.* XX 50), 23.

4) Primus hoc ius exposuit Wilcken, Herm. XXVIII p. 235/6; Ostr. I p. 462/4. Sed auctae sunt postea copiae nostrae Oxyrrhynchiticis praecipue documentis.

5) *BGU* 112.

6) Addit papyrus: ἢ καὶ προσαγοράσω, qua de re cf. Eger, *zum aeg. Grundbuchw.* p. 173.

7) Diversa clausula est *BGU* 420; 459; P. Fay. 32; Genev. 27; Hawara 308, omnibus eodem anno (15 Hadr.) datis: ἐὰν δέ τι κατὰ τούτων ἐξοικονομῶ πρότερον ἀποδείξω ὡς ὑπάρχει. Qua cum clausula conferenda est inferior (*BGU* 243; P. Genev. 44; Hamb. 16): ὁπόταν γὰρ τὴν ἀπογραφὴν αὐτοῦ ποιῶμαι, ἀποδείξω ὡς ὑπάρχει. Cf. Wilcken, *Archiv* III p. 390/1; Lewald, *Beitr.* cit. (1909) p. 9; Eger, *Grundbuchw.* p. 173.

8) His simillima specie, dissimillima re et effectu sunt ἀξιώματα (P. Tebt. 397, 21), quae porriguntur exegetae a κύριον optantibus, ut iubeat συγχρηματίζειν, quos oportet, in quolibet negotio. Unde supersunt: P. Tebt. 397, 21/8; Rain. 2304 (*Studien zur P. und P.* XX 50), 25—32 (*Ztschr. f. vergl. Rechtsw.* 40 (1923) p. 178); Ryl. 118 (ergo lin. 12 supplendum erat: ἐπιστεῖλαι, non: συντάξαι), quibus proximus P. Ryl, 121, 12/6, ubi in causa ἀφήλικος ab exegeta petitur, (ὥστε) ἐπισταλῆναι τοῖς τῆς πόλεως γραμματεῦσιν ἐπίτροπον αὐτῷ κατασταθῆναι.

9) *BGU* 184; 379; P. Fay. 31; 154; Hamb. 14; Lond. 300 (II p. 151/2); 903 (III p. 116/7); PR 1436 (*Stud. zur P. und P.* XX 26); 1523 (*Stud.* cit. XX 12); PR. *Stud.* cit. XXII 79; 85. De servo προσαγγελίαν habet *Sammelb.* 5808 (PR 144). — Manumittere volentis, ut videtur (*Berichtigungsliste* p. 255), sistit προσαγγελίαν P. Lond. 299 (II p. 151), praedium obligare volentis quum P. Oxy. 483 tum *Soc. ital.* 314 (Schwarz, *Ztschr. der Sav.-St.* 41 (1920) p. 273), liberare volentis *BGU* 907, ius suum (δίκαιον δανείου..... ἐφ' ὑποθήκῃ) transferre volentis PR 1489 (*Stud. zur P. und P.* XX 19, cf. *Archiv* VII p. 100), incertum genus CPR I 196 (*Berichtigungsl.* p. 121); P. Oxy. 588; *Sammelb.* 5809. Cf. praeterea Lewald, *Beitr.* cit. (1909) p. 26[2]: „*ein Register solcher Urkunden ist wohl* PR 1603" (= *Stud.* cit. XX 65); Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 178/9, qui praeterea laudat P. Flor. 67 I (sed cf. Eger, *Grundbuchw.* p. 79 not. 3) et P. *Stud. zur P. und P.* XXII 25 (merum frustum).

10) Veluti *BGU* 379; P. Oxy. 483; PR. 1436 (*Stud. zur P. und P.* XX 26).

Digitized by Google

ἀγγελίαις, verum multo saepius separatim scribuntur, censitorum [1]) vel singulorum ad agoranomum ceterosque ἐπιστάλματα [2]) — sufficit unius βιβλιοφύλακος ἐπίσταλμα [3]), nam solent singuli χρηματίζειν [4]), etsi raro singulis ἐπιδίδοται [5]), quocirca non debet movere, qui movit Ludovicum [6]), ab uno dumtaxat συνεσταμένος [7]), quum possit praesertim ipse mandator non βιβλιοφύλαξ esse, sed συνεσταμένος [8]) — quibus permittunt censores ἐπιστάλμασιν [9]) vel manumissionem [10]) vel servi [11]) praediive [12])

1) Non obstat adiectio (καὶ) οἱ μέτοχοι (P. Oxy. 327; 329), nam inveniuntur etiam μέτοχοι ἀγορανόμοι (P. Oxy. 320; cf. ad P. 241, 1) et μέτοχοι γραμματῆς (P. Flor. 92, 2/3), nisi solvendum fuit ἀγορανομίας (*Berichtigungsl.* p. 321), γραμματείας. Ne illud quidem, quod βιβλιοφύλαξ unum collegam habere solet, nam potest duos (P. Oxy. 713; Lips. inv. 508 (= Chrestom. II 196); Mitteis, *Grundzüge* p. 93 not. 3).

2) Vertit Wilcken, *Archiv* I p. 5: „*Aufforderungen zur Amtsausübung*".

3) P. Oxy. 483, 32; PR 1436 (*Stud. zur P. u. P.* XX 26), 48/9. Cf. *BGU* 177, 6 (sed etiam Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 133 not. 1).

4) *BGU* 536, 17; P. Genev. 44, 16. 28; Lips. 3 II 22—26; 9, 31—34; Lond. 940, 20—24 (III p. 118); 941, 15—17 (III p. 119); 942; 16/8 (III p. 120); 945, 26/8 (III p. 121); Ryl. 107, 24/5; cf. P. Hamb. 14, 7 (atque ibi Meyer).

5) P. Genev. 44, 4. 16; Oxy. 483, 18; PR 1436 (*Stud. zur P. u. P.* XX 26); *Sammelb.* 5281 atque, si verum vidit Preisigke (*Berichtigungsl.* p. 81), *BGU* 907. Cf. Eger. *Grundbuchw.* p. 15[4], p. 17[1].

6) Ante Chrestom. II 182.

7) P. Oxy. 243; 330—332; 334; 339 (= 1105).

8) P. Oxy. 334.

9) Diversa clausula est P. Tebt. 397, 18/21; P. Rain. 2304 (*Stud. zur P. u. P.* XX 50), 22/4, ubi non censor, sed ἐξηγητής, permittit συγχρηματίζειν, sub hac praecipue condicione (P. Tebt.): εἰ μηδὲν ἁπλῶς ἐναντιοῦται, qua continetur etiam, censitori ne praeiudicetur. Cf. Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 136.

10) P. Oxy. 48; 49; 349 (= *Sammelb.* 5616). Perperam trapezita hos dedisse creditur (Lewald, *Beitr.* cit. (1909) p. 37) vel publicanus (cf. Partsch, *Sitzungsber. (Heidelb.)* 1916. 10 p. 40).

11) P. Oxy. 327; 332; 336. Nomina τῶν ἐπιστελλόντων eadem esse in praediorum servorumque causa observabat editor. Eos tamen esse βιβλιοφύλακας vel παρὰ βιβλιοφυλάκων in utraque specie negant Eger, *zum aeg. Grundbuchw.* (1909) p. 82[6]; Mitteis ante Chrestom. II 182, quibus calculum apponit Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 139—141 (propter P. Ryl. 118). Et hac (post notam 7) et alia (ante notam 7) cupit evadere Lewald, *Beitr.* cit. (1909) p. 37.

12) P. Oxy. 242; 330; 331; 334; 335; 338; 340; *BGU* 379, 20—22. Expungunt hinc (adversus me) Eger, *Grundbuchw.* p. 82[6], et item (adversus Fridericum Preisigke) Mitteis (ante Chrestom. II 182) P. Oxy. 242; 330; 331; 334; 335; 338; 340.

Digitized by Google

alienationem [1]) vel hypothecae constitutionem [2]), his fere verbis: *δὸς* [3]) *ἐλευθέρωσιν* [4]), *ἀνάγραψον συγγραφὴν ὑποθήκης* vel *δανείου* [5]), *κατάγραψον ὠνήν* [6]), *τελείσθω* vel *ἐπιτελεῖτε ὡς καθήκει* [7]), èt ipsius agoranomi confessio vel hoc modo: *συνεχρηματίσθη.... ἐπιστειλάντων τῶν τῆς ἐγκτήσεως βιβλιοφυλάκων* [8]), vel hoc: *ὁμολογοῦσιν οἱ δεῖνες τῷ δεῖνι πεπρακέναι αὐτῷ διὰ τοῦ δεῖνος ἀγορανομείου.... [κατὰ τὸν ἐπεσταλμένον] ὑπὸ Γαλερίου* [9]) *τῷ ἀγορανόμῳ κτέ. χρηματισμόν* [10]) èt comminatio Mettii Rufi [11]): *παραγγέλλω.... τοῖς συναλλαγματογράφοις* [12]) *καὶ τοῖς μνήμοσι μηδὲν δίχα ἐπιστάλματος τοῦ βιβλιοφυλακ(ε)ίου τελειῶσαι.* Eorum scilicet *ἐπισταλμάτων*, quibus manumittere permittitur, summa conceptio haec est: *δὸς ἐλευθέρωσιν τῷ δεῖνι δούλῳ ἠλευθερωμένῳ* [13]), id est, censuali nexu liberato.... *ἐπὶ λύτροις τοσούτοις*, quae non domino solvenda erant *λύτρα*, sed aerario [14]), sicut a cive Romano manumittente vicesima. Qua re solvitur, ni fallor, quam proponit Wilcken [15]) quaestionem: „*ob es eine* (*der* vicesima) *entsprechende Abgabe.... für die griechisch-aegyptische Bevölkerung gab*". Superest praeterea vetus testimonium [16]) sua docens

1) Quid alienetur, non apparet P. Oxy. 170; 328; 333; 337; 581. Expungunt hinc (adversus me) Eger, *Grundbuchw.* p. 82[6], et item (adv. Fridericum Preisigke) Mitteis (ante Chrestom. II 182) P. 328; 333; 337.

2) P. Oxy. 241; 243; 329 (*a..... loan*); 339; 483, 32—34; 1105 (= 339). Expungunt hinc (adversus me) Eger, *Grundbuchw.* p. 82[6], et item (adversus Fridericum Preisigke) Mitteis (ante Chrestom. II 182) P. Oxy. 241; 243; 329; 339.

3) Vel *πρό(ε)ς* (P. Oxy. 349 = *Sammelb.* 5616).

4) P. Oxy. 48; 49. 5) P. Oxy. 241; 243; 1105.

6) Cf. P. Oxy. 170; 327; 328.

7) *BGU* 379, 22; P. Oxy. 483, 34.

8) P. Flor. 1, 11; Argentor. 52, 12 (Eger, *Grundbuchw.* p. 83).

9) Modo hic sit *βιβλιοφύλαξ*, non *ἐξηγητής* (Woess, *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 133 not. 1).

10) *BGU* 177. — *Χρηματισμὸς ἐπεσταλμένος* = *ἐπίσταλμα* legitur etiam P. Amh. 68, 1. 2. 6; *BGU* 915, 13; P. Lond. inv. 1897, 9/10 (*Archiv* VI p. 106); Paris 63, 185. Cf. Jörs, *Ztschr. der Sav.-St.* 36 (1915) p. 309/11.

11) P. Oxy. 237 VIII 36/7 (anni 89).

12) Cf. Mitteis, *Archiv* I p. 192; Eger, *zum aeg. Grundbuchw.* (1909) p. 113[4].

13) P. Oxy. 49, 3. Hinc fit P. Oxy. 349 (*Sammelb.* 5616), 4/5; *ἐλευθερωμέν(ω)*, P. Oxy. 48, 5: *ἐλευθερουμέν(ω)*.

14) P. Oxy. 50 (*Archiv* I p. 326; Mitteis, ad Chrestom. II 359, 9). — Ex diverso domino solvuntur *λύτρα* in P. Amh. lat. sine no. (Girard, *Textes* (1923) p. 853/4) et in P. Oxy. 722, 39/40, et, qui laudatur ibi (ad lin. 19) ined. sine no.

15) Ostr. I p. 362 (§ 156). 16) P. Hibeh 29, 6/7.

Digitized by Google

habuisse sub Ptolemaeis libertatem τέλη, ceterarum Graecarum civitatium notissimo exemplo [1]). — Ipsa tamen ἐπιστάλματα non dabantur, nisi venditor vel qui pignori daret ante professus esset [2]) καθαρὸν ἀπό τε ὀφειλῆς καὶ ὑποθήκης καὶ παντὸς διεγγυήματος [3]), nec ulla nunc libris [4]) obstaret hypotheca [5]), quocirca προσαγγελίαις id ipsum significari solet: venire καθαρὸν [6]) vel certe χωρ(εῖν τὴν τιμὴν) εἰς ἀπόδοσιν (τῷ δανείστῃ) [7]). Quod ius luculenter exposuerunt Wilcken [8]), Lewald [9]), Eger [10]). Videndum [11]) nihilominus, utrum hypotheca obstet omnino, an fieri possit quum professio tum professionis transscriptio salvo iure potioris [12]). Loquimur scilicet de iure potioris comperto et manifesto; alioquin ad latentia pertinet censoria clausula [13]): μηδενὸς δημοσίου ἢ ἰδιωτικοῦ καταβλαπτομένου, quocirca refellitur sententia Friderici Woess [14]): *„um (ihr nicht bekannte κατοχαὶ)*

1) Cf. Thalheim, *Rechtsalterthümer* (1895) p. 26²; *Inscr. jur. grecq.* (II) XXX § 43—46.

2) P. Oxy. 483, 33/4: ἔχει Ἀχιλλᾶς ἐν ἀπογραφῇ τὰς ἀρούρας ἓξ, διὸ ἐπιτελεῖτε ὡς καθήκει.

3) Hoc interdum (Eger, *Grundbuchw.* p. 173: *„nur im Fayum"*) professionibus inseritur (*BGU* 112; 536; P. Hawara 308; Tebt. 323; 472). Cf. praeterea *BGU* 243, 11/3 (Chrestom. 216); P. Genev. 44, 21 (Chrestom. II 215); Hamb. 16: ὁπόταν..... τὴν ἀπογραφὴν αὐτοῦ ποιῶμαι, ἀποδείξω ὡς..... ἐστὶ καθαρὸν μηδενὶ κρατούμενον. 4) Wilcken, Ostr. I p. 463: *„laut (B)uch"*.

5) *BGU* 379, 22 (*Berichtigungsl.* p. 42): περὶ τὸ τρίτον μέρος τῆς..... ἀρούρης..... ἐπεὶ ὑπ' οὐδενὸς κρατ(εῖ)ται, τελείσθω ὡς καθήκει. Appellatur eiusmodi epistalma κ[αθαρὸν ἀπὸ] πάσης κατοχῆς (P. Ryl. 164, 12), si recte suppletum est.

6) *BGU* 184, 25; P. Lond. 300, 12 (II pag. 152); 903, 20 (III p. 117); Oxy. 483, 26; 588; *Sammelb.* 5808 (PR 144); 5809, 8; P. *Stud. zur P. u. P.* XXII 79, 12; 85, 19. Cf. quoque P. Genev. 27, 16 (*Archiv* III p. 390); Hamb. 62, 25.

7) P. Hamb. 14, 30. Cf. P. Genev. 44 (Chrestom. II 215), 25; Hamb. 15, 15.

8) Ostr. I p. 462—464. 9) *Beitr.* cit. (1909) p. 27—30.

10) *Grundbuchw.* p. 84—86.

11) Collatis praeter superiores etiam Bernhöft, *die Verbuchung* etc., Diss. Rostock 1907 p. 68; Rabel, *die Verfügungsbeschr. des Verpfänders* (1909) p. 63—65; Mitteis ante Chrestom. II 215 (= P. Genev. 44), ipse qui permittit τὴν παράθεσιν levissimo argumento: *„es ist kaum zu bezweifeln* etc."

12) Sic, ut fiat transscriptio πρωτοπραξίας οὔσης Μ. ἀφήλικι πρὸς τὴν οὖσαν τῆς (= κατὰ τῆς) Ἀρτέμιδος κατοχήν, petitur certe (παρὰ (= ὑπὸ) Ἀρτέμιδος) P. Rain. 1523 (*Studien zur P. u. P.* XX 12), 19—21 (Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 197).

13) P. Oxy. 715, 36/7. Cf. Wilcken, *Archiv* IV p. 129; Eger, *Grundbuchw.* p. 155.

14) *Münch. Beitr.* VI p. 196.

Digitized by Google

kümmerte sich die Bibliotheke [natürlich] *nicht*". Erat certe librorum [1]), non iuris [2]), ἐξέτασις, quam possit quis appellare ad exemplum iuris cambialis „*formelle Legitimation*" [3]), at iuris, quam possit quis similiter appellare „*materielle Legitimation*" [4]), quum quis sine auctore certo [5]) aliquid in censum deferebat [6]), velut heres [7]). Videtur quidem in heredis persona intervenire librorum ἐξέτασις de proprietate vel pignore defuncti, sed iuris de successione ipsius [8]). Potest utique, cuius alienationi quid obstet, hoc obstaculum removere veluti, si hypotheca obstare videtur, docendo omnem pecuniam solutam esse, quod dicitur [9]) παρέξαι.... τὴν βιβλιοθήκην καθαράν, post quod patebunt τὰ ἄλλα ἀρχεῖα. Ergo, si postulat emptor, ut sibi transscribatur κατὰ δημοσίους χρηματισμοὺς [10]), debet venditor praestare τὴν βιβλιοθήκην καθαρὰν atque sic per consequentiam (αὐτόθεν) τὰ ἄλλα ἀρχεῖα [11]). Apparet autem [12]) totum hoc ius

1) P. Lips. inv. 508 (Chrestom. II 196): διὰ τῶν βιβλίων.

2) Cf. Mitteis, *Berichte (Leipzig)* 62 (1910) p. 262 (= Preisigke), perperam qui docet non posse in ius inquiri. Dicere debuerat: non posse verum inveniri, quod demonstravimus in nostris *Beginselen van Grondboekwetgeving* (1892) p. 69/70.

3) Dernburg et Hinrichs, *das preuss. Hypothekenrecht* I (1877) § 13. 1 (pag. 118): „*Wahrung des Buchbestandes*".

4) Dernburg et Hinrichs, op. cit. I p. 22: „*das sogen. Legalitaetsverfahren*".

5) Certus auctor non est nisi ὁ ἀπογεγραμμένος.

6) Testimonio est clausula: ὁπόταν γὰρ τὴν ἀπογραφὴν αὐτοῦ ποιῶμαι, ἀποδείξω ὡς ὑπάρχει (*BGU* 243; P. Genev. 44; Hamb. 16); nisi turbat altera, quam habent professiones anni 15 Hadr. (*BGU* 420; 459; P. Fay. 32; Genev. 27; Hawara 308): ἐὰν δέ τι κατὰ τούτων ἐξοικονομῶ, ἀποδείξω ὡς ὑπάρχει (Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 257/8).

7) Cf. P. Oxy. 715, 36/7, ubi καταχωρίζεται ἀδιακρίτως contra morem (Lewald, *Beitr.* cit. (1909) p. 9/10), non ex ordine (Mitteis, *Berichte (Leipzig)* 62 (1910), p. 262), heredis professio.

8) Cf. P. Lond. 940, 21—24 (III pag. 118) (Eger, *Grundbuchw.* p. 147/9; Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 257 not. 2); Lips. 9 (Eger, op. cit. p. 152/3). In P. Lips. cit. (Chrestom. II 211) priorem lacunam expleo [καίπερ κ]υρίων ὄντων, secundam [ἀκολούθως] τῇ τῆς διαγραφῆς ἐγλήμψει.

9) *BGU* 50, 13—15. 10) *BGU* 50, 7—9.

11) Ergo non, quod putat Mitteis, *Berichte (Leipzig)* 62 (1910) p. 257, fiunt in hoc papyro (*BGU* 50) δημόσιοι χρηματισμοί, ut possit censitor transscribere, sed παρέχεται καθαρὰ ἡ βιβλιοθήκη, ut pateant τὰ ἄλλα ἀρχεῖα δημοσίοις χρηματισμοῖς recipiendis, Tanta vis est in articulo αὐτόθεν, modo quis interpungat post, ut fecit Krebs.

12) Negantibus, ut nos negavimus (§ 14 i. f.), τὰ ἐν τῇ τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκῃ διαστρώματα altera esse monumenta, sed vasaria. Aliter sentientibus satis-

Digitized by Google

ideo introductum esse, ne monumentis domini reciperentur, qui vasariis non apparerent. Etsi non potuit hoc modo plene ab ea re caveri; erit enim vel sic monumentis interim dominus, quem vasaria non habeant: ὁ συγχρηματισθείς, donec profiteatur. Debet enim [1]) quum apud τοὺς βιβλιοφύλακας [2]) tum praeterea, si praedium est κατοικικόν, apud τοὺς πρὸς τοῖς καταλοχισμοῖς [3]) omnis emptor [4]) creditorve [5]) profiteri [6]) vel comparatoris nomine alius quis [7]), quam in rem opus rursus est

faciet Eger, *Grundbuchw.* p. 88: *„der Zweck (der ἐπίσταλμα-Vorschrift) ist wohl zweifellos.... Verhinderung eines Zwiespalts zwischen der* tatsächlichen (= *materiellen*) *Rechtslage und den bücherlichen Eintragungen"*.

1) Ut professio transscribatur: alioqui non compellitur (Preisigke, Klio XII p. 436—440). Tantum alienare non poterit, quia ἐπίσταλμα, ut supra (p. 204) quoque diximus, non dabitur. Quod fefellit post Ottonem Eger, *Grundbuchw.* p. 121 lin. 4—8, etiam Fridericum Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 113[1] (*„direkt ist die Vorschrift nicht bezeugt"*).

2) Quosnam, videndum est. Ergo, quia τὰ διαστρώματα etiam non suae κώμης praedia habent, modo incola possideat (Mnemos. 1917 p. 6/7), consequens esse videtur apud sui cuique nomi censorem profitendum (Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 181 not. 1). 3) P. Oxy. 1462.

4) Cf. Grenf. ante P. Tebt. 323; Preisigke, *Griech. Papyri* I pag. 123; Eger, *Grundbuchw.* p. 118, 130; Mitteis, *Grundzüge* p. 99/100. De comparatore ἐξ ἐνεχυρασίας καὶ προσβολῆς quaerit separatim Jörs, *Ztschr. der Sav.-St.* XXXVI (1915) p. 335/7 (ad P. Flor. 97, 2—9). Iustiniani quidem saeculo non profitebantur emptores, sed petebant, ut professio in se transscriberetur (P. Gizeh 67117—67119; Oxy. 126; Marini 83 IV lin. 10/1), et est, ubi petit venditor transscribatur a se (P. Marini 115 II 9/10; 116, 10/2) vel a testatore suo (P. Oxy. 1887). 5) Hic quidem πρὸς παράθεσιν (P. Tebt. 318).

6) Quidni se ad id faciendum obliget emptor sicut in camelorum venditionibus (*BGU* 87; 153; 427; P. Lond. 320 (Chrestom. II 177); *Stud. z. P. u. P.* XXII 48; Wilcken, Herm. XXVIII p. 239, cf. Ostr. I p. 467 not. 2), quin semel iterumque permittatur emptori ἀπογράφεσθαι, (ὁπόταν) αἱρῆται (P. Lond. 1179, 110 (III pag. 147); CPR I 24 (Chrestom. II 288), 33; 26, 1 (*Berichtigungsl.* p. 115); P. Ryl. 155, 15), quaerit Lewald, *Beitr.* cit. p. 84/5, qui non fuit memor constitutionum (c. 2, c. 3 Cod. 10. 16; l. 7 pr. Dig. 39. 4), quibus docemur annonas etc. eum solvere debere, qui possideat, non eum, quem vasariorum pagina teneat, quod ius si per Aegyptum in rebus soli dumtaxat obtinuit, non multum intererat venditoris alterum profiteri. Cf. praeterea Schwarz, *Ztschr.* cit. 41 (1920) p. 276; Woess, *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 185 not. 2 (p. 186).

7) Sic ἀπογράφεται quis (P. Oxy. 248, 7) τῷ υἱῷ; (P. Oxy. 247, 10) τῷ ἀδελφῷ προστρέχοντι τῇ ἐννόμῳ ἡλικίᾳ; (P. Lips. 9) διὰ τῆς μητρὸς tres impuberes. Etiam P. Oxy. 237 V 23 pro creditore similiter intervenire videtur (Lewald, *Beitr.* cit. p. 51; Eger, *Grundbuchw.* p. 26[6], 59[2], 119 not. 2) debitor idem ac pater. Cf. denique P. Hawara 238, 5 (*Archiv* V p. 390).

Digitized by Google

auctoris παρουσία ἢ συνεπιγραφὴ [1]) ἢ μετάληψις [2]) vel denique συνευδόκησις [3]), quum non remissa sit [4]) vel vi ipsa [5]) vel nominatim. Fieri hoc videmus interdum αὐθήμερον [6]) vel eodem mense [7]) vel anno [8]), sed alias ultra annum [9]) vel triennium [10]) vel quinquennium [11]) vel etiam diutius procrastinari vectigalis [12]) evitandi causa, etiam ab herede [13]), donec interveniret alienandi necessitas. Quo fit, ut saepe eodem die [14]) vel mense [15]) ἀπο-

1) P. Oxy. 273, 19—24; 373 (Mitteis, *Archiv* I p. 192[2]; Lewald, *Beitr.* cit. p. 62/3), quae quidem pertinent ad proprium censum κατοικικῶν.

2) P. Oxy. 1200, 36; 1273, 39; 1636, 35; 1638, 31; 1702, 16; 1717, 7, quae quidem pertinent ad veram δημοσίωσιν. (P. Oxy. 1276, 19 μεταλήψεως locum occupavit μετάδοσις, qua de re cf. Schwarz, *Abhandl. (sächs. Ak.)* XXXI 3 p. 28).

3) Eam habent emptorum professiones: P. Lips. 3 II; 8; Lond. 942 (III p. 119/20); 945 (p. 120/1) (Lewald, *Beitr.* cit. p. 60/1; Eger, *Grundbuchw.* p. 122 cum not. 5; Mitteis, *Grundzüge* p. 100. Cf. Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 199 not. 1).

4) Remittitur πρὸς μετεπιγραφήν: P. Oxy. cit. (273; 373); *BGU* 1129, 27; πρὸς ἀπογραφὴν διὰ τῆς τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκης: P. Ryl. 155, 15/7; πρὸς παραχώρησιν διὰ τοῦ τῆς στοᾶς λογιστηρίου: *BGU* 1127, 33—37; πρὸς καταγραφὴν διὰ τοῦ πολιτικοῦ ἀρχείου: *BGU* 1131, 20—22; πρὸς δημοσίωσιν: P. Oxy. 1200, 35/6; 1208, 24/5; 1273, 38/9; 1276, 18/9; 1475, 33/4; 1636, 35/6; 1638, 31; 1698, 24/5; 1700, 25/6; 1702, 16/7; 1704, 21/2; 1717, 7/8; *Soc. ital.* 198; πρὸς πᾶσαν οἰκονομίαν: P. Rainer 1428 (*Studien z. P. u. P.* XX 29) Ro., 33/4; 1444 (*Sammelb.* 4370), 34/5. Cf. Schwarz, *Hyp. und Hyp.* p. 134, p. 125[2].

5) *BGU* 1131, 20—22.

6) P. Tebt. 323; 472; Hamb. 62. Cf. P. Genev. 44; Hamb. 16 (πρὸς παράθεσιν).

7) P. Argentor. 34; Lips. 3 II 9/10; Lond. 945, 12 (III p. 120/1).

8) P. Flor. 67 I (si est ἀπογραφὴ); 97, 23/4 (cf. Eger, *Grundbuchw.* p. 165 not. 4); Lond. 941 (cf. Lewald, *Beitr.* cit. p. 43); Hawara 238.

9) P. Rain. 1428 (*Studien zur P. u. P.* XX 29) Vo. (δ ἐωνησάμην.... τῷ προδιειλυθότι ἔτει).

10) P. Tebt. 318.

11) P. Oxy. 73.

12) Soluti ὑπὲρ ἀπογραφῆς vectigalis apochen continet P. Lips. 3 II 22—25.

13) P. Oxy. 481 defert anno 99 πρώτως (cf. Lewald, *Beitr.* cit. p. 48/9; Eger, *Grundbuchw.* p. 121/2), qui successerat ante annum 90. Quod miratur Grenfell (ad P. Tebt. 323, 7) sed fit similiter P. Oxy. 248. Cf. praeterea Lewald, *Beitr.* cit. p. 28; Eger, *Grundbuchw.* p. 126 (ad P. Lond. 940).

14) P. Lond. 299; 300 (Lewald, *Beitr.* cit. p. 28).

15) PR 1436 (*Studien zur P. und P.* XX 26). Defert hoc papyro, quemadmodum fit P. Oxy. 637, heres μὴ ἀπογραψαμένου. Sed huius auctrix professa erat (lin. 36/8). Cf. Mitteis, *Archiv* I p. 187[1], qui tamen debuerat scribere: „*fatierl kurde das Grundstück* a[0] 222, *vom Erblasser des fatierenden erworben* a[0] 204". Requiritur enim lin. 10 ἀπεγρα(ψάμην), quod certatim docuerunt Wilcken, Ostr. I p. 463[1]; Eger, op. cit. p. 80[1]; Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 199 not. 2 (p. 200). Sed putat hic testatorem quoque ἀπογράψασθαι, quod non puto.

Digitized by Google

γραφὴ fiat et προσαγγελία. Ergo discrepent vasaria et monumenta necesse est, sive simpliciter praescriptum sit, ne professio transscribatur, antequam monumentis alienatio constiterit, sive etiam vetitum συγχρηματίζειν δίχα ἐπιστάλματος. Versa vice cautum sit, ne monumentis transscribatur, antequam vasariis constiterit alienatio, rursus erit monumentis interim dominus, qui professione cesserit donec emptori συγχρηματίζῃ τις. Apparet igitur non posse hoc veluti duplex dominium tolli, quamdiu intererit inter vasaria et monumenta. Videntur quidem [1]) οἱ συναλλαγματογράφοι haud raro συγχρηματίσαι δίχα ἐπιστάλματος contra praeceptum. Licet enim quem non moveant perfectae δίχα ἐπιστάλματος τραπεζῶν διαγραφαὶ [2]), non testamenta [3]), ne repudiatio quidem [4]), sunt qui moveant libelli, quibus petitur παράθεσις iuris conservandi gratia et petitur oblato publico instrumento [5]). Ergo non sine causa crebro hanc in rem edictum est. Non enim a solo Mettio Rufo anno 90, sed iam anno p. Chr. 60 vel paulo ante ἐκελεύσθη, antequam alienaretur, προσαγγέλλειν [6]), estque renovatum Rufi edictum a Sulpicio Simili [7]). Ipsa forma anno 260 perseveraverit necesse est [8]). Pertinere edictum Rufi ad ea quoque

1) Etiam Friderico Woess, *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 216—220.

2) Cf. Eger, *zum ag. Grundbuchw.* p. 118 summa (et ex diverso Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 215[1], sed etiam p. 219/20).

3) Cf. Eger, op. cit. p. 78[4]. 4) *BGU* 919, 22—26.

5) Cf. Lewald (cui nondum notus erat P. Hamb. 15), *Beitr.* cit. p. 34 (II) et p. 54 (ante notam 3); Eger, *Grundbuchw.* p. 135/6 (cum p. 136 not. 2); Schwarz, *Ztschr. der Sav.-St.* 41 (1920) p. 275; Weiss, *Griech. Privatr.* I (1923) p. 279 not. 89*a*. Stant a contraria parte Mitteis, *Grundzüge* p. 103/4; Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 213, qui editoris exemplo P. Hamb. 15, 6: διὰ τῆς βιβλιοθήκης interpretatur κατ' ἐπίσταλμα τῆς βιβλιοθήκης, quum praesumatur ibi potius futura professionis transscriptio.

6) *BGU* 112, 23—25. De Ptolemaeorum aevo dicetur infra (p. 212).

7) P. Oxy. 237 VIII 21—27. De tempore huius edicti (ambigitur enim) cf. inprimis Stein, Herm. 53 (1918) p. 422—431.

8) Recentissima προσαγγελία est anni 222 (PR 1436 = *Studien zur P. u. P.* XX 26). Sed P. Genev. 44, cuius causa non potest inde separari, anni est 260. Paulo. post (anno 266) intervenit δημοσιώσεως προσφώνησις ab archidicasta τοῖς βιβλιοφύλαξι (P. Oxy. 1200). Manebat denique censualis alienatio διὰ τῆς τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκης anno 305 (P. Gizeh 10871 (Thead. 2) lin. 5) atque ἡ βιβλιοθήκη cum libris suis anno 307 (P. Lips. inv. 508 = Chrestom. II 196). Cf. Mitteis, *Grundzüge* p. 94.

Digitized by Google

praedia, quae sint ἐν κατοικικῇ τάξει [1]), dubium non est, quocirca δίχα ἐπιστάλματος τοῦ βιβλιοφυλακείου alienari non possunt [2]). Plane. quia κλῆροι κατοικικοί, ut supra [3]) dictum est èt communi censui subiecti sunt èt proprio, quaestio oritur, in horum causa sitne opus duplici epistalmate, id est, quum τοῦ βιβλιοφυλακείου tum τῶν τοὺς καταλοχισμοὺς ἀσχολουμένων. Quod visum utrique Friderico [4]) mihi quoque verissimum èt olim visum est [5]) èt nunc videtur, quin superesse ipsa epistalmata [6]), specie προσφωνήσεις, quales supersunt ab archidicasta datae βιβλιοφύλαξιν [7]). Etsi movit in contrarium Ludovicum et Ludovici utrumque discipulum [8]) eorum, quae nos diximus epistalmata, exemplar unum [9]), quo certiores faciunt τοὺς ἀγορανόμους οἱ ἀσχολούμενοι· παρακεχωρῆσθαι καθ' ὁμολογίαν, perinde quasi ὁμολογίαν intellegi necesse sit [10]) τελειωθεῖσαν publice, veluti διὰ γραφείου. Nostrae sententiae consequens est, civilem per magistratum alienationem utique praevertere, τὴν διὰ τῶν καταλοχισμῶν utique subsequi [11]), alioquin vera προσφώνησις ad

1) Τάξις videtur esse σύνταξις (P. Tebt. 5, 45: φέρεσθαι ἐν τῇ συντάξει), id est, *matricula*. Est eius generis ἡ σύνταξις ἡ τῶν κατοίκων ἱππέων (ibid. I pag. 612), ἡ τῶν μαχίμων (ibid. I pag. 614), ἡ τῶν κατοίκων (P. *Soc. ital.* 320, 11).

2) P. Argentor. 52, 12; *BGU* 379; P. Fay. 154; Lond. 300 (II pag. 151/2); Oxy. 483 (= Chrestom. II 203); Ryl. 163, 14 (ia. 4); 164, 12 (ia. 4).

3) § 15 (p. 192/3).

4) *Giorgesen* (1910) p. 503/5; *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 153/6, 187.

5) *Archiv* I (1901) p. 325[19].

6) P. Oxy. 45—47 (cf. II pag. 319); 165; 174—176; 341—348: 641. Genitivus absolutus (P. Oxy. 45—47: τοῦ δεῖνος παρακεχωρηκότος; 348: τοῦ δεῖνος τεταγμένου τέλος ὑποθήκης) pro verbo finito (ὁ δεῖνα παρακεχώρηται; ὁ δεῖνα τέτακται) alibi quoque deprehenditur, veluti P. Amh. 29, 20; Petrie III 20 Vo. I 1, II 10; Tebt. 7. 1 (βασιλέως προστάξαντος); Oxy. 485, 35/6 (στρατηγοῦ συντάξαντος); Gizeh Zen. 78 (*Sammelb.* 6784) lin. 1 (Ἀπολλωνίου συντάξαντος); Inscr. Michel 41, 2/3 (βασιλέως ἐπιστολὰν ἀποστείλαντος), ibid. lin. 9 et 39 (ἀναφιξαμένας τὰς πόλιος).

7) P. Oxy. 1200; 1475; *Soc. ital.* 74; *BGU* 825. Cf. Lewald, *Ztschr. der Sav.-St.* XXXIII (1912) p. 630/1; Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 237/8; 358/65. — Est mixtum genus P. Oxy. 483, 33/4: ἔχει Ἀχιλλᾶς ἐν ἀπογραφῇ τὰς ἀρούρας ξξ, διὸ ἐπιτελεῖτε.

8) Lewald, *Beitr.* cit. p. 34 ia. 62 not. 5 (p. 63); Eger, *zum aeg. Grundbuche.* p. 41 not. 1.

9) P. Oxy. 45, 7.

10) Cur non sit necesse, optime demonstravit Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 160–164.

11) Convenit, quod P. Oxy. 1462, 10. 30 certiorem facit privatus τὸν πρὸς τοῖς καταλοχισμοῖς..... παρακεχωρῆ(σθαι) se καθ' ὁμολογίαν τὴν τελειωθεῖσαν διὰ.... γραφείου.

Digitized by Google

agoranomum sufficeret. Ergo satis est mirificum, qui nobiscum epistalmata esse contendat, Frederico Woess praevertere videri τὴν διὰ τῶν καταλοχισμῶν [1]), ex diverso, qui epistalmata esse neget, Ludovico Mitteis civilem alienationem [2]), nec eum deterret, quod CPR I 1 (Chrestom. II 220), quam constat emptionem διὰ τοῦ γραφείου perfectam esse [3]), perhibeantur γεγονυῖαι διὰ τῶν καταλοχισμῶν οἰκονομίαι [4]) μετεπιγραφῆς καὶ παραχωρήσεως [5]), sed potius contendit perfectum positum pro futuro, ut saepe alias [6]), quod argumentum libenter nostrum facimus, coque magis, quod interim accessit papyrus [7]), qui habet in re pari futurum (ἐπιτελέσω τὰς καθηκούσας τῆς μετεπιγραφῆς καὶ παραχωρήσεως διὰ τοῦ τῶν κατοικικῶν λογιστηρίου [οἰκονομίας]). — Ergo, quatenus secundum edictum omnia fiunt, non possunt magistratus, qui contractibus praesideant, ulla negotia perficere, quae quidem ad servorum praediorumve ius pertineant, sine censorio epistalmate, ut hactenus videri possint esse quodammodo sub dispositione censitoris [8]). Non tamen propterea dici oportet horum monumenta [9]) altera esse vasaria [10]), nam toto coelo distant monumenta et vasaria [11]), licet vasaria possint pro publicis monumentis adiri et soleant, ubi monumentis

1) *Münch. Beitr.* VI p. 157/9. Cf. p. 166 (ad P. Oxy. 1462).

2) Ante Chrestom. II 220. Movit eum P. Oxy. 45, 7.

3) Lin. 38.

4) Lin. 22. Cf. lin. 12 (ἐπιτετελεκέναι), lin. 27 (ἐπιτετέλεκα); *BGU* 883, 5/6; 906, 17; 1048, 8 (ἐπιτετελεκέναι).

5) *BGU* 883, 6; 906, 18; CPR I 188, 9. Ergo *BGU* 1048, 9 pro [..... τὰς ἐ]ξῆς requiritur [μετεπιγρα]φῆς.

6) Exempla dabimus ad § 21.

7) P. *Soc. ital.* 906, quem laudo fide Iosephi Flore, Aegypt. VII p. 271, ipse qui aliter nodum solvit (p. 272/3).

8) Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 110/1: „*die Bibliotheke ist..... eine Art Uebernotariat..... Die Notare waren (so)mit geradezu unterstellte Organe der Bibliotheke geworden*". Praeiverat Mitteis, Herm. XXX p. 603: „*das γραφεῖον (war) in gewissem Sinne der Steuerverwaltung ein- (Archiv* I p. 190: *unter-) geordnet*". Perperam hic addit: „*indem es von den βιβλιοφύλακες zu Umschreibungen im Kataster verwendet wird*". Cf. supra (p. 195, 10) et Herm. XXXIV p. 94[2] (Eger, *Grundbuchw.* p. 40 not. 8).

9) Mitteis, *Archiv* I p. 190: „*lokale Urkundsbücher*".

10) Mitteis, *Archiv* I p. 185: „*Dorf(flur)bücher*". Confundit igitur τὸ γραφεῖον atque τὴν τοῦ κωμογραμματέως ἀπογραφήν, de qua diximus § 15 (p. 190/2).

11) Cf. verba Hofmanni, quae laudavi ad § 15 (p. 191, 5).

Digitized by Google

aliquid desit; quin immo testatur agrimensorum apud nos nostra memoria longe doctissimus Boer [1]): monumentorum vitium solam esse causam, quam propter accidere possit, ut pro his adeantur potius libri censuales. Quamobrem, quia per Aegyptum vasaria pro monumentis adire utique solemne fuit [2]), quin immo significari videtur edicto Mettii Rufi [3]), id libris procurari censualibus, *ἵνα οἱ συναλλάσσοντες μὴ κατ' ἄγνοιαν ἐνεδρεύ(ω)νται* — etsi potest [4]) significatum esse non libris censualibus sed *κατοχῶν παραθέσει* id ipsum procurari, quo casu nullus versaretur error. Haec enim *παράθεσις*, sicut reliquarum hypothecarum et quae fit iuris conservandi gratia, privatorum tantum utilitati servit [5]). Quodsi ille erravit, regentis errori respondebat subditorum error: hypothecam ipsam habendam *διὰ τῶν βιβλιοφυλάκων* [6]), proinde *κύριον εἶναι τὸ προκατεσχημένον ἢ προπαρακείμενον διὰ τοῦ βιβλιοφυλακείου* [7]) — ergo monumentis per Aegyptum aliquid defuerit, necesse est. Quod quale fuerit, diximus in de iure Romano observationibus [8]). Item, quia praecedere debet *ἐπίσταλμα*, ideo nemo proprietatem transferre hypothecamve constituere potest, cui improbe a censitore resistitur. Nisi aditus interveniet strategus [9]) et censitorem

---

1) *Handel. der Nederl. juristenvereen.* 24 (1893) I p. 152.

2) Wilcken, Ostr. I p. 484/5. Cf. Eger, *zum aeg. Grundbuchw.* p. 199 sq.

3) P. Oxy. 237 VIII 36.

4) Posse viderunt Lewald, *Beitr.* cit. p. 86; Eger, *Grundbuchw.* p. 202 et p. 201[3].

5) Perspexit Bernhöft, *die Verbuchung* etc., Diss. Rostock 1907 p. 31.

6) *BGU* 907, 4; 1038, 24; inv. 11664 (*Jur. Pap.* 48) lin. 42/3; P. Hamb. 14, 9/10; Tebt. 389, 16/8. Recte habet P. Lond. 196 (Chrestom. II 87), 21/3: *κατ' ὑποθήκας τετελειωμένας διὰ τοῦ ἐν Κ. γραφείου* et item *BGU* 1072 Ro. I, modo sic edatur: *Σανσνεὺς μητρὸς Ὀρσαῖτος.... ἡ* (= *τῆς οὔσης*) *διὰ τοῦ πρὸ τούτου διαστρώματος..... διὰ ἀγορανόμου Παρᾶ συγγραφὴν ἔθετο,...., δι' ἧς ὑπαλλάττει κτέ.* Nomen proprium Παρᾶς ter occurrit in P. Lips. 97, redit P. Gizeh 67140, 4 (III pag. 1); ἡ (non ἡ) etiam P. Grenf. I 17, 1; Heidelb. 1280, 2; *Soc. ital.* 472, 1; Rain. 2032 (*Stud. z. P. u. P.* XX 70), 1.

7) *BGU* 243, 13—15. Cf. P. Genev. 44, 23; Hamb. 16, 21/2; Tebt. 318, 22/3; *Class. philol.* I 2, 7—11.

8) Cap. CVII (Mnem. 1916 p. 78).

9) Hunc *ἐπιστεῖλαι τοῖς τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοφύλαξι*, demonstratur *BGU* 73; P. Oxy. 237 V 43 (cf. VI 11), VII 4; *Sammelb.* 5676; 5693, 17—20. Iisdem *ἐπιστεῖλαι* alias videntur *οἱ ἐπιτηρηταὶ ξενικῶν πρακτορείας* (P. Oxy. 712, 1—3: *κατάσχετε οὖν πρὸς ἐνεχυρασίαν*) salvo iure maioris potestatis, id est, strategi (*Sammelb.* 5693). Cf. inprimis Jörs, *Ztschr. der Sav.-St.* 36 p. 337[1]; 40 p. 26[1].

Digitized by Google

coget *ἐπιστέλλειν*, quemadmodum coget *πραθέντι* [1]), si hoc facere recuset; strategum, si opus fuerit, ad interveniendum coget archidicasta. Quod fieri videmus [2]) *BGU* 73, cui similis P. Petrie II 23 (4): *Ἡρακλείδης Ἀνδροσθένει χαίρειν. Καλῶς ἂν ποιήσαις καταγράψας τὴν οἰκίαν τοῦ Ὥρου εἰς Ἀσκληπιάδην. Γέγραφεν δὲ καὶ Φιλέας Κόμωνι περὶ τούτων. Μὴ οὖν ἄλλως ποιήσῃς* [3]), ubi conicio Androsthenem et Comonem esse ex genere *γραμματέων*, penes quos id temporis solos fuisse videntur vasaria [4]), Heraclidem autem et Phileam *τὸν νομάρχην* et *τὸν στρατηγόν*, qui in iurisdictione iunguntur [5]). Quae si ita se habent, consequens est sub Ptolemaeis non potuisse praedium alienari antequam id *καταγράψειε* censitor. — Ceterum aut ipsam rem *καταγράφει* censitor [6]) professionem transscribendo, quod apud Iustinianum [7]) dicitur *ποιήσασθαι* — rectius habet *ποιεῖν* [8]) —

1) *BGU* 73; *Sammelb.* 5676, 10. Formulam servat P. Lond. 1157 Vo. (*δ*) (Chrestom. II 199), 12/3. Cf. Eger, *Grundbuchr.* p. 67/8, 70/1.

2) Cf. quidem Mitteis ante Chrestom. II 207.

3) Quo hunc sermonem referat, nescit Mitteis, *Grundzüge* p. 91 not. 3 (i. f.). Cf. praeterea Partsch, *Festschr. für Lenel* (1921) p. 150.

4) Cf. superior § 15 (p. 193/5).

5) P. Petrie III 26, 3. — Heraclidem eundem esse putat Mahaffy (introd. II pag. 31) quem, alibi qui commemoratur *οἰκονόμος*. De Androsthene cf. P. Petrie II 9 (1), 4.

6) Sicut in censuali alienatione censitor (P. Petrie cit.) ita in vera alienatione agoranomus (P. Oxy. 170; 327; 328), in utraque venditor (*BGU* 1114, 11—14; 1128, 12/3 (*διὰ τῶν ἀγορανόμων*); 1131, 14 (*ἐν συντάγματι διὰ τοῦ πολιτικοῦ ἀρχείου*); P. Ryl. 164, 11 (*δημοσίῳ χρηματισμῷ διὰ τῶν.... ἀρχείων*); P. Argentor. 41, 23; *BGU* 240, 26; 446, 14. 16. 17. 23/4; 456, 8/9; 1131, 47. 48. 49. 52; P. Cattaoui Ro. VI (V), 5 (*Archiv* III p. 61); Flor. 66, 3; Gizeh (III) 67169bis, 36; Goodsp. 13, 3; Grenf. I 60, 19; Guimet 2, 6 (*Bull. dell' istit. di dir. rom.* XIV p. 97); Lond. 210, 13 (*Sammelb.* 5112); 251, 12. 20 (II p. 317); 334, 23 (p. 211); 977, 12 (III p. 232); 991, 5 (p. 258); 1676, 30; 1722, 10; 1724, 20; 1733, 16; 1735, 7; Monac. Byz. 4, 8; 9, 29; 11, 14; 12, 10; 13, 18; 16, 4; Oxy. 1703, 5; Paris. 21, 19; Rain. 4213 (*Stud. zur P. u. P.* XX 110), 5; 4222 (*Stud.* cit. XX 121), 7; Wess. Spec. (8) 11, 9; Basil. 29. 6. 16; Plutarch. Moral. 482 C) *καταγράφει* aut rem aut *ὠνήν* (*Inscr. jur. gr.* XIII (quater) B 5; *BGU* 1213, 9). Negat quidem Schwarz, *Abhandl. (sächs. Akad.)* XXXI 3 p. 231/2, a censitore vel apud censitorem („*Grundbuchbehörde*") umquam *καταγράφεσθαι*.

7) Nov. 17 c. 8 § 1. Cf. Lewald, *Ztschr. der Sav.-St.* 33 (1912) p. 621; 41 (1920) p. 312.

8) Cf. Aristot., resp. Ath. 56 § 3; 61 § 1 (*ἀντιδοσιν*); Demosth. XXIV § 13 (*διαδικασίαν*), sed etiam IV § 36 (*τούτοις ἀντιδόσεις ποιούμεθα*).

Digitized by Google

τὴν μετάθεσιν, in papyris autem cum ipso quidem coaevis aut σωματίζειν καὶ μεταφέρειν [1]) aut simpliciter σωματίζειν [2]), Romani autem aevi plerumque μετεπιγράφειν [3]), aut adnotat contractum ad professionem, quod in papyris dicitur ποιήσασθαι τὰ τῆς παραθέσεως [4]), vel compendiose παρατιθέναι [5]). Quod vocabulum quum censitori adnotanti convenit tum ei, qui per censitorem ut adnotetur profitendo efficiat [6]), licet huic etiam conveniat medium genus, quum suum negotium gerat. Similiter μετεπιγράφει quum censitor, tum qui, ut transscribatur per censitorem professio, profitendo efficit [7]); emptor hic etiam μετεπιγράφεσθαι recte dicitur [8]). Transscribitur autem professio, quum res alienantur; ergo proprietatis translatio [9]) habere solet

1) P. Gizeh 67117, 9/10; 67118, 11/2.

2) P. Gizeh 67119, 4. Hinc descendunt ἐπιστάλματα σωματισμοῦ (P. Oxy. 126; 1887).

3) Cf. *BGU* 328 I 6 (μετεπιγράφειν); 328 I 20; 883, 3. 6; 906, 14. 18; 1048, 5. 26; 1186, 12. 18; P. Hamb. 84, 3; Lond. 141, 5 (II p. 182); 1179, 54 (III p. 146); CPR I 1, 5; 175, 6; 188, 9; P. Ryl. 162, 13 (μετεπιγραφή); P. Argentor. 52, 7; *BGU* 622, 4 (*Berichtigungsl.* p. 57); 1129, 27; P. Oxy. 273, 21; *Stud. znr P. u. P.* XXII 44, 2 (μετεπιγράφεσθαι); P. Tebt. I pag. 659 (μετεπιγράφειν, μετεπιγραφή). P. Tebt. II vacat.

4) *BGU* 73, 16 (cf. quidem Mitteis ante Chrestom. II 207). Cf. *Sammelb.* 5676 (lin. 1: ἐπεστάλη βιβλιοφύλαξι.... ὅπως (lin. 10).... παράθεσιν ποιῶνται), cui similiter habet *BGU* 1073, 17/8 (in re dissimili); *BGU* 243, 9/10 = P. *Class. phil.* I 2, 6 = P. Genev. 44, 19/20 = P. Hamb. 16, 18 = P. Tebt. 318, 20/1 (ἐπιδίδωμι εἰς τὸ τὴν παράθεσιν γενέσθαι); P. Oxy. 1264, 12/4 (in re dissimili similiter: ἐπιδίδωμι.... πρὸς τὸ (τὴν) παράθεσιν γενέσθαι); 713, 34/6 (ἀπογράφομαι.... πρὸς παράθεσιν κατοχὴν); P. Lips. 9, 7—23 (ἀπογραφόμεθα.... δίκαιον (hactenus concurrit P. 8).... εἰς τὸ τὴν παράθεσιν γενέσθαι). Quo papyro (Lips. 9) petit παράθεσιν heres, quam dudum petiverat testator (Lips. 8) nec impetraverat (cf. subscriptio censitoris (P. Lips. 9) apud Ottonem Eger, *Grundbuchw.* p. 152/3, qui debuerat scribere p. 153 lin. 9: „*(nicht) eingetragen*").

5) P. Oxy. 237 VIII 34; cf. ibid. IV 10/1, 38, VII 17. Eodem sensu habes ibid. VIII 26: ἐντιθέναι.

6) P. Oxy. 237 VIII 34. Παράθεσιν ποιοῦμαι verba sunt petentis adnotationem P. *Class. phil.* I 2, 8 (Lewald, *Beitr.* cit. p. 48), ἐποιησάμην, qui petisset P. *Soc. ital.* 314, 9.

7) *BGU* 328 I 6, 13. 8) P. Oxy. 273, 21.

9) Διὰ καταλοχισμῶν utique (P. Argentor. 52, 7; Oxy. 273, 21/2). Quin videtur ad hanc solam speciem notio constringenda Paulo Meyer, *Heerwesen* (1900) p. 107 (ante uotam 388) ceterisque (Lewald, *Beitr.* cit. (1909) p. 39; Eger, *Grundbuchw.* (1909) p. 35²; cf. Mitteis, *Grundzüge* p. 112). Sed habet P. Ryl. 162, 13 πρᾶσιν οἰκίας εἰς μετεπιγραφήν (Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 277).

Digitized by Google

μετεπιγραφήν [1]). Ex diverso, quum hypotheca constituitur, professio suo loco manet, sed adnotatur ei iuris nexus [2]): habet igitur hypothecae constitutio non μετεπιγραφήν, sed dumtaxat παράθεσιν [3]). Tantundem, quum hypotheca non constituitur, sed rescinditur [4]). Est alterum genus παραθέσεως [5]), quum res alienatur, si species talis est, ut professio transscribi non possit. Veluti, quum venit praedium μὴ ἀπογεγραμμένου [6]), id est, incensi [7]), quia nulla est professio, non potest ea transscribi, sed tantummodo peti — petetur autem cum effectu — vasariis ut adnotetur emptio iuris conservandi gratia [8]), non enim, sicut transscriptio, ita adnotatio impeditur eo, quod praedium vel dominus sit incensus, modo ei caput vel locus interim fiat [9]). Ergo, quatenus transscriptioni nihil obstat, non habet alienatio

1) Eam μεταπαράθεσιν appellari P. Flor. 92, 6, opinio est quum Ottonis Eger, *Grundbuchw.* p. 134 lin. ult., tum Friderici Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 94, 95, 96. Sed videtur potius significari παραθέσεως quam professionis transscriptio.

2) Non eo minus hypothecam adscribi τῷ ὀνόματι τῷ τοῦ δανείσαντος demonstraverunt Lewald, *Beitr.* cit. p. 21—24; Eger, *Grundbuchw.* p. 137[4] (adhibito P. Oxy. 274).

3) Eger, op. cit. p. 137 not. 4 (i. f.).

4) *Sammelb.* 5676, 10/1. Cf. Jörs, *Ztschr. der Sav.-St.* XL p. 26[1].

5) Duplicem παραθέσεως naturam perspexit Eger, *Grundbuchw.* p. 137. Ergo non omnimodo verum est, quod adnotatur ad P. Oxy. 713, 1: „παρατιθέναι *and* παράθεσις *are specially used of the .... registration .... of claims to property*". Vidit Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 252 lin. 1—5.

6) *BGU* 243 (Chrestom. II 216), 9; P. Hamb. 16, 3/4 (Lewald, *Beitr.* cit. p. 56[2]; Eger, *Grundbuchw.* p. 133 not. 2); Oxy. 1268, 14/6.

7) Est incensus etiam (ὁ) κατὰ παράθεσιν διακείμεν(ος), id est, qui iuris conservandi gratia adnotationem impetraverit (Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 254 not. 3). Sed interest, quod ab hoc τ(ὸ) τῆς παραθέσεως transscribi potest (Mitteis, *Grundzüge* p. 100). Qua de re cf. infra (p. 219).

8) Dicetur infra (p. 216/8). Cf. interim Mitteis, *Grundzüge* p. 103.

9) Praedium incensum esse posse, vi negabat Mitteis, *Archiv* I p. 197[1] („*wenn (auch) das Haus im Kataster nicht stand, ... muss doch das Areal katastriert gewesen sein*"), sed modo sapit (*Grundzüge* p. 107). Ex diverso putat Eger (*Grundbuchw.* p. 135), quum auctor sit incensus, adnotationem faciendam ἐπ' ὀνόματος (= ὀνόματι) „*de(s) seitherigen Eigenthümer(s)*", id est (p. 134), eius qui fuerit auctoris auctor („*seines Rechtsvorgängers*"). Qui in eo errat, quod ὀνόματι („*bei dem Namen*") et ἐπ' ἐνόματος idem putat et P. Genev. 44, 17 (cf. P. Oxy. 1268, 8/9) τὸν ὑποχείριον venditoris auctorem. Possunt cetera vera esse nec posse παράθεσις iuris conservandi gratia impetrari nisi auctoris auctor census sit.

Digitized by Google

censualis παράθεσιν [1]), sed μετεπιγραφήν. Quia autem omnis παράθεσις, sive iuris conservandi gratia postulata est sive hypothecae servit, fieri solet ἀκολούθως ᾧ [2]) τις παρέθετο (id est, deposuerit) χρηματισμῷ [3]) vel ἀντιγράφῳ [4]) χρηματισμοῦ [5]), ideo ταῖς ὑποστάσεσιν [6]) sive τοῖς ὀνόμασιν [7]) sive λήμμασιν [8]), id est, professionibus debitorum παρατίθεσθαι (sive ἐντίθεσθαι) dicuntur minus proprie συγγραφαὶ [9]) vel ἀντίγραφα συγγραφῶν [10]), etiam, quum hypotheca constituatur, quum potius κατὰ τὴν συγγραφήν [11]), adnotetur τὸ δίκαιον [12]), id est, ius quaesitum [13]). Ceterum

1) Diversum sentiebat Lewald, *Beitr.* cit. p. 39 (post notam 6), sentit Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 253 („Παράθεσις *ist*.... *Eintragung schlechtweg*"). Stat mecum Schwarz, *Hyp. und Hyp.* (1911) p. 63/6.

2) Hoc maxime vocabulo (ἀκολούθως ᾧ) demonstrari vidit Lewald, *Beitr.* cit. p. 39[2], τὴν παράθεσιν, quae petatur, non esse *depositionem* (Ostr. I p. 464 not. 2) sed, quemadmodum verterat Mitteis, *Archiv* I p. 196, notationem („*Registrirung*").

3) P. *Class. philol.* I 2, 6/7: ἀκολούθως τῷ ἐπισταλέντι ἐπὶ σφραγισμῶν χρηματισμῷ. Cf. Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 177[1].

4) Potest hoc vocabulo significari autographum ut P. Hamb. 16, 19. Quod ibi laudatur ἀντίγραφον (P. Hamb. 15), habet ipsorum subscriptiones.

5) *BGU* 243, 10/1 = P. Genev. 44, 20/1 = P. Hamb. 16, 19. Non multum abludit P. Tebt. 318, 24/5 (*Berichtigungsl.* p. 426): ἀκολούθως οἷς παρεθέμην ἀντιγράφοις τῶν οἰκονομιῶν. 6) P. Oxy. 237 VIII 26.

7) P. Lond. 940, 21 (III p. 118); Lips. 9, 32 (Woess, op. cit. p. 195 not. 2). Cf. *BGU* 1073, 18; P. Oxy. 1264, 16, qui papyri potius ad personarum censum pertinere videntur.

8) P. Lond. 1157 Vo. (b), 9 (Schubart, *Lit. Centralbl.* 60 (1909) p. 1020; cf. Eger, *Grundbuchw.* p. 64[6]; Jörs, *Ztschr. der Sav.-St.* XXXIV (1913) p. 111[2]; Woess, *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 100 not. 1).

9) P. Oxy. 237 IV 38/9; cf. ibid. IV 10/1.

10) P. Oxy. 237 VIII 26. Similiter P. Giss. 8, 7/8 dicitur quis ἀπογεγράφθαι εἰς τὴν τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκην ἀντίγραφον χειρογράφου.

11) Interdum non κατὰ συγγραφήν sed κατὰ νόμον (P. Oxy. 237 VIII 34), quo pertinere potest P. Flor. 2 lin. 202—207 (Lewald, *Beitr.* cit. p. 73; Eger, *Grundbuchw.* p. 72) vel (κατὰ) χρηματισμὸν ἐνεχυρασίας (P. Oxy. 712, 10), quo potest pertinere CIG 4957 (Ed. Tib. Alex.) lin. 23 (Eger, op. cit. p. 76). Cf. Lewald, *Beitr.* cit. § 10 (*Eintragungen auf Ersuchen einer Behörde*); Eger, *Grundbuchw.* p. 60—77; Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 114[2].

12) P. Lond. 1157 Vo. (b), 8—10 (Chrestom. II 199). Valde quaeritur, quod δίκαιον ibi subsit (*Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 381/2; *Archiv* IV p. 540; *Nouv. rev. histor.* XXXII (1908) p. 285—298; Schwarz, *Hyp. und Hyp.* (1911) p. 76 not. 1). — Converso ordine emptor vel emptoris heres minus recte dicitur P. Rain. 1436 (*Stud. zur P. u. P.* XX 26), 12 χρηματισμοῦ δίκαιον ἀπογράφεσθαι, quam ipsam rem.

13) Alterius generis est adnotatio post omnes res patrisfamilias alienatas (etsi displicet interpretatio Ottoni Eger, *Grundbuchw.* p. 148[1], atque Ludovico Mitteis

Digitized by Google

antigrapha vel instrumenta [1]) censitori vel census accipienti [2]) aut ἐν ἑνὶ χάρτῃ [3]) aut ἐν ἐκτάκτῳ [4]) porriguntur non regulariter [5]), sed inprimis, quum παράθεσις petitur, deinde vero, quum quis profitetur emptum vel obligatum κατὰ διαγραφήν [6]) vel heredem se non lege, sed κατὰ διαθήκην [7]) vel propioris (συγγραφὴν) ἀποστασίου [8]), id est, repudiationem [9]). In ceteris professionibus demonstratur (δηλοῦται) tantum titulus [10]) vel ne domonstratur quidem [11]) paucissimis quibusdam exceptis [12]), in quibus non appareat vel non sit verisimile emptorem ἀπογράφεσθαι πρὸς παράθεσιν [13]). Quod de P. Oxy. 1268 quodammodo certum est [14]), quia ibi vendunt μὴ ἀπογεγραμμένοι, a quibus non potest professio transscribi, sed tantummodo peti, vasariis ut adnotetur emptio. Sic itidem P. Giss. 8 lin. 7 ἀπογεγράφθαι dixerim Πετοσῖριν πρὸς παράθεσιν [15]). Quo papyro (lin. 8) demon-

ante Chrestom. II 209): μηδὲν αὐτὸν τὸ συνόλον λοιπογραφεῖσθαι, quam servaverunt P. Lond. 940, 21/3 (III pag. 118); 945, 28 (pag. 121) (*Archiv* IV p. 542, 543, et ex diverso Eger, *Grundbuchw.* p. 151).

1) Cf. Mitteis, *Grundzüge* p. 100[3].

2) Hunc adicimus propter P. Oxy. 73.

3) Cf. P. Oxy. 34 I 15 (*Archiv* I p. 125 not. 4). Ita fit P. Hamb. 62 et Lips. 3 et Tebt. 472.

4) Wilcken, *Archiv* IV p. 459. Ergo P. Lips. 3 II 13 per abusum dictum sit oportet, ut per abusum (Mitteis, *Grundzüge* p. 100 not. 3) ἀντίγραφον.

5) Ita censent Lewald, *Beitr.* cit. p. 41 ima; Mitteis, *Grundzüge* p. 100; Preisigke, *Girowesen* p. 392/4; Woess, *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 118 (in professionibus dumtaxat ordinariis).

6) P. Argentor. 34; Lips. 3 II; 8; 9: Lond. 941; 942; 945 (III p. 118/21); CPR I 17.

7) P. Lips. 9, 23.

8) *BGU* 919, 22—26.

9) Eger, *Grundbuchw.* p. 127: „*Zessionsurkunde*".

10) Praeter cetera cf. P. Flor. 97, 20/1: ἀπεγράψατο (τοιόνδε τι), ὃ φησι(ν) ἠγορακέναι κατὰ δημόσιον χρηματισμόν.

11) Cf. Lewald, *Beitr.* cit. p. 9.

12) *BGU* 233; P. Hamb. 62; Hawara 238; CPR I 225; P. Rain. 1428 (*Stud. z. P. u. P.* XX 29) Vo. Non computo P. Tebt 472, quia adhaerens instrumentum potest esse διαγραφή.

13) Cf. P. Oxy. 713, 34/6; Lips. 9, 7—23.

14) Rem cogitavit quidem Lewald, *VjS. für Sozial- und Wirtschaftsgesch.* XII (1914) p. 480 („*der Erwerber (beantragt) in unserem Fall eine, wie es scheint, definitive Eintragung*"), sed mavult alio modo se extricare. Quem sequitur Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 181/2.

15) Cf. Ruggiero, *Bull. dell' istit. di dir. rom.* XXI p. 294/5.

Digitized by Google

stratur quidem, porrigi etiam chirographa [1]), sed, ut impetretur παράθεσις dumtaxat iuris conservandi gratia. Quo pertinent praeterea papyri *BGU* 243; Genev. 44; *Class. philol.* I 2 (Chrestom. II 216; 215; 217); Hamb. 16 — non etiam P. Tebt. 318, sed ad hypothecariam [2]) παράθεσιν [3]); haud magis P. Oxy. 1199: quia demonstrat emptrix (lin. 24) venditricem ἀπογεγράφθαι [4]) — et observavit omnium primus Mitteis [5]) peti τὴν παράθεσιν iuris conservandi gratia, quam hodie appellant „*Vormerkung*" (generale nomen est „*Vermerk*"). Sane qui porrigunt, id non exprimunt, quod agi putat Mitteis et vere putat: ius suum conservatum iri παραθέσεως auxilio, sed contrarium potius: non obstaturam hanc suam παράθεσιν, quo minus, quae ante constiterint, salva sint. Verba apponam [6]) eius, qui porrexit *BGU* 243: ἐπιδίδωμι [7]) εἰς τὸ τὴν παράθεσιν γενέσθαι ἀκολούθως ᾧ παρεθέμην ἀντιγράφῳ τοῦ χρηματισμοῦ [8]). Ὁπόταν γὰρ τὴν ἀπογραφὴν αὐτοῦ ποιῶμαι, ἀποδείξω [9]), ὡς ὑπάρχει [10]) καὶ ἐστι [11]) καθαρὸν μηδενὶ κρατούμενον [12]). Εἰ δὲ

---

1) Cf. Ruggiero, *Bull.* cit. XXI p. 264/5; Mitteis, *Berichte (Leipzig)* 62 (1910) p. 257/9; *Grundzüge* p. 98; Weiss, *Griech. Privatr.* I p. 271[92]; Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 269[3].

2) Dubitat Mitteis, *Grundzüge* p. 150/1, propter P. Lips. 8; 9, nec animadvertit illic ἀπογράφεσθαι quidem, sed (P. 9, 23) εἰς τὸ τὴν παράθεσιν γενέσθαι dumtaxat.

3) Ergo valde quaeritur (Lewald, *Beitr.* cit. p. 57—60; Eger, *Grundbuchw.* p. 138), cur habeat clausulam εἰ δὲ φανείη κτέ.

4) Ergo quaeritur, emptrix cur (ἐπιδίδωσι) πρὸς τὸ τὴν δέουσαν παράθεσιν γενέσθαι (lin. 23) nec ἀπογράφεται. Causane fuit pignus (cf. Lewald. *Ztschr. der Sav.-St.* XXXIII p. 629/30; Mitteis, ibid. p. 641)? Noluitne venditrix τῇ ἀπογραφῇ adesse? Putavitne emptrix alienationem omnem habere παράθεσιν, quod supra (p. 213/5) negavimus? Videtur potius per abusum ἡ ἀπογραφὴ appellari παράθεσις, ut factum potest P. *Soc. ital.* 314, 9, etsi renuit valde Schwarz, *Ztschr.* cit. XLI (1920) p. 273/4. 5) *Archiv* I p. 196. 6) Ex Chrestomathia.

7) Τῷ βιβλιοφυλακείῳ ἐπιδίδοσθαι, ut P. Genev. 44; Hamb. 16, iamdudum convenit Ludovico Mitteis (*Archiv* I p. 196) cum Ulrico Wilcken (Ostr. I p. 464 not. 2). 8) Emptio significatur.

9) Huius oneris ab emptore iamiam removendi causa ἀπογράφονται ad tempus ipsi venditores *BGU* 959 (Eger, *Grundbuchw.* p. 159); P. Flor. 97, 23/6 (id., ibid. p. 165); Lond. 299, 16 (Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 271 not. 1).

10) Ἐμοὶ tacite supplet Wilcken, Ostr. I p. 462 lin. 1. Cf. P. Fay. 32, 14/6 (ia. lin. 12). 11) = ὡς ἐστι (Mitteis ad Chrestom. II 215, 22).

12) Pro his habet P. *Class. philol.* I 2, 7—9: τὴν δὲ παράθεσιν ποιοῦμαι μηδενὸς προκατεσχημένου δημοσίῳ ἢ ἰδιωτικῷ τινὶ λόγῳ διὰ τοῦ βιβλιοφυλακείου.

Digitized by Google

φανείη [1])· εἶναι κύριον τὸ προκατεσχημένον ἢ προπαρακείμενον [2]) διὰ τοῦ βιβλιοφυλακείου πρὸ τῆς (= τῆσδε τῆς) παραθέσεως καὶ μὴ ἔσεσθαι ἐμπόδιον [3]) ἐκ τῆσδε τῆς παραθέσεως. Certe, quum docet anterioribus non obstaturam suam παράθεσιν, significatum vult potius posterioribus obstaturam [4]). Itaque, quod divinaverat Mitteis, petitur revera et a censitore [5]) iuris conservandi gratia adnotatio, nec tantum petitur, sed etiam, quod ille dubitabat [6]), impetratur; cui rei documento sunt ipsorum censitorum subscriptiones tres [7]), προσαγγελία una τὴν ὑπάρχουσάν οἱ κατὰ παράθεσιν δι' ὑμῶν (οἰκίαν) alienare volentis [8]), altera fortasse [9]), cuius praedii (τὴν) παράθεσιν ἐποιήσα(το), obligare id volentis [10]), censorium porro ἐπίσταλμα unum [11]), quo permitti-

1) Scilicet: ἑτέρῳ κρατεῖσθαι. Explicitius habent P. *Class. philol.* I 2, 9—11; Hamb. 16, 21/2; Tebt. 318, 22/3: Εἰ δὲ φανείη ἑτέρῳ προσῆκον ἢ προκατεσχημένον διὰ τοῦ βιβλιοφυλακείου et omittunt εἶναι κύριον — παραθέσεως καί. Eodem modo, recte, ut videtur, expletus est in Chrestomathia P. Genev. 44 (cf. *Archiv* IV p. 174).

2) Παρακείμενα (cf. P. Oxy. 237 V 10, 19, 21; *BGU* 832, 9) sunt hypothecae (translata significatione ab adnotatione ad id quod adnotatur), ergo προπαρακείμενον est hypotheca ante contracta, nec aliud προκατεσχημένον. Cf. Eger, *zum aeg. Grundbuchw.* p. 136[1] (falli videtur Lewald, *Beitr.* cit. p. 55 not. 3).

3) I. e., nullum futurum praeiudicium (τῷ προκατεσχημένῳ). Versionem improbat quidem Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 209[1], sed effectu idem dicit (p. 208/9).

4) Hoc modo evanescit nodus, quem stringit Mitteis, *Grundzüge* p. 109[1], et solvitur nodus, quem indicabat idem, *Archiv* I p. 197: „*dass der Käufer gar kein Interesse hat einen Vorbehalt zu Gunsten fremder Rechte zu machen*", quem alio modo solvit Lewald, *Beitr.* cit. p. 55/6, et apertius Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 263 („*anders war die παράθεσις nicht zu erlangen*"). Alioquin fit nonnumquam in emptionibus, ut iuri alieno caveatur, veluti per vulgarem clausulam: πρωτοπραξίας οὔσης τῷ δημοσίῳ (Eger, *Grundbuchw.* p. 76 not. 7), quam habent praeterea bibliophylacum subscriptiones (ibid. p. 76/7) similemve (ibid. p. 155). Accedit, quam laudavimus: πρωτοπραξίας οὔσης Μ. ἀφήλικι πρὸς τὴν οὖσαν.... κατοχήν (P. Rain. 1523 (*Stud. z. P. u. P.* XX 12), 19—21).

5) Simile est, quod βιβλιοφύλαξι mandari solet τὸ κατέχειν πρὸς ἐνεχυρασίαν (P. Oxy. 712), verum τῷ ἀγορανομείῳ τὸ καταγράφειν ἐξ ἐνεχυρασίας καὶ προσβολῆς: P. Lond. inv. 1897 (*Archiv* VI p. 106). Cf. Jörs, *Ztschr. der Sav.-St.* XXXVI p. 335. 6) *Archiv* I p. 197[1].

7) Κατεχώρισα subscriptum est *BGU* 243; P. Genev. 44; Hamb. 16, quod quo pertineat, vidit Lewald, *Beitr.* cit. p. 56.

8) P. Rain. 1523 (*Studien z. P. u. P.* XX 12) (Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 214).

9) Quia potest παράθεσις vocabulo ἀπογραφή significata esse, etsi renuit valde Schwarz, *Ztschr. der Sav.-St.* XLI (1920) p. 273/4.

10) P. *Soc. ital.* 314 (Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 214).

11) P. Flor. 92 (Chrestom. II 223): ἐὰν παρακ(ε)ωνται διὰ τῶν καταλοχισμῶν

Digitized by Google

tur fiat μεταπαράθεσις, id est, παραθέσεως [1]) in aliam personam transscriptio. Quod fit similiter P. Genev. 44; petit enim et impetrat ibi τὴν παράθεσιν, qui comparaverat [2]) παρὰ.... διακειμένου κατὰ παράθεσιν [3]), id est, qui παράθεσιν impetrasset [4]): ᾧ κατὰ παράθεσιν ὑπάρχει [5]). Sed hic quidem ex causa venditionis transscribitur, quod in epistalmate illo [6]) dubitari potest. Constat ibi transscribi post pignoris constitutionem [7]) προθεσμίας ἐνστάσης [8]) a debitrice [9]) ad κατὰ πίστιν quandam creditricem, quod commode potest explicari et explicatum est ratione legis commissoriae, quae quodammodo venditionis est species. Etsi facit difficultatem, quod aliquot annis post minatur creditor principalis legem commissoriam se exerciturum [10]), perinde quasi exercita nondum esset, quocirca dicendum putat Mitteis [11]) τὴν μεταπαράθεσιν eo pertinuisse, ut adscriberetur ab initio hypotheca creditrici τῇ κατὰ πίστιν; cui quidem rei verbum compositum μεταπαρατιθέναι convenire vix videtur, quod tamen ille dissimulat [12]). Sed redeundum est in fastos. Ter sub eodem pignore mutuata est ab interposita creditrice debitrix: Φαμενὼθ atque Φαρμουθὶ anni Domitiani primi, tertium eiusdem anni quarti die ultimo [13]). Anni tertii Φαμενὼθ commissoriam illa

---

τῇ δεῖνι.... ἄρουραι τοσαῦται, μεταπ(αράθετε) τῇ δεῖνι. Suis, ut videtur γραμματεῦσιν haec scripsit ὁ ἀσχολούμενος τοὺς καταλοχισμούς ut idiologus facit P. Oxy. 1188, 27.

1) Professionis definit Eger, *Grundbuchw.* p. 134/5, definit Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 94, 95, 96. 2) P. cit. lin. 8.

3) P. cit. lin. 15/6 (Eger, *Grundbuchw.* p. 133 not. 3); *BGU* 1034, 11/2 ibid. not. 1; Schwarz, *Hyp. und Hyp.* p. 64 not. 2). Rebellat vel sic Preisigke, *Berichtigungsl.* p. 163[9] (ad P. Genev. 44).

4) Continuandum est, ni fallor, ἀπὸ (editur ἐπὶ) [πράσεως ἣν ἔσχεν.....] μηνὸς Φαῶφι ἐπ' ὀνόματος τοῦ ὑποχειρίου. Cf. P. Giss. 8, 3/5.

5) P. Rain. 1523 (*Stud. z. P. u. P.* XX 12), 12/3.

6) P. Flor. 92.

7) Eius memoriam servat P. Flor. 86 (Chrestom. II 247).

8) Hoc observavit Gradenwitz, *Berl. philol. Wochenschr.* XXVI (1906) p. 1349[1].

9) Ergo non potest huius papyri (Flor. 92) μεταπαράθεσις pertinere ad hypothecae translationem. 10) P. Flor. 86, 22 sqq.

11) Ante Chrestom. II 247. Eodem redit, ni fallor, sententia Andreae Bertalani, *Hyp. und Hyp.* (1911) p. 121[2].

12) Vertendo: „*in Hypothek überschreiben*". Potest transscribi res, id est, proprietas. Potest etiam transscribi hypotheca. Quid possit transscribi in hypothecam, nescio. 13) P. Flor. 86, 5/9.

Digitized by Google

legem primi debiti nomine [1]) exercuit [2]). Consequens est post exercitam legem ante finem anni quarti debitrici quomodocumque [3]) pristinum ius restitutum esse; alioquin rem qui potuit exclusa non ignaro sed ipsi, qui exclusisset, postea obligare? Quo perspecto nebula discutitur.

§ 17. Perficiebantur instrumenta non tantum ἐπὶ τῆς φυλακῆς [4]) vel ἐπ' ἀγορανόμου vel διὰ τοῦ γραφείου, sed etiam διὰ συναλλαγματογράφου [5]) et διὰ τοῦ μνημονείου [6]) et διὰ τοῦ καταλογείου [7]) et διὰ τοῦ κριτηρίου [8]) sive communis sive τοῦ ἐν τῇ αὐλῇ [9]), quorum officiorum, quibus est fortasse addendus ὁ ἐπιτηρητὴς ὁ τῶν συναλλαγμάτων [10]), discrimen non utique per-

1) Secundi dies (τριακὰς) nondum venerat.

2) P. Flor. 92, 9.

3) Restituisse puto creditricem interpositam iubente creditore principali.

4) Dictum est supra (§ 12) (Mnem. 54, 57, 8).

5) P. Tebt. 42; Spec. Wess. (7) 8, 10—12 (cf. (13) 29, 23); P. Oxy. 237 VIII 36/7; Tebt. 386 (qui est demoticus). Recentioris aevi est P. Goodsp. 13 (*Archiv* III p. 114/5).

6) *BGU* 919, 26; P. Gizeh 10003 (Preis. 43), 11; 10870 (Thead. 1), 6; Oxy. 237 VIII 36/7; 243, 11; 270, 12. 14; 274, 15; 286, 6; 306; 362; 485, 13/4; 505, 2; 506, 53; 508, 13; 510, 7/8; 1199, 20; 1282, 22; 1644, 15/6; 1649, 14/5. 21/2. 24, 28/9; Rein. 18, 8 = 19, 8; *Soc. ital.* 450, 52/3; 473, 7. Cf. P. Tebt. 166 (ἀρχεῖον τῶν μνημόνων); *BGU* 1132, 7/8; 1144, 5 (*Archiv* V p. 74) (μνημονικὴν συγγραφήν). — Descendunt instrumenta ab anno ante Chr. 108 (P. Rein. cit.) ad 306 vel certe 279 post Chr. (P. Gizeh (Thead.) cit.).

7) *BGU* 1124, 27; 1139, 10; 1153, 17 (*Archiv* V p. 61 not. 1); 1158, 7/8; 1168, 9/10; P. Eitrem 5, 25 (*Sitzungsber. (Heidelb.)* 1916. 3); Hawara 238 (*Archiv* V p. 390); Lond. 933, 14 (III pag. 69) (*Archiv* IV p. 534); 1164 (d), 6/7 (III pag. 159) (ἐν τῷ = διὰ τοῦ); Oxy. 68, 5; 73, 34; 271, 8. 12; 906, 9; 1200, 34/5; 1266, 19; 1268, 5; 1273, 38; 1276, 18; 1475, 33; 1636, 34; 1698, 24; 1700, 25; 1717, 6/7; *Soc. ital.* 198, 12/3; *Stud. z. P. u. P.* XXII 80, 6/7. Decurrunt ab anno ante Chr. 18 (*BGU* 1124) ad annum post Chr. 267 (P. Oxy. 1475) et fortasse ulterius (P. Oxy. 1698; 1700). — Cf. praeterea Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 267 (ad *BGU* 240, 13); Wilcken, *Archiv* IV p. 534 (ad P. Lond. 1217 (b), 5 [III p. 61]).

8) *BGU* 1053 II 14—17; 1057, 23/4; 1102, 11/2; 1103, 8/9; 1104, 8; 1105, 9; 1124, 7; 1129, 5; 1132, 3; 1133, 7; 1143, 7/8; 1148, 11; 1149, 10; 1150, 5/6; 1152, 6; 1154, 12/3; 1162, 17; 1164, 8; 1165, 10; 1166, 17; 1169, 17/8; 1171, 10/1. 14/5; 1173, 6; 1174, 5 (sub Augusto omnes); P. Hamb. I, 14 (p. Chr. 57).

9) *BGU* 1156, 30, (ia. lin. 2).

10) Cf. *BGU* 989, 14 (*Archiv* V p. 205 not. 3).

Digitized by Google

spicitur [1]). Constat quidem interfuisse inter *τὸ γραφεῖον* et *τὸ μνημονεῖον* [2]) et item inter *τοὺς συναλλαγματογράφους* et *τοὺς μνήμονας* [3]). Novimus denique *τὸ γραφεῖον* principaliter institutum esse, ubi demotici contractus per indicem transscriberentur [4]). Similiter *τὸ καταλογεῖον*, cui praesidebat *ὁ ἀρχιδικαστὴς* [5]), institutum principaliter [6]) vel certe antiquitus adhibitum videtur, ubi transscriberentur ipsi quoque per indicem contractus apud nomographos scripti [7]). Nomographi qui fuerint, quaeritur; constat tamen, sicut *γραφεῖα* [8]), ita nomographos per singulas *κώμας* constitutos fuisse [9]), in metropolibus autem per singulas regiones [10]), proinde ab his diversos *τοὺς γράφοντας τὸν (δεῖνα) νομόν* [11]). Ergo erant nomographorum instrumenta [12]) *ἐν τῷ καταλογείῳ* transscribenda; sed non satis apparet, utrum

---

1) Cf. Grenfell ad P. Oxy. 238, 2—4; Meyer, Klio VI (1906) p. 446[3] („*alle Heiratsverträge unserer Liste aus Oxyrrhynchos (werden) durch das ἀγορανομεῖον collzogen, alle Darlehnsverträge durch das μνημονεῖον*"); Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII (1907) p. 290—293. — P. Lond. inv. 1897, 6/7 (*Archiv* VI p. 106) contrahitur *ἐπὶ τῶν διεπόντων τὰ κατὰ τὸ ἀγορανομεῖον τὸ καὶ μνημονεῖον*.

2) P. Oxy. 238, 3/4. Atqui in P. (Hermup.) Argentor. 52 (lin. 17 et 25) confundi videtur *τὸ ἀγορανομεῖον* et *τὸ γραφεῖον*. Cf. Mitteis, *Archiv* I p. 190/1.

3) P. Oxy. 237 VIII 36/7. Cf. Mitteis, *Archiv* I p. 192.

4) Cf. supra (§ 12).

5) Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 266/7. Cf. Schubart, *Archiv* V p. 62: „*in der Kaiserzeit*".

6) Diversum putat Schubart, *Archiv* V p. 62. Cf. *BGU* 1211, 7/8 (sub Philopatore).

7) P. Oxy. 34 I 7—11.

8) Cf. supra (§ 12).

9) *BGU* 18, 27; 647, 16; P. Hamb. 64, 32; Ryl. 147, 4/5. Accessit interim P. Michig. inv. 645 (*Ztschr. der Sav.-St.* 46 (1926) p. 331 ima).

10) Itaque *BGU* 888, 4 edendum erat *νομογράγος* Ἀγορᾶς, ut 702, 5: *τραπέζης* Ἀγορᾶς, nunc vero (*Berichtigungsl.* p. 85) etiam 986, 5.

11) P. Oxy. 239, 1; 246, 4; *BGU* 915, 4 (*Berichtigungsl.* p. 442). Cf. P. Lips. 121 (passim) et Flor. 358, 4/5: *τῷ* ⟨*ἐν*⟩ *ἰδίῳ λόγῳ γράφοντι τὸν νόμον*; Wilcken, *Grundzüge* p. 157 ima.

12) Exempla sistunt *BGU* 581; 647; 891 Ro. (cf. Mitteis, *Grundzüge* p. 57 not.); 1135, 7 (*νομογραφικὴν ἐπιστολήν*); P. Fay. 24; 28; Oxy. 1279; Rain. 107 (Wessely, Karanis p. 51); Tebt. 384; 397. Intervenit praeterea nomographus *ὑπὲρ γράμματα μὴ εἰδότων* *BGU* 891 Vo., 23; P. Fay. 36, 24; Genev. 42, 32/3; Hamb. 4, 14/5; 6, 21/2; 64, 31/2; Mich. cit. (645); Ryl. 88, 26/7. Scribit denique interdum archidicasticas *οἰκονομίας* (*BGU* 578 (Chrestom. II 227), 8/9; 888, 4; P. Oxy. 1654, 3), scriptas perquirit P. Oxy. 1654, 8/9. Qua de re cf. Wilcken, *Archiv* VII p. 96/7.

Digitized by Google

hoc modo perficerentur, an per se valerent [1]). Constat praeterea *συγχρηματίσαι τὸν τῆς πόλεως* [2]) *γραμματέα* [3]), non cuiuslibet *κώμης* [4]), et potuisse *διὰ τραπέζης* contrahi, qua de re separatim dicetur infra [5]); potuisse denique *δι' ὑπομνηματισμῶν* [6]) *τοῦ ἀρχιδικαστοῦ* [7]), nam apud hunc quoque insinuabatur [8]), quae opponi videtur *τ(ῇ) συνή(θεῖ) δημοσιώσ(ει)* [9]), quam fieri necesse erat *ἐπὶ τῶν τόπων* [10]), illam Alexandriae [11]). Quocirca, sicut inveniuntur iurisiurandi condiciones ea forma, ut quasi per epistulam certiores faciat iurator *τοὺς ἀγορανόμους* [12]) vel *τοὺς ἐπὶ τῶν χρειῶν* [13]) *ὀμνύ(ειν)* se, et mandatum simili genere oblatum *τῷ δεῖνι ἐξηγητῇ καὶ τοῖς Καισαρείοις καὶ τοῖς ἄλλοις πρυτάνεσιν* [14]), ita supersunt contractus ea forma, ut per epistu-

---

1) Per se valere, opinio est Pauli Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXIX p. 17[2]. Dissentit Paulus Meyer (ad P. Hamb. 4, 15).

2) Id est, *τῆς μητροπόλεως τοῦ νομοῦ* (*Archiv* V p. 246).

3) P. Lond. 903, 17/8 (III pag. 117). Cf. Eger, *zum aeg. Grundbuchw.* (1909) p. 81[2]; Preisigke, *Girowesen* (1910) p. 306[3]; Mitteis, *Grundzüge* (1912) p. 67 ima; Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 372 (*zu S.* 36), p. 184[2]. Γ(ραμμ.-τέως) *χάραγμα* esse creditur *BGU* 813, 1.

4) P. Oxy. 1281, 14/5. Emendandum est *τοῦ πρὸς τῷ γρα(φείῳ)*.

5) Harum observ. § 19.

6) P. Oxy. 237 VIII 6. *Διὰ τῆς τάξεως* habere dicitur P. Lips. inv. 610, 8 (*Ztschr. der Sav.-St.* XXIX p. 3 not. 3).

7) Cf. *BGU* 136; P. Flor. 40.

8) P. Grenf. II 71 I 6; Mitteis, *Archiv* I p. 350 (sed hoc quodammodo tollit *Grundzüge* p. 27 ima: „*sicher ist, dass ihm die Leitung der Urkundenarchive in Alexandrien zusteht, und dass er in dieser Funktion mit der Registrierung von Urkunden befasst ist*").

9) P. Grenf. cit. (II 71) II 26 (Wenger, *Stellvertr. im R. der Papyri* (1906) p. 107 not. 3). Dissentiunt Koschaker, *Ztschr.* cit. XXIX p. 4/5, et item Mitteis, *Grundzüge* p. 86, quia nullam admittunt imperatoria aetate *δημοσίωσιν κατὰ τὴν χώραν*. Qua de re diximus § 14 (Mnem. 54 p. 65/7).

10) Cf. Gradenwitz, *Einf.* I (1900) p. 45[2]; Crönert in: *Studien zur Palaeogr. und Papyrusk.* (4) p. 95 (ad P. 518); Jörs, *Ztschr.* cit. XXXIV p. 131 cum notis 3—6.

11) P. Grenf. cit. (II 71) I 6: *καταπλέοντα εἰς Ἀλεξανδρ(ε)ίαν δημοσιῶσαι παρὰ τῷ ἀρχιδικαστῇ* (= *Sammelb.* 4651; 4653). Habebat nihilominus etiam Alexandria *γραφεῖον* suum (P. Lond. 142, 9).

12) P. Oxy. 100; 263. Cf. Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 328/30.

13) *BGU* 543. Cf. Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* p. 38/9.

14) P. Tebt. 317. Subicitur quidem petitio: *ἀξιῶ ὑμᾶς συντάξαι τοῖς πρὸς τούτοις,.... ἵν' ἐὰν παρὼν ἐπ' αὐτοὺς (ῇ) ὁ Ἡράκλειος, χρηματίζωσιν κὐτῷ.... καθὰ καὶ ἐμοὶ παρούσῃ*. — Ex iure Romano cf. l. 21 Dig. 46. 8.

Digitized by Google

lam τὸν ἀρχιδικαστήν [1]), aliquando etiam τὸν ἐπὶ τῷ κριτηρίῳ [2]) vel τὸν ἐπὶ τοῦ ἐν τῇ αὐλῇ κριτηρίου [3]) contrahentes certiorem faciant interse convenisse [4]). Qui contractus, quibus principale verbum Συγχωρεῖ vel Συγχωρῶ, unde nomen συγχωρήσεις, sicut ceteri, nisi erant ἐπὶ τῇ ἀρχῇ facti [5]), tunc erant rati, quum essent depositi, cuius rei testandae causa subscribebat ὁ γραμματεύς [6]): ὁ δεῖνα· κατακεχώρισται [7]). Erat autem τῶν κατὰ καιρὸν ἀρχιδικαστῶν gestorum volumini diurno [8]), ex quo fiebant αἱ πενθήμεραι, id est, quinum dierum breves [9]), proprium nomen ἡ διαλογή [10]), quacum misceri non debet ὁ διαλογισμός, id est, conventus [11]), nec ἡ τῆς πόλεως διαλογὴ [12]), aut ἡ τοῦ ἐξηγητοῦ [13]),

1) *BGU* 241 (ἀρχιδικαστῇ, ... παρὰ τῶν δείνων· .... [συγχωροῦσιν] οἱ δεῖνες διαῤῥῆσαι κτλ.); 729; 741; 1001; 1108; 1111; P. Berol. 13993 (*Sammelb.* 6611); Frib. 8; Oxy. 268; 727; 1471; Tebt. 319; *Soc. ital.* 704.

2) *BGU* 1050—1059; 1099; 1101—1104; 1106; 1107; 1109; 1110; 1112—1122; 1126; 1128—1130; 1132; 1134; 1135; 1144; 1145; 1147—1155; 1157—1159; 1163—1166; 1167 II—1175.

3) *BGU* 1098; 1124; 1127; 1143; 1146; 1156. Cf. *Archiv* V p. 58[1].

4) Cf. Wilcken, *Litztg.* XXI (1900) p. 2467; *Archiv* II p. 389 (ad *BGU* 1001); *Archiv* III p. 509/10; Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 274/5; Schubart, *Archiv* V p. 48; Mitteis, *Grundzüge* p. 66/7. — Praeterea ab actore facta reoque συνείσδοσις (συναναφορὰ) τοῖς χρηματισταῖς bis commemoratur in lite Hermiae (P. Taur. 1 II 11; 1 III 28 et IV 9), quo digitum intendit Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 278/9.

5) Factos putat Mitteis, l.l. (*Grundzüge.* p. 66/7).

6) Cf. P. Oxy. 34 II 3/4, quo remittebam *Archiv* II p. 33[5].

7) P. Frib. 8, 32; Oxy. 268, 20. In ceteris nunc deest, sed fuisse utique videtur in *BGU* 729 (cf. *Archiv* II p. 33 not. 6).

8) Id est, (τῇ) ἐφημερίδ(ι) (P. Oxy. 268, 10) τοῦ καταλογείου (P. Oxy. 271, 8; *BGU* 1168, 9/10).

9) Cf. Mitteis, Herm. XXXIV (1899) p. 98.

10) P. Oxy. 34 II 2—5; *BGU* 578, 4; 614, 4; 832, 12; P. Lips. 122, 3; Oxy. 1268, 13; 1474, 3. Vertit Mitteis, Herm. XXXIV p. 97: „*Contractsgericht*"; officium („*eine Behörde*") esse putat Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 264; functionem („*eine Thätigkeit*") Wilcken, *Archiv* IV p. 373.

11) Cf. Wilcken, *Archiv* IV p. 368—373.

12) P. Lips. 10 II 33; Oxy. 1200, 4 (legere mihi videor: ὁ πρὸς τῇ διαλ(ογῇ)· Αὐρηλίου) Ἀλεξ(άνδρου) κεχρ(ηματικότος)); 1475, 3; 1561, 20. Eandem esse atque τὴν τῶν ἀρχιδικαστῶν διαλογήν, putat Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 264. Sed videtur potius esse vectigalis genus.

13) Apparet ea P. Flor. 57 (= 382), 77. Ei tunc praeerat Νεῖλος ἐκ καταλογείου. Putabat olim Wilcken esse τὴν τοῦ γραφείου διαλογήν (*Archiv* IV p. 441/2), mavult nunc τὴν τοῦ καταλογείου (ante Chrestom. I 143). Papyrus habet αὐτοῦ, quod totum negligit Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 266.

Digitized by Google

aut ἡ τῶν ἐντεύξεων [1]), quae propria τῶν χρηματιστῶν quum sub Ptolemaeis [2]) tum sub Romanis [3]), aliave [4]). Supersunt autem ad archidicastam etiam petitiones μονομερεῖς [5]) βουλομέν(ων) ἐν δημοσίῳ γενέσθαι (προειμένα ἑαυτοῖς) χειρόγρα(φα) [6]), quibus rogatur archidicasta iubeat illa συγκαταχωρίσαι αὐτῷ τῷ ὑπομνήματι εἰς ἀμφοτέρας τὰς βιβλιοθήκας [7]), id est, εἰς τὴν Ἀδριανὴν βιβλιοθήκην [8]) καὶ εἰς τὴν τοῦ Ναναίου [9]). Etsi non erant eae privatim scriptis, sed ab ipsis magistratibus perfectis contractibus recipiendis institutae [10]). Simile est igitur, quod docuimus supra [11]) περὶ τοῦ γραφείου: receptos ibi Graecos contractus, quum esset Aegyptiis dumtaxat recipiendis institutum.

§ 18. Nihil intererat, utrum autographum offerretur publicandum an antigraphum, quia ἡ δημοσίωσις non fidem imponebat instrumento sed vim accommodabat obligationi [12]), id

1) P. Amh. 33, 23 (Wenger, *Archiv* II p. 49 not. 5). Eadem respicitur P. Flor. 55, 4 (Jörs, *Ztschr.* cit. XXXVI (1915) p. 237 cum nota 4); 55, 30; 56, 17 (Wilcken, *Archiv* IV p. 373); *BGU* inv. 11664 (*Jur. Pap.* 48), 39; 11886 (*Ztschr.* cit. 43 p. 556/7) II 7.

2) P. Amh. 33, 23; Fay. 11, 26/7 (εἰς κατάστασιν). Esse eam quasi quandam ἀνάκρισιν, viderunt Wilcken, *Archiv* IV p. 372/3; Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 264/5; Jörs, *Ztschr.* cit. XXXVI p. 283/8. Dubitat Mitteis, *Grundzüge* p. 18. Cf. Dikaiomata p. 32[2].

3) *BGU* inv. 11664 (*Jur. Pap.* 48) lin. 6/7; 11886 (*Ztschr.* cit. 43 p. 556/7) II 6; P. Flor. 55, 10/2 (*Ztschr.* cit. XXXVI p. 241), non εἰς κατάστασιν (P. Fay. 11, 26/7), sed εἰς πρᾶξιν (Jörs, *Ztschr.* cit. XXXVI p. 289).

4) Veluti P. Alex. (*Bull.* 2) 4 (*Sammelb.* 4305), 15.

5) *BGU* 231; 455; 578, 9—19; 717; inv. 11644 (*Archiv* VI p. 177); Flor. 40; Lips. 10; Oxy. 719, 7—35; 1200, 5—52; 1473; 1474, 8—23; 1475, 5—41; 1560; 1561; *Sammelb.* 5692; P. *Stud. zur P. u. P.* XXII 70. Incipitur a chirographo nec praeterea quidquam superest ex *BGU* 231; 455; P. Flor. cit.; Oxy. 1474; 1560; *Sammelb.* cit.; P. *Stud.* cit. Cf. Koschaker, *Ztschr.* cit. XXIX p. 74; Mitteis ante Chrestom. II 227.

6) *BGU* 578, 17; 717, 26; P. Oxy. 719, 29/30; 1200, 44; 1473, 37; 1475, 41; Lips. 10 II 19/20. Χειρόγραφον προεῖδεν τῇ προκτητρίᾳ vult quis δημοσιοῦν *BGU* inv. 11644 (*Archiv* VI p. 177), ἐπίσταλμα P. *Griech. Texte* 6.

7) *BGU* 578, 19.

8) P. Lips. 10 II 25/6; Oxy. 719, 35; 1200, 49; 1473, 40; 1475, 44.

9) P. Lips. 10 II 26; Oxy. 1200, 49/50; 1473, 41; 1475, 45.

10) Plura dedimus in alteris Observ. nostris cap. CVII (Mnem. 44 p. 84/6).

11) § 13 (Mnem. 54 p. 62).

12) *Archiv* II p. 33. Proxima est sententia Andreae Bertalani Schwarz, *Abhandl. (sächs. Akad.)* XXXI 3 p. 27—29: non tam fidem, quam vim. Quocirca miror, cur περὶ ἀναγραφῆς aliter sentiat (p. 25/6, 26 not. 6).

Digitized by Google

est, quia non ideo transscribebatur, ut de scripturae veritate constaret, sed solemnitatis implendae gratia. Consequens est τὰ μὴ ἀναγεγραμμένα Αἰγυπτίᾳ συναλλάγματα ἄκυρα [1]) εἶναι [2]). Sed de Graecis cautionibus diversum putabat Mitteis [3]), quasi hi contractus depositi fuerint propter aliquam privatorum utilitatem, quae aut nulla fuerit aut fidei accommodatio [4]), sed refellit hanc sententiam èt fictio vulgaris in contractibus non depositis: ἡ (συγγραφὴ) κυρία ἔστω ὡς ἐν δημοσίῳ κατακειμένη, quo argumento supra [5]) usi sumus èt antigraphorum [6]) ipsa δημοσίωσις. Veluti Graecis contractibus positorum χαραγμάτων omnium, quae aetatem tulerunt, antiquissimum [7]), id subscriptum est antigrapho (ἐχρηματίσθη ἀνενεχθὲν τὸ ἀντίγραφον τοῦτο κτέ.), cuius autographum (ἡ κυρία) secundum illum pristinum morem [8]) in privata custodia esset unius e testibus [9]). Absurde factum, si fidei causa, sin solemnitatis testandae causa nihil intererat [10]). Est alterum exemplum P. Frib. 8 (antigraphum habens χάραγμα autographum) anni p. Chr. 143.

(Continuabuntur).

1) Πρὸς συνάλλαγμα, non, quo rem deducere cupit Schwarz, *Abhandl.* cit. XXXI 3 p. 25/6: πρὸς πίστιν. Cf. Partsch, *Festschr. für* Lenel 1921 p. 178[1].

2) P. Taur. 1 IV 13—15.

3) Herm. XXX (1895) p. 600. Nunc quidem stilum vertit (*Grundzüge* p. 83, 79).

4) „*Oeffentliche Beglaubigung*" (Mitteis, Herm. XXX p. 596). Hoc quoque nunc remittit (*Grundzüge* p. 51). Sed credere perseverat Schwarz, *Abhandl.* cit. XXXI 3 p. 26[6].

5) § 12 (Mnem. 54 p. 59/60). — Cf. praeterea Wilcken, *Litztg.* XXI (1900) p. 2469.

6) Docet Mitteis, *Ztschr. der Sav.-St.* XIX (1898) p. 228, antigrapha esse ὑπομνηματισμῶν. Quod verum est. Sed aeque verum est χειρογράφων esse antigrapha (e. g. *BGU* 455, 6/7).

7) P. Petrie II 47, 34—37, quod laudat Schwarz, *Abhandl.* cit. XXXI 3 p. 26[4]. Scriptum est ante Chr. 210 (Wilcken; *GGA* 1895 p. 164).

8) De ipso more cf. P. Petrie I 24 (2) et II 21 (d) (= Chrestom. II 28, 21—26).

9) P. Petrie II 47, 33 (ia. 30). Cf. supra ad § 14 (Mnem. 54 p. 67 not. 6).

10) Interveniente syngraphophylace privato antigrapha utique publicari, persuasum est Paulo Meyer, Klio IV (1904) p. 30 ima. Ex diverso numquam non τὰ ἀντίγραφα, demonstrare cupit Koschaker, *Ztschr.* cit. XXIX p. 8/9, adhibito P. Oxy. 34 I 12/5. Dubitat nihilominus (p. 11/4) pertineatne ἡ δημοσίωσις etiam eo, ut instrumentis publicatis fides constet.

Digitized by Google

ELENCHUS FONTIUM § 11—18.

(Numeri sunt paginarum et notarum, infra centum: vol. LIV, supra centum: vol. LV).

I. Monumenta barbara.
P. *Précis* p. 572 (Amyrtaei) 56[1]
PP. *Rev. égyptol.* II p. 120 49[6]

II. Auctores Graeci.
Aristot.
Resp. Ath. 56 § 3; 61 § 1 212[8]
Demosth.
or. 4 § 36; 24 § 13 212[8]
Plutarch.
Mor. 482 C 212[6]

III. Inscriptiones Graecae.
Inscr. jurid.
XIII quater 212[6]
XV B 60[2]
XXX § 43—46 204[1]
Michel.
41 209[6]
247 45[14]
Dittenb. Orientis.
120 67[5]
CIG
4957 (Tib. Alex.), 23 190[2]; 215[11]

IV. Papyri Graeci.
Actenstücke.
1 I 194[7]
1 II 194[5]
4 I 194[7]
4 II 194[5]; 194[10]; 194[13]; 195[1]
Alexandr.
Sine no. 189[8]
(Bull. 2) 4 = *SB* 4305.
Amh.
Sine no. Vid. Pap. *Lat.*
29 209[6]
31 194[6]; 194[7]; 194[10]
33 224[1]; 224[2]
43 64[3]; 67[6]
46 197
68 187[5]; 191; 191[8]; 191[9]; 191[12]; 192[1]; 192[4]; 192[8]; 194[7]; 195[3]; 203[10].
Amh. (contin.)
85 44[15]
98 67[1]
99 59[9]
110 C5[6]
111 45[8]; 53 (E. F.); 65[6]
112 42[1]; 45[8]; 53 (E. F.); 65[6]
113 65[6]
Argentor.
29 60[8]
34 42[5]; 43[11]; 44[1]; 188[6]; 207[7]; 216[6]
41 212[6]
52 187[1]; 190[2]; 190[5]; 192[12]; 199[1]; 200[12]; 203[8]; 209[2]; 213[3]; 213[9]; 221[2].
56 42[3]; 44[1]
83 199[10]
inv. 60 I 190[3]
Argentor. demot.
56 = *SB* 2051
Auson. II 2 = *Flor.* 358
BGU
5 190; 190[7]; 190[9]
11 190; 190[7]
18 44[13]; 221[9]
28 42[5]; 43[11]
50 57[6]; 59[9]; 61[2]; 61[3]; 68[5]; 200[3]; 205[9]; 205[10]; 205[11]
51 43[1]; 43[4]
53 42[5]
69 59[9]
71 59[9]; 59[12]
73 211[9]; 212; 212[1]; 213[4]
86 62[9]; 63[3]; 63[4]; 65[3]; 65[6]
87 45[8]; 46[6]; 47[9]; 47[10]; 53 (E. F.); 206[6]
94 187[6]; 188[3]
95 42[5]
97 44
112 188[5]; 195[4]; 200[11]; 204[3]; [208[6]

Digitized by Google

BGU (contin.)
135 57[2]; 62[9]
136 222[7]
153 53 (E. F.); 66[2]; 66[3]; 206[6]
174 42[2]
177 200[15]; 201[2]; 202[3]; 203[10]
183 46[6]; 47[9]; 47[10]; 53 (E. F.); 63[3]; 65[6]
184 188[6]; 189; 200[12]; 200[13]; 201[9]; 204[6]
189 42[2]
191 62[9]
196 62[9]; 65[6]
231 224[5]
233 216[12]
240 188[3]; 212[6]; 220[7]
241 223[1]
243 42[5]; 43[6]; 201[7]; 204[3]; 205[6]; 211[7]; 213[4]; 214[6]; 215[5]; 217; 217; 218[7]
251; 252 63[3]; 65[6]
260 59[3]; 59[9]
272 59[9]
297 62[9]
328 I 193[7]; 213[3]; 213[7]
350 45[8]; 46[6]; 47[9]; 53 (E. F.); 57[2]
364 198[3]
379 43[1]; 187[1]; 188[5]; 189; 193[3]; 200[11]; 200[12]; 200[13]; 201[9]; 201[10]; 202[12]; 203[7]; 204[5]; 209[2]
388 68[1]
394 62[9]; 65[6]
405 59[1]; 199[11]
420 188[6]; 193[2]; 201[7]; 205[6]
427 206[6]
446 45[8]; 46[6]; 47[9]; 53 (E. F.); 212[6]
447 42[5]
453 62[8]
455 61[3]; 200[1]; 200[6]; 224[5]; 225[6]
456 212[6]
459 43[1]; 43[2]; 188[6]; 201[7]; 205[6]
472 I 42[1]; 47[9]; 53 (E. F.)
514 57[2]
520 59[9]
524 42[5]

BGU (contin.)
536 42[3]; 42[5]; 43[7]; 188[6]; 193[2]; 202[4]; 204[3]
538 45[8]; 46[6]; 47[9]; 53 (E. F.)
543 222[13]
545 189[10]
577 44[6]
578 44[11]; 58[3]; 59[9]; 60[10]; 221[12]; 223[10]; 224[5]; 224[6]; 224[7]
580 63[2]; 196; 196[5]; 197[13]
581 197[13]; 221[12]
614 44[11]; 223[10]
619 58[5]
622 62[9]; 213[3]
647 197[13]; 221[9]; 221[12]
664 45[8]; 53 (E. F.)
666 59[9]
667 187[6]; 188[3]
702 221[10]
717 59[9]; 224[5]; 224[6]
719 48[5]; 53 (E. F.)
729 48[6]; 223[1]; 223[7]
741 223[1]
748 45[6]; 47[9]; 47[10]
813 42[1]; 54; 201[1]; 222[3]
825 209[7]
832 218[2]; 223[10]
854 54; 196[6]
866 192[12]
883 210[4]; 210[5]; 213[3]
888 221[10]; 221[12]
891 221[12]
906 193[1]; 210[4]; 210[5]; 213[3]
907 42[5]; 43[6]; 199[2]; 200[12]; 201[9]; 202[5]; 211[6]
910 I 196[6]
910 II 45[8]; 47[9]; 54
915 192; 203[10]; 221[11]
919 208[4]; 216[8]; 220[6]
942 59[9]
959 217[9]
970 58[3]; 200[1]; 200[2]
981 59[9]
983 200[1]; 200[2]
986 221[10]
987 54; 66[2]
989 42[2]; 45[6]; 47[4]; 54; 59[2]; 220[10]
993 197[7]

Digitized by Google

BGU (contin.)
997 197
1001 223[1]; 223[4]
1002 47[1]
1020 198[6]
1034 188[6]; 219[3]
1037 65[6]
1038 188[3]; 211[6]
1045 45[8]; 54: 64
1047 II 190; 190[8]
1048 210[4]; 210[5]; 213[3]
1050—52 223[2]
1053 220[8]; 223[2]
1054—56 223[2]
1057 220[8]; 223[2]
1058; 1059 223[2]
1072 Ro. 211[6]
1073 190[2]; 213[4]; 215[7]
1098 223[3]
1099 223[2]
1101 223[2]
1102—04 220[8]; 223[2]
1105 220[8]
1106; 1107 223[2]
1108 223[1]
1109; 1110 223[2]
1111 223[1]
1112; 1113 223[2]
1114 212[6]; 223[2]
1115—22 223[2]
1124 220[7]; 220[8]; 223[3]
1126 223[2]
1127 193[1]; 207[4]; 223[3]
1128 212[6]; 223[2]
1129 207[4]; 213[3]; 220[8]; 223[2]
1130 57[6]; 68[5]; 223[2]
1131 57[6]; 68[5]; 207[4]; 207[5]; 212[6]
1132 220[6]; 220[8]; 223[2]
1133 220[8]
1134 223[2]
1135 221[12]; 223[2]
1139 220[7]
1143 220[8]; 223[3]
1144 220[6]; 223[2]
1145 223[2]
1146 223[3]
1147 189; 223[2]
1148—50 220[8]; 223[2]

BGU (contin.)
1151 57[6]; 223[2]
1152 220[8]; 223[2]
1153 220[7]; 223[2]
1154 220[8]; 223[2]
1155 58[5]; 223[2]
1156 220[9]; 223[3]
1157 223[2]
1158 57[6]; 220[7]; 223[2]
1159 223[2]
1162 220[8]
1163 223[2]
1164—66 220[8]; 223[2]
1167 II 223[2]
1168 220[7]; 223[2]; 223[8]
1169 220[8]; 223[2]
1170 223[2]
1171 220[8]; 223[2]
1172 223[2]
1173; 1174 220[8]; 223[2]
1175 223[2]
1186 213[3]
1210 (Gnom.)
§ 42 187[1]
§ 100 58[2]
§ 101 68[10]; 199[9]
1211 221[6]
1213 212[6]
1249; 1259; 1260 57[7]
1265; 1271; 1273; 1274 67[6]
1278 197; 197[5]
1280 67[6]
inv. 11644 58[3]; 224[5]; 224[6]
„ 11664 188[3]; 211[6]; 224[1]; 224[3]
„ 11886 224[1]; 224[3]
„ 13993 223[1]
Buttmann.
un. 45[7]; 46; 47; 54; 56[5]; 57[4]
Cattaoui.
1 Ro. VI (V) 212[6]
Class. phil, I.
2 211[7]; 213[4]; 213[6]; 215[3]; 217; 217[12]; 218[1]
Droysen.
36 = *Buttmann.*
Eitrem.
5 220[7]

Digitized by Google

Elephant.
1 60[3]
2 60[3]; 67[6]
4 67[6]; 197[1]
5 197[1]
6 46[12]; 54; 197[1]
7 197[1]
11 197[1]
Fay.
11 224[2]; 224[3]
23 I 57[1]
24 197[13]; 221[12]
28 221[12]
31 43[1]; 187[1]; 200[11]; 200[12]; 200[13]; 201[9]
32 43[1]; 43[2]; 188[6]; 201[7]; 205[6]; 217[10]
33 42[5]
36 196[2]; 221[12]
89 42[2]; 46[6]; 54; 66[2]
91 45[8]; 54; 65[6]; 66[2]; 66[3]
92 45[8]; 54
97 54; 66[2]; 66[3]
98 46[9]; 54; 65[6]; 66[2]; 66[3]
154 192[12]; 193; 201[9]; 209[2]
216 43[1]; 43[2]; 188[6]
260 46[6]; 54
Flor.
1 61[4]; 187[1]; 196; 199[1]; 200[12]; 203[8]
2 44[14]; 215[11]
4 195[8]
40 200[1]; 200[6]; 222[7]; 224[5]
47; 50 60[8]
55 224[1]; 224[3]
56 224[1]
57 223[13]
62 59[9]
66 212[6]
67 I 201[9]; 207[8]
86 219[7]; 219[10]; 219[13]
92 192[11]; 193[6]; 193[9]; 193[10]; 199[3]; 202[1]; 214[1]; 218[11]; 219[6]; 219[9]; 220[2]
96 59[9]; 60[8]
97 206[4]; 207[8]; 216[10], 217[9]
357 57[2]
358 221[11]
Flor. (contin.)
382 = P. 57
Forshall.
41 = *SB* 5634
42 = *SB* 5635
Frib.
8 45[10]; 47[8]; 48[6]; 54; 223[1]; 223[7]; 225
10 42[1]; 45[9]; 47[8]; 48[8]; 48[9]; 54; 64
ined. 56[4]
Genev.
9 59[9]
27 43[1]; 43[2]; 188[6]; 201[7]; 204[6]; 205[6]
33 42[5]; 43[9]
42 221[12]
44 43[2]; 68[5]; 188[7]; 201[7]; 202[4]; 202[5]; 204[3]; 204[7]; 204[11]; 205[6]; 207[6]; 208[8]; 211[7]; 213[4]; 214[9]; 215[5]; 217; 217[7]; 218[1]; 218[7]; 219; 219[3].
Giss.
8 215[10]; 216; 219[4]
37—39 62[10]
43 43[1]; 43[4]
108 62[10]
Gizeh (= Bulaq = Cairo)
10003 220[6]
10262 45[14]; 47[3]; 48[3]; 54
10274; 10277; 10323 193[14]
10388 64[3]
10870 187[6] (188); 188[3]; 220[6]
10871 42[1]; 45[11]; 46[8]; 48[10]; 48[13]; 54; 64[6]; 66[2]; 66[3]; 187[6]; 188[3]
30602 48[3]; 54
30603 = *SB* 4457
30604 = *Tebt.* 279
30605/7/12/13/15/16*a* = *SB* 4458 [—63
20616*b* 45[13]; 48[5]; 54
30617*a*/17*b*/20 = *SB* 4464—66
30627 45[13]; 48[5]; 54
30628/30/32 = *SB* 4467—69.
30701 = *SB* 4470
31020*b*/79 = *SB* 4471; 4473

Digitized by Google

Gizeh (contin.)
31191/218/227/228/254 = *SB* 4475–79
50013 = *SB* 4480
67117–18 206[4]; 213[1]
67119 206[4]; 213[2]
67140 211[6]
67196 59[11]
67169*bis* 59[11]; 212[6]
Gizeh Zenon.
78 = *SB* 6784.
Goodsp.
13 59[9]; 60[8]; 212[6]; 220[5]
Gradenw.
inv. 171 = *SB* 6303
Grenf. I.
11 47[1]
12 64[3]
17 62[10]; 211[6]
21; 23 197
26 57[6]
27 197
28 57[6]
36 66[6]
45; 46 189[8]
60 212[6]
Grenf. II.
16 197
19 57[6]
25 62[10]
42 193[7]
68 46[5]; 59[10]
69 46[5]
70 45[5]; 46[2]; 46[5]; 54; 58[3]; 59[10]; 67[1]
71 46[5]; 59[10]; 66; 222[8]; 222[9]; 222[11]
75; 76 59[10]
Grey.
un. = *Lond.* 3.
Griech. Texte.
6 224[6]
13 54
25 59[9]
Guimet.
2 59[11]; 212[6]
Hamb.
1 220[8]
Hamb. (contin.)
2 62
4 221[12]; 222[1]
6 221[12]
7 43[1]; 43[5]
14 200[12]; 201[9]; 202[4]; 204[7]; 211[6]
15 42[5]; 54; 65[5]; 65[6]; 187[6]; 188[3]; 204[7]; 208[5]; 215[4]
16 43[2]; 43[6]; 65[5]; 68[5]; 188[6]; 201[7]; 204[3]; 205[6]; 207[6]; 211[7]; 213[4]; 214[6]; 215[4]; 215[5]; 217; 217[7]; 218[1]; 218[7]
32 59[9]
38 62[1]
58 45[12]; 67[6]
62 43[8]; 54; 66[4]; 192[12]; 193[4]; 204[6]; 207[6]; 216[3]; 216[12]
64 221[9]; 221[12]
70 59[9]; 60[9]
84 193[5]; 213[3]
102 59[9]
Hawara.
166 188[7]
238 188[6]; 206[7]; 207[8]; 216[12]; 220[7]
308 188[6]; 201[7]; 204[3]; 205[6]
401 189[10]
Heidelh.
inv. 1280 211[6]
Hibeh.
29 188[8]; 198[17]; 203[16]
84 (a); 96 67[6]
164 46[12]; 54
Innsbrück.
demot. sine no. = *SB* 1171
Jomard.
un. 198[14]
Leid.
I 373 54
I 375 45[7]; 54
I 379 45[14]; 54
I 380 48[2]; 54
M 197
O 54; 57[8]; 61; 64; 64[3]; 64[4]; 65[2]; 66[6]; 67; 67[6]; 197; 197[5]

Digitized by Google

Lille.
27 189[8]
Lips.
1 57[7]; 197
2 57[7]
3 42[5]; 43[11]; 44[5]; 188[6]; 202[4]; 207[3]; 207[7]; 207[12]; 216[3]; 216[4]; 216[6]
6 59[9]; 60[8]
7 57[7]
8 207[3]; 213[4]; 216[6]; 217[2]
9 42[5]; 43[11]; 44[4]; 188[6]; 202[4]; 205[8]; 206[7]; 213[4]; 215[7]; 216[6]; 216[7]; 216[13]; 217[2]
10 58[3]; 58[4]; 59[9]; 60[10]; 200[1]; 200[6]; 223[12]; 224[5]; 224[6]; 224[8]; 224[9]
11 59[9]
27 65[6]
29 59[9]
31 67[1]
97 211[6]
121 221[11]
122 223[10]
inv. 508 68[5]; 202[1]; 205[1]; 208[8]
» 561 43[1]; 43[10]
» 610 222[6]
Lond.
3 62[10]
50 193[14]
141 213[3]
142 54; 62[9]; 222[11]
143 54; 64[7]; 65[6]
154 54; 57[6]; 66[2]; 66[3]
178 59[9]
196 211[6]
209 59[11]
210 59[11]; 212[6]
229 197[5]
251 212[6]
261 44[8]; 68[3]
262 46; 46[8]; 48; 54; 196[6]
277 54; 66[2]
289 54; 57[2]; 62[9]; 66[2]; 66[3]
293 54; 66[2]
299 43[1]; 189[3]; 198[17]; 198[18]; 200[12]; 200[14]; 201[9]; 207[14]
Lond. (contin.)
300 43[1]; 188[6]; 193[4]; 200[12]; 201[9]; 204[6]; 207[14]; 209[2]
303 42[1]; 45[8]; 54; 65[1]; 65[6]; [65[8]
308; 311 45[8]; 54; 65[6]
313 65[6]
320 206[6]
324 189[7]; 190[4]; 195[9]
334 62[9]; 212[6]
341 57[2]
348 64[7]; 188[3]; 199[2]
676; 678; 682 57[7]
870 59[9]
879—883 57[7]
903 187[1]; 190[11]; 200[12]; 201[1]; 201[9]; 204[6]; 222[3]
918 62[9]
933 220[7]
940 42[5]; 43[11]; 43[14]; 43[17]; 188[6]; 202[4]; 205[8]; 207[13]; 215[7]; [215[13] (216)
941 42[3]; 42[5]; 43[11]; 43[16]; 188[6]; 202[4]; 207[8]; 216[6]
942 42[5]; 43[11]; 202[4]; 207[3]; 216[6]
945 42[5]; 43[11]; 43[17]; 188[7]; 202[4]; 207[3]; 207[7]; 215[13] (216); [216[6]
977 212[6]
978 59[9]; 60[18]
991 212[6]
1157 Vo. (b) 212[1]; 215[8]; 215[12]
1164 (d) 61[1]; 220[7]
1168 45[4]; 54; 63; 65[2]; 65[6]
1179 206[6]; 213[3]
1203—09 57[7]
1217 (b) 220[7]
1662 198[14]
1676 212[6]
1722 212[6]
1723 61[4]
1724 61[4]; 212[6]
1729 61[4]
1731 59[11]; 60[8]
1733; 1735 212[6]
inv. 1897 42[1]; 45[11]; 46[8]; 48[8]; 54; 64; 203[10]; 218[5]; [221[1]

Digitized by Google

Magdol. (ed. Lesquier).
12 199[10]
14 67[6]
31 63[7]
Mél. Nic.
p. 187 (191) = *SB* 4297.
p. 555 195[8]
Michigan.
inv. 645 221[9]; 221[12]
Minores.
passim 198[11]
89; 129—131; 140; 263 198[6]
347 198[1]
436 198[8]
469; 491; 502; 639 198[6]
682 198[3]
761 198[5]
867 198[2]
898 198[1]
1067 198[6]
Monac. Byz.
3 198[10]
4 59[11]; 198[10]; 212[6]
8 198[10]
9 212[6]
11 59[11]; 60[8]; 212[6]
12 59[11]; 212[6]
13 60[8]; 212[6]
14 198[14]
16 212[6]
Oxy.
passim 61[4]; 201[4]
34 I 58[2]; 216[3]; 221[7]; 225[10]
34 II 48[7]; 187[5]; 223[6]; 223[10]
45 209[6]; 209[9]; 210[2]
46; 47 209[6]
48; 49 1[8][11]; 198[18]; 202[10]; 203[4]; 203[13]
50 203[14]
68 220[7]
72 188[7]; 206[7]
73 188; 188[8]; 188[9]; 198[17]; 207[11]; 216[2]; 220[7]
75 188[7]
78 191[6]
95 58[5]
99 196
Oxy. (contin.)
100 222[12]
102 198[4]
105 46[9]; 54
126 198[1]; 206[4]; 213[2]
133—136 etc. 198[1]
165 200[6]
170 63[9]; 203[1]; 203[6]; 212[6]
171 195[8]
174—176 200[6]
237 IV 213[5]; 215[9]
237 V 190[11]; 206[7]; 211[9]; 218[2]
237 VI 211[9]
237 VII 211[9]; 213[5]
237 VIII 68[8]; 68[9]; 70[5]; 70[7]; 189[4]; 190[11]; 199[5]; 199[15]; 203[11]; 208[7]; 211[3]; 213[5]; 213[6]; 215[6]; 215[10]; 215[11]; 220[5]; 220[6]; 221[3]; [222
238 63[6]; 221[1]; 221[2]
239 221[11]
241 63[1]; 199[1]; 202[1]; 203[2]; 203[5]
242 202[12]
243 63[7]; 199[1]; 202[7]; 203[2]; 203[5]; [220[6]
246 221[11]
247 43[1]; 188[7]; 206[7]
248 188[7]; 193[2]; 206[7]; 207[13]
249 188[7]
254; 255 195[7]; 195[8]
256 195[8]
259 58[9]; 199[11]
263 222[12]
268 45[10]; 47[8]; 48[6]; 54; 223[1]; [223[7]
269 42[3]
270 220[6]
271 220[7]; 223[8]
273 192[10]; 192[12]; 207[1]; 207[4]; 213[3]; 213[8]; 213[9]
274 214[2]; 220[6]
286 220[6]
288 190[6]; 190[10]; 195[6]
306 220[6]
320 45[4]; 54; 63; 66[2]; 66[3]; [196; 202[1]

Digitized by Google

Oxy. (contin.)

327 63^{9}; 188^{11}; 198^{19}; 202^{1}; 202^{11}; 203^{6}; 212^{6}
328 63^{9}; 203^{1}; 203^{6}; 212^{6}
329 202^{1}; 203^{2}
330; 331 202^{7}; 202^{12}
332 188^{11}; 198^{19}; 202^{7}; 202^{11}
333 203^{1}
334 202^{7}; 202^{8}; 202^{12}
335 202^{12}
336 188^{11}; 198^{19}; 202^{11}
337 203^{1}
338 202^{12}
339 202^{7}; 203^{2}
340 202^{12}
341—348 209^{6}
349 = *SB* 5616
362 220^{6}
373 207^{1}; 207^{4}
478 42^{5}; 43^{9}
481 207^{13}
483 42^{5}; 188^{7}; 199^{1}; 200^{12}; 200^{15}; 201^{9}; 201^{10}; 202^{3}; 202^{5}; 203^{2}; 203^{7}; 204^{2}; 204^{6}; 209^{2}; 209^{7}
485 209^{6}; 220^{6}
488 191^{7}
489; 491 46^{9}; 47^{3}; 54; 66^{2}; 66^{3}
492 46^{9}; 47^{14}; 54
494 43^{10}; 58^{10} (59); 60^{3}; 62^{1}
495 60^{3}
504 192^{12}; 193^{8}; 200^{12}
505/06/08/10 220^{6}
513 45^{4}; 54
533 58^{3}
581 203^{1}
584 188^{7}
588 188^{7}; 201^{9}; 204^{6}
634 54
636 188^{7}
637 207^{15}
641 209^{6}
712 211^{9}; 215^{11}; 218^{5}
713 43^{2}; 43^{10}; 188^{7}; 202^{1}; 213^{4}; [214^{5}; 216^{13}
714 42^{5}; 43^{9}
715 42^{5}; 43^{7}; 43^{13}; 188^{6}; 204^{13}; [205^{7}

Oxy. (contin.)

718 195^{3}
719 58^{3}; 59^{9}; 60^{10}; 199^{11}; 200^{1}; 200^{2}; 200^{6}; 224^{5}; 224^{6}; 224^{8}
722 61^{4}; 203^{14}
727 187^{1}; 223^{1}
731 59^{1}; 59^{9}
786 42^{5}; 43^{9}; 195^{8}
808 57^{2}
906 58^{7}; 220^{7}
1040 59^{9}
1105 63^{7}; 202^{7}; 203^{2}; 203^{5}
1115 44^{9}
1188 218^{11} (219)
1199 58^{5}, 67^{3}; 188^{7}; 217; 220^{6}
1200 58^{3}; 58^{4}; 60^{8}; 60^{10}; 200^{1}; 200^{2}; 200^{6}; 207^{2}; 207^{4}; 208^{8}; 209^{7}; 220^{7}; 223^{12}; 224^{5}; 224^{6}; 224^{8}; 224^{9}
1203 200^{6}
1208 46^{2}; 58^{3}; 58^{5}; 60^{8}; 65^{9}; 67^{1}; 67^{3}; 207^{4}
1220 43^{15}
1254 44^{14}
1264 190^{2}; 213^{4}; 215^{7}
1266 58^{6}; 58^{9}; 199^{11}; 220^{7}
1268 43^{1}; 43^{10}; 188^{7}; 200^{7}; 214^{6}; 214^{9}; 216; 220^{7}; [223^{10}
1273 58^{7}; 60^{8}; 62^{3}; 207^{2}; 207^{4}; [220^{7}
1276 60^{8}; 207^{2}; 207^{4}; 220^{7}
1279 221^{12}
1281 222^{4}
1282 220^{6}
1284 199^{11}
1287 191^{1}
1408 58^{4}
1462 56^{4}; 192^{12}; 206^{3}; 209^{11}; [210^{1}
1471 223^{1}
1473 58^{4}; 58^{7}; 60^{8}; 60^{10}; 200^{1}; 200^{6}; 224^{5}; 224^{6}; 224^{8}
1474 223^{10}; 224^{5}
1475 43^{1}; 43^{10}; 58^{4}; 60^{8}; 60^{10}; 200^{1}; 200^{2}; 200^{6}; 207^{4}; 209^{7}; 220^{1}; 223^{12}; 224^{5}; [224^{6}; 224^{8}

Digitized by Google

Oxy. (contin.)
1547; 1552 43[1]; 43[10]
1560 224[5]
1561 60[8]; 60[16]; 200[1]; 200[6]; [223[12]; 224[5]
1562 58[5]; 67[3]
1627 198[6]
1633 44[15]; 44[17]
1635 192[12]; 193[8]
1636 60[8]; 207[2]; 207[4]; 220[7]
1638 60[8]; 207[2]; 207[4]
1644 220[6]
1649 58[5]; 58[8]; 67[3]; 220[6]
1654 221[12]
1690 43[11]
1697 60[9]
1698; 1700 60[8]; 207[4]; 220[7]
1702 60[8]; 207[2]; 207[4]
1703 212[6]
1704 60[8]; 207[4]
1717 60[9]; 207[2]; 207[4]; 220[7]
1724; 1725 57[1]
1887 206[4]; 213[2]
ined. sine no. 203[14]
Paris.
5; 17 197
20 198[14]
21 212[6]
sine no. = *Jonard.*
49 62[10]
63 203[10]
65 56[5]; 57[3]; 62[10]
69 44[12]; 64[1]
Paris. demot.
sine no. = *SB* 4509
2410 45[5]; 55
2411 55
2422 = *SB* 4508
2433 45[14]; 55; 56[5]
2464 55
bibl. 224; 225 55; 57[1]
Petrie I.
24 (2) 225[8]
Petrie II.
9 (1) 212[5]
21 (d) 225[8]
23 (4) 212; 212[6]
29 67[6]
Petrie II (contin.)
47 45[3]; 55; 59[2]; 64[3]; 66[6]; 67[6]; 67[7]; 225[7]
Petrie III.
20 Vo. 209[6]
26 212[5]
72 (a) 193[14]
104—106 67[6]
Petrop. demot.
sine no. 55
CPR I.
1 45[1]; 47[9]; 47[10]; 55; 192[12]; 193[1]; 210; 213[3]
4 55; 66[2]; 66[3]
9; 10 59[9]; 60[8]
11 45[6]; 47[13]; 55; 65[6]
17 216[6]
18 68[4]
24 206[6]
26 193[5]; 206[6]
27 45[11]; 46[8]; 47[7]; 48[5]; 55; 66[2]
29 45[6]; 47[8]; 55
140 45[6]; 55; 67[2]
155 58[8]; 60[8]
170 192[12]
175 187[6]; 213[3]
176 187[6]; 188[3]
177 188[2]
188 193[1]; 210[5]; 213[3]
196 201[9]
198 187[6]; 188[4]
206 188[4]
215 62[9]
223 57[6]
225 216[12]
228 190[2]
PR (extrav.)
sine no. α′ 44[8]
sine no. β′ = *SB* 5809
107 221[12]
144 = *SB* 5808
1428 Ro. 207[4]
1428 Vo. 207[9]; 216[12]
1436 43[3]; 56[4]; 199[4]; 200[12]; 201[9]; 201[10]; 202[3]; 202[5]; 207[15]; 208[8]; 215[12]
1444 207[4]
1489 199[3]; 199[4]; 201[9]

Digitized by Google

PR (contin.)
1523 43[1]; 200[12]; 201[9]; 204[12]; 218[4]; 218[8]; 219[5]
1528 = *SB* 5155
1530 59[9]
1576 64[3]
1577 42[1]; 45[6]; 47; 55; 59[2]; [66[2]; 66[3]
1603 201[9]
2032 211[6]
2082 57[1]; 57[2]
2304 62[9]; 201[3]; 201[8]; 202[9]
4213; 4222 212[6]
24858—25024 = *Stud. zur P. u. P.* XXII.

Reinach
passim 67[6]; 197[5]
8 65[6]
9 55; 66[6]
10 55
14 55; 65[2]; 66[2]; 66[3]
18; 19 220[6]
20 55
21 65[6]
22 46[10]; 48; 55; 66[2]; 66[3]; 66[4]
23 55; 66[2]; 66[3]
26 65[6]
29 55; 66[6]
30 55; 66[2]; 66[6]
31 65[6]
34 55; 66[2]
49 195[8]

Rein. demot.
1 46[9]; 55; 196[6]
3 55
4; 5 55; 196[6]
6; 7 55; 56[4]

Rev. laws (col.)
10; 12; 13 67[4]

Revillout
A. Mélanges
p. 205 not. 45[16]; 47; 48[5]; 55
B. Précis
p. 1007[1] = *Paris. dem.* bibl. 224/5
p. 1028[1] 55

Revue
A. Archéol.
XXIII p. 147 196[4]

B. Egyptol.
II p. 114 = *SB* 4511; *Par. dem.* [2433.
II p. 121 = *Revillout*, Mél. p. [205 not.
III suppl. (1) p. 7 55

C. Etud. grecq.
III p. 136, 138 = *SB* 5174; 5175
VII p. 301/04 = *SB* 4651—4656.

Rylands
88 221[12]
103 190[11]
107 43[2]; 43[7]; 188[6]; 202[4]
108 188[6]
118 187[1]; 187[3]; 199[8]; 200[15]; [201[8]; 202[11]
121 201[8]
147 221[9]
153 42[5]; 43[11]
155 45[8]; 55; 206[6]; 207[4]
159 192[12]; 193[8]
160 47[2]; 55; 65[4]; 196[6]
160 (a); 160 (b) 47[2]; 55; 66[2]; [196[6]
160 (c) I 47[15]; 55; 66[2]; 66[3]; 196[6]
160 (c) II 45[8]; 47[15]; 55; 66[2]; 66[3]
160 (d) I 47[15]; 55; 66[2]; 66[4]; 196[6]
160 (d) II 47[15]; 55; 65[2]; 65[6]; 66[2]; 66[3]; 66[4]; 66[5]
161 45[8]; 47[8]; 47[15]; 55
162 45[8]; 47[8]; 47[15]; 55; 192[10]; [213[3]; 213[9]
163 57[6]; 58[3]; 59[9]; 68[5]; 193[4]; [199[5]; 209[2]
164 57[6]; 68[5]; 193[4]; 199[5]; 204[5]; [209[2]; 212[6]
173 (a) 55; 65[2]; 65[6]; 66[2]; 66[3]
174 190[2]
179 42[1]; 45[8]; 55
310 I 196[6]
323 59[9]; 187[6] (188); 188[3]

Sammelbuch (SB).
2 = *Paris. dem.* bibl. 224; 225
3 = *Leid.* I 373
5 = *Précis* p. 1028[1].
1171 55; 57[1]

Digitized by Google

Sammelbuch (contin.)
2051 55
4297 55
4305 224[4]
4319 196[4]
4370 = *PR* 1444
4457 48[3]; 55
4458 46[11]; 47[8]; 48[5]; 55
4459; 4460 45[13]; 48[5]; 55
4461; 4462 48[5]; 55
4463 45[13]; 48[5]; 55
4464; 4465 45[13]; 48[5]; 55; 66[4]
4466—4468 45[13]; 48[5]; 55
4469 46[10]; 48[5]; 55
4470; 4471 55
4473 45[13]; 48[5]; 55
4475 46[12]; 55
4476 45[13]; 55
4477 45[15]; 55
4478; 4479 45[13]; 55
4480 55
4506 = *Buttmann*, 4.
4507 = *Taur. dem.* 23, 5
4508 45[7]; 46[7]; 48[5]; 55
4509 45[7]; 55
4510 45[7]; 48[5]; 55
4511 45[14]; 46[8]; 48; 55
4651 222[11]
4652 59[9]
4653 222[11]
4654—4656 59[9]
4669 61[4]
5108–5110 = Ryl. 160; 160 (d) I; 160 (d) II.
5112 = *Lond.* 210.
5117 56; 196[6]
5123 196[4]
5155 45[11]; 46[8]; 47[8]
5174; 5175 198[9]
5232 = *Wess. Spec.* (7) 8
5281 202[5]
5287; 5555—5558 196[4]
5559 196[4]; 198[7]
5560—5569 196[4]
5570 196[4]; 198[7]
5571—5588 196[4]
5589 196[4]; 198[14]
5590—5607 196[4]

Sammelbuch (contin.)
5608 196[4]; 198[14]
5609—5613 196[4]
5616 188[11]; 198[18]; 202[10]; 203[3]; [203[13]
5634; 5635 56
5676 211[9]; 212[1]; 213[4]; 214[4]
5679 59[10]
5692 224[5]
5693 211[9]
5710—5713 45[14]; 46[7]; 48[5]; 56
5763 59[11]
5808 190[2]; 198[19]; 200[12]; 201[9]; [204[6]
5809 200[12]; 201[9]; 204[5]
6016 = *Eitrem* 5
6303 (Grdw. inv. 171) 67[6]
6611 = *BGU* inv. 13993.
6784 209[6]
Soc. ital.
74 209[7]
198 60[8]; 207[4]; 220[7]
314 43[1]; 200[12]; 201[9]; 213[6]; [217[4]; 218[10]
320 209[1]
321 67[6]
399 67[6]
450 190[11]; 191[1]; 220[6]
472 211[6]
473 220[6]
704 223[1]
906 210[7]
Stud. zur P. u. P. XX.
14 = *PR* 2082
16 = *PR* 1577
26 = *PR* 1436
45 = *PR* 1530
50 = *PR* 2304
Stud. zur P. u. P. XXII.
22 56
25 201[9]
44 193[7]; 213[3]
45 56; 197[13]
48 206[5]
69 59[9]
70 224[5]
79 200[12]; 201[9]; 204[6]
80 220[7]

Digitized by Google

Stud. etc. XXII (contin.)
85 43[1]; 200[12]; 201[9]; 204[6]
86 43[1]

Taur.
1 II; 1 III 223[4]
1 IV 56[4]; 194[3]; 223[4]; 225[2]
4 197
13 57[4]

Taur. demot.
sine no. = *SB* 4510
23 [236] 45[5]; 56

Tebt.
passim 209[1]; 213[3]
5 209[1]
7 209[6]
14 195[2]
30 193[10]; 193[12]; 193[13]
31 193[12]; 193[13]
42 220[5]
76; 88 195[1]
104 45[2]; 46[8]; 48[5]; 56; 64[3]; 65[2]; 66[2]; 66[3]; 66[6]; 67[6]; [197[5]
105 45[2]; 46[8]; 48[5]; 56; 64; 64[3]; 65[2]; 66[2]; 66[3]; 66[6]; 67[6]; 67[7]; 197[10]
112 68[2]
166 57[6]; 220[6]
279 45[14]; 47[3]; 48[3]; 56
311 45[8]; 46[6]; 56
312 46[6]; 56
317 222[14]
318 42[5]; 206[3]; 207[10]; 211[7]; 213[4]; 215[5]; 217; 218[1]
319 223[1]
321 195[8]
323 43[2]; 43[8]; 43[12]; 188[6]; 204[3]; 206[4]; 207[6]; 207[13]
357 188[4]; 193[5]
382 67[6]; 193[10]
383 56; 65[6]; 66[2]; 66[3]
384 221[12]
386 62[10]; 67[6]; 196; 196[5]; [196[6]; 220[5]
388 45[8]; 56
389 188[4]; 211[6]
391 59[9]
Tebt. (contin.)
392 45[8]; 56
396 59[9]
397 42[1]; 45[11]; 46[8]; 47[7]; 48[10]; 48[11]; 56; 64[6], 187[1]; 200[15](201); 201[2]; 201[8]; [202[9]; 221[12]
445 56
472 188[6]; 204[3]; 207[6]; 216[3]; [216[12]
524; 527 56
571 45[13]; 56
596 56

Thead.
1; 2 = *Gizeh* 10870/71.

Vatic. demot.
sine no. 56

Wessely, Proleg.
p. 66 (= p. 5) = *Rev. archeol.* [XXIII p. 147.

Wess., Specim.
passim 47[1]
(5) 5 47[1]
(6) 6 46; 46[8]; 48; 62[10]
(7) 8 58[2]; 62[10]; 220[5]
(7) 9 191[10]
(8) 11 212[6]
(9 + 10) 15 + 16 47[1]
(11) 19 191[10]
(12) 27 67[8]; 196[1]
(13) 29 47[1]; 56; 63[2]; 65[4]; [65[6]; 220[5]
(14) 30 56; 63[2]; 65[4]; 65[6]

Wien. Kais.
26 45[5]; 56

V. Papyri Latini.

Amh.
sine no. 203[14]

Marini.
83 IV; 115 II; 116 206[4]

VI. Ius Romanum.

Digesta.
XXXIX 4, 7 pr. 206[6]

Digitized by Google

Digesta (contin.)	
XLVI 8, 21	222[14]
XLVIII 19, 9 § 4 et 6	59[11]
Codex	
IV 21, 17 pr.	197[11]
X 16, 2 et 3	206[6]
Nov.	
17 c. 8 § 1	212[7]
VII. Ius Graeco-Romanum.	
Bas. 29. 6. 16	212[6]

ADDENDA.

(ad vol. 54 p. 49—53) Interim accesserunt *χαράγματα* Graeca

I Contractuum demoticorum

p. Chr. 44: P. *Soc. ital.* 909, 13—26

II Contractuum Graecorum

p. Chr. 121: *BGU* 1664, 11/3 (*γραφείου*)

p. Chr. 100—200: *BGU* 1643, 24 (*γραφείου*)

(ad vol. 55 p. 221, 12) Atqui *BGU* 1589 est instrumentum non nomographicum sed nomographi privatum, quo cavet is colono suo, qui vectigal publicum *ὠνῆς* ipsi commendaverat, id se recte apud mensam, opinor, soluturum apochamque ei reportaturum (*διεγράψω καὶ ἐνεγκῶ τὸ σύμβολον = διαγράψω καὶ ἐποίσω*). Ἐνεγκῶ enim futurum est ut P. Fay. 64, 6—9: *διαγράψομεν .... καὶ ἐπενεγκοῦμέν σοι τὸ δημόσιον σύμβολον*. Itaque ne διΕγράψω quidem stare potest.

(ad vol. 55 p. 222, 1) Quod proxime inventum est nomographicum *χάραγμα* (P. *Soc. ital.* 909, 13—26) explicandum est ratione coniuncti officii *τοῦ ἐπὶ τοῦ γραφείου*.

Digitized by Google

VAE PEDITIBUS!

Ambulet: et subito mirantur funus amici.
Propertius.

Urbis per plateas quondam spatiabar amoenas,
Dum comes ex sociis unus et alter erat;
Gratum erat interea blandis sermonibus horas
Fallere et umbrosas ire subinde vias;
Nemo non etiam medio tutissimus ibat:
Omnibus innocuum quodque patebat iter;
Si quos incautos pedites auriga videbat,
Sollicita dociles arte tenebat equos;
Publicus in quovis non stabat tramite custos,
Dextra qui domina datque negatque viam.
Iam vero sonipes acer vix cernitur ullus
Nec nisi rara piger plaustra caballus agit.
Automati currus intentant undique mortem,
Visu terribiles monstriferique simul:
Cadillac, Rolls-Royce, Citroën, Buick, Hudson et Essex
Et quae praeterea barbara monstra furunt.
Impete pervolitant nunc oppida ruraque caeco,
Nulla rotatori semita sancta fero est.
Nullus iam pediti locus est per strata viarum:
Impia turba dehinc occupat omne solum.
Horrendum faciunt strepitum spirantque mephitin,
Haud semel et miseros duriter interimunt.

Digitized by Google

Credibili maiora putas me plangere, lector?
Quin age et experto postmodo crede viro!
Accidit ut casus nuper spectator adessem
(Horresco referens!) tristis et insoliti.
Ibam forte Via Lata, sicut meus est mos,
Cum crebro titubans est mihi visus homo.
Ille mero gravis est (mecum meditabar) amaro,
Quod natalis adest coniugiive dies.
Scilicet indulsit genio veterator amico,
At, credo, fuerant pocula mixta parum.
Protinus obstipui: subito nam passibus aegris
Traiecturus erat compita trita rotis.
Multorum ad monitum 'Cave Fiat!' mussitat ille
'Quid fiat caveam?' tum sine more ruit,
In sua fata ruit, nam magno turbine currus
Exitialis adest comminuitque virum!
Qui modo visus erat laetans Bacchoque beatus,
Illius, infandum! membra minuta iacent.
Quid quod et illa superveniens cito corripuit Ford:
Reda quidem vilis spolia digna tulit!

* * *

Undique iam, lector, funesta pericula surgunt;
Circumstant hominem fata sinistra nimis.
Inde ego quae moneo, memori sis mente reponas:
Parce exire foras! Atria tuta tene!
Una salus pediti, patrios servare penates:
Istic Mnemosyne gaudia larga feret.
Si quis forte neget fido parere monenti,
Ambulet et iam iam flebile fuhus erit!

P. H. D.

Digitized by Google

AD AMMIANUM MARCELLINUM
ADVERSARIA CRITICA.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Ammiani Marcellini Rerum Gestarum libri qui supersunt. Recensuit rhythmiceque distinxit C. U. Clark. Berolini MDCCCCX.

LIBER XIV.

1. 3. „Cuius socrus cum misceri sibi generum flagrans eius amore, non impetraret,... id adsecuta est, ut... occideretur."

Noli dubitare quin verba eius amore sciolo debeantur qui non intellexerit verbum flagrans cum accusativo cum infinitivo positum esse. Cf. Claudian. De consul. Stil. II 264: si vos adeo Stilichone curules augeri flagratis.

1. 10. „Quibus mox Caesar acrius efferatus... ad vertenda opposita, instar rapidi fluminis, inrevocabili impetu ferebatur."

Ita editores cum Bentleio recensent et Gardthausen conferri iubet XVI. 12. 46, ubi opposita similiter scriptum est. At loco nostro codices exhibent omnes supposita, quam scripturam non dubium relinquere arbitror quin Ammiano reddendum sit: sibi opposita.

2. 2. „Et incendente aviditate saevitiam, ne cedentium quidem ulli parcendo, obtruncatis omnibus merces opimas vel utiles nullis repugnantibus avertebant".

Inepte editur cedentium e variis codicum scripturis cendentium et cadentium. Corrige sodes: se dedentium.

Digitized by Google

2. 9. „et cum superatis difficultatibus arduis, ad supercilia venissent fluvii Melanis, alti et verticosi,... augente nocte adulta terrorem, quievere paulisper, lucem opperientes".

In hac vulgata lectione constituenda editores nimis neglexerunt scripturam in mss. traditam, quae est: adultate prorem quae quievere, unde codd. alii temporeque vel teporeque.

Revocanda est lectio torporem. Cf. Verg. Aen. XII. 867: illi membra novus solvit formidine torpor, Lucan. III. 432: inplicitas magno Caesar torpore cohortes ut vidit.

2. 11. „unde temptatis ad discrimen ultimum artibus militum, cum nibil impetraretur,... venere prope oppidum Laranda.

In codd. omnibus exaratum est: multum, pro quo vocabulo Clarkius militum recensuit secutus Bentleii vestigia, qui partibus militum coniecit. Corrigendum esse credo: multimodis sublata nimirum virgula. Cf. XXIV. 2. 13: adversus oppidanos ab arce multimoda tela fundentes.

4. 3. „sed errant semper *per* spatia longe lateque distenta, sine lare sine sedibus fixis aut legibus".

Praepositio per, in codice ms. nullo reperta, in Gelenii editione primum addita et postea ab editoribus omnibus recepta est.

At tamen traditam lectionem bene se habere aio. Verbum errandi pro pererrandi positum est, ut ap. Stat. Ach. II. 142: ardentesque errare casas. De hoc verborum usu vid. Brinkgreve in Achilleidos ed. (Roterodami 1913) ad I vs. 87.

ibid. „nec idem perferunt diutius caelum, aut tractus unius sol illis umquam placet".

In codice uno est solis et editores vetustiores soli recensent. Probabilius existimo Ammianum scripsisse „tractus unius solum". Vocabulum tractus frequens apud eum est pro regione, cf. XV. 8. 1: ab Achaico tractu, XIX. 8. 9: in eo tractu e. a. Ceterum cf. XVII. 1. 11: in Alamannorum solo, XVII. 8. 3: in Romano solo.

5. 6. „Inter quos Paulus eminebat notarius, ortus in Hispania coluber quidam sub vultu latens, odorandi vias periculorum occultas perquam sagax".

Digitized by Google

Ammiano reddendum puto: „sub vultu latens ⟨humano⟩". Haud inepte conferas XV. 7. 4: veluti serpentium vultus.

6. 8: „Qui interrogatus quam ob rem inter multos... statuam non haberet, Malo, inquit, e. q. s.

In libris mss. post multos lacuna trium litterarum est, quam varie explere voluerunt viri docti: Bentleius se inferiores, Traubius solus, Novakius et Petschenigius ipse, Brakmannus unus excidisse suspicati.

Tam spatium relictum quam loci sententia requirere mihi videtur: „quam ob rem inter multos ⟨suam⟩ statuam non haberet".

6. 18. „Quod cum ita sit, paucae domus studiorum seriis cultibus antea celebratae, nunc ludibriis ignaviae torpentis exundant".

Immo, opinor, „⟨hau⟩ paucae domus".

7. 3. „Erat autem diritatis eius hoc quoque indicium... quod... in circo sex vel septem aliquotiens deditus certaminibus, pugilum vicissim se concidentium,... laetabatur".

Lectio deditus Petschenigii coniectura est pro scriptura tradita vetitus; Bentleius iuitis vel repetitis, Cornelissen editis maluerat. Praetulerim: intentus. Ceterum cursus flagitare videtur ut virgula non post certaminibus, sed post pugilum ponatur.

10. 1. „Haec dum oriens diu perferret, caeli reserato tepore, Constantius... Valentiam petit".

Pro diu suspicor legendum esse: dira.

10. 16. „Mox dicta finierat, multitudo omnis ad quae imperator voluit, promptior, laudato consilio, consensit in pacem".

Lindenbrogius scripsit Mox⟨ut⟩, equidem emendandum esse censeo: Vix d. f.

11. 20. „Iamque non umbratis fallaciis res agebatur, sed qua palatium est extra muros, armatis omne circumdedit".

Aegre desideratur accuratior subiecti significatio, qua de causa nomen Barbatio aut ante armatis aut post hoc verbum propter litterarum similitudinem excidisse credo.

Digitized by Google

Liber XV.

2. 7. „Indeque ad Iulianum recens perductum, calumniarum vertitur machina".

Mommsen loci, quo Iulianus est perductus, nomen deesse perspiciens Mediolanum post perductum addidit. At multo probabilius id post Iulianum reponitur: nimirum causa omissionis rursus fuit similis vocabulorum exitus.

2. 10. „Perductus est isdem diebus et Gorgonius".

Huic enuntiato cursum deesse Clarkius cruce appicta notavit, sed etiam deest loci significatio, quo Gorgonius perductus sit. Utramque difficultatem iam sublatam videbis, si mecum restitueris: „Perductus est isdem diebus eo G."

4. 1. „Digestis diu consiliis, id visum est honestum et utile, ut eo cum militis parte Arbetio magister equitum cum validiore exercitus manu, relegens margines lacus Brigantiae pergeret, protinus barbaris congressurus".

Post verba cum militis parte Schneidero indicante lacunae signum posuit Clarkius. Nescio an restituendum sit: „⟨ipse⟩ cum validiore exercitus manu" e. q. s.

5. 18. „Per admissionum magistrum — qui mos est honoratior — accito eodem, ingresso consistorium offertur purpura multo quam antea placidius".

Ante voc. consistorium revocandum videtur nomen Constantio.

6. 3. „Causam enim probabilem ponebat in medio... quod die quinto antequam infulas susciperet principatus, donatum stipendio militem Constanti nomine adlocutus est, fortis esset et fidus".

Deleatur illud est, ut postulat Latinitatis ratio!

8. 9. „Dicere super his plura conantem, interpellans contio lenius prohibebat, arbitrium summi numinis id esse non mentis humanae, velut praescia venturi proclamans".

Pro lenius Mommsen ⟨vio⟩len⟨t⟩ius voluit, verum emendandum puto: lenociniis.

Digitized by Google

8. 15. „Omnes horrendo fragore scuta genibus inlidentes, (quod est prosperitatis indicium plenum: nam contra cum hastis clipei feriuntur, irae documentum est et doloris,) inmane quo quantoque gaudio praeter paucos Augusti probavere iudicium".

Verba quod est... doloris ne verum quidem scioli alicuius esse additamentum clare et evidenter ostendit XX. 5. 8: „miles... hastis feriendo clipeos sonitu adsurgens ingenti, uno prope modum ore dictis favebat et coeptis", nec non XXI. 5. 9.

10. 2. „Quas rex Cottius... in amicitiam Octaviani receptus principis, molibus magnis exstruxit".

Vocabulum principis esse insiticium cursus turbatus comprobat.

10. 4. „Est enim e Galliis venientibus prona humilitate devexum, pendentium saxorum altrinsecus visu terribile, praesertim verno tempore, cum" e. q. s.

Restituas quaeso cursum planum legendo mecum „verno tepore", cl. Catull. 46: Iam ver egelidos refert tepores. Similiter scribae errarunt XIX. 13. 1, ubi in cod. V „verno tempore" — in codd. BG „verno tepore" exaratum est, et XIV. 10. 10: caeli reserato tepore (V) — tempore BG.

Cursum tardum revocare possis scribendo: verni temperie, cl. XVIII. 4. 1: „pervadere cuncta prima verni temperie cogitabat", ubi rursus in cod. V „temporis" legitur.

11. 14. „Viennensis civitatum exultat decore multarum, quibus potiores sunt Vienna ipsa et Arelate et Valentia".

Immo „⟨e⟩quibus".

11. 17. „Unde [Rhodanus] sine iactura rerum per Sapaudiam fertur et Sequanos".

Olim scriptum fuisse puto „sine iactura virium", quae coniectura propter litterarum similitudinem probabilior videtur quam Cornelisseni, quae est „sine iactura aquarum".

12. 1. „Celsioris staturae et candidi paene Galli sunt omnes et rutili, luminumque torvitate terribiles... nec... eorum quem-

Digitized by Google

quam adhibita uxore rixantem, multo se fortiore et glauca, peregrinorum ferre poterit globus".

E Vaticani scriptura multos Heraeus multo se reposuit, quem Clarkius secutus est: ceteri libri multo praebent. Cornelissen suspicatus est: vultu torviore et glauca".

Equidem maluerim: „multo se ferociore".

Liber XVI.

5. 12. „Aditus a parentibus virginis raptae, eum qui violarat convictum relegari decrevit. hisque indigna pati querentibus, quod non sit morte multatus, responderat hactenus: 'incusent iura clementiam, sed imperatorem mitissimi animi legibus praestare ceteris decet'."

Pro ceteris Gardthausen ex coniectura Kellerbaueri severis edidit, Clarkius vero traditam lectionem retinuit. Corrigendum credo tetricis, cuius significatio eadem est atque adiectivi severus, scriptura vero lectioni, quam praebent codices, aliquanto similior.

7. 8. „ex omni latere autem ita peritum, neque legisse me neque audisse confiteor, aetatis nostrae testimonio locupleti confisus".

Adiectivum peritum hoc loco, ubi de homine malefico sermo est, importunum esse alii perspexerunt, qua de causa Gardthausen perfectum edidit, Kellerbauer politum coniecit. Restitue ueram lectionem paratum, cl. Cic. Catil. 3. 17: Hunc ego hominem tam acrem, tam audacem, tam paratum, tam callidum e. q. s. Ad Fam. X. 8. 6: ab omni re sumus paratiores.

9. 3. „Tamsaporem ducem parti nostrae contiguum, occultis per ignotos milites temptavere conloquiis.

Nonne: per ignobiles milites? Cf. C. 10. 3: „alium hostilia castra per semet ipsum cum militibus infimis explorasse" et XVII. 5. 12: „cum duce tuo per quosdam ignobiles... sermones conseruit de pace".

10. 19. „Nam et pridem in Galliis, cum marem genuisset infantem, hoc perdidit dolo, quod obstetrix corrupta mercede,

Digitized by Google

mox natum praesecto plus quam convenerat umbilico, necavit".

Immo vero: modo natum.

11. 8. „Alii occupatis insulis sparsis crebro per flumen Rhenum, ferum ululantes et lugubre, conviciis Romanos incessebant et Caesarem".

Clarkius e Schneideri coniectura ferum inseruit et cruce nomini Rhenum appicta cursum deesse significavit. Heraeus ut cursum restitueret pro vocabulo Rhenum scribi iussit ferum. Equidem hrenum (ita in codice vetustissimo exaratum est) ex adverbio ad ululantes pertinente mendose ortum esse Heraeo credo, quandoquidem Ammianus modo fluminis nomen aperuit in sententiae initio: barbari qui domicilia fixere cis Rhenum; non vero ferum id fuisse opinor, sed torvum. Cf. C. 27 § 12: iamque torvum concrepantibus tubis, § 45: torvumque canentibus classicis.

12. 3. „Cuius adseveratione eadem subinde replicantis, ad maiora stimulati fiducia, missis legatis, satis pro imperio Caesari mandaverunt, ut terris abscederet virtute sibi quaesitis et ferro".

Non cum Gunthero et Mommsenio post fiducia addendum est aucta, sed corrigendum stimulata. Verba 'ad maiora stimulata fiducia' ablativum absolutum efficiunt, ut sequentia 'missis legatis'. Cf. § 5 infra: „ad cuius roborandam fiduciam".

12. 18. „Perge, felicissime omnium Caesar, quo te fortuna prosperior ducit: tandem per te virtutem et consilia militare sentimus".

Ammiano reddendum existimo: maritari.

12. 30. „Advenit, o socii, iustum pugnandi iam tempus, olim exoptatum mihi vobiscum, quod antehac arcessentes, arma inquietis motibus poscebatis".

Clarkius pro inquietis iniuria Kellerbaueri coniecturam inrequietis recepisse videtur. Cf. XVII. 1. 13: „nihil inquietum acturos". Ceterum moneo, Cornelissenum iure monuisse, pro arma emendandum esse armorum, cl. § 13:

Digitized by Google

„ardorem pugnandi hastis inlidendo scuta monstrantes, in hostem se duci iam conspicuum exorabant".

12. 33. „Quaeso, inquit, ne hostes vertendos in fugam, sequentes avidius, futurae victoriae gloriam violetis".

Loci sententia flagitat nimirum „ne hostes vertendo in fugam". Similiter gerundio pro participio Ammianus usus est et alibi et XVII. 1. 8: stetit dux diu cunctando, 12. 3: per spatia discurrunt amplissima, sequentes alios vel ipsi terga vertentes, insidendo velocibus equis et morigeris, XVIII. 8. 11: civitatem petebam anhelo cursu rependo, XXI. 15. 1: ingressus itaque Antiochiam festinando Constantius.

12. 51. „Per diversos tramites tota celeritate digredi festinabant, ut e mediis saevientis pelagi fluctibus, quocumque avexerit ventus, eici nautici properant et vectores".

In Vaticano deici scriptum est, quod e vera lectione devii corruptum esse mihi quidem est persuasissimum. Cf. Hor. Od. I. 17. 6: deviae olentis uxores mariti, III. 25. 12: mihi devio ripas et vacuum nemus mirari libet.

Ammianus verbum properandi similiter posuit infra § 58: celeritate rapida properabat ad castra.

12. 52. „Miles, cum interdum flexis ensibus feriendi non suppeterent instrumenta, erepta ipsis barbaris tela eorum vitalibus inmergebat, nec quisquam vulnerantium sanguine iram explevit, nec satiavit caede multiplici dexteram".

Auctore Hauptio editor voc. erepta inseruit. Propter ultimas vocabuli praecedentis litteras nescio an potius ademta excidisse putandum sit. Pro vulnerantium quin sit legendum vulneratorum nullus dubito.

12. 56. „Unde id observatum est, ut marginibus insistentes confoderent telorum varietate Germanos, quorum siquem morti velocitas subtraxisset, iacti corporis pondere ad ima fluminis subsidebat".

Pro iacti inepte edito requiro acti sc. undis vel intacti sc. telis.

12. 58. „Rex Chnodomarius reperta copia discedendi, lapsus

Digitized by Google

per funerum strues, cum satellitibus paucis, celeritate rapida properabat ad castra".

Pro lapsus geminato di scribe „dilapsus per funerum strues".

Liber XVII.

1. 2. „Petiturus ipse Mogontiacum, ut ponte conpacto transgressus, in suis requireret barbaros, cum nullum reliquisset in nostris, rafragante vetabatur exercitu".

Ante requireret scriptum fuisse credo regionibus, ut paulo inferius § 3 est „ni eorum regionibus excessissent".

In eis quae proxime sequuntur: „Moxque ad locum praedictum est ventum, flumine pontibus constratis transmisso, occupavere terras hostiles" ante flumine excidisse videtur et vel ubi, nisi cum codd. A G legendum est: „Moxque ut ad locum".

3. 5. „Nihilo minus tamen, diu postea indictionale augmentum oblatum sibi nec recitare nec subnotare perpessus, humi proiecit".

Restitue veram lectionem: idem postea.

4. 6. „Quos (obeliscos sc.) antiqui reges bello domitis gentibus, aut prosperitatibus summarum rerum elati, montium venis vel apud extremos orbis incolas perscrutatis excisos, et erectos diis superis in religione dicarunt".

Immo potius: „prosperitatibus suarum rerum".

4. 11. „(Aegyptii) per speciem apis mella conficientis, indicant regem, moderatori cum iucunditate aculeos quoque innasci debere his signis ostendentes".

Hac lectione, quam Clarkius e codd. E G recepit, perit cursus. In Vat. est his signibus. Hauptius coniecit signi⟨s solemni⟩bus. Maluerim insignitius. Ammianus comparativo gradu similiter usus est XXII. 15. 12: „Delta, a triquetrae litterae forma hoc vocabulo signatius appellata", XVII. 4. 14: „(obeliscus) tractus lenius". Cf. etiam Gell. I. 15. 19: „insigniter hoc genus... blaterones dixerunt".

Ceterum cursus velox coniectura mea revocatur.

Digitized by Google

4. 14. „Tandemque (obeliscus) sero inpositus navi, per maria fluentaque Thybridis, velut paventis, ne quod paene ignotus miserat Nilus, ipse parum sub emeatus sui discrimine, moenibus alumnis inferret, defertur in vicum Alexandri".

Sic Clarkius recensuit cum cod. G emeatus, quod vocabulum alibi nusquam invenitur: Vat. sub emeatu exhibet.

Scribe quaeso „ne... ipse parum sublato meatu, sui discrimine e. q. s.", et cf. XXII. 15. 12: „(Nilus) diebus centum sublatius fluens, minuitur postea".

5. 11. „Suades integro corpori adimere membra quaedam, ut salus eius deinceps locetur in solido, quod † infundendum est potius quam ulla consensione firmandum".

Pro hac scriptura corrupta alii alia proposuerunt. Nescio an scripserit Ammianus: infindendum. Cf. Val. Fl. I. 687: infinditque salum.

8. 1. „At Caesar... Alamannos praevenire studio maturabat ingenti, nondum in unum coactos, sed *ad* insaniam post Argentoratum audaces omnes et saevos".

Non cum Novakio ad neque cum Lindenbrogio in addendum esse arbitror, sed emendandum: „sed insaniam post Argentoratensem audaces omnes et saevos". Cf. C. 1. 1: post Argentoratensem pugnam.

10. 7. „Oravit ipse quoque veniam, facturum se imperanda iurandi exsecratione... restituere universos promisit".

In Vat. lacuna nulla est. Locum, quem alii aliter emendare conati sunt, medela leviore sic restituere velim: „iurandi exsecratione ⟨ni⟩ restitueret universos".

12. 9. „Dictoque die statuendis condicionibus... modo Zizais quoque etiam tum regalis, ardui corporis iuvenis, ordines Sarmatarum more certaminis instruxit ad preces".

Lacunam indicavit Eyssenhardtius, cuius vestigium nullum est in codicibus. Lindenbrogius modo delevit, Heraeus ⟨pari⟩ modo — Novakius ⟨quoquo⟩ modo scribere voluit. Equidem modo ante voc. regalis traicere maluerim: Zizais enim eo tempore modo regalis erat, nondum provectus erat

Digitized by Google

ad dignitatem, quam mox adeptus est. Cf. § 20 infra: „ut restitutio libertatis haberet dignitatis augmentum, Zizaim regem isdem praefecit, conspicuae fortunae tum insignibus aptum profecto".

12. 11. „Qui licet elati gaudio salutis indultae condicionum sarcina conpensare inimice facta pollicebantur, seque cum facultatibus et liberis et coniugibus terrarumque suarum ambitu Romanae potentiae libenter offerrent".

Haec intellego si pro offerrent legitur infinitivus offerre: nempe pollicebantur inimice facta conpensare et se suosque tamquam obsides libenter offerre, ut § 15: „Sarmatae iussi... offerre obsides".

12. 19. „Ad Victohalos discretos longius confugerunt, obsequi defensoribus, (ut in malis) optabile, quam servire mancipiis arbitrati".

Lectio Vaticani, quae est servitute mancipiis, ita explicanda videtur ut olim scriptum fuerit: servire suismet mancipiis.

12. 20. „Atque ut restitutio libertatis haberet dignitatis augmentum, Zizaim regem isdem praefecit, conspicuae fortunae tum insignibus aptum profecto (ut res docuit) et fidelem".

Voc. tum Heraeus deleri, Mommsen in suae mutari iussit. Scribendum videtur iam cl. § 9 supra.

Liber XVIII.

1. 3. „Et licet multa sunt eius laudanda in huius modi controversiis, unum tamen sufficiet poni, ad cuius similitudinem acta vel dicta sunt".

Coniecerunt: acta ⟨alia⟩ vel Wakefield, Madvig, alia (pro acta vel) Bentleius, ⟨alia⟩ acta vel Mommsen, sunt ⟨cetera⟩ Novák.

Praestare mihi quidem videtur: „⟨cuncta⟩ acta vel dicta sunt"; voc. cuncta, quod vocabulo unum iuste opponitur, propter litterarum similitudinem ante acta facile per haplographiam omitti potuit.

Digitized by Google

Continuo haec sequuntur § 4:

„Numerium Narbonensis paulo ante rectorem, accusatum ut furem, inusitato censorio vigore, pro tribunali palam admissis volentibus audiebat".

Immo „usitato censorio vigore".

2. 5. „Post haec inpetrata, restabat adigente necessitatum articulo, receptarum urbium moenia reparari, nullo etiamtum interturbante; idque claris indiciis apparet, ea tempestate utilitati publicae metu barbaros oboedisse, rectoris amore Romanos".

In Vat. est: inturbante et que. Corrige: indeque. Cf. XV. 10. 11: indeque exorsus, 11. 17: exindeque.

Altero etiam mendo locum laborare existimo. Ante publicae enim revocandum est rei: ita rei publicae metu et rectoris amore idonee inter se opponuntur. Cf. XVIII. 5. 6 et 6. 6, XX. 5. 3 et 6; 9, 7.

2. 15. „Postque saepimenta fragilium penatium inflammata, et obtruncatam hominum multitudinem, visosque cadentes multos aliosque supplicantes,... castra sunt posita".

Corrige cedentes.

2. 19. „Sed cum ipsi quoque missis legatis... ita supplicarent tamquam ipsi haec deliquissent in nostros, pacem condicionum similitudine meruerunt".

Pro ipsi Mommsen ⟨non⟩ ipsi scribendum censuit. Malim inscii.

3. 5. „Hisque punitis, quaestiones longe serpebant, vexatique multi nocentes sunt et innocentes".

Cursum tardum restitue scribendo innocentissimi.

4. 3. „Hac autem adsentandi nimia foeditate, mercari conplures nitebantur Eusebi favorem, cubiculi tunc praepositi, apud quem (si vere dici debeat) multa Constantius potuit".

Inepte legitur potuit, tamquam si imperator multum gratia valuisset apud cubicularium suum! Corrigas quaeso posuit.

6. 2. „Detinebant paene publicum defensorem, memores quod

Digitized by Google

relictus ad sui tutelam, cum inerti et umbratili milite, nihil amiserat per decennium, simul metuentes saluti, quod" e. q. s.
Scribe „⟨suae⟩ simul metuentes saluti".

6. 12. „Cum ego rapido ictu transirem".
Lectionem a Bentlei coni. actu defendit locus in C. 8 § 12: „mixti cum Persis eodem ictu procurrentibus ad superiora nobiscum".

6. 16. „Post haec adiectis quae agi in parte diversa norat, occiditur".
Et loci sententia et cursus pro norat postulare videtur: notaverat.

7. 7. „Sabinianus... lectissimus moderator belli internecivi, per Edessena sepulchra... more vitae remissioris fluxius agens, militari pyrrice... delectabatur".
Coniecit Mommsen laetissimus, Petschenig abiectissimus; malim levissimus.

8. 5. „(Antoninus) sublata tiara, quam capiti summo ferebat honoris insigne, desiluit equo".
Immo, hercle, summi.

8. 13. „Tandemque per posticam ingressus, refertam inveni, confluente ex finitimis virile et muliebre secus".
Vir cl. Cornelissen, quem optime de Ammiano meritum esse editio Clarkiana multis locis testatur, ad hunc locum iure monuit, in priore sententiae parte intercidisse „civitatem", quo carere nullo modo possumus. Vocabulum reponendum videtur post posticam, ubi facile a librario omitti potuit.

10. 3. „Cumque rex percontando cuiusnam coniux esset, Craugasii conperisset, vim in se metuentem, prope venire permisit intrepidam, et visam opertamque ad usque labra ipsa atro velamine... benignius confirmavit".
Inepte legitur visam, pro quo Novakius ⟨con⟩fisam coniecit. Equidem vix dubito quin vera lectio sit ⟨in⟩visam. Cf. Cic. Harusp. 27: „sacra maribus non invisa solum sed etiam inaudita".

Digitized by Google

Liber XIX.

1. 5. „Portis obequitabat comitante cohorte regali, qui dum se prope confidentius inserit, ut etiam vultus eius possit aperte cognosci,... corruisset, ni... evasisset".

Immo, opinor, „dum se prop⟨ugnaculis⟩ confidentius inserit". Vocabulum et alibi apud nostrum legitur et C. 5 § 6 infra, XXI. 12. 9 et 18. Cf. Ov. A. A. 1. 605: insere te turbae, Val. Max. VI. 2. 1 (ext.):

1. 6. „Et orantibus potissimis ducibus, ne profusus in iram a gloriosis descisceret coeptis, leni summatum petitione placatus, postridie quoque super deditione moneri decreverat defensores".

Est haec lectio librorum recentiorum, quae fere ab editoribus nunc recipitur, cum olim recensuerint lenissima eorum et lenissima cum. Codex Vat. exhibet lenis sumatum et vocabulum quod mox sequitur etiam male distinctum habet post tridie. Quandoquidem autem rex, precibus ducum suorum obsecutus, modo ad tempus incepto destitit et postridie rursus defensores ad deditionem adigere conatur, nescio an e Vaticani scriptura sit reponendum: „plenissima tum petitione placatus". Cf. Ov. Met. X. 290: Tum vero Paphius plenissima concipit heros verba.

2. 9. „Perniciose cadebant, aut laniati volvendo stantes proxime subvertebant, aut certe spicula membris infixa viventes adhuc vellendi peritos quaeritabant".

Pro viventes, quod ridicule nunc editur, Madvig vehentes coniecit. Propter id adhuc malim vementes, quod in prosa quoque oratione pro vehementes usitatum fuisse Lachm. ad Lucret. p. 133 observavit.

2. 15. „Cum quidam graviter saucii, cruore exhausto, spiritus reluctantes efflarent, alii confossi mucronibus, prostrati curam, animis in ventum solutis, proiciebantur extincti".

Pro inepta lectione, quam Clarkius cruce significavit — alii aliter emendare sunt conati, scribendum esse censeo: prostratique coram.

Digitized by Google

3. 1. „Dum apud Amidam hac partium destinatione pugnatur, Ursicinus... Sabinianum... crebro monebat".

Scribendum est obstinatione cl. loco qui supra est (C. 2 § 10): „obstinatione utrimque magna decernebatur". Cf. etiam XX. 7. 6 et 10, XXI. 3. 3, 12. 4.

5. 5 i. f. „Moxque acies omnes densae petebant multo infestius quam antea civitatem".

In Vaticano tensae legitur, quod corruptum esse puto ex ⟨ex⟩tensae cl. XXI. 15. 2: „contra occiduum latus extensum".

7. 5. „Tamen quia hostiles ballistae ferratis inpositae turribus... nostra multo cruore foedabant,... noctis spatium maius consumptum est".

Mommsen nostros coniecit: mihi videtur post nostra excidisse vocabulum quale est opera vel munimenta.

8. 7. „Fugaci equo nudo et infreni calonum quidam sedens (ne labi possit) ex more habenam qua ductabatur, sinistra manu artius inligati, moxque decussus, vinculi nodum abrumpere nequiens, per avia saltusque membratim discerptus, iumentum exhaustum cursu pondere cadaveris detinebat".

Inter cursu et pondere desidero sui.

8. 8. „Et quia per aestum arida siti reptantes, aquam diu quaeritando, profundum paene vidimus puteum, et neque descendendi prae altitudine, nec restium aderat copia, necessitate docente postrema, indumenta lintea quibus *lectulus* tegebatur, in oblongos discidimus pannulos".

Pro paene editores cum Lindenbrogio antea bene scribere solebant. Nescio an scripserit Ammianus ⟨re⟩pente. Cf. C. 11 § 10: vexillo elato repente barbarico.

Ceterum non assequor quid Clarkio persuadere potuerit ut id lectulus Ammiano obtruderet. De nullo lectulo usquam sermo fuit, sed sunt indumenta illa lintea nimirum quae cadaveri calonis ademit, ut verba necessitate docente postrema satis superque ostendunt. Subiectum igitur verbi tegebatur intellegendum est calo mortuus, non equus, quem nudum fuisse scriptor supra affirmavit.

Digitized by Google

9. 5. „Quibus contentus, expeditus viator... docet Craugasium gesta".

Pro contentus emendandum esse opinor conventis. Cf. Liv. XXX. 43. 7: quibus conventis cum rursus peterent e. q. s.

Ineptam lectionem viri docti varie temptarunt, Cornelissen contextis, Mommsen obtentis, Löfst. intentus coniciendo.

10. 2. „Tumultuanti acriter populo, sed accidentia considerare sueto prudenter, obiecit parvulos filios".

Nemo mihi umquam persuadebit, auctorem non scripsisse: „nec accidentia considerare sueto prudenter".

11. 9. „Quae Limigantes licet properari sentirent, nihil tamen praeter preces fingentes, stabant incurvi, longe alia quam quae gestu praeferebant et verbis, altis mentibus perpensantes".

Voc. praeter inseruit Valesius et Clarkius recepit. In Vat. est „nihil tamen praeces fingentes", quod emendandum esse puto: „nihil tamen praescisse fingentes". Verbum et alibi legitur et XX. 6, 9, XXI. 1. 8, XXII. 1. 1. Addo Cornelissenum coniecisse: „humiles tamen preces", Mommsenum: „⟨nisi⟩ preces".

12. 18. „Ut imitandus sit Tullius, cum parcere vel laedere potuisset, ut ipse adfirmat, ignoscendi quaerens causas, non puniendi occasiones, quod iudicis lenti et considerati est proprium".

Scribam per haplographiam errasse existimo et reponendum esse digerens, ut cursus postulat.

Liber XX.

5. 2. „Cumque interquievisset paululum,... alacres omnes visos et lactos, quasi lituis verbis... simplicibus incendebat".

Cursum, qui deest, restitues scribendo paulisper. Cf. § 22 supra: „viso tamen otio summo, quieti stetere paulisper armati".

6. 3. „Circumvaditur civitas a quibusdam vehentibus scalas, aliis componentibus machinas, plerisque obiectu vinearum plu-

Digitized by Google

teorumque tectis, iter ad fundamenta parietum quaerentibus subvertenda".

Praepositionem a, quae post civitas est, expungendam censeo.

7. 10. „Quamquam... arietes aegre promovebantur, manualium saxorum sagittarumque metu arcente, nec ballistae tamen cessavere nec scorpiones,... qualique simul ardentes pice et bitumine inliti".

Sententia requirit „qualique simul ⟨arcebant⟩ ardentes".

8. 1. „Constantius, metuens expeditiones Parthicas, hiemem apud Constantinopolim agens, inpensiore cura limitem instruebat eoum omni apparatu bellorum".

Clamante cursu Novakius vocc. metuens expeditiones traiecit. An forte scriptum fuit: expeditiones ad partes eoas? Cf. § 8: „ad partis orbis eoi postremas venire", XXI. 13. 1: „mox partes petiturus arctoas".

8. 15. „Tirones ad peregrina et longinqua Galli mittere,... nec sponte sua poterunt nec coacti".

Ut cursum efficeret, Clarkius ⟨trans⟩mittere coniecit. Malim equidem: ⟨di⟩mittere.

9. 5. „In locum Florentii praefectum praetorio, Nebridium tum quaestorem eiusdem Caesaris promoverat".

Deest cursus, qui revocabitur si scripseris: promovebat.

11. 5. „Cuius (sc. Amidae) cum prope venisset moenia favillis oppleta, conlustrans, flebat cum gemitu, reputans qualis miseranda civitas pertulerat clades".

Ita Clarkius distinxit ut cursum restitueret: moenia f. oppl., cum antea editores virgulam post moenia collocare solerent.

At conlustrans sic nude et sine obiecto positum vehementer displicet, qua de causa revocanda videtur vetus et genuina lectio: „Quam cum prope venisset, moenia favillis oppleta conlustrans, flebat cum gemitu".

Adverbii prope eadem est constructio XV. 4. 9 i. i, XXI. 7. 6.

Digitized by Google

11. 8. „Densis itaque ordinibus, cum tubarum incitamentis, latera oppidi cuncta adortus alacrius miles, legionibus in testudines varias conglobatis, paulatim tuto progrediens, subruere moenia conabatur, et quia telorum omne genus in subeuntes effundebatur, nexu clipeorum soluto discessum est, in receptum canentibus signis".

Adverbium paulisper, quod XX. 5. 2 pro paulatim cursus reponere nos iubet, hic quoque pro eodem vocabulo substituendum videtur neque dubito quin pro „et quia" corrigendum sit: „sed quia".

11. 17. „Moxque ex aggeribus quos erexerunt Romani, idem Persae propugnaculis insistentes, sagittis incessebantur, et fundis telisque igniferis, quae per tegumenta turrium volitantia, paratis qui restinguerent, plerumque inrita labebantur".

In Vaticano scriptura verborum litteris laxioribus expressorum dubia et obscura est neque sanam interpretationem locus qualis vulgo editur admittere videtur.

Rerum status ac cursus hic fuit.

Persae, propugnaculis insistentes, oppidum defendebant et a Romanis dum sagittis ac fundis incessebantur, ipsi opera Romanorum et turres ligneas igniferis telis incendere conabantur. Hoc tamen ad irritum cecidit, quoniam milites Romani parati erant ad tela illa, per tegumenta turrium volitantia, restinguenda. De simili Persarum incepto in paragrapho proxime antecedenti sermo fuit: „faces sitellasque ferreas onustas ignibus in arietes magnis viribus iaciebant". Quae cum ita sint, locum sic constituendum esse aio: „Moxque ex aggeribus quos erexerunt Romani, idem Persae propugnaculis insistentes, sagittis incessebantur et fundis, tela cum ignifera per tegumenta turrium volitantia, paratis qui restinguerent, plerumque inrita labebantur".

11. 24. „Ut vero certaminibus finem vespera dedit incedens, partesque discesserunt ad otium breve,... imperator... ibi statuit immorari".

In Vaticano legitur incendens. Restituatur quaeso incertis.

Digitized by Google

11. 26. „Halitus terrae calidiores et umoris spiramina conglobata in nubes, exindeque disiecta in aspergines parvas, ac radiorum fusione splendida facta, supinantur volubiliter contra ipsum igneum orbem, irimque conformant".

Pro fusione corrige ⟨in⟩fusione, cl. § 29 infra: „Arbitrantur alii tunc iridis formam rebus apparere mundanis, cum altius delatae nubi crassae radii solis infusi, lucem iniecerint liquidam".

(Continuabuntur).

Digitized by Google

ΑΔΙΚΙΑ.

SCRIPSIT

B. A. VAN GRONINGEN.

Vocis usitatissimae, quae est *ἀδικία*, in Thesauro Stephaniano lexicisque omnibus, quae quidem mihi praesto fuerunt, unus datur sensus „*iniuriae*" cum similibus. Qui manifesto rectissime se habet. Attamen si quis, cogitans illud *δίκη* non solum „*ius*" verum etiam „*litem*" valere, coniciat sensum quoque „*litium absentiae*", „*iudiciorum intermissorum*" illi vocabulo tribui posse atque ei, si casus factus sit, revera attributum esse, pauci me iudice obloqui audeant. Strenue enim favet tali coniecturae adiectivum *ἄδικος*, quod, sicuti plerumque „*iniusti*", ita semel bisve alteram notionem sibi subiectam habet „*eius, quod litibus iudiciisque careat*". Iam primum Archippi comici fragmentum (46 Kock) servatum est in Bekkeri Anecdotis (p. 343): *Ἄδικος· ὁ μὴ ἔχων δίκην διὰ τὸ μὴ δικάζεσθαί τινι. Ἄρχιππος· ἀμαθὴς σόφος, δίκαιος ἄδικος. Καὶ τὸ ἀμαθὴς δὲ ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ μηδὲν Φύσει εἰδώς.* Ubi recte adnotavit Kockius: „Non omnia recte grammaticus. Laudatur homo, qui quamquam sophisticas artes non didicerit, sapiens sit, et iustus, *quod nullam egerit causam*". Tum Athenaeus (III p. 98 *b*) inter alia exempla quaesiti sermonis, cui indulgebat Pompeianus, *ἄνθρωπος οὐκ ἀπάνουργος, ὀνοματοθήρας δὲ καὶ αὐτός*, etiam hoc narrat: *Τῆς δὲ τῶν Παναθηναίων ἑορτῆς ἐπιτελουμένης, δι' ἣς καὶ τὰ δικαστήρια οὐ συνάγεται, ἔφη· γενέθλιός ἐστι τῆς ἀλέκτορος Ἀθηνᾶς καὶ ἄδικος ἡ τῆτες ἡμέρα.* Quod etiam bono Eustathio (ad Odyss. Δ p. 1479, 21) notum erat, qui suo stilo scribit: *Ἄδικος ἡ τῆτες ἡμέρα· γριφώδεισ δὲ λέξεισ αὗται, δριμύτητος ἰδέαν ὑποκοριζόμεναι· διὸ οὔτε τὸ ἀλέκτωρ Ἀθηνᾶ τέτριπ-*

Digitized by Google

τχι, οὔτε τὸ ἄδικος ἡμέρα, καθ' ἣν οὐ κροτεῖται δίκη. Deinde Lucianus Lexiphani suo nondum ab amicis sanato inter plura obsoleta haec tribuit (Lex. 9): Ἐγὼ δὲ, ἦ δ' ὃς ὁ Μεγαλώνυμός (ὁ δικοδίφης scilicet) περὶ ἄλλα εἶχον· ἦν μὲν γὰρ ἄδικος ἡ ἡμέρα, ὡς ἴστε, καὶ ἄλογος, sensu obvio, quem Pollux quoque, etsi vituperabat, tamen noverat (VIII 25): Εἴποις δ' ἂν καὶ φιλοδικόν τινα, καὶ ἔνδικον οὐ μόνον ἄνδρα ἀλλὰ καὶ ἡμέραν, ἐν ᾗ δικάζουσιν· τὸ γὰρ ἄδικον εἰπεῖν ἐν ᾗ οὐ δικάζουσι, βιαιότερον.

Adiectivo igitur, quod est ἄδικος, sive de die, sive de homine dicto, certe inerat ea vis, minus communis minusque grammaticis accepta, sed tamen vera. Substantivo autem ἀδικίας, ni fallor, uno loco congruens subicitur significatio; in Pseudo-Aristotelis Oeconomicorum libro II° volo paragraphum 15am (p. 1348 *b* 9—16), in qua de Aristotele quodam ignoto, qui dicitur Φωκαίας ἄρχων, legimus [1]): Τοῖς τε πολίταις κατιδὼν οὔσας δίκας πολλάς, καὶ μεγάλας ἐκ πολλοῦ χρόνου ἀδικίας τούτοις διὰ πολέμου, δικαστήριον καθίσας προεῖπεν, ὅσοι ἂν μὴ δικάσωνται χρόνῳ ὃν ἔθηκε, μηκέτι εἶναι ὑπὲρ τῶν προτέρων ἐγκλημάτων κρίσεις. Τότε δὴ παραβόλιον πολλῶν δικῶν καὶ τὰς ἐκκλήτους μετ' ἐπιτιμίων ἐφ' αὑτὸν ποιούμενος καὶ παρ' ἑκατέρων ἀργύριον δι' ἑτέρων λαμβάνων, συνήγαγεν οὐκ ὀλίγα χρήματα.

Libens confiteor me in hac narratiuncula non omnia intellegere; sed ea ad rem, quam nunc tracto, non pertinent [2]). Summa rei aperta est: Aristotelem illum fisco suo consulere, cum cives cogat ut multas causas nondum iudicatas ante certam diem ad quaestionem referant, appellationumque arbitrium ad se reiciat itaque sumptus litium multasque exigat. Nostra

---

1) Textum do qualem constituit Susemihlius in editione critica Teubneriana anni 1887.

2) In ultima paragrapho δι' ἑτέρων mihi obscurum hucusque remansit. Quod autem pertinet ad ea quae praecedant, commentatores mihi non persuaserunt fieri posse ut παραβόλιον et τὰς ἐκκλήτους (δίκας scil.) ab uno eodemque verbo (sive λαμβάνων sive ποιούμενος) pendere posse. Potius defendam hoc cum ποιούμενος, illud cum λαμβάνων coniungendum esse; qua autem ratione copula καί perperam posita videtur et textus mutandus; itaque suspicor, verum pro certo defendere non ausim, ita transponendum esse: τότε δή, [καὶ] τὰς ἐκκλήτους μετ' ἐπιτιμίων ἐφ' αὑτὸν ποιούμενος, παραβόλιον πολλῶν δικῶν καὶ παρ' ἑκατέρων ἀργύριον δι' ἑτέρων λαμβάνων, συνήγαγεν οὐκ ὀλίγα χρήματα.

Digitized by Google

nunc solum id refert, quid significet illud: καὶ μεγάλας ἐκ πολλοῦ χρόνου ἀδικίας τούτοις [1]) διὰ πολέμου.

Communis nostri vocabuli significatio [2]) minus convenit. Cum enim iam dictum est multas causas litesque adhuc integras esse, quarum pleraeque sine dubio iniuriis debeantur, supervacaneum est addere iniurias et scelera facta esse. Praeterea sententia, quae est καὶ ἀδικίας οὔσας τοῖς πολίταις, illa vi Graece non dicitur; quid enim significet ἔστι μοι ἀδικία? Utrum scelus a me esse commissum, an forte mihi illatum? Neutrum, si quid video. In bello deinde sicut inter hostes saeva et iniusta fiunt, ita inter cives minus, potiusque expectaremus διὰ στάσεων vel simile quid. Postremo quid refert memorare tales „iniurias" factas esse iam diu? Quid multa? Alteram illam vim vocabulo si tribuas, sanum id videatur. Aristoteles ille videbat suis civibus multas integras esse controversias et propter bellum iam diu iudicia esse intermissa. Eaque fuit causa, quae eum ut novam quaestionem institueret, coegerit.

Animadvertis sane me unum verbum adhuc neglexisse, nempe μεγάλας. Quod etsi voci ἀδικίας etiam nunc addi potest, tamen malim cum Goettlingio conicere [3]): δικὰς πολλὰς καὶ μεγάλας, ⟨καὶ⟩ ἐκ πολλοῦ χρόνου ἀδικίας κτλ. Aristotelis enim intererat non solum quod multae, sed etiam quod magnae erant controversiae litigantibusque graves.

---

1) Fortasse τούτοις cum Scaligero delendum.

2) Omnes versiones et commentarii mihi noti eam usurpant.

3) Coniecturam in textum non recepit Susemihlius, sed eam probabilem esse duxit.

Digitized by Google

INSCRIPTIO DEDICATORIA AEGYPTIACA.

EDIDIT

B. A. VAN GRONINGEN.

In civitate Aegypti, cui nomen Coptus, inter alios inventus est titulus Graece scriptus. Ut verius loquar, inventa sunt eius tituli fragmenta quattuor. Primum ex iis invenit vir clarissimus W. M. FLINDERS PETRIE ediditque imaginem eius in opere, cui inscribitur *Koptos* [1]). Id nunc servatur in Universitate, quae floret Londini, ibique lectum est a viro docto SEYMOUR DE RICCI [2]). Cetera tria reperta a docto Francogallo A. J. REINACH, cum primo illo recte ab eodem coniuncta sunt. Nunc autem in Museo rerum Graecarum Romanarumque, quod Alexandriae est, exstant. Totam tamen inscriptionem non edidit Reinachius; quae in opere suo [3]) de ea profert, haec sunt: „...il s'agit d'une dédicace au *Protecteur de la ville*, *Zeus*, *Soleil*, *très grand Sarapis*, *l'ami de César*: Τὸν πολ[ιέα Δία Ἥλ]ιον Μέγαν | Σαράπ[ιν τὸν Φιλ]οκαίσαρα. L'auteur, Μ(ᾶρκος) Αἴλιος Αὐ[ρήλιος.... Δι]ονύσιος paraît avoir rendu des services à la ville comme bouleute, puis comme hypogymnasiarque. Enfin la dédicace est datée par un Οὐαλέριος..., préfet d'Egypte, qui, étant donnée la paléographie de l'inscription, semble avoir été Valerius Datus (216—7)". Haud plura docent E. BRECCIA [4]) et F. PREISIGKE [5]).

1) Tab. XXVIII im. 12.

2) Vide *Archiv für Papyrusforschung*, II (1903) p. 563 n. 106.

3) *Rapport sur les fouilles de Coptos*, Paris. 1910.

4) *Inscrizioni Greche e Latine* (Catalogue Général des Antiq. Egypt. du musée d'Alexandrie) 1911, p. 273.

5) *Sammelbuch Griech. Urkunden aus Aegypten* n. 5074.

Digitized by Google

Ipse autem, cum intercedentibus Evaristo BRECCIA et Ernesto A. GARDNER, qui viri docti summa cum laude praesunt alter museo Alexandrino, alter museo Universitatis Londiniensis [1]), ectypis usus sim, textum absolutiorem dare possum. Quem cum haud sine pretio esse putem, nunc edo, paucis observationibus additis. Scriptus erat titulus in columna marmorea; latus erat fere cm. 62 margine omissa; quam longus autem fuerit, id non iam patet, quia fragmentum imum fortasse non protinus cum medio, nec medium cum summis iungendum est, sed certe non minus 98 cm. Singulae litterae 4,5 cm. longae, per versus quindecim (vel plures) ordine quodam, sed non *στοιχηδόν* incisae, minio insignitae erant, cuius vestigia passim remanserunt.

Fragmenta haec exhibent:

A) Fragmentum summum, a laeva observantis:

ΤΟΝΠΟΛ.[
CΑΡΑΠ[
Μ·ΑΙΛ·ΑΤ[
ΚΑΙΩ[
ΒΟ.[
.[

B) Summum a dextra spectantis. Nunc huius fragmenti pars sinistra deest neque iam leguntur litterae quae sunt ΙΟΝΜ et ΛΟΚΑΙ. Deficiente spatio in tertio versu exeunte litteras *νυσιοσ* coartavit artifex. Versus autem quarti litterae teste quoque viro docto de Ricci, qui ipsum lapidem inspexit, errore incisae postea sublatae sunt.

]ΙΟΝΜΕΓΑΝ
]ΛΟΚΑΙCΑΡΑ
]ΟΝΤCΙΟC
].ΚΟΠ
]ΤΗC

C) Prioribus inferius mediumque totius tituli:

...]ΤΤΠΟΓΤΜΝ [...]ΑΡΧΙΑΝ
ΓΕΝΟΜΕΝΟCΕ.[.....].ΗC
ΤΗC Ζ̣ ΟΛΤΜ̣[.....]ΗΚΑ

1) Etiam hoc loco iis gratias agere mihi liceat.

Digitized by Google

ЄṬỌṬ . T̃ AT [. . . . .] C
. . . .] Ọ [
. .] . . [
Ç Є[

D) In ima parte situm:

] . . [
] . Ṭ . [. . . .] ΑΛЄΡΙΟΤ[
]ΤΑΙΓΤΠΤΟΤ *vacat* [

Haec voluisse sibi lapicida videtur:

Τὸν πολι[έα Δία Ἥλ]ιον μέγαν
Σαράπ[ιν τὸν Φιλ]οκαίσαρα
Μ(ᾶρκος) Αἴλ(ιος) Αὐ[ρήλιος . . . . . Δι]ονύσιος
καὶ ὡ[σ χρηματίζει }τῆ]σ Κοπ{
βου[λευτὴς . . . . .] ΤΗC
. [. . . . . , ἀναδεξάμενος ὑπὲρ τοῦ]
[θεο]ῦ ὑπογυμν[ασι]αρχίαν,
γενόμενος ἐλ[λανοδί]κης
τῆς (ἐβδόμης) Ὀλυμ[πιάδος, ἀνέθ]ηκα.
Ἔτους (τρίτου) Αὐ[τοκράτορος Καίσαρο]ς
Μάρκ]ο[υ Αὐρηλίου Σεουήρου]
Ἀλ]ε̣ξ̣[άνδρου Εὐσεβοῦς Εὐτυχοῦς]
Σε[βαστοῦ . . . . .] . . [. . . . .]
[. . . .] Ṭ [. . . Οὐ]αλερίου [. . . . .]
[ἐπάρχο]υ Αἰγύπτου.

Singulis versibus huius textus haec adnotare velim.

1) Eidem Sarapidi, Copti praesidi, alia dedicatio facta est eodem saeculo tertio (*Sammelbuch* 1555): Διῒ Ἡλίῳ μεγάλῳ | Σαράπιδι καὶ τοῖς συννάοις | θεοῖς αὐτὸν τὸν Πολιέα Σάραπιν | Μ. Αὐρ. Ὡριγένης ὁ καὶ Ποτάμων || καὶ ὡσ χρημ(ατίζει) δικαδεξάμενος τὴν | αὐτοῦ τοῦ ἁγιωτάτου Σαράπιδος | γυμνασιαρχίαν κτλ.

2) Sicut Severi imperatores dicebantur Φιλοσαράπιδες, e. g. Caracalla in titulo Alexandriae reperto [1]), ita deus, ut aequum erat, appellatione designabatur τοῦ Φιλοκαίσαρος, quod appositum quoque regum [2]) et magistratuum [3]) erat, conferendumque est cum Φιλορωμαῖος et Φιλοσέβαστος.

1) S. de Ricci, *Archiv f. Pap.* II p. 449 n. 83.
2) Ditt. O. G. I. 379, 16 etc. 3) Ibid. 583, 5.

Digitized by Google

Post hunc versum similis relicta est margo atque ea, quae totum titulum circumit; quo fit ut dei appellationes a ceteris separatae sint.

3) Inter Αὐρήλιος et Διονύσιος quattuor litterarum spatium designat Reinachius; immo desiderantur septem vel octo. Libens conicerem Αὐ[ρήλιος Ὧρος ὁ καὶ Δι]ονύσιος, si illud Αὐρήλιος certe perscriptum neque fortasse per compendium notatum esset.

4) Et verbum χρηματίζει fortasse nonnullis omissis incisum erat. In fine huius versus sine dubio lapicida errore voluit τῆς Κόπτου sive Κοπτιτῶν πόλεως, praecedente magistratus titulo quodam; quae littera ante syllaba κοπ ex parte servata est, ea fortasse ε [1]) erat, sed, ni fallor, etiam σ esse potest.

5) Βουλευτής iam voluit Reinachius. Nescio an postea supplenda sit alterius honoris designatio et tum τῆς | π[όλεως, quod vestigio primae sexti versus litterae convenire videtur.

6) Ea supplevi collata inscriptione Coptitica, quam supra laudavi. Quod hic participium ἀναδεξάμενος posui, id est quia non γυμνασίαρχος verum ὑπογυμνασίαρχος dicitur auctor. Ceterum cf. quae ante tres annos de hac re scripserim [2]).

8) De ludis in ipsa Elidis Olympia habitis sermonem non esse patet. Sed principibus Romae regnantibus aliis quoque locis Olympia celebrabantur, neque deerat nobilis opulentaque Alexandria, caput Aegypti. De hac civitate praeter ceteras hic cogitandum esse nemo negabit. Eoque magis cogitandum, quod titulus iam diu notus (I. G. XIV 1102) de isdem Alexandrinis Olympiis quaedam nos docet. Graviora ex illo textu perscribo: M. Αὐρηλίου Δημητρίου, ἀρχιερέως τοῦ σύμπαντος ξυστοῦ..... παγκρατιαστοῦ περιοδονείκου παλαιστοῦ παραδόξου υἱὸς Μᾶρκος Αὐρήλιος Ἀσκληπιάδης ὁ καὶ Ἑρμόδωρος ὁ πρεσβύτατος τῶν νεωκόρων etc. etc. ὅσους ποτὲ ἀγῶνας ἀπεγραψάμην πάντας νεικήσας.... ἀθλήσας τὰ πάντα ἔτη ξξ (usque ad 182 vel 183 p. C. n.), παυσάμενος τῆς ἀθλήσεως ἐτῶν ὧν κε'... καὶ μετὰ τὸ παύσασθαι μετὰ πλείονα χρόνον ἀνανκασθεὶς ἐν τῇ πατρίδι Ἀλεξανδρείᾳ καὶ νεικήσας

1) Loco in secunda huius dissertationis nota designato hanc litteram posuit de Ricci.

2) *Le gymnasiarque* etc. p. 33 cum nota *a*. Certum nunc est vocem ὑπογυμνασιαρχίας hic legi.

Digitized by Google

Ὀλύμπια πανκράτιον Ὀλυμπιάδι ἕκτῃ. Iis, quae Dittenbergerus, illius XIV[i] voluminis editor, auctore Wachsmuthio ad ea exposuit, nil habeo quod addam. Ratiocinatur enim, haud levibus argumentis nisus, quae apud ipsum legas, a Marco Aurelio ludos institutos esse anno maxime 176 p. C. n. Itaque septima Olympias, quam dat textus noster, annum vult 200 p. C. n. Omnibus illis ulterioris aetatis Olympiis antiqua illa iure exemplo fuerunt. Unde, litterarum vestigiis fretus, confidenter supplevi ἐλ[λανοδί]κης.

10) Restat tempus dedicationis. Utique post annum 200 quaerendus annus ille tertius. Caracallae autem tribui non potest, quippe qui, cum post Severum imperatorem solus regnaret, annos patris sui regni sibi annumeret. Heliogabali titulis neque spatia neque vestigia convenire videntur. At Severi Alexandri optime, nam quae in lapide adhuc obvia sunt in versu 12, ea strenue admonent litterarum ε ξ. Eundem nominum ordinem exempli gratia legas in papyro *Rylands* 297, in papyro alia *Catalogi Papyrorum Raineri* (Series Graeca I 26), etiam *Sammelbuch* 4370 et multis aliis locis. Itaque anno p. C. n. 223—4 haec inscriptio tribuenda est. Post illud Σεβαστοῦ desideratur fortasse τοῦ κυρίου, tum mensis et dies et deinde, nescio quo maxime loco, ἐπί cum nomine praefecti qui Aegyptum moderabatur. De Valerio Dato non iam cum Reinachio cogitandum est, cum teste Dione Cassio (78, 15) post mortem Caracallae τὸν μὲν γὰρ Μαμερτιανὸν τόν τε Δάτον... διεχρήσατο (ὁ Μακρῖνος scilicet)[1]). Alius autem convenienti tempore hucusque non invenitur, quod sciam, Valerius, qui praefectus Aegypti fuerit. Addendus igitur hic novus horum praesidum seriei, utique post M. Aedinium Iulianum[2]).

1) Cf. Cantarelli, *La serie dei prefetti* p. 109, n. 73.
2) Ibid. p. 112, n. 74.

Vide addendum in pagina proxima.

Digitized by Google

Addendum ad Inscriptionem dedicatoriam Aegyptiacam.

Sero vidi textum papyraceum (C. P. H. 121 = Stud. Pal. XX 69) exstare, quo declarat Horionem tibicinem coronam suae artis reportavisse Alexandrinus quidam, qui dicitur ἀρχελληνοδίκης. Itaque in nostra inscriptione malim legatis formam, quae est ἑλληνοδίκης, quam eam, quae per α doricum scribitur. Dubium vix est, quin illic iterum de isdem Olympicis ludis Alexandriae habitis agatur. Est ἱερὸς οἰκουμενικὸς εἰσελαστικὸς Ὀλυμπικὸς ἀγών, si recte suppleo papyri versum sextum [1]). Cum autem huius corporis papyri omnes fere annis p. C. n. 265—268 adsignandae sint, vicesimae tertiae Alexandrinae Olympiadis victorem fuisse Horionem apparet, anno p. C. n. 264, supplendumque vs. 18: (ἔτους) ιβ′.

1) Quae editor Vindobonensis scripsit, minus videntur esse probabilia.

Digitized by Google

APPENDIX.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Commentariolus meus, qui inscribitur Commodianea, iam typis impressus erat, cum in manus venit opus doctum ac laboriosum c. t. Beiträge zur Geschichte der Christlich-Lateinischen Poesie [1]) conscriptum a Weymanno, qui in primo capite investigat, quo saeculo poeta Instructionum et Carminis Apologetici floruerit. Ibi legens Brewero contigisse ut Rauscheno suam probaret rationem, vehementer motus sum. At Weyman ipse non solum contrariam suam opinionem non mutavit, verum etiam impugnat Breweri de Commodiano tractatus, qui post a. 1906 prodierunt: illo autem anno in lucem emissus est liber notissimus Kommodian von Gaza. Quae tamen adversarius ille, vir eruditissimus idemque optime de litteris praesertim Christianis meritus exposuit, mihi non persuaserunt, quamquam et mihi complura Breweri argumenta parum probabilia videntur. Itaque nullam habeo causam, cur non tuear a me disputata Mnemos. LV (1926) p. 121—140. Imprimis quae Weyman de Instr. II 13, 8—9 (de refugis) disserit magnopere infirmantur, cum ille falso textu a Dombartio recepto nitatur:

isti ergo tales, quos nulla poena coegit,
si *cedere nolunt* ab idolis, respui debent.

Mihi videor auctori sua reddidisse scribendo

si *cluere volunt* ab idolis respui debent.

Neque magis probari possunt ea quae leguntur apud Weymannum p. 10: Nur im Hinblick auf S. 45 Anm. 3, wo der

1) Max Hueber Verlag München 1926.

Digitized by Google

Dichter Rutilius Namatianus als Zeuge für den Einflusz der heidnischen Senatsfraktion am Anfang des fünften Jahrhunderts fungieren musz, möchte ich daran erinnern, dasz nach den Ausführungen von H. Schenkl im Rhein. Mus. LXVI (1911) S. 393 ff. aus dem Gedicht „De reditu suo" nicht erwiesen werden kann, dasz Claudius Rutilius Namatianus ein erklärter Anhänger und offener Bekenner des heidnischen Glaubens gewesen sei u. s. w.

Possum legentes relegare ad egregium Pichonii librum [1]), ubi p. 266—269 de eadem re auctor cum Vesseravio disceptat, sed praestat alia via ingressum me dicere quae sentio.

Rutilius, qui vs. 47 dea Roma invocata sic pergit:

49 exaudi genetrix hominum genetrixque deorum;
67 auctores generis Venerem Martemque fatemur;
79 te dea, te celebrat Romanus ubique recessus,

semper imbutus est religione patrum.

In eodem panegyrico celebrat magnificentiam Romae aedificiorum et addit:

96 ipsos crediderim sic habitare deos.

Neque hic traditos deos poeta abolevit. Rutilius Ostiae commorans ludis circensibus et scenicis quasi interesse sibi videtur, canit enim

201 saepius attonitae resonant Circensibus aures;
nuntiat accensus plena theatra favor;

verumenimvero ii, qui revera Christiani erant, eiusmodi horrebant oblectamenta. Iam vero attendamus, quae Rutilius dicit de monachis insulam Capraria habitantibus:

440 squalet lucifugis insula plena viris;

Idem iratus simulque irridens rogat:

445 quaenam perversi rabies tam stulta cerebri,
dum mala formides, nec bona posse pati?

Paulo autem infra de iuvene nobili, qui saeculo valedixit vates indignatus cum alia tum haec scribit:

1) Les derniers écrivains profanes. Cf. p. 268 (Rutilius ne veut rien comprendre au christianisme et qualifie de fous ceux, qui le pratiquent au pied de la lettre).

Schenkelii rationem reiecerunt Schanz-Hosius-Krüger R. L. G. IV § 1022 p. 38 ann. 5. Cf. etiam Helm, Phil. Woch. 42 (1922) col. 589.

Digitized by Google

525 non, rogo, deterior Circeis secta venenis?
tunc mutabantur corpora, nunc animi.

Contra ea ille non sine reverentia de libris Sibyllinis a Stilichone (Christiano) combustis mentionem facit:

II 55 at Stilicho aeterni fatalia pignora regni
et plenas voluit praecipitare colos.

Nonne hi tot versus manifesto declarant Rutilium habendum esse in numero eorum virorum, qui sicut Symmachi atque Nicomachi ineunte saeculo quinto et ipsi patrio cultu utebantur et publice privatimque antiquam religionem defendebant? Optimo iure Pichon affirmat l. l. p. 268 Rutilius nous apparaît absolument fidèle au passé. Quocirca Brewer ad testem locupletissimum provocavit. [1])

In eadem pagina (10) Weyman incipit disputare de quaestione quadam dogmatica, quam me oportet silentio praeterire, tantum liceat pauca dici de uno versu ibi allato (ex Instr. de infantibus):

II 10, 1 duellum hostis subito venit inundans.

Hic versus tredecim syllabas [2]) continet, sed rhythmus claudicat, cum post caesuram penthemimeren (*hostis*) aceentus grammaticus (*súbito*) et ictus metricus (*subíto*) non concinant. Dombart igitur tentavit:

duellum hostis subito ⟨*ubi*⟩ venit inundans;

equidem scribendum censeo:

duellum hostis subito ⟨*ob*⟩venit inundans.

Nuper Lommatzsch nos donavit parte tertia Carminum Latin. Epigraph. De titulo 2121. multi viri docti iam scripserunt, de eius metro imprimis Lenchantin De Gubernatis [3]) non omnia mea quidem sententia recte. Nam hoc carmen nonnullas utique proprietates „versus Commodianei" habet. Incipiamus a versu

4 *nunc infelici tundit* Cerberus auriculas.

In priore huius pentametri hemistichio quantitas prorsus neglegitur, itaque omnes ibi syllabae more, ut ita dicam,

1) Cf. quae exposui Mnemos. L (1922) p. 166.

2) Eiusmodi versus viginti quinque fere in Commodiani carminibus inveniuntur, cf. Scheifler Quaestiones Commodianeae (Diss. Vratisl. 1908) p. 27.

3) Bollettino di Filol. class. 32 (1925—1926) p. 38—43.

Digitized by Google

Commodianeo *ἰσόχρονοι* sunt. Idem possis dicere de primo pede versus

12 *me iam tot* ad cinerem cornua rauca vocant,

quamquam mihi persuasum est *iam* [1]) pronuntiatum esse *ia*: etiam in Commodiani versibus in fine vocum littera *m* non raro neglegebatur, velut I 16, 9..... *Furina(m)*, *Caelestem*. Solet autem hic poeta in thesi pedis quinti vitare syllabas, quae positione longae sunt.

Ceterum et littera *s* ter in titulo nostro neglegenda est, nempe vs. 6 finibu(s) Tartariis;

7 decoratu(s) quievit:

9 decoratu(s) marite.

Hac in re quoque titulus et Commodiani carmina congruunt.

Secundi quoque versus omnes syllabae *ἰσόχρονοι* sunt habendae:

cur me privasti *Iulio Fausto*? [2])

Hac demum ratione alterum hemistichium *Iulio Fausto* aeque quadrat in pentametrum atque prius.

Eodem denique modo structum est prius hemistichium versus 8 *nunc me Cerberus* ducit in exitium,

ubi secundus pes *Cerbe* idem valet atque primus *nunc me*.

Maxime memorabile est in hoc carmine epigraphico initium conspici quantitatis neglectae, quam prorsus abolitam videmus in poesi Commodianea et in Carm. epigr. 186, de quo egi Mnemos. LV (1927) p. 140 sqq. Titulus igitur noster diu ante Commodianum videtur compositus esse pertinetque fortasse ad medium fere saeculum.

---

1) Haud scio an non recte Lundström (cf. Eran. XXII (1926) p. 96) suspectet huius tituli vers. 9, at ingeniose vers. 3 in integrum restituit p. 95.

2) Leuchantin de Gubernatis l.l. p. 39 vers. 2 duabus syllabis breviorem putat idem contendit vs. 4 abundare vocem *tundit*.

Digitized by Google

DE IOVE LATIARI.

SCRIPSIT

H. I. ROSE.

Falsum esse quod tradunt nonnulli fidei Christianae defensores, solere Romanos hominem Ioui Latiari mactare, non est quod post Geffckenium [1]) Wissowam [2]) alios moneam. hoc tantum mihi in hoc opusculo proposui, ut si potuero exquiram unde fluxerit falsa illa opinio non in Christianorum tantum scripta sed in Porphyrii libros qui *de abstinentia* inscribuntur. neque enim credo eos scriptores, quamquam incorruptam illam rerum gestarum fidem minoris faciebant quam facere debebant, ita omni pudore caruisse ut talia sine aliqua specie ueritatis fingerent, et posse me arbitror ostendere, si non a quo auctore ea acceperint atque deformauerint, at tamen a quali auctore.

Atque omnium primum censura quaedam locorum agenda est in quibus eius rei mentio fit. quid enim attinet Prudentium et Paulum Nolanum citare, qui ambo post uetitum deorum cultum floruere? quid ad rem quae Athanasius narrat, antiquis temporibus (*πάλαι*) moris fuisse ut humanis sacrificiis Iouem Latiarem colerent? quin ne illum quidem, quisquis fuit, audiendum censeo qui Cypriani nomen ementitus nonnulla de spectaculis ampullatur. is enim unum et alterum Tertulliani uerbum hoc modo amplificat: *cruor etiam de iugulo calidus exceptus spumanti patera, dum adhuc feruet, et quasi sitienti idolo in faciem iactatus crudelitur propinatur.* [3]) quanto modestius Ter-

1) *Hermes* XI, I, p. 224: *Neue Jahrb.* XV, p. 642, n. 7.

2) *Rel. u. Kult. d. Rom.*[2], p. 124, n. 8.

3) Pseudo-Cypr. *de spect.* 5; ceteros locos uel apud Roeperum (*lucubr. pontif.* p. 38) uel apud Marquardtium (*Staatsverwaltung* III, p. 297, n. 4) quaeras.

Digitized by Google

tullianus [1]), qui haec tantum: *quem... humano sanguine proluunt.* quippe legerat homo ineptus apud ludi magistrum Vergilianum illud, *pleno se proluit auro*, idque significare didicerat, bibisse Bitiam; legerat Tertulliani uerba, et, cum sacrificium uetere ritu factum nusquam adspexisset, finxerat moris fuisse ut uictimae sanguis simulacro dei porrigeretur quem biberet. nos autem testes locupletores tandem aliquando citemus.

Omnium ergo primus uocandus est Tatianus, ut par est, qui aetate ceteros praecedit. nugas, inquies, agis, nonne enim Iustinus ille Martyr paucis certe est annis uetustior? antiquiorem fuisse concedo, hanc rem tetigisse praefracte nego. haec enim sunt quae ab eius Apologia (II, 12) laudantur: si uera essent, inquit, crimina quae in Christianos obiciuntur, fateremur multa quidem nos et infanda facere, sed religionis causa, *φάσκοντες Κρόνου μὲν μυστήρια τελεῖν ἐν τῷ ἀνδροφονεῖν καὶ ἐν τῷ αἵματος ἐμπίπλασθαι, ὡς λέγεται, τὰ ἴσα τῷ παρ' ὑμῖν τιμωμένῳ εἰδώλῳ, ᾧ οὐ μόνον ἀλόγων ζῴων αἵματα προσραίνετε, ἀλλὰ καὶ ἀνθρωπείων, διὰ τοῦ παρ' ὑμῖν ἐπισημοτάτου καὶ εὐγενεστάτου ἀνδρὸς τὴν πρόχυσιν τοῦ τῶν φονευθέντων αἵματος ποιούμενοι, Διὸς δὲ καὶ τῶν ἄλλων θεῶν μιμηταὶ γενόμενοι ἐν τῷ ἀνδροβατεῖν καὶ γυναιξὶν ἀδεῶς μίγνυσθαι κτε.* Opponuntur inter se Iouis sacra et Saturni; haec a uerbis *Κρόνου μὲν* incipiunt, illa ab illis demum *Διὸς δὲ* initium ducere manifesto, me quidem iudice, apparet. nam quamuis neque ingenio neque arte multum ualere bonum Iustinum censeam, tamen non adeo artis oratoriae ignarum, adeo a grammatica auersum statuerim, ut antitheta particulis *μὲν.... καὶ* potius quam *μὲν.... δὲ* signaret. si ista uera essent, inquit, diceremus Saturni mysteria apud nos fieri dum hominem occisum deuoramus; quid culpare in hac re possetis ethnici, qui tali sacrificio Saturnum uestrum placatis? diceremus nos per illicitos puerorum et feminarum amores Iouem ac ceteros deos imitari, quos negare non potestis talibus rebus gaudere. in errorem interpretes, ut opinor, hoc induxit quod ait per uirum nobilissimum humanum id sacrificium fieri, quae uerba illi ad consulem rettulerint, quem feriis Latinis praefuisse nemo nescit. Concedo consulem clarissimum

1) *Apolog.* 9

Digitized by Google

et εὐγενέστατον potuisse dici; sed certe alia quoque sacra uirorum nobilissimorum ope fiebant. legerat, ni fallor, Iustinus olim Pelasgis imperatum a Ioue Dodonaeo fuisse [1]) ut patri, nempe Saturno, φῶτα mitterent, eamque ob rem cum agro Romano potiti essent, hominem mactasse; legerat, inquit, hactenus, sed Herculem eis persuasisse ut ceris, non homine Saturnum placarent, eumque morem inde conseruatum fuisse aut non legerat aut oblitus erat. Quid quod uir doctissimus A. D. Nock amicissime nos monet, potuisse Iustini menti obuersata esse Consualia? nam his scilicet consul aliusue qui cum imperio erat praeerat, et non solum circenses tunc missus fuisse sed etiam munus gladiatorium testis est Cyrillus *contra Iulianum* IV p. 128 D, Migne LXXVI, 698, unde hoc etiam discimus, eundem nonnullis uisum esse Consum ac Saturnum: ἄμιλλαι μονομαχίας ἐτελειοῦντο παρὰ Ῥωμαίοις κατὰ καιρούς· κέκρυπτο δέ τις ὑπὸ γῆν Κρόνος, λίθοις τετρημένοις ὑποκεχηνώς, ἵνα τῷ τοῦ πεσόντος καταμιαίνοιτο λύθρῳ, ubi subterraneam illam aram consi innui manifestum est.

Testium igitur agminis dux est et signifer Tatianus Assyrius; de cuius ingenio et doctrina cum plane eadem sentiam ac Geffckenius [2]), leuem scilicet hominem fuisse, semidoctum, Graecorum cultui et humanitati infestissimum, ueritatis parum curiosum, hoc tantum addo, aliquot eum poetarum carmina et legisse et interdum laudare. haec ergo is habet quae de Ioue Latiari dicat: εὑρὼν δὲ παρὰ μὲν Ῥωμαίοις τὸν Λατιάριον Δία λύθροις ἀνθρώπων καὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ἀνδροκτασιῶν αἵμασι τερπόμενον, Ἄρτεμιν δὲ οὐ μακρὰν τῆς μεγάλης πόλεως τῶν αὐτῶν πράξεων ἐπανῃρημένην τὸ εἶδος (*c. Graecos* 29).

Ad hunc locum si quis bene animum attenderit, intelleget nihil de sacrificio dici: cruore humano et homicidio dicit Iouem Latiarem non minus quam Dianam Aricinam delectari. hanc igitur cum non uictimis humanis gauisam esse, sed rege illo nemorensi semper a successore suo occiso adeo notum est ut eam rem ne Tatianum quidem fugisse crediderim, cumque

1) Varr. ap. Macr., *Sat.* I, 7, 28 et Lactant., *diu. inst.* I, 21, 6, cf. Dion. Hal. *ant. Rom.* I, 19, 2.

2) *Jahrb. f. klass. Altert.*, XV, p. 639.

Digitized by Google

ambo numina eodem genere facinorum placari dicat, ueri similius uidetur de genere aliquo proelii et certaminis singularis esse sermonem. quod ut credamus ipsius uis uerbi quod est ἀνδροκτασιῶν nos mouet. ea enim uox ita homicidium significat ut semper, nisi mirum in modum a ueritate aberrarunt uocum enarratores, hominem doceat aut bello cecidisse aut ab inimico uel insidiis uel ui aperta caesum fuisse. quid quod toto loco non tam sacra deorum facinorosa esse ait Tatianus quam uitiorum eos fautores esse? quod si quaeris quod esse potuerit id certamen, respondeo gladiatorium munus fuisse. nam Latinarum feriis in Capitolio quadrigas certasse Plinius [1]) testis est, gladiatores tum fuisse cum nemo narret, tamen eos tunc adhibitos esse ueri dissimile non uidetur.

Sed cur hoc potissimum munus, si unquam fuit, neque aliud quodlibet notius tangit rhetor Assyrius? iterum, quaeso, uocem ἀνδροκτασιῶν attende. profecto poetica est; centiens apud poetas, semel tantum, quod inuenire potui, apud tolerabilem solutae orationis scriptorem [2]), si hunc nostrum locum neglegis, ponitur; certe poetis longe magis propria est quam oratoribus. quaeramus ergo num et alia uestigia coloris poetici appareant. ego aio apparere; namque illa τῶν ἀνδροκτασιῶν αἵμασι τερπόμενον integrum pentametrum efficiunt. potest igitur fieri ut quae hic de Ioue dicantur a poeta aliquo sumpta sint qui carmen nescio quod de feriis Romanis uersibus imparibus composuisset. adde quod uerba Ἄρτεμιν[δὲ]οὐ μακρὰν τῆς μεγάλης πόλεως et ipsa pentametri formam et numerum habent.

Quis autem hic poeta fuerit, nescio equidem, sed si quis coniecerit Simylum fuisse uel Butam, uera fortasse dicet. hi enim uersiculos, ut uidetur, non optimos, elegiacos tamen, de originibus Romanis panxerant, quos legerat Plutarchus. [3])

1) *Nat. hist.* XXVII, 45.

2) Clementem scilicet Alexandrinum, *Protept.* III, 42 ad fin., p. 37 Pott., φόνος ἐστὶ καὶ ἀνδροκτασία ἡ τοιαύτη θυσία; nam Eusebium ceterosque quos rencenset Thesaurus in hac uoce missos facio, cum recentiores sint omnes. Voces rariores interdum adhibet Tatianus, poeticas tum demum cum poetas laudat, ut 27 (p. 267 B ed. Bened.), κατὰ τὸν 'ἀμετροεπῆ' Θερσίτην (cf. Hom., B 212).

3) Fragmenta eorum exstant apud Plutarchum, *Romul.* 17 et 21; potest etiam *quaest. Rom.* 97 uersiculus indidem petitus esse, uide quae scripsi, *Roman Questions of Plutarch*, p. 208.

Digitized by Google

utriusuis ergo carmen haec fere continere poterat, si quando, uerbi causa, parum humanos fuisse priscos Romanos docebat: signum priscae feritatis etiam tunc manere, cum Iuppiter ipse Latiaris gladiatorum sanguine, Diana uero Aricina suorum ipsa sacerdotum cruore gaudere putaretur.

Hoc carmen, modo fuerit, potuit legisse uel Porphyrius uel auctor Porphyrii, nam redit apud eum similis dicendi ratio *de abstinent.* II, 56: *ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν τίς ἀγνοεῖ κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν τῇ τοῦ Λατιαρίου Διὸς ἑορτῇ σφαζόμενον ἄνθρωπον.* sane si liberet ludere, possem alia quoque uersiculorum membra eruere, ut puta *ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν,* quae uerba hexametri clausulam continent, (cf. Call. *Hymn.* III, 77, *εἰσέτι καὶ νῦν,* IV, 275, *ἐξέτι κείνου*) et mehercule integrum distichum,

σφαζομένοιο βροτοῦ Δία τὸν Λατιάριον ἴδμεν
ἐξ ἀνδροκτασιῶν αἵμασι τερπόμενον.

sed periculosum est tali modo fundamentis incertis incertiora imponere. ego haec tantum sumo: fuisse aliquod poema in quo de sacris Romanorum ageretur; in hoc poemate, dum uel Latiar uel feriae Latinae describuntur, eis uerbis usum esse poetam ut posset lector paulo neglegentior aut ad inuidiam pronior sibi persuadere humano sacrificio, non munere gladiatorio, Iouem cultum esse. nunc alios testis adeamus, ut num hi similia narrent uideamus.

Antiquissimi ergo post Tatianum sunt Theophilus, Tertullianus, Minucius Felix. quorum primus haec tantum dicit, sitire Iouem Latiarem cruorem humanum [1]), quod uel ad sacrificium uel ad gladiatores in illius feriis exhibitos referri potest. neque multo prolixior Minucius, qui haec (*Oct.* 30, 4) tradit: *hodieque ab ipsis (sc. Romanis) Latiaris Iuppiter homicidio (h. e. ἀνδροκτασίᾳ) colitur, et, quod Saturni filio dignum est, mali et noxii hominis sanguine saginatur.* uidetur, quamquam non omnino certum est, credidisse Minucium in feriis Latinis hominem capitali crimine damnatum mactari. sane potuit apud poetam illum quem fuisse sumpsi talia legisse: *et Iouem Latiarem scimus noxio homine interfecto eius homicidii cruore laetari.* unum ergo ad ea quae supra exposui addatur, aliquo in

1) *Ad Autolycum,* III, 8, *ἢ Διὸς τοῦ Λατιαρίου διψῶντος αἵματος ἀνθρωπείου.*

Digitized by Google

loco illius carminis dixisse poetam malum et nefarium uirum esse qui ita mactaretur. potuit, inquam, talia apud poetam legisse, et ad uerum sacrificium rettulisse; potuit etiam ea quae de homine noxio dicit de suo addere, nam ut erat satis doctus legerat profecto aut apud Caesarem [1]) arbitrari Gallos *supplicia eorum, qui in latrocinio aut aliqua noxia sint comprehensi gratiora dis immortalibus esse*, atque eam ob causam noxios plerumque ab eis mactari, aut apud aliquem grammaticum ea fere quae nunc in scholiis Aristophanicis legimus [2]), scilicet τοὺς γὰρ φαύλους καὶ παρὰ τῆς φύσεως (an παρὰ τὴν φύσιν?) ἐπιβουλευομένους εἰς ἀπαλλαγὴν αὐχμοῦ ἢ λιμοῦ ἤ τινος τῶν τοιούτων ἔθυον, οὓς ἐκάλουν καθάρματα, aut, si credis Minucium multa a Tertulliani Apologetico sumpsisse, potuit ea legisse quae nunc laudaturus sum.

Tertullianus enim (*Apolog.* 9) haec habet: *est Iuppiter quidam quem ludis suis humano sanguine proluunt. sed bestiarii, inquitis.* idem alibi (*Scorpiace* 7) *et Latio* (*Latiari* Ciacconius) *ad hodiernum Ioui media in urbe humanis sanguis ingustatur.* hinc aliqua addiscimus, bestiarium fuisse qui caderet, non murmillonem uel Samnitem, et in urbe, non in monte Albano, eos ludos fuisse. quae cum per se non sunt ueri dissimilia, ita cum Porphyrii uerbis supra laudatis consentiunt; ergo aut uera esse aut certe in eo quod puto fuisse carmine exstitisse crediderim. sed ita inter sacrificia Tertullianus ambobus locis haec recenset ut manifesto appareat eum uoluisse re uera mactari bestiarium Ioni, neque figurate ea dicere.

Ac Lactantius et Firmicus Maternus rem breuiter tantum tangunt, possuntque quae dicunt Tertulliano aut Minucio debere; Lactantius enim (*Diu. inst.* I, 21, 3), *Latialis Iuppiter*, inquit, *etiam nunc sanguine colitur humano*, quod in Epitome (23) ita repetit, *Latiaris quoque Iuppiter humano sanguine propitiatus est.* Firmicus uero (*de errore*, 26, 3) de *Latiaris templi cruore* strictim tantum uerba fecit.

Vt ergo quae disputaui in breuius cogam, credo fuisse carmen de sacris Romanis uersiculis elegiacis conscriptum, non

1) *De bell. Gall.* VI, 16, 5.

2) In *Ranarum* uersum 730 (edit. Didot. p. 296).

Digitized by Google

ita dissimile eorum carminum quae scimus Simylum Butamque composuisse; in hoc carmen nescio quo casu incidisse et Tatianum et Tertullianum, atque inde hunc quidem sibi uisum esse didicisse non ea quae re uera inerant, ludos gladiatorios et uenationes in Latinarum solemnitate in urbe fuisse, eoque spectaculo et sanguinis effusione laetari Iouem, sed bestiarium data opera mactari Ioui, quasi is hominis improbi, quales fuere plerique gladiatores et bestiarii, cruore recte coli et placari posset; Porphyrium quoque id carmen et legisse et male interpretatum fuisse, unde sequi uidetur poetam obscurius de ea re locutum et uerbum unum et alterum improprie usurpasse.

Digitized by Google

LIVIANA IV.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Livius agens de oppugnatione Nesattii Histrorum oppidi primum Claudii consilium exponit, deinde sic pergit:

XLI 11, 3 amnemque praeterfluentem moenia, qui et impedimento oppugnantibus erat et aquationem Histris praebebat, multorum dierum opere exceptum novo alveo avertit. § 4 ea res barbaros miraculo terruit *abscisae aquae* e. q. s.

Illa verba *ea res* nimirum idem significant atque *ea derivatio*, quod declarat genetivum, quem dicunt, explicativum, *abscisae aquae* plane supervacuum et otiosum esse. Quo additamento sublato bona extitit clausula (mi)*raculo terruit* continens duos creticos. [1])

Liber quadragesimus primus, ubi imprimis res Hispanorum, Ligurum, Histrorum narrantur non est magni momenti, tamen mihi caput vicesimum ipsum, quod est de rege Antiocho Epiphani, dignum videtur, quod laudemus. Qui rex quomodo cum alia Romanorum instituta tum gladiatorum munera imitatus sit, luculenter Livius docet. Eiusmodi vero ludi quantopere initio et amicis et civibus regis displicuerint, facile ex illo capite colligimus. Hic iuvat me legentes relegare ad egregiam commentationem c. t. Griechen und Römer [2]), a qua incipit Krollii liber, qui inscribitur Zum Verständnis der römischen Literatur.

---

1) Novák quoque *abscisae aquae* delevit.

2) Praesertim attendatur p. 8 cum adnot. 24.

Digitized by Google

In Periocha lib. XLII legimus [1]):

Ob quas (sc. iniurias) bello ei (sc. Macedonum regi) indicto P. Licinius Crassus cos., cui mandatum erat, in Macedoniam transiit levibusque expeditionibus, equestribus proeliis, in Thessalia cum Perseo..... eventu pugnavit.

Hic legendum censeo: cum Perseo ⟨*adverso*⟩ eventu pugnavit; cf. Liv. XLIV 22, 10 neque enim omnes tam firmi et constantis animi contra *adversum rumorem* esse possunt, quam Q. Fabius fuit, qui suum imperium minui per vanitatem populi maluit, quam *secunda fama* male rempublicam gerere; XLII 49, 5 *adversa secundaque,* quae inscitia et temeritate ducum clades saepe acciderint, quae contra bona prudentia et virtus attulerit; V 46, 4 proelio *adverso* cet.

Insidiis rex Eumenes Delphis petitus paene occisus est. E Livii narratione nobis haec verba tantum afferenda sunt:

XLII 15, 10 sopitusque ex semita procidit in declive multis super prolapsum iam saxis congestis. et ceteri quidem, etiam amicorum et satellitum....., postquam cadentem videre diffugiunt e. q. s.

Cum supra § 7 iam sermo sit de *turba* amicorum ac satellitum, verisimillimum est hoc loco variationis gratia auctorem scripsisse: amicorum et satellitum ⟨*manus*⟩, velut XLII 51, 2 cum purpuratorum et satellitum *manu* profectus Citium est.

Rex Perseus contra Marcii Romanorum legati crimina se defendere sic incipit:

XLII 41, 2 eorum autem, quae obiecta sunt mihi, partim ea sunt, quibus nescio an gloriari debeam, neque quae fateri erubescam, partim quae verbo obiecta verbo negare *sit.*

Hoc uno loco verbum substantivum sensu legitur *licere* [2]): equidem non ausim Hearnio praeeunte edere ⟨*satis*⟩ sit. Cur enim clausulam traditam (*ver*)*bo negare sit* postponamus finctae clausulae heroae (ne)*gare* ⟨*satis*⟩ *sit*?

---

1) In editione Rossbachiana p. 49.

2) Schmalz L. G. p. 425, Kühner—Stegmann I, p. 669, alii hoc exemplum non spernunt.

Digitized by Google

Claudius Hostilii legatus ad Uscanam tunc temporis Perseo subiectam haud mediocrem cladem acceperat, de quo incommodo et omnino de rebus in Macedonia male gestis legati Romae in senatu rettulerunt. Noster haec narrat:

XLIII 11, 11 ignominiam Claudi temeritate acceptam elevare eos patres *acceperunt*, qui perpaucos Italici generis et magna ex parte tumultuario dilectu conscriptos ibi milites amissos referebant. [1])

Manifesto dicit Livius a senatu perspectum esse legatos Claudii studio eius incommodum descripsisse, quasi leve parvique momenti fuisset. Quocirca una modo vox corrupta est nempe *acceperunt*, quod librarius praecedente participio *acceptam* deceptus depravavit ex *perceperunt*. Aliter insuper distinguendum est:

ignominiam Claudi temeritate acceptam elevare eos (sc. legatos) patres *perceperunt*: qui [2]) perpaucos Italici generis e. q. s.

Batave verto: de senatoren doorzagen duidelijk, dat de gezanten de nederlaag te wijten aan de vermetelheid van Claudius in een gunstig daglicht stelden: zij toch rapporteerden, dat slechts zeer weinigen van Italischen stam en dan grootendeels recruten van de in der haast gehouden lichting daar gesneuveld waren.

XLIII 14, 5 id praetoribus magna patrum ⟨*acclamatione*⟩ non sine sugillatione consulum mandatum est.

Substitui *acclamatione* [3]) voci *approbatione* ab Heraeo aliisque editoribus receptae, quae ex tribus trochaeis constans clausulam efficit vetitam.

Lissi rex Persei legatis responderat se paratos esse bellare

---

1) In adnotatione saltem commemoremus Livium dictione poetica usum esse XLII 59, 8 fluctuante rege inter spem metumque sicut XXXVI 10, 9, de quo loco egi Mnemos. 55 (1927) p. 54.

Cum XLII 63, 1 fama equestris pugnae vulgata per Graeciam *nudavit voluntates hominum*, comparanda sunt XXXV 32, 2 defectionem *nudabat* (παρεγύμνου), cf. Mnemos. 55 (1927) p. 60.

2) *Qui* valet idem atque *nam ii*, ergo non desideratur *quippe*, quod nonnulli editores (Weissenborn, Hertz) requirebant.

3) Cf. XXXI 15, 2 *acclamationibus* multitudinis..... pudorem onerantis.

Digitized by Google

cum Romanis, dum pecunia a Macedonibus adiuvaretur. Quae deinde facta sunt, ea Livius sic tradit:

XLIII 20, 3 haec Stuberram rettulere regi tum maxime captivos ex Illyrico vendenti. extemplo iidem legati, addito Glaucia ex numero custodum corporis, remittuntur sine mentione pecuniae, *qua unda* barbarus inops inpelli ad bellum non poterat.

Hic de sensu et emendatione satis mihi constat, nam vera lectio videtur fuisse *itaque*, quod post ultimas litteras vocabuli praecedentis (pecuniae) abiit in *qua*. Sed quid sibi vult *unda*? Probabile est quondam in libris exaratum fuisse: unde
itaque;
ubi autem *itaque* corruptum est in *qua*, illud glossema quoque mutatum est in *unda* [1]).

Noster paeninsulam Pallenen sic describit:

XLIV 11, 3 eminet namque *in altum* lingua, in qua sita est, nec minus quam *inaltus* magnitudine Atho mons excurrit.

Apparet *inaltus* perperam repetitum e praecedentibus genuinum adiectivum extrusisse, quod suspicor fuisse *insanus*; cf. XXX 39, 2 Ilvam insulam et ab Ilva Corsicam, a Corsica in Sardiniam traiecit. ibi superantem *Insanos montes* multo et saevior et infestioribus locis tempestas adorta disiecit classem.

Comparare possumus et Cic. Pro Mil. 85 Albanorum obrutae arae.... quas ille.... substructionum *insanis molibus* oppresserat.

XLIV 18, 1 extemplo apparuit omnibus non segniter id bellum L. Aemilium gesturum, praeterquam quod *aliis* vir erat, etiam quod dies noctesque intentus ea sola, quae ad id bellum pertinerent, animo agitabat.

Aliis errore natum est e *talis*, i. e. talis vir erat, ut non segniter id bellum gesturus esset.

XLV 1, 10 his auditis clamor cum ingenti plausu ortus; ludis relictis domos magna pars hominum ad *coniuges liberos* laetum nuntium portabant.

---

1) Walter coniecit: *qua non abunde data* barbarus..... inpelli non poterat (Berl. phil. Woch. 39 (1919) col. 1053.

Cetera tentamina enumerantur in editionibus Weidmannianis, Teubnerianis aliisque.

Digitized by Google

De eodem asyndeto iniuria sublato ab editoribus iam supra [1]) egi ad XXXIV 35, 7. Hic praeterea affero XLV 24, 11 quidquid Rhodiorum virorum feminarum est; IV 28, 5 agite, qui visuri domos, parentes, coniuges, liberos estis.

Non male depingit hic historicus, quantopere commoveat milites Romanos Perseus captus deductusque in castra Aemilii Pauli. Narratio autem sic incipit:

XLV 7, 2 non alias ad ullum spectaculum tanta multitudo occurrit. patrum aetate Syphax rex captus in castra Romana adductus erat; praeterquam quod nec sua nec gentis fama comparandus, *tunc quod* accessio Punici belli fuerat, sicut Gentius Macedonici: Perseus caput [2]) belli erat e. q. s.

Rex Syphax figurate dicitur *accessio belli*. Eiusmodi locutionibus adverbium *quasi* aut *tamquam* addi solet [3]). Hic quoque expectaveris *tamquam accessio belli*. Quam particulam eo magis Livio reddendam censeo, quod confusio inter *tā* (tam) et *tc̄* (tunc) et inter *quam* et *quod* per compendium scripturae [4]) exarata, frequentissima est.

Paulus in castris suis Perseum allocutus est:

XLV 8, 1 Prima percontatio fuit, qua subactus iniuria contra populum Romanum bellum tam infesto animo suscepisset, quo se regnumque suum ad ultimum discrimen adduceret? § 2 cum responsum exspectantibus cunctis terram intuens diu tacitus fieret, rursus consul: § 3 „si iuvenis regnum accepisses, minus equidem mirarer ignorasse te, quam gravis aut amicus aut inimicus esset populus Romanus; § 4 nunc vero, cum et bello patris tui, quod nobiscum gessit, interfuisses, et pacis postea, quam cum summa fide adversus eum coluimus, meminisses, *quod fuit* consilium, quorum et vim in bello et fidem in pace expertus esses, cum iis tibi bellum esse quam pacem malle?" § 5 nec interrogatus nec accusatus cum responderet, e. q. s.

Tot mihi verba exscribenda erant, ut legentibus ostenderem

1) Cf. Mnemos. 55 (1927) p. 59.
2) Cf. quae disputavi ad Liv. XXVII 20, 6 (Mnemos. 54 (1926) p. 33).
3) Huius usus multa exempla afferunt Kühner—Stegmann II p. 455 A. 5.
4) Cf. Lindsay, Not. Latin. p. 497, 499, 500

Digitized by Google

Paulum usum esse primum interrogatione, dein criminatione. Ergo participium *interrogatus* (§ 5) pertinet ad: *prima percontatio* cet. (§ 1), at *accusatus* respicit ad § 3 et § 4. Quamobrem incredibile est Livium rursus interrogationem adhibuisse: ⟨*quod fuit*⟩ *consilium* (§ 4). Ut magis perspicua exprobratio sit reponamus:

(meminisses) *iniquissimum* fuit consilium..... cum iis tibi bellum esse quam pacem malle.

XLV 11, 4 suspectum Antiochum effecerat, quod cetera Aegypto sibi tradita Pelusi validum relictum erat praesidium. § 5 apparebat *claustra Aegypti* teneri e. q. s.

Cum his ultimis verbis iure interpretes complures locos Livianos conferunt, poterant etiam componere Tacit. Ann. II 59 Augustus..... seposuit Aegyptum, ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam *claustraque terrae ac maris* quamvis levi praesidio adversum ingentes exercitus insedisset.

Attalo regis Eumenis fratri vehementer senatus favebat, tamen ei honesto consilio Statius persuasit, ut in pietate perseveraret. Satis habeo exscribere haec:

XLV 19, 15 utrum enim partem regni petiturum esse, an totum erepturum? si partem, ambo infirmos distractis viribus et omnibus iniuriis *pro*.... obnoxios fore e. q. s.

In fine versus (cod. Vindobonensis) exaratum est *pro*, ibi aliquot litterae perierunt. Cum nihil aliud requiratur nisi affirmatio, suppleo: *pro*⟨*fecto*⟩, cf. VI 28, 6.

XLV 26, 7 cum maior a Romanis metus timorem a principibus suis vicisset e. q. s.

Interpretes debebant conferri XXXVII 43, 4 hic maior timor timorem vicit [1]).

XLV 26, 14 Scodrensibus et Dassarensibus et Selepitanis ceterisque Illyriis vectigal dimidium eius ⟨*inpositum*⟩, quod regi pependissent.

Hanc verborum collocationem praefero coll. XLV 29, 11

1) Cf. Mnemos. 55 (1927) p. 62 ubi locum parallelum attuli Plinianum.

Digitized by Google

vectigal exercentibus dimidium *eius inpositum*, quod pependissent regi. Praeterea duas bonas consequimur clausulas.

XLV 31, 4 tria genera principum in civitatibus erant, duo, quae adulando aut Romanorum imperium aut amicitiam regum sibi privatim opes oppressis faciebant civitatibus; media una pars utrique generi adversa *libertatem leges* tuebatur.

Asyndeton bimembre, quod Livius adamat, optima clausula (*ges tuebatur* i. e. creticus et trochaeus) vindicat, verum editores scribunt: *legesque.*

(Continuabuntur). [1])

1) De libris I—X mox scripturus sum.

Digitized by Google

DE COMICORUM QUIBUSDAM LOCIS AD LUDENDUM DEMOSTHENEM PERTINENTIBUS

SCRIPSIT

J. D. MEERWALDT.

I.

Anno fere 342 cum rex Philippus Haloneso Atheniensibus cedere paratus esset, Demosthenes orationem habuit celeberrimam, qua cives suos admonuit, ne doni ac beneficii loco acciperent, quod recipi oporteret: redderet ille, non daret [1]). Diligentissimam hanc, ut ipsi videbatur iuris, ut Aeschinibus 'syllabarum' curam magno cum studio cavillatos esse apparet Athenienses; siquidem non minus quinque comicorum fragmenta, quibus '*ἀντίθετον*' illud (cf. Plut. *Dem.* 9) respicitur, apud Athenaeum (VI 223 e sqq.) referuntur. Quibus ex locis unus tantum, Timoclis ex *Heroibus*, copiosius tractandus hic videtur; ex ceteris autem exempli gratia duos praemittam ad totum genus cognoscendum satis idoneos.

Ἀλεξις.... *ἐν* Ἀδελφοῖς (Kock II p. 299)·

ἐγὼ δέδωκα γάρ τι ταύταις; εἰπέ μοι.

Β. *οὐκ, ἀλλ' ἀπέδωκας ἐνέχυρον δήπου λαβών.*

Frustratur exspectatio alterius, ita cum negatur eum 'quidquam dedisse' meretricibus, ut ridicule fingatur (*δήπου*) pignus aliquod 'reddendum' ei fuisse.

Ἀναξίλας *δὲ ἐν* Εὐανδρίᾳ (K. II p. 265)·

καὶ τὰς παλαίστρας ⟨δῶ⟩σοι; Β. *μὰ τὴν γῆν, μὴ σύ γε δῷς, ἀλλ' ἀπόδος.* Α. *καὶ δὴ φέρουσ' ἐξέρχομαι.*

---

1) [Dem.] VII argum., Dem. XII 14; Epist. Phil..

Digitized by Google

Desperata hic videtur lectio corrupta *παλαίστρας*: frustra Meineke tentavit *παλάθας*, Kock *τὸ σπάλαθρον*, Kaibel *παλαιάς* (sc. *ἐμβάδας*). Latere apparet nomen instrumenti alicuius, cf. *ἡ ξύστρα*, *ἡ θέρμαστρα*. Cuius generis vocabula quot perierint, ex hoc cognoscas licet, quod unus Herodas tria nova attulit, *νώβυστρον*, *λαίμαστρον*, *πύραστρον* (seu potius [1]) *πύρυστρον*); inscr. Coa (Bechtel. Gr. D. II p. 598) *ϑύστρον*. — Pro *σοι* Kock cum Meinekio dedit *δώσω*, praestare autem mihi videtur *δῶ σοι* interrogans; facetius ita supervenit indignatio alterius huius mulieris; quae Demostheni ne iusiurandum quidem suum (cf. *μὰ γῆν*, infra pag. 295) relinquit.

His praemissis accedamus ad Timoclis illud ex *Heroibus* fragmentum (K. II p. 457), cuius supra mentionem fecimus. Verba haec sunt:

1 *οὐκοῦν κελεύεις νῦν με τἀπόντα μᾶλλον ἢ*
τὰ προσόντα Φράζειν. Β. *πάνυ γε*. Α. *δράσω τοῦτό σοι*.
καὶ πρῶτα μέν σοι — παύσεται Δημοσθένης
ὀργιζόμενος. Β. *ὁ ποῖος*; Α. *ὁποῖος*; *ὁ Βριάρεως*,
5 *ὁ τοὺς καταπέλτας τάς τε λόγχας ἐσθίων·*
μισῶν λόγους ἄνθρωπος, οὐδὲ πώποτε
ἀντίθετον εἰπὼν οὐδέν, ἀλλ' Ἄρη βλέπων.

De ipso textu pauca sunt dicenda. Cetera cum iam pridem correcta essent (vs. 2 personas distinxit Cobet; vs. 4 *ὁποῖος* [2]) addidit Meineke), unus adhuc vs. primus vitio laborabat. Traditur enim *μετὰ πάντα*; pro quo, quod Elmsley coniecerat, *με πάντα* iniuria posteriores omnes receperunt. Ad id, quod nos dedimus, conferas velim Gorgiae illa (Dion. Hal. *Dem.* p. 127 U. R.) *τί γὰρ* ***ἀπῆν*** *... ὧν δεῖ* ***προσῆναι***; *τί δὲ* ***προσῆν***, *ὧν δεῖ* ***ἀπεῖναι***; et Plat. *Menex.* 235*a*, ***καὶ τὰ προσόντα καὶ τὰ μὴ***

1) Cum Vollgraffio; vid. huius voluminis fasc. I pag. 104 sqq.

2) Elmsley parum feliciter coni. *μέντοι παύσεταί σοι* Βριάρεως (Δημ. gloss.) *ὀργιζόμενος*. Β. *ὁ ποῖος οὗτος* Βριάρεως; Α *ὁ τοὺς, κ. τ. λ.* Quae Kockio placuisse admodum miror. Nam ut alia mittam, vs. 6 *ἄνθρωπος* palam indicat antecessisse *nomen hominis*; ad hoc 'Δημ.' reditur post hyperbolicas illas metaphoras vs. 4 sq., quibus incohata est descriptio. — Ex eo, quod non vidit vs. 6 iam transiri ad descriptionem magis humanam, id quoque erroris commisit Elmsley, ut post *λόγους* postularet *τ'*. — Βριάρεως in Βριαρεύς mutari opus esse non puto.

Digitized by Google

περὶ ἑκάστου λέγοντες, κ. τ. λ. — Ceterum vs. 3 post σοι pausam indicavi, vs. 5 gravius interpunxi quam priores.

Sequitur, ut exponamus, quod totius huius loci consilium videatur. Quod eo magis necesse puto, quia et mirum in modum omnis res confunditur apud Kock et, qui nuper de posteriore huius fragmenti parte egit, E. Drerup non perspexit, quid sibi vellet horrida illa descriptio Demosthenis 'Briarei' vs. 4 sqq.; quo factum est, ut apud hunc virum doctum ceterorum comicorum cavillationibus — pro vano verborum artifice eum tractant — immerito opponatur Timocles. Scribit enim (Dem. im Urt. des Alt. p. 52 sq.) „In eine andere Richtung führt uns ein längeres Fragment aus den um 342 aufgeführten Ἥρωες des Timokles, unter deren 'Helden' wohl auch der damals fast schon auf dem Gipfel der Macht stehende Demosthenes eine Rolle spielt. Hier wird der furchtbare Zorn des Redners, des hundertarmigen Riesen (ὁ Βρ.), in komischer Weise gezeichnet als ein Verschlingen von Katapelten und Lanzen, als ein martialisches Umsichblicken (Ἄρη βλ.), während er doch die Reden hasse und niemals ein Antitheton gesprochen habe: letzteres offenbar eine sarkastische Umkehrung des Tatsächlichen, wodurch das übermässige Temperament des Demosthenes im Redenvortrag persifliert wird. — Während aber hier mit einer Rüge von Aüsserlichkeiten eine wenigstens indirekte Anerkennung des Redners sich verbindet, atmet eine ganz andere Stimmung die bei Plut. c. 9 von einem unbekannten Komiker uns überlieferte witzige Bezeichnung des Demosthenes als ἰώποπερπερήθρακς [1]) e. q. s.". Ibid. p. 55 sq. „Das Bild des Demosthenes, das uns in diesen Komikerzitaten entgegentritt, lässt nur in dem Fragmente der 'Helden' des Timokles einen etwas wärmeren Zug entdecken, indem hier wenigstens die gewaltige Wirkung der demosthenischen Rede kenntlich wird". — Demonstraturum contra me spero et in summa eodem, quo ceteros comicos, loco habendum esse Timoclem

1) Nomen *rei*, quod subest (Dr. p. 54), i. e. — α, Drerup vertit 'Kleinkramwindbeutelei'; facundiam designat nugosam et putidam (cf. π. ὕψ. 3. 4). Hanc vim non ceperunt ii, ad quos redeunt versiones, quales sunt 'Windbeutel der alles durcheinander schwätzt' (Pape), 'babbelkous' (Muller). Vernacule fere respondet 'holle mooipraterij'. — Cf. infra p 295 et p. 301.

Digitized by Google

et — si qua differt — in eo tantum ab iis differre, quod malignior sit.

Quaenam fuerint ea, quae loco, de quo agitur, antecesserint, et nescimus neque multum interest, siquidem ad universam huius fragmenti voluntatem intellegendam sufficiunt versus priores. Apparet enim id ab A suscipi muneris, ut de singulis rebus ac personis ficta et aliena magis dicat quam vera et convenientia; fortasse exercitatio est iuvenis apud populum mox dicturi. Ac primum quidem praeter opinionem illud enuntiat 'iram suam depositurum esse Demosthenem'! — Pergere vult ad alia et similia; verum alter ille, qui quasi cotis vicibus fungitur, eum interpellat: totum hunc Demosthenem, cuius ira [1]) tanti ab A fieri videtur, plane ignorat [2])... Prius ergo quam pergi licet, edocendus est miser hic terrae filius, qualem et quantum virum hucusque ignoraverit: sequitur encomium Demosthenis. Cuius encomii id est proprium, quod hominem ad quem pertinet prorsus *in contrarium convertit*; ita ne in digrediendo quidem a proposito suo digreditur A. — id, quod ipsum experiri voluit dissimulator ille, quocum colloquitur. — Age, singulas iam examinemus mirae huius descriptionis partes.

a) ὁ Βριάρεως... ἐσθίων. Ita statim ab initio ironice res fingitur, quasi Demosthenes ille *non orator* sit, hominum genus foro et tribunali addictum, sed *vir militaris* [3]) atque is in acie probatus. Ad Briarei appellationem conferre licet Posidippum apud Athen. IX 376 f vs. 5 sqq., ubi coquus magister discipulum docet omnium artium tamquam principium contineri ἀλαζονείας virtute, velut:

---

1) In agendo vs. 4 sq. premendum est ὀργιζόμενος. Omnia enim, quae sequuntur, pertinent ad elevandam et extenuandam 'ὀργήν' illam Demosthenis.

2) ὁ ποῖος ut saepius valet τίς οὗτος. Ignorat B, 'albus an ater homo' sit Demosthenes. Ipsam si rem spectas, non A luditur, sed Demosthenes. Simulata haec ignorantia notissimum est cavillandi genus in viro civili eiusmodi, qui ipse sibi omnia videatur. Peculiaris quaedam huius generis species est apud Plut. Crass. 7, φήσαντός τινος, ὡς Πομπήϊος Μάγνος πρόσεισι, γελάσας (sc. Crassus) ἠρώτησεν ὁπηλίκος.

3) Quod fugit Kock et Drerup. Hinc, quod posterior hic vir doctus praeter verum scribere cogitur 'während er *doch* die Reden hasse'; indidem autem, quod antirhetorum illam mentionem pertinere putat ad perstringendos affectus immodicos et nimis concitatos; id quod contra habere infra videbimus (sub *c*).

Digitized by Google

ξεναγὸς οὗτος ὅστις [1]),¬ἂν θώρακ' ἔχῃ
φολιδωτὸν ἢ δράκοντα σεσιδηρωμένον,
ἐφάνη **Βριάρεως**· ἂν τύχῃ [2]) δ', ἐστὶν **λαγώς**.

Quod 'tormenta et hastas comedere' dicitur, eodem hoc redit ac si neerlandice dicatur 'een echte ijzervreter'; nisi quod graecum illud in immensum auctum est. [3]) — Revera idem hic Demosthenes homo erat non modo non virtute bellica insignis, verum etiam — inimicis eius si credimus — vel ignavissimus et militiae detrectatae dedecore notatus. Etsi enim λιποταξίου illud crimen, quod nonnullis annis ante oratori intenderat Nicodemus, in iudicium non pervenerat, ipsa tamen fama et invidia remanebat (cf. Aeschin. *De falsa leg.* 148). Ceterum latius etiam patebat ignaviae hoc opprobrium, quod laudis sub tegmine ingerit Timocles. A Macedonum enim fautoribus, neque ad his tantum puto, in eo accusari solebat Demosthenes, quod totus cum esset in sollicitandis civibus ad bellum quantocius parandum, ipse tamen consiliorum, quibus studeret, auctor exsistere vereretur. Dem. *De Chers.* 68, εἶτα φησὶν ὃς ἂν τύχῃ παρελθών· 'οὐ γὰρ θέλεις γράφειν **οὐδὲ κινδυνεύειν**, ἀλλ' **ἄτολμος εἶ** καὶ μαλακός'. ἐγὼ δὲ θράσυς μὲν καὶ βδελυρὸς καὶ ἀναιδὴς οὔτ' εἰμὶ μήτε γενοίμην, ἀνδρειότερον μέντοι πολλῶν πάνυ.... ἐμαυτὸν ἡγοῦμαι. Id. *De falsa leg.* 206, τίνα δ' οὗτοι μὲν **ἄτολμον καὶ δειλὸν** πρὸς τοὺς ὄχλους φασὶν εἶναι, ἐγὼ δ' εὐλαβῆ; ἐμέ. Aeschin. Ctesiph. 175, ἐπειδὴ δὲ καὶ αὐτὸς ὁμολογεῖ (sc. δειλὸς εἶναι) κ. τ. λ. Infra huc redibimus.

b) μισῶν λόγους ἄνθρωπος. Scilicet fictus et in virum militarem conversus hic Demosthenes facere mavult fortiter quam dicere speciose: homo est prisci eius generis, quod cum desiderio respicit Sophocles poeta, ubi Ulixem de se ipso adulescente dicentem facit: **γλῶσσαν** μὲν ἄργον, **χεῖρα** δ' εἶχον ἔργατιν (*Philoct.* vs. 97, cf. schol.). — Rerum fortiter gestarum notio hinc verbis ὁ Βριάρεως.... ἐσθίων continetur, illinc praegnanti hoc

---

1) Haud scio an legendum sit οὐ τόσος τις ('ne tantillus quidem'), deictice. Meineke ci. οἷον ξ. οὗτος, ἄν, κ. τ. λ. Kock pro ὅστις ci. αὐτίκ'.

2) Kock ci. ἐν μάχῃ.

3) Ita plebis Amstelodamensis propria est locutio 'spoorwagens pruimen' (ad significandum animum intrepidum et nullius periculi recusans).

Digitized by Google

'*verba* perosus' tacite significatur. De vero contra Demosthene audias quaeso Aeschinem, *Ctesiph.* 229, ἐξ ὀνομάτων συγκείμενος ἄνθρωπος καὶ τούτων πικρῶν καὶ περιέργων.... οὗ τὴν γλῶτταν ὥσπερ τῶν αὐλῶν ἐάν τις ἀφέλῃ, τὸ λοιπὸν οὐδέν ἐστιν (opp. ἡ ἁπλότης et τὰ ἔργα ibid.). Multo autem aptius etiam conferri possunt verba ipsius Demosthenis et ad ipsam hanc, de qua agitur, aetatem pertinentia, *De Cherson.* 73, ἤδη τοίνυν τινὸς ἤκουσα καὶ τοιοῦτόν τι λέγοντος, ὡς ἄρ' ἐγὼ λέγω μὲν ἀεὶ τὰ βέλτιστα, ἔστιν δ' **οὐδὲν ἀλλ' ἢ λόγοι** τὰ παρ' ἐμοῦ, **δεῖ δ' ἔργων** τῇ πόλει καὶ πράξεώς τινος. Quibus obtrectatoribus respondet orator ipsum hoc **εἰπεῖν** τὰ βέλτιστα suadentis **ἔργον** esse.....

c) οὐδὲ πώποτε ἀντίθετον εἰπὼν οὐδέν. Vel ipsum hoc responsum, quod modo rettulimus, contrarium docet; omnibus notum est, quam frequenter et quanta cum arte antitheseos instrumento usus sit Demosthenes, sive maligne aggrediendum esset sive callide eludendum. Nihil autem est, cur dubitemus, quin ignotus is auctor, cuius copiis usus est Athenaeus l. l., recte ad famosum illud δοῦναι — ἀποδοῦναι pariter atque ceteros comicos Timoclem quoque spectare statuerit. Idcirco autem multum derisi huius antitheti spectatores suos admonet poeta, quia vel aptissimum ei videtur ad denotandum animum oratoris pusillis sophistarum argutiis obnoxium et a vere indignantis dolore alienum. Omnino conferendum hic est iudicium 'Demetrii' περὶ ἑρμηνείας auctoris, qui postquam monuit τῷ δεινῷ χαρακτῆρι parum convenire τὴν ἀντίθεσιν (247), Demosthenicis quibusdam allatis [1]) sic statuit: **κακοτεχνοῦντι** γὰρ ἔοικεν διὰ τὴν ἀνταπόδοσιν, **μᾶλλον δὲ παίζοντι, οὐκ ἀγανακτοῦντι.**

---

1) *De Corona* 265, ἐδίδασκες, ἐγὼ δ' ἐφοίτων, κ. τ. λ. — Ceterum lectu sunt dignissima, quae Blass, A. B². III p. 161 sqq. habet de antithetis Demosthenis. Imprimis p. 163 (de loco laudato) 'wäre hier etwas anderes als Spott, so müsste man dem Demetrius Recht geben, der die Stelle als überkünstelt tadelt. *Im Pathos und Ernst* muss alles derartige ferngehalten werden, ausser etwa solcher Assonanz, die nicht die Aufmerksamkeit auf sich abzieht'. Nunquam putide aut intempestive Demosthenem huiusmodi ornamentis abuti pariter atque Blass premit Norden A. K.² p. 120 sq., ex antiquis criticis Dionysius et Hermogenes. Nec tamen neglegendum est cunctos hos Demosthenis defensores de *scriptis et editis* eius orationibus agere, comicos vero et Aeschinem de contionibus eiusdem ab ipso auditis.

Digitized by Google

d) ἀλλ' Ἄρη βλέπων. Quemadmodum *a* et *b* coniunctim sunt consideranda (fortiter facta — verba inania), ita rursus *c* et *d*. Nempe fictus hic Briareus non ad frigidos ingenii lusus descendit, sed vel ipso vultu animum prodit ferocem et ad belli pericula adeunda promptum. Veri contra Demosthenis vultus ex moroso et timido mixtum aliquid habebat, totiens autem in conciliis turbulentis vel tergiversantem et agere verentem vel clamoribus aut facete dictis de gradu deiectum hunc oratorem viderant cives [1]), facile ut intellegas, quantum risum moverit Timoclis hoc Ἄρη βλέπων.

Singulis huius descriptionis partibus perlustratis si revertimur ad praemissa illa παύσεται Δ. **ὀργιζόμενος**, plane, opinor, apparet, quid revera voluerit poeta. Remotis enim ironiae involucris sic fere cum Demosthene agi hic videtur: 'Quousque tandem frustra in indignantis speciem inflare te contendes? Quasi quisquam ignoret omnia apud te verba et voces esse'! — Patrio denique sermone totum locum sic reddiderim:

A. Gij vraagt mij dus
Geen beeld nu van de dingen, maar eerder een tegenbeeld?
B. Precies. A. Welaan, dat lever ik u. Ten eerste dan:
Nooit zal de stad meer tóórnen zien Demosthenes!
B. Wie zegt ge? A. Wie? Demosthenes, alias Briareus,
D' ontembre held, die opslokt lans en zwaar geschut. —
Een ware woordenhater; nooit nog plaatste hij
Ook maar één antitheton. Neen, van krijgsvuur straalt zijn oog!

II.

Apud Aeschinem *Ctesiph.* l. l. (pag. 292) Demostheni, viro ex verbis composito, expressis verbis opponitur genus hominum simplex ac militare [2]), odio cui sint eloquentiae artificia; eandem rationem contrariam subesse cognovimus apud Timoclem. Nobilissimum autem militaris huius generis exemplar vir erat summa apud Macedonum praesertim fautores auctoritate, Pho-

1) Praeter ea quae sub *a* laudavimus conf. Blass III p. 42 (Dem. *De falsa leg.* 23; *De Cor.* 143) et Plut. *Reip. ger. praec.* 804 A.

2) ἀνδρὸς στρατηγοῦ, μεγάλα μὲν τῇ πόλει κατειργασμένου, λέγειν δ' ἀδυνάτου, et paulo infra τὴν ἁπλότητα καὶ τὰ ἔργα.

Digitized by Google

cionem dico strategum. Hunc virum non modo propter eximiam eius et in bello virtutem et in rebus administrandis innocentiam, sed etiam propter praegnantem eiusdem breviloquentiam Demostheni oppositum invenimus apud Plutarchum (*V. Phoc.* 5; *V. Dem.* 10, cf. 14; *Reip. ger. praec.* 803 E).

Ad demonstrandam autem vim huius breviloquentiae cunctis tribus, quos indicavimus, locis fabula quaedam refertur, quam ad Comediam redire probaturum me spero. Verba quae volo haec sunt: *καὶ μέντοι καὶ τὸν Δ. φασὶν αὐτόν, ὁσάκις ἂν ἀντερῶν αὐτῷ Φ. ἀναβαίνοι, λέγειν πρὸς τοὺς συνήθεις· 'ἡ τῶν ἐμῶν λόγων κοπὶς ἀνίσταται'.* [1]) — Primum attendas velim ad '*ὁσάκις*' illud: concedes, opinor, a vera vita omnino alienum esse, ut aliquis fatum suum ita notare *consueverit* [2]). Accedit orationis genus parum simplex et alium potius cavillanti quam ipsi de se dicenti conveniens: neque enim descriptivum illud '*ἀνίσταται*' exspectandum erat neque male praegnans illud '*λόγων*' (cf. supra *μισῶν λόγους ἄνθρωπος*). Maximo autem documento mihi videtur verborum compositio tantum non plane numerosa. Levissima autem mutatione facta hunc restitutum habebis trimetrum [3]) ludicrum:

ἡ τῶν ἐμῶν κοπὶς λόγων ἀνίσταται.

Ludicrum dico. Primum enim ita est compositus hic versus, ut in singulas suas dipodias ultro quasi dilabatur [4]); tum vero elaborato quodam vocalium concentu insignis est (1 — *η* — *ω*, — *ε* — *ω*; 2 — *ο* — *ο*; 3 *α* — *α*; 1 b — *ων*, 2 b — *ων*; 2 a — *ι σ*, 3 a — *ισ*). Putidum hoc ipsius soni studium a comicis saepius in Demosthene notatum esse mox videbimus; interim autem memoratu dignum hoc est eiusdem affectati generis trimetros,

---

1) *V. Dem.* 10, cf. *Reip. ger. pr.* l.l. *εἰώθει λέγειν ἀνισταμένου Φ.*, et *V. Phoc.* 5, *ἀνισταμένου δὲ Φ. εἰώθει λέγειν.* Quod postremo hoc loco '*πάρεστιν*' traditur pro '*ἀνίσταται*' ex eo est explicandum, quod post *ἀνισταμένου* orationem variare cupivit Plutarchus.

2) Cf. *εἰώθει* locis parallelis. Ceterum, quod primo me fugit, notatu dignum est quod *V. Phoc.* l.l. legitur '*ἀτρέμα*' ita loqui eum solitum esse. Nimirum in scena fictus erat Demosthenes quidam animo placido et ad ferendam necessitatem parato tamquam iugulum praebens *τῇ κοπίδι.*

3) Apparet eum, qui primus pro vero apophthegmate haec habuerit, hyperbaton illud *ἐ. κ. λ.* utpote a verae vitae consuetudine alienum 'correxisse'.

4) Ad rem de qua agitur non inepte facit *διακεκομμένη* (*π. ὑψ.* 19. 2) haec *λέξις.*

Digitized by Google

quorum exemplum nacti sumus apud Plutarchum, nonnullos ab Athenaeo conservari. Versus volo Castorionis Solensis hosce (op. l. X 455 a):

σὲ τὸν βόλοις νιφοκτύποις δυσχείμερον
ναίονθ' ἕδραν, θηρονόμε Πάν, χθόν' Ἀρκάδων
κλήσω γραφῇ τῇδ' ἐν σοφῇ, κ. τ. λ.

Ubi *βόλοις* illud insolitum pro *βολαῖς* [1]) deberi nobis videtur eidem *παρηχήσεως* studio, cuius exempla praebent vs. 2 et 3.

Iam quod attinet ad putidum hoc soni ipsius et concinnitatis studium, quod ab ignoto illo, de quo agimus, illudi supra notavimus, conferenda sunt ea quae leguntur apud Plutarchum *Dem.* 9 et apud Ps. Plutarchum *Xorat.* 845. Quos locos ipsius conspectus commodioris reddendi gratia alterum iuxta alterum hic proponimus. Disputationem autem requirent paulo copiosiorem.

τόλμαν γε καὶ θάρσος οἱ λέχθεντες ὑπ' αὐτοῦ λόγοι τῶν γραφέντων μᾶλλον εἶχον, εἴ τι δεῖ πιστεύειν Ἐρατοσθένει καὶ Δημητρίῳ τῷ Φληρεῖ καὶ τοῖς κωμικοῖς.... ὁ δὲ Φληρεὺς ***τὸν ἔμμετρον ἐκεῖνον ὅρκον ὀμόσαι ποτε πρὸς τὸν δῆμον*** *ὥσπερ ἐνθουσιῶντα· 'μὰ γῆν, μὰ κρήνας, μὰ ποταμούς, μὰ νάματα'. τῶν δὲ κωμικῶν ὁ μέν τις αὐτὸν ἀποκαλεῖ ῥωποπερπερήθραν [2]), ὁ δὲ παρασκώπτων ὡς χαίμενον τῷ ἀντιθέτῳ φησὶν οὕτως· 'ἀπέλαβεν ὥσπερ ἔλαβεν. Β. ἠγάπησεν ἄν | τὸ ῥῆμα τοῦτο παραλαβὼν Δημοσθένης'.*

προελθὼν δὲ πάλιν εἰς τὰς ἐκκλησίας (scil. post institutionem apud Andronicum histrionem) *νεωτερικῶς τινα λέγων διεσύρετο, ὡς κωμῳδηθῆναι αὐτὸν ὑπ' Ἀντιφάνους καὶ Τιμοκλέους· 'μὰ γῆν, μὰ κρήνας, μὰ ποταμούς, μὰ νάματα'.* ***ὀμόσας δὲ τοῦτον τὸν τρόπον ἐν τῷ δήμῳ*** *θόρυβον ἐκίνησεν. ὤμνυε δὲ καὶ τὸν Ἀσκληπιὸν προπαροξύνων 'Ασκλήπιον, καὶ παρεδείκνυεν αὐτὸν ὀρθῶς λέγοντα· εἶναι γὰρ τὸν θεὸν ἥπιον· καὶ ἐπὶ τούτῳ πολλάκις ἐθορυβήθη. σχολάσας δ' Εὐβουλίδῃ τῷ διαλεκτικῷ Μιλησίῳ ἐπηνορθώσατο πάντα* (resp. vss. *Εὐβουλίδης.... | ἀπῆλθ' ἔχων Δημοσθένους τὴν ῥωποπερπερήθραν*, de quibus p. 301 sq. agemus).

1) Ita cum Meinekio Kaibel corrigendum putat etsi paulo infra bis *βόλοις* redit. — Ceterum data occasione corrigenda videntur verba Athenaei, quae corrupta esse Kaibel adnotat. Legendum est: *ποίημα τοιοῦτόν ἐστι· τῶν ποδῶν ἑκάστου* (Athen. — *ος*) *ὅλοις ὀνόμασιν περιειλημμένου* (Athen. — *ος*) *πάντας ὁμοίως ἡγεμονικοὺς καὶ ἀκολουθητικοὺς ἔχει τοὺς πόδας.* Subiectum verbi *ἔχει* est *ποίημα*; 'pes' 'pedes' habere nequit. 2) Vide supra pag. 289 adn. 1.

Digitized by Google

Apparet ad utrumque auctorem — diversis sane viis — eandem fere pervenisse materiem; quam pertinuisse ad demonstrandum immodicum Demosthenis *ornandi* studium nemo non videbit. Reprehendebantur enim civilis et agonistici huius oratoris quasi transgressus quidam in communem poetarum et epideicticorum (i. e. sophistarum) provinciam; coniungebatur crimen ὑποκρίσεως nimis elaboratae quam virum civilem deceret. Haec autem crimina cum maiore ex parte ad *habitas* tantum Demosthenis orationes pertinerent, non ad *editas* illas, quas cautius temperasset, necessario consequens erat, ut huius aestimationis auctor — Demetrium [1]) dico Phalereum — partim iis testimoniis uteretur, quae ab aequalibus [2]) natu grandioribus (in his ipse Demosthenes) [3]) accepisset, partim iis, quae comicorum ioci et parodiae legenti praeberent. Quam vero neglegenter et Demetrium et inter se excerpserint medii et interpositi auctores, quorum copiis usi sunt Plutarchus et Ps. Plutarchus ll. ll., hoc vel maxime ex eo apparet, quod nonnulla ab iis vero Demostheni tribuuntur, quae tamquam ipsam notam comediae prae se ferant, non secus atque versus ille, quem verum (!) Demosthenem apud populum dicentem facit Zosimus: ἥκω φέρων ὑμῖν τὸ ῥ | καταρερητορευμένον. (W. p. 299). Exemplum vel locupletissimum nobis praebet versus ille sive Antiphanis sive Timoclis: μὰ γῆν, μὰ κρήνας, κ. τ. λ. Apud Ps. Plutarchum enim quod additur ὀμόσας δὲ **τοῦτον τὸν τρόπον** ἐν τῷ δήμῳ κ. τ. λ., indicio hoc est Demetrium in vero Demosthene *ipsum genus* nimis poeticum et numerosum notasse; Plutarchi autem auctor verba 'hunc in modum' quae ad ipsum genus pertinerent ita accepit, quasi 'his verbis' significarent [4]). Aeque

1) Cap. 9 bis, idem bis cap. 11 auctor affertur; cap. 14 redit (vide infra pag. 297 adn. 1).

2) Procul dubio Aristo Chius (Plut. *Dem.* cap. 9) et Hermippus (ibid. cap. 11) quae de aequalibus Demosthenis tradiderunt, apud Demetrium invenerunt.

3) Plut. *Dem.* cap. 11. ὁ Φ. Δ. ἱστορεῖ, λέγων αὐτοῦ Δημοσθένους ἀκούειν πρεσβύτου γεγονότος. Florentem aetate Demosthenem non viderat Demetrius.

4) Tota haec ratio praeteriit Blass² (III p. 67 adn. 3), qui Meinekio et Kockio vitio vertit, quod Timocli et Antiphani hoc iusiurandum tribuunt: post Τιμοκλέους enim (Ps. Plut. l.l.) lacunam statuendam esse, in qua nomen Demetrii fuisse. Tamen idem vir doctus paulo infra: 'Viel Verlass ist auf alle diese Anekdoten nicht'. Recte; auctor vero Comedia.

Digitized by Google

aperta res est in altero illo iure iurando per 'Ασκλήπιον utpote ἥπιον, ubi vel ipsa verba Ps. Plutarchi καὶ ἐπὶ τούτῳ πολλάκις ἐξεμυβήθη demonstrant a Demetrio verum Demosthenem in universo hoc genere ludendi reprehensum esse.

His expeditis revertamur ad dictum illud ad Phocionem κατίδε pertinens, affectato et putido vocalium concentu insigne quod esse statuimus: concedes eiusdem parodiae generis exemplum nos tenere, cuius alterum est exemplum: μὰ γῆν, μὰ κρήνας, κ. τ. λ. (ᾱ — η — ᾱ — η — ᾱ | ᾱ — ο — ᾰ — ου | ᾱ — ᾱ — ᾰ — ᾰ; praeterea hic accedit μ — μ — μ — μ). Verum etiam εἰώθει λέγειν illud nunc iam intellegi potest: Demetrius nimirum, qui aestimationem suam Demosthenis συγκρίσει huius oratoris et Phocionis ornaverat [1]), primum rettulerat metus signa eum praebuisse quotiescunque Phocio contra dicturus exstitisset, tum vero versum hunc comicum laudaverat: more solito.

III.

Apud Ps. Plutarchum *Xorat.* 845 postquam expositum est de Demosthenis apud Andronicum histrionem studiis, notissima illa sequuntur: ὅθεν ἐρομένου αὐτόν τινος, τί πρῶτον ἐν ῥητορικῇ, εἶπεν· 'ὑπόκρισις'. καὶ τί δεύτερον· 'ὑπόκρισις'. καὶ τί τρίτον· 'ὑπόκρισις'. Nullus dubito, quin celeberrimum hoc dictum pariter comediae debeatur atque 'μὰ γῆν, μὰ κρήνας, κ. τ. λ.' et ''Ασκλήπιος' illud, quae l.l. deinceps afferuntur; atque id primum, quia

1) Una pars cap. 10 (magis ad orationis genus pertinens), altera cap. 14 initio (ad mores magis pertinens): expressis verbis Demetrius hic auctor fit. (cf. Drerup op. l. pag. 32). Nemo a Plutarcho exiget, ut singulis sententiis auctoris sui nomen appingat; quod Drerup de cap. 14 initio statuit, iis quae de cap. 10 cognovimus confirmatur. Breviter summam huius συγκρίσεως comprehendamus licet. a) *mores*: Dem. corruptioni obnoxius — Ph. innocens; Dem. miles ignavus — Phoc. vir fortis. b) *oratio*: Dem. orator copiosus et artis peritus — Ph. vir militaris et brevitate dicendi insignis. c) *mixtum*: Dem. magis ad laudandos quam ad imitandos maiores aptus, verbis auctoritatem quaerens — Ph. quamvis pauca dicat vel ipsa rerum gestarum opinione auctoritatem habens. Ceterum ignaviae locum amplius etiam tractavit Demetrius (cf. inter se *Dem.* cap. 8 et 9) ἀτολμίαν in *conciliis*, τόλμαν in *verborum ornatu* Demostheni exprobrasse videtur. Intercessit vero in hac parte, ut in ceteris, auctor quidam Demostheni benevolentior, qui *moralis* tamen fortitudinis laudem non prorsus negandam huic oratori censuerit. Inde factum, ut cap. 9 satis confusum sit.

Digitized by Google

ludicri aliquid habet ad cavillandum Demosthenem vel aptissimum, tum vero, quod ab ipsis huius oratoris moribus plane abhorret.

Quod ad ludicrum illud pertinet, proficiscendum est ex iis, quae leguntur Aristot. Rhet. III 12, ubi postquam *ὑποκριτικά* dicta sunt *τὰ ἀσύνδετα καὶ τὸ πολλάκις τὸ αὐτὸ εἰπεῖν*, haec adduntur: *ἀνάγκη γὰρ μεταβάλλειν τὸ αὐτὸ λέγοντας (ὅπερ ὥσπερ ὁδοποιεῖ τῷ ὑποκρίνεσθαι)· 'οὗτός ἐστιν ὁ κλέψας ὑμῶν, οὗτός ἐστιν ὁ ἐξαπατήσας, οὗτος ὁ τὸ ἔσχατον προδοῦναι ἐπιχειρήσας'*; cf. paulo infra *'Νίρευς'* ter deinceps pronuntiandum. — Apparet, opinor, dictum hoc 'Demosthenis' non magis pertinuisse ad laudandam artis rhetoricae partem eo usque a technographis praetermissam, quam ad demonstrandam ipsius peritiam: ter enim dicendum illud *'ὑπόκρισις'* triplicem modulandi varietatem ex artis lege requirit. Iam consideres velim hunc Philodemi locum (*π. ῥητ.* 4. 16 sq.): *παρὰ δὲ τῷ Φαληρεῖ λέγεται* ***ὑποποίκιλον μὲν αὐτὸν ὑποκριτὴν γεγονέναι καὶ περιττόν, οὐχ ἁπλοῦν δὲ*** *οὐδὲ κατὰ τὸν γενναῖον τρόπον, ἀλλ' εἰς τὸ μαλακώτερον καὶ ταπεινότερον ἀποκλίνοντα.* Vides Demetrium singularem quandam vocis variandae peritiam in Demosthene adgnovisse [1]), desiderasse vero eundem ipsius naturae simplicitatem, scil. ut in homine qui, quidquid agendo praestaret, artificio demum et exercitationi deberet [2]). Hoc autem cum ita sit, facile intellegimus non sine voluptate eum commemorasse comediae hunc locum, quo artificiosa haec variandi peritia tam facete illuderetur: Demosthenes, specie vir civilis et orator, revera histrionem se profitens et, dum laudibus effert *ὑπόκρισιν*, belle ac varie *ὑποκρινόμενος*.

Quod si quis nobis obiciat fieri tamen potuisse, ut ipse Demosthenes quondam ita, ut traditur, responderit, primum monere eum velim totam rem a vitae veritate alienam esse. Nemo

---

1) *περιττός* vox media ex sententiae contextu est intellegenda. Hoc loco — ut apud Aeschinem — 'virtuoos' verterim.

2) Cf. Plut. Dem. cap. 11 initio et Dion. Hal. *De Dem.* 53 Demetrii testimonia. — Patet Demosthenem elaboratius egisse quam ii, quibus donum naturae esset. Ipsa agendi varietas a peripateticis probatur, *ὑπερβολή* vero non minus hic quam in ceteris partibus vitio vertitur. — Theophrastus primus actionis hanc partem data opera tractavit.

Digitized by Google

enim quaesturus erat ex oratore, i. e. ex homine adulto, quid primum, quid secundum, quid tertium esset in arte quam profiteretur. Immo fictam subesse patet scenam Demosthenis discipuli in modum interrogati. Re enim vera his temporibus *tripertito* tradebatur rhetorica omnis: 1° τὰ πράγματα, 2° ἡ λέξις, 3° ἡ τάξις; cf. Aristot. Rhet. III cap. 1, τρία ἐστὶν ἃ δεῖ πραγματευθῆναι περὶ τὸν λόγον, κ. τ. λ., eadem divisio [1]) tacite observatur ab Anaximene. Ad interrogandi autem morem praeceptionis antiquae proprium conferri possunt cum posteriorum 'artes' tironum in usus comparati, tum Ciceronis liber q. i. *De partitione oratoria.* cap. 1, ubi animi causa mutatis vicibus Cicero filius patrem interrogat: 'Quot in partis tribuenda est omnis doctrina dicendi'? — 'In tris'. — 'Cedo, quas'? — 'Primum [2]) in ipsam vim oratoris, deinde in orationem, tum in quaestionem'. — Huiusmodi colloquium scholasticum in scena habitum puto ab Andronico praeceptore et Demosthene discipulo scholis eius vale dicturo, ridentibus scilicet spectatoribus, qui singulas rhetoricae partes, quas ipsi apud magistrum accepissent, velut absorberi viderent ὑποκρίσει advena.

Et haec quidem quantum ad totum argumenti genus pertinet a vitae veritate abhorrens; iam videamus de ipso homine. Primum hic notamus a Demosthene, viro cauto callido suspicioso, exspectandum non fuisse, ut cum erudito aliquo colloquens inepte ac frigide iactaret ὑπόκρισιν eam, quam et studendo demum peperisset et a venustioribus varie carpi optime sciret. Praeter Plutarchi illud testimonium, quod legitur *V. Dem.* 11, conferendi hic sunt Aeschinis illa, quae leguntur *De falsa leg.* 157, ἐντεινάμενος ταύτην τὴν ὀξεῖαν καὶ ἀνόσιον φωνήν κ. τ. λ.; *Ctesiph.* 209, περὶ δὲ τῶν δακρύων καὶ τοῦ τόνου τῆς φωνῆς, ὅταν ὑμᾶς ἐπερωτᾷ· 'ποῖ καταφύγω, κ. τ. λ.'; 210, ὅλως δὲ τί τὰ δάκρυα; τίς ἡ κραυγή; τίς ὁ τόνος τῆς φωνῆς; nec non Timoclis vel Antiphanis illa parodia: 'μὰ γῆν, μὰ κρήνας, μὰ ποταμούς, μὰ νάματα', qua pariter illudi apparet canori

1) In arte poetica, ubi actionis et memoriae locus non est, permansit. Cf. Horat. 'cui lecta potenter erit *res*, | nec *facundia* deseret hunc nec lucidus *ordo*'. Ceterum et Seneca (Ep. 89, 17) hanc divisionem proponit, nisi quod duo priora transponit: *verba, sensus, ordo.*

2) Propter ipsam tantum rationem enumerandi haec laudamus, partes novae sunt.

Digitized by Google

cuiusdam concentus studium et vocis modulationem putide variatam. — Accedit autem res, ut nobis quidem videtur vel gravissima, quod verus Demosthenes — eum dico, quem ex orationibus eius cognoscimus — dissimulare solebat suum ipsius *ὑποκρίσεως* studium. Nemo enim nescit, quam pervicax fuerit hic orator in perstringendo Aeschine cum propter vitam ante actam tum propter consuetudinem inde retentam 'histrione'. Ex iis autem, quae huc pertinent, testimoniis imprimis notatu digna nunc sunt haec: De Cor. 15, *φυγὼν τοὺς παρ' **αὐτὰ τὰ πράγματ'** ἐλέγχους..... σκώμματα καὶ λοιδορίας συμφορήσας **ὑποκρίνεται,*** 287, *μηδὲ **τῇ φωνῇ** δακρύειν **ὑποκρινόμενον**.....,* *ἀλλὰ **τῇ ψυχῇ** συναλγεῖν*, cf. 313, ubi propter vocis claritatem — opponuntur facta minime clara — *ὑποκριτὴς ἄριστος* audit Aeschines. Quos locos idcirco laudandos putavimus, quia palam demonstrant pulchram atque decoram Aeschinis *ὑπόκρισιν*, cuius adiutricem haberet ipsam vocis naturam, Demostheni invidiae fuisse. Ex hac autem invidia consequens erat, ut hinc secretis studiis explere conaretur, quae natura sibi negasset, illinc vero coram hominibus *res et argumenta* una spectare se fingeret. Comediae vero erat dissimulantem talem ipsum sibi ostendere, qualem esse sentirent aequales.

His expositis restat ut ipsos versus apud Ps. Plutarchum obscuratos restituere conemur. Tentare velim haec:

.....*Φέρ' εἰπέ μοι,*
τί πρῶτόν ἐστ' [1]) *ἐν ῥητορικῇ;* Δ. **ὑπόκρισις.**
Α. *τί δεύτερον δ';* Δ. **ὑπόκρισις.** Α. *εὖ γε, τί τὸ τρίτον;*
Δ. **ὑπόκρισις.** Α.....

Vix est, quod moneam histrionem, qui Demosthenis partes ageret, ridicule exaggerasse vocis inflexiones, alteram autem personam facete aliquid respondendo totum locum conclusisse.

IV.

Ad eandem fortasse fabulam atque superiora illa referenda sunt ea quae de vero Demosthene narrantur Plut. *Dem.* 11; Demetrium Phalereum hic quoque subesse auctorem ex eo

1) Vel *ἐν τῇ ῥ.* (var. lect. Ps. Plut. l. l.).

Digitized by Google

apparet, quod et ante et post ipsum locum quem volumus, testis adhibetur de actione Demosthenis. Verba interposita haec sunt: *λέγεται δ' ἀνθρώπου προσελθόντος δεομένου συνηγορίας καὶ διεξιόντος, ὡς ὑπό του λάβοι πληγάς· 'ἀλλὰ σύ γε' φάναι τὸν Δημοσθένην 'τούτων ὧν λέγεις οὐδὲν πέπονθας'. ἐπιτείναντος δὲ τὴν φωνὴν τοῦ ἀνθρώπου καὶ βοῶντος· 'ἐγώ, Δημόσθενες, οὐδὲν πέπονθα'; 'νὴ Δία' φάναι 'νῦν ἀκούω φωνὴν ἀδικουμένου καὶ πεπονθότος'. οὕτως ᾤετο μέγα πρὸς πίστιν εἶναι τὸν τόνον καὶ τὴν ὑπόκρισιν τῶν λεγόντων.* Iocus hic comediae eo est venustior, quia ipse Demosthenes quondam colaphum acceperat a Midia inimico, qua de iniuria quanta cum indignatione[1]) saepe conquestus fuerit, facile intellegimus. — Versus hos fere apud Demetrium fuisse existimo:

. . . . . .

πληγὰς ἔλαβον. Δ. *ἀλλὰ σύ γε τούτων, ὧν λέγεις, οὐδὲν πέπονθας.* Α. ***οὐδὲν ἐγώ, Δημόσθενες, πέπονθα;*** — Δ. *νὴ Δία, νῦν γ' ἀκούειν μοι δοκῶ φωνὴν ἀδικουμένου*[2]) *τε καὶ πεπονθότος.*

V.

Ignoti eius poetae fragmentum, quod agit de Eubulide et Demosthene, recte apud Meineke, F. C. G. IV p. 618, sic legitur:

σὺριστικὸς δ' Εὐβουλίδης κερατίνας ἐρωτῶν
καὶ ψευδαλαζόσιν λόγοις τοὺς ῥήτορας κυλίων
ἀπῆλθ' ἔχων Δημοσθένους τὴν ῥωποπερπερήθραν.

Priusquam quid de hoc loco sentiamus, exponimus, referre oportet Drerupi interpretationem (op. l. p. 53 sq.), qua post tot priorum errores factum est, ut recte iam intellegi possint verba postrema. Sic autem totum locum reddit et explicat vir doctus: 'Nach seinem Wortlaute: „Eub. der Eristiker, welcher Trugschlüsse nach der Art des *κερατίνης* erfragt, welcher die Rhetoren mit lügenhaft prahlerischen Reden 'wälzt' (= *nie-*

1) Cf. ad totum genus *Midianam* et or. *contra Cononem* (41).

2) Attendas quaeso ad '*ου*' ter sonans in responso Demosthenis; *cum gravitate produci* hoc voluit poeta. Vel ipsum hoc *ἀδικουμένου* quantum ad rem supervacuum indicio est versus solutos tradi apud Plutarchum.

Digitized by Google

derringt), ging fort mit der 'Kleinkramwindbeutelei' des Demosthenes" ist man keineswegs, worauf Blass a. a. O. aufmerksam macht, gezwungen anzunehmen, Eubulides habe durch seinen Unterricht die ῥωποπερπερήθρα des Demosthenes fortgenommen, d. h. diesen davon befreit [1]); vielmehr kann man darin auch — und das ist mir nach dem vorangehenden Verse [2]) wahrscheinlicher — die Bezeichnung einer Eigenschaft des Eubulides finden, die dieser mit Demosthenes teilte, indem er die ῥωποπερπερήθρα gewissermassen als einen Siegespreis (im Ringen mit den ψευδαλαζόνες λόγοι) davonträgt.'

In summa huic interpretationi adstipulandum putamus: agi apparet de speciose disputandi quodam certamine, ex quo Eubulides victor secum obstulerit Demosthenis vaniloquentiam, i. e. quo elinguem [3]) eum reddiderit. Ab una tamen parte dissentio. Participiis enim ἐρωτῶν et κυλίων Drerupi sententia attributive definitur 'Eubulides' subiectum. Atqui 1° stare haec interpretatio non potest, nisi cum Roepero inseres ὁ. 2° Temporis definiendi vim cum non habeat participium q. d. 'praesentis', nihil obstat quominus sic intellegamus textum traditum: 'Hinc iam prodiit Eubulides eristicus ille: cui cornutos interroganti et mendacibus gloriosisque disputationibus oratores in pulvere volutanti tam praeclare res processit, ut victor secum abstulerit ipsius Demosthenis vaniloquentiam'. Leviter interpungendum sic erit post Εὐβουλίδης et κυλίων; quod verbum eo magis voce est premendum, quia vincendi notionem continet.

Iam videamus, quonam pertinuisse putanda sit certaminis haec descriptio. Ex eo, quod praemittitur 'οὐριστικὸς δέ' apparet ante descriptas fuisse res ab aliis atque aliarum sectarum philosophis bene gestas. Quod cum ita sit, colligamus necesse est ignotum hunc poetam inter se confligentes finxisse duas factiones, alteram oratorum, alteram philosophorum. Oratorum autem appellatione his temporibus vulgo denotari solebant viri

---

1) Id quod et Diogenes Laertius (II 108) putat et auctor Ps. Plutarchi l. s. l. (pag. 295).

2) Nam ψευδαλαζόσιν λόγοις putida sua vaniloquentia Dem. liberari non potest.

3) Imago subest *spoliorum* de hoste victo reportatorum.

Digitized by Google

civiles et in republica administranda occupati. Quorum auctoritatem quanti fecerint poetae comici, cum aliis nonnullis locis apparet, tum vel optime cognoscitur ex his verbis Antiphanis (Kock II p. 95):

τὰκ τῆς Ἀσίας καὶ τἀπὸ Θρᾴκης λήμματα
ἕλκουσι δεῦρο, νεμομένων δὲ πλησίον
αὐτῶν κάθηται λοιδορουμένων τ' ἀεὶ
ὁ δῆμος, κ. τ. λ.

et paulo infra ibidem:

πῶς γὰρ γένοιτ' ἄν, ὦ πάτερ,
ῥήτωρ ἄφωνος; — Β. ἦν ἁλῷ τρὶς παρανόμων.

Hunc autem in modum cum illuderent oratores, non minus tamen studiose atque adeo frequentius etiam philosophos aequales cavillabantur τῆς μέσης poetae; rem omnibus notam exemplis demonstrare supersedeo. Facile ergo intellegimus ignoto huic poetae [1]) accidisse, ut utrosque illos simul perstringere vellet. Quod ita eum fecisse colligimus, ut singulos philosophos suis quemque placitis et rationibus oratores adversarios superare fingeret. Totius autem certaminis, quod l.l. a teste et spectatore quodam describitur, is fortasse fuit exitus, ut oratorum ordine omni devicto ad rerum iam gubernaculum succederent 'sapientes'.... malo malum sanatum.

1) De eiusmodi fabula cogitari potest, qualis fuit Timoclis illa q. i. *Heroes*. — Comica quaedam 'ἀριστεία' Eubulidis haec pugna est.

ADDENDA.

Dum has plagulas corrigo, intellexi apud Ps. Plutarchum *Xorat.* 845 (supra pag. 295 sqq.) prius referri parodiam aliquam Antiphanis (μὰ γῆν, κ. τ. λ.), deinde alteram Timoclis (iusiurandum illud per Ἀσκλήπιον). Alter hic locus pertinuisse mihi videtur ad vocis vitia Aesculapio propitio sanata; cf. versum Zosimi supra laudatum et ea quae cap. III disputavimus.

Digitized by Google

DE PLATONIS DIALOGO THRASYMACHO QUI VOCATUR.

SCRIPSIT

H. D. VERDAM.

Hisce annis in consuetudinem venit, ut primus liber Reipublicae Platonis a ceteris Reipublicae libris develleretur et, quasi dialogus esset per se, nomine Thrasymachi inter primos dialogos numeraretur. Post alios hanc viam iniit Ioannes ab Arnim, qui in libro qui inscribitur Platons Jugenddialoge [1914] demonstrare conatus est, librum primum male cohaerere cum ceteris Reipublicae libris et hiatum quendam percipi posse inter primum et secundum librum. Initio libri II^{i} (358 B) enim minus recte agi de libro primo et ea dici de superiore dialogo, quae in librum primum non conveniant. Praeterea eiusmodi sententias in libro I° eloqui Platonem, quas ante Lysidem et Gorgiam dialogos prolatas esse ex comparatione illorum dialogorum clare appareat. Hoc primo inspiciamus argumentum.

I

Firmissimum argumentum Arnimius situm putat in Lys. 217 A Rep. I 342 A comparatis. Loco Lysidis disputat Plato rem quae nec bona nec mala est propter (i. e.: ad evitandum) malum diligere aliquid boni, e. g. corpus (τὸ μήτε κακὸν μήτ' ἀγαθόν) amans esse medicinae (ἀγαθοῦ) propter morbi (κακοῦ) contagionem. At non omnia corpora, inquit, medicinae amantia sunt, sed ea tantummodo, quae re vera nec bona nec mala sint, i. e. quae malo morbi sint quidem contacta, sed non

Digitized by Google

tantopere, ut ipsa quoque mala facta sint. Nam in praecedentibus docuimus, inquit, fieri non potuisse ut res *mala* diligat aliquid boni. Incipit igitur his verbis quasi pedetemptim duo genera contagionis mali (παρουσίας κακοῦ) distinguere: altera rem ipsam integram intactamque relinquere dicitur et sanabilis esse, altera exitiosa esse et rem ipsam depravare. Sed in exemplo morbi duo genera contagionis illa nondum accurate distinguit neque exponit, quae sit ratio duorum generum corporum aegrotorum, sed cito ad alia exempla transit, quibus duo genera contagionis describat. Alterum exemplum albi capilli sunt, in quibus duo λευκότητες distinguit: Capilli, inquit, qui albo pigmento picti sunt, nigri tamen manent, itaque haec λευκότης speciem mutat, non rationem et mutabilis est; sed λευκότης capillorum senis perpetua est, quippe quae in perpetuum pro nigris albos eos reddat. Alterum exemplum sapientia est. Quis sapientiae, inquit, cupidus est (Φιλοσοφεῖ)? Neque sapientes utpote qui sapientiam iam habeant neque ignari, qui contagione inscientiae corrupti sint, sed οἱ ἔχοντες μὲν τὸ κακὸν τοῦτο, τὴν ἄγνοιαν, μήπω δὲ ὑπ' αὐτοῦ ὄντες ἀγνώμονες μηδὲ ἀμαθεῖς, ἀλλ' ἔτι ἡγούμενοι μὴ εἰδέναι ἃ μὴ ἴστασιν, i. e. qui quamquam contagione mali inscientiae affecti sunt, tamen sibi conscii sunt se nescire id, quod re vera nesciunt.

In hoc loco explicando duo monenda videntur; primo hic non *agi* de morbo, sed morbum nil esse nisi exemplum; deinde duas sententias pronuntiare Platonem. Altera sententia est rem mediam (τὸ μήτε ἀγαθὸν μήτε κακόν) diligere aliquid boni ad evitandum malum, altera duas esse contagiones mali. Prioris sententiae exemplum est corpus, quo absoluto obiter quidem dicit esse etiam genus aegrotorum corporum, quod contagione mali ipsum quoque malum factum est ideoque boni non iam cupidum est, sed continuo ad alia transit exempla. Alteri sententiae exemplo sunt capilli et sapientia, in quibus duae παρουσίαι κακοῦ accurate distinguuntur atque describuntur, genus mutabile et genus perpetuum.

Ab hoc loco Lysidis multum distat locus Reipublicae (I 342 A), quem Arnimius comparat. Nam in eo Plato minime disputat de amore aut contagione mali, sed de artibus. Affirmat in eo artem quamlibet non opificis spectare commodum, sed

Digitized by Google

hominum; velut medicina non medici spectat commodum, sed corporis inopis, quod auxilii alieni (sc. medici) indiget (*σῶμα πονηρόν*, quod *τῆς ἰατρικῆς προσδεῖται*). Hic quoque non *agi* de medicina moneo, sed eam nil esse nisi exemplum.

De hisce duobus locis comparatis apud Arnimium [1]) haec legimus: „Von dieser Unterscheidung (sc. duarum contagionum mali) enthält die Republikstelle nichts, die vielmehr von dem *πονηρὸν σῶμα* spricht, welches *τῆς ἰατρικῆς προσδεῖται*. Nach dem Lysis ist dies nicht richtig. Da heisst es ausdrücklich: *οὐκοῦν ὅταν μήπω κακὸν ᾖ κακοῦ παρόντος, αὕτη μὲν ἡ παρουσία ἀγαθοῦ αὐτὸ ποιεῖ ἐπιθυμεῖν, ἡ δὲ κακὸν ποιοῦσα ἀποστερεῖ αὐτὸ τῆς τε ἐπιθυμίας ἅμα καὶ τῆς φιλίας τἀγαθοῦ*. Wir haben also hier wirklich einen der gar nicht häufigen Fälle anzuerkennen, wo Plato seine eigene frühere Darstellung abändert und verbessert. Man kann daher nicht zweifeln, dass der Lysis nach Republik I geschrieben ist."

Indicare igitur vult Arnimius, ni fallor, hac in re locum Reipublicae obloqui Lysidi, quod in Republica *malum* (*πονηρὸν*) corpus medicina egere dicitur, in Lyside solum corpus, quod nec bonum nec malum est, medicinae amans esse, malum corpus autem insanabile esse neque medicina egere.

Sed contradictio illa non exstat. Nam primum *πονηρὸν σῶμα* non idem est atque *κακὸν σῶμα*, ut opinatur Arnimius [2]), sed v. *πονηρός* valet, ut contextus indicat, *alienae opis indigens* [3]).

Deinde verba ab Arnimio laudata ex Lyside (*οὐκοῦν ὅταν μήπω κακὸν ᾖ κακοῦ παρόντος*) non dicta sunt de corpore, sicut subicitur nobis ab Arnimio, quasi explendum esset: *οὐκοῦν ὅταν μήπω* ***σῶμα κακὸν ᾖ***; nam a Platone eo loco dicuntur, ubi iamdudum exemplum morbi absolutum est. Generaliter

1) l. l. p. 107.

2) l. l. p. 107. Die in der Republikstelle gemachte Voraussetzung, dass die Kunst nur dan einer Förderung durch das Gute bedürfen würde, wenn etwas von *Schlechtigkeit* in ihr steckte (*εἰ ἐν αὐτῇ ἔνι τις πονηρία*) ist identisch mit dem Satze des „Lysis", dass *διὰ τὸ κακὸν τὸ μήτε ἀγαθὸν μήτε κακὸν φιλὸν τῷ ἀγαθῷ*.

3) 341 E initio loci legimus: *ἐξαρκεῖ σώματι εἶναι σώματι ἢ προσδεῖταί τινος*; i. e. suine iuris corpus est an alieni? ibid. *σῶμά ἐστι πονηρὸν καὶ οὐκ ἐξαρκεῖ αὑτῷ τοιούτῳ εἶναι* In hisce v. *πονηρός* idem valet atque vv. *οὐκ ἐξαρκεῖ αὑτῷ τοιούτῳ* (i. e. *σώματι*) *εἶναι*, i. e.: Alieni iuris corpus est neque *αὐταρκές*. Cf. Hipp. minor 374 D sqq.

Digitized by Google

hic loquitur Plato; quocirca ita explendus est locus: οὐκοῦν ἔστιν μήπω τι κακὸν ἦ. Nulla est igitur discrepantia neque quicquam est, cur mirati exclamemus „von dieser Unterscheidung enthält die Republikstelle nichts!" Nam locus Reipublicae plane a Lyside diversus est. Loco Reipublicae sermo est de relatione, quae est inter opificem et homines, e. g. inter medicinam et aegrotos. Itaque alienissimum fuerit dicere exstare etiam corpora tam mala tamque desperata, ut medicinae non indigeant; nam nunc non erat his locus. Perperam igitur est, ex Platonis silentio concludere, cum Rempublicam conscriberet, eum nondum distinguere scivisse corpus sanabile a corpore desperato. Prudens tacuit, quia ab argumento Reipublicae haec divisio aliena est.

Nil igitur locus Reipublicae Lysidi oppugnat, nam

a v. κακός (in Lyside) non idem valet atque v. πονηρός (in Republica).

b nil mirum est, si in Republica corpora in duas partes non dividuntur; nam in Lyside quoque vix distincta erant (sed λευκότητες et homines nescii).

c etiamsi in Lyside corpora distincta essent, mirandum non esset eam divisionem in Republica silentio praeteriri; quippe quae ab argumento Reipublicae aliena sit.

Neque quicquam est, cur Lyside „Thrasymachum" priorem esse statuamus.

II.

Ad Gorgiam venio. Ex disputatione Arnimii silentio praetermittamus quae generaliter dicta sunt neque argumentis corroborantur, velut haec: „Während der Gorgias so für eine Lebensanschauung mit leidenschaftlicher Wärme wirbt, herrscht im ersten Buch der Republik jener kühle ironische Ton, den wir in den meisten Schriften der ersten Periode angewendet finden" [1]); nam equidem neque in Gorgia (e. g. 487 A 499 C) neque in posterioribus dialogis, velut in Menone et Phaedro, ironiam deesse putabam. Silentio praetermittamus haec: „so sehen wir die Beweisführung in Republik I auf blosze dialek-

1) l. l. p. 79.

Digitized by Google

tische Überwindung, die im Gorgias auf Überzeugung des Gegners ausgehen" [1]); nam equidem putabam in ipsis posterioribus dialogis velut in Parmenide plane dialectica argumenta principem tenere locum neque igitur dialecticam rationem illam argumento esse posse dialogum aliquem Platonis iuvenili aetate esse scriptum. Praetermittamus haec, quibus nil probatur. Potius singulos spectemus locos, qui argumentis confirmantur.

Rep. I 353 A—E haec disputantur:

Suam quidque habere virtutem (οἰκείᾳ ἀρετῇ), e. g. cultri virtutem esse vitem secare, oculorum virtutem esse videre; si quid suam propriam habeat virtutem, bene munus suum exsequi. Velut animi munus esse ἐπιμελεῖσθαι καὶ ἄρχειν καὶ βουλεύεσθαι καὶ.... ζῆν; quae si bene faciat, animum esse iustum atque beatum.

Gorg. 504 A—507 C haec leguntur:

Omnia bona esse, quibus inest ordo (τάξις, κόσμος); animi ordinem esse temperantiam (σωφροσύνην); hominem temperantem esse bonum; bonum virum omnia bene agere et beatum esse.

Prae ceteris haec exscribenda videntur:

506 D E τάξει ἄρα τεταγμένον καὶ κεκοσμημένον ἐστὶν ἡ ἀρετὴ ἑκάστου;.... κόσμος τις ἄρα ἐγγενόμενος ἐν ἑκάστῳ **ὁ ἑκάστου οἰκεῖος** ἀγαθὸν παρέχει ἕκαστον τῶν ὄντων;.... καὶ ψυχὴ ἄρα κόσμον ἔχουσα τὸν ἑαυτῆς ἀμείνων τῆς ἀκοσμήτου;

i. e. cuiusque rei virtus ordine temperata est; suo quidque ordine bonum fit; ergo animus quoque temperatus intemperato praestat.

Hisce locis levem quandam varietatem inesse haud infitior. Nam in Republica inde ab initio contenditur suam cuique rei esse virtutem propriam. At contra in Gorgia primo omnibus eandem esse virtutem probatur, κόσμον et τάξιν; sed quamquam omnibus eadem insit virtus, eam virtutem non in omnibus similem esse, e. g. alium esse ordinem navis, alium corporis. Quae divisio necessaria erat, ut deinde depingeret, quinam ordo proprius animi esset. Ordinem animi enim esse temperantiam. Sic ab universo ad speciem degreditur Plato. Quamobrem vv. κόσμος ὁ ἑκάστου οἰκεῖος neque ab hoc loco aliena sunt neque miranda, imo necessaria, ut quod primo de universo dixerat, deinde ad singula accommodet.

---

1) l. l. p. 78.

Digitized by Google

Annotat autem ad ea Arnimius:

„der Gorgias verrät seine Abhängigkeit von Republik I dadurch, dass er Gedanken dieses Buches in seinen Beweisgang aufnimmt, die von der Hauptrichtung desselben abseits liegen, wie den Gedanken der *οἰκεία ἀρετή*." [1])

Satis nova mihi videtur haec suspicio et Platone vix digna, eum sententias, quae a Gorgia dialogo aliena sint, ex Republica in eum inseruisse. Sed supra iam exposui, omnia in Gorgia optime cohaerere. Falsa igitur Arnimii suspicio est.

In proxime sequentibus in Gorgia, ubi vv. *εὖ πράττειν* leguntur, iterum Arnimius sententiam pronuntiat, Platonem ex Republica in Gorgiam inseruisse, quae ab eo aliena sint. Haec sunt verba:

Gorg. 507 C *ὥστε πολλὴ ἀνάγκη.... τὸν ἀγαθὸν εὖ τε καὶ καλῶς πράττειν ἃ ἂν πράττῃ, τὸν δ' εὖ πράττοντα μακάριόν τε καὶ εὐδαίμονα εἶναι.* Ad quae annotat Arnimius [2]): „Es ist aber in der ganzen von uns analysierten Beweisführung nichts enthalten, was die Schlüsse vom *ἀγαθὸν εἶναι* auf das *εὖ πράττειν* und vom *εὖ πράττειν* auf die *εὐδαιμονία* rechtfertigen könnte". At equidem intellegere mihi videor, quapropter Plato illam ipsam vocem *εὖ πράττειν* adhibeat. Demonstare enim vult bonum virum esse beatum. Quod ut faciat, auxilio v. *εὖ πράττειν* utitur, quae duplicem sensum habet ét bene faciendi ét felicitatis, quocirca nullo vocabulo facetius uti possit, ita:

1 *τὰ προσήκοντα πράττει* (= convenientia facit) ergo: *εὖ πράττει* (= 2 bene facit. 3 bene valet), ergo: 4 *εὐδαιμονεῖ*.

Qua facetia non intellecta loco leviter castigato Arnimius sic pergit [3]): Vom *πράττειν* war in der ganzen Argumentation nicht die Rede. Daraus können wir schliessen, dass Plato in einen ihm von früher her geläufigen Gedankengang (Rep. I 353 E) ausbiegt, statt den im Gorgias befolgten fortzusetzen und zu Ende zu führen".

Itane? Nullusne sermo in praecedentibus est de v. *πράττειν*? Attamen in proxime praecedentibus non minus quinquies v. *πράττειν* legere mihi videor: Gorg. 507 A *καὶ μὴν ὁ γε σώφρων*

1) l. l. p. 87. 2) l. l. p. 85 sq. 3) l. l. p. 86.

Digitized by Google

τὰ προσήκοντα **πράττοι** ἂν καὶ περὶ θεοὺς καὶ περὶ ἀνθρώπους· σὺ γὰρ ἂν σωφρονοῖ τὰ μὴ προσήκοντα **πράττων**..... καὶ μὴν περὶ μὲν ἀνθρώπους τὰ προσήκοντα **πράττων** δίκαι' ἂν **πράττοι**, περὶ δὲ θεοὺς ὅσια· τὸν δὲ τὰ δίκαια καὶ ὅσια **πράττοντα** ἀνάγκη δίκαιον καὶ ὅσιον εἶναι.

Quod autem Arnimius locum partim non intellexit, partim illa de eo statuit, quae aperte falsa sunt, nobis non est, cur „Thrasymachum" Gorgia esse priorem et tamquam exemplum putemus. Hoc solum animadvertendum est, in Gorgia omnia esse et longiora et minus accurata, in „Thrasymacho" et breviora et accuratiora, quam ob rem sane multo veri similius est, Gorgiam esse priorem. Sed aliud quid est, quod *cogit* nos ad statuendum Gorgiam esse priorem, veri similibus omissis.

Quaerenti, quaenam virtus in numero virtutum princeps sit, discrepantia occurrit inter Gorgiam et Rempublicam (non dico Reipublicae librum primum, sed totam Rempublicam). In Gorgia (est locus, ex quo supra iam quaedam laudavimus, Gorg. 507 A—C) *temperantia* (σωφροσύνη) *princeps virtus habetur*. Ordinem animi (κόσμον ψυχῆς) temperantiam esse ibi disputat; temperantem autem hominem ét iustum ét pium ét fortem fore. Gorg. 507 C ἀνάγκη τὸν σώφρονα (ὥσπερ διήλθομεν, δίκαιον ὄντα καὶ ἀνδρεῖον καὶ ὅσιον) ἀγαθὸν ἄνδρα εἶναι τελέως.

Quae congruunt cum Charmide, quem in priorum dialogorum numero habendum esse nemo negat. Postquam Critias dixit, Charmiden capite laborare, Socrates respondet se remedium habere (156 D), sibi traditum a medico Thracico. Opus autem esse animo mederi ante corpus; nam mala corporis ex animo oriri. Remedium animi autem esse sermones pulchros; ex sermonibus pulchris enim oriri temperantiam. Qua parta facile esse et capiti et cetero corpori mederi. Ex quibus perspicuum est, ut opinor, in Charmide quoque *temperantiam principem esse virtutem*; eius enim, qui temperantiam acquisiverit, animus sanus fore dicitur (Charm. 157 A) Itaque in prioribus dialogis (Charmide, Gorgia) temperantia princeps virtus esse dicitur.

At contra in Reipublicae libro IV° *iustitia* ceteris virtutibus praeposita est. Primi in republica ordinis virtus est sapientia, alterius fortitudo, tertii temperantia; ex quibus si suus cuique

Digitized by Google

locus sit, iustitiam exstare in republica itemque in homine Rep. IV 433 B. *Δοκεῖ μοι, ἦν δ' ἐγώ, τὸ ὑπόλοιπον ἐν τῇ πόλει ἂν ἐσκέμμεθα, σωφροσύνης καὶ ἀνδρείας καὶ φρονήσεως, τοῦτο εἶναι, ὃ πᾶσιν ἐκείνοις τὴν δύναμιν πάρεσχεν, ὥστε ἐγγένεσθαι, καὶ ἐγγενομένοις γε σωτηρίαν παρέχει, ἕωσπερ ἂν ἐνῇ. καίτοι ἔφαμεν δικαιοσύνην ἔσεσθαι τὸ ὑπολειφθὲν ἐκείνων*, i. e.: Videtur mihi ex iis, in quae inquisivimus (sapientiam, fortitudinem, temperantiam) restare iustitiam, quae tribus illis facultatem oriundi dedit ortisque salutem, donec inest. Patet igitur, Platonem sententiam suam de virtutibus hactenus commutavisse, quod pro temperantia (Charm., Gorg.) in IV° libro Reipublicae iustitiam ceteris praeposuit. Maximi igitur momenti est, cognoscere, quid Plato in Reipublicae libro *primo* de virtute sentiat. Si ibi quoque iustitiam principem virtutem esse videbimus, liber ille in priorum dialogorum numero haberi non poterit, sed artissimo vinculo cum quarto Reipublicae libro coniunctum esse eum apparebit. Hoc autem facile apparet ex loco, de quo supra iam egimus: Rep. I 353 E *οὐκοῦν ἀρετήν γε συνεχωρήσαμεν ψυχῆς εἶναι δικαιοσύνην, κακίαν δὲ ἀδικίαν; ... Ἡ μὲν ἄρα δικαία ψυχὴ καὶ ὁ δίκαιος ἀνὴρ εὖ βιώσεται, κακῶς δὲ ὁ ἄδικος ... ὁ μὲν δίκαιος ἄρα εὐδαίμων*. De viro iusto hic eadem fere dicuntur, quae in Gorgia de viro temperanti. Temperantiam igitur virtutem principem esse in prioribus dialogis et Gorgia vidimus, iustitiam virtutem propter excellentiam esse tam in libro I° quam IV° Reipublicae. Ergo Gorgias dialogus in priorum dialogorum numero habendus est, Reipublicae liber primus arte cum cetera Republica coniunctus est.

III.

Sic sponte venimus ad alteram partem disputationis nostrae, quae ratio sit libro primo Reipublicae cum ceteris libris. Arnimius rimam observat intra librum primum et secundum. Legimus initio libri II[1]: *ἐμοὶ δὲ οὔπω κατὰ νοῦν ἡ ἀπόδειξις γέγονεν περὶ ἑκατέρου· ἐπιθυμῶ γὰρ ἀκοῦσαι τί τ' ἔστιν ἑκάτερον καὶ τίνα ἔχει δύναμιν αὐτὸ καθ' αὑτὸ ἑνὸν ἐν τῇ ψυχῇ, τοὺς δὲ μίσθους καὶ τὰ γιγνόμενα ἀπ' αὐτῶν ἐᾶσαι χαίρειν. Οὕτωσι οὖν*

Digitized by Google

ποιήτω. Ad haec annotat Arnimius[1]): Wer das erste Buch nicht gelesen hat, könnte aus ihr schlieszen, Sokrates hätte den Wert der Gerechtigkeit durch ihre äusseren Folgen in diesem und jenem Leben begründet. Dies ist aber, wie jeder aufmerksame Leser des ersten Buches weisz, keineswegs der Fall. Haec legentes stupemus aliquamdiu. Quid enim? Inde a colloquio cum Thrasymacho (I 336 B—354 C) non ipse per se Socrates disputat, sed refutat argumenta Thrasymachi. Qui quoniam de commodis iustitiae agit, perspicuum est totam controversiam non esse de ipsa iustitia, sed de commodis iustitiae. Initio colloquii eius Thrasymachus iustitiam τὸ τοῦ κρείττονος συμφέρον esse dicit, quo facto continenter sermo est de commodis, quae ex virtute profluunt, cf. λυσιτελοῦν 344 C, μισθός 347 B μισθωτοί ibid., μισθωτική 346 B, λυσιτελέστερος 347 E 348 B et passim. Et sane, inde a 347 E disputationem paulo minus ad commoda et pecuniam pertinere confiteor; sed si demonstratur iustitiam validiorem esse (ἰσχυρότερον εἶναι) iniuria aut iustitiam efficere, ut beati simus, hoc minime est quaerere quid sit iustitia per se (αὐτὸ καθ' αὑτό). Hoc facit quarto demum libro idque illo loco, ubi demonstrat, si in nobis sapientia malis cupidinibus plus valeat et quaeque pars nostri suum faciat proprium, iustitiam oriri. Itaque initio libri II[1] recte rettulit argumentum libri I[1] neque ullus hiatus est inter librum primum et secundum. Sed fac Platonem pravum in modum argumentum libri I[1] rettulisse. Id facilius explicaretur, si „Thrasymachus" dialogus aliunde sumptus postea Reipublicae praepositus esset? Non opinor. Nam quid tum quoque Platonem movisset, ut pravum in modum referret eum?

IV.

Sed ad totam Reipublicae compositionem liber primus desiderari non potest.

Per totam Rempublicam tria distinguuntur: pecunia, honor, scientia. Primo in optima republica et in ipso homine tres ordines distinguuntur, deinde tria sunt genera civitatum et

1) l. l. p. 73.

Digitized by Google

hominum, in quibus singulis semper singuli ordines praevalent. Sua cuique generi hominum laetitia est. Trium illorum et populorum et hominum singula exstant exempla. Quod accuratius exponemus.

In civitate Platonica tres ordines distinguuntur: ordo philosophorum, qui regnant, non voluptatis aut commodorum aut honorum causa, sed reipublicae (IV 420 B); ordo virorum militarium, qui rempublicam ab hostibus defendunt; postremo ordo eorum, qui quaestum faciunt.

Quocum conjunctum est, quod animus ipse in tres partes dividitur: sapientiam (λογιστικόν), studium laudis et bonum animi motum (θυμοειδές), cupidines (ἐπιθυμητικόν).

Tria genera civitatum sunt; ea civitas, in qua philosophi regnant, recta respublica est; in ea philosophi, a militibus adiuti, negotiatoribus praesunt. Minus recta ea civitas est, in qua milites regnant. Sed prava ea est, in qua regunt, qui pecuniam et divitias quaerunt, sive pauci sunt (ὀλιγαρχία), sive multi (δημοκρατία), sive unus homo (τυραννίς).

Quocum cohaeret, quod tria genera hominum sunt: genus φιλομαθές, φιλότιμον, φιλοκερδές.

Ex tribus illis generibus hominum suam quisque habet voluptatem: sapientiae, honoris, pecuniae. Praestantissima voluptas est sapientiae iudicibus sapientibus. Horum autem unum iudicium valere, quia ii soli tria genera laetitiarum et sapientiae et honoris et pecuniae noverint. Viros militares enim tantummodo honoris et pecuniae voluptatem novisse, negotiatores nil nisi pecuniae voluptatem. Quamobrem tria genera laetitiae comparanti nec militis nec negotiatoris iudicium valere aliquid, quippe quibus gaudium sapientiae ignotum sit, sed unum iudicium hominis sapientis.

Exemplorum causa hi populi nominantur: sapientiae Athenienses, studii laudis et honoris Thraces et Scythae, negotiatorum Phoenices et Aegyptii (IV 436 A).

Nunc videamus, num hominum quoque sint exempla. Exemplar sapientiae esse Socratem nemo, ut opinor, infitiabitur. Glauconem autem exemplum esse hominum laudis studiosorum et ex aliis et ex hoc loco colligo: VIII 548 E Τίς οὖν ὁ κατὰ ταύτην (i. e. φιλότιμον) τὴν πολιτείαν ἀνήρ;.... Οἶμαι μέν, ἔφη

Digitized by Google

ὁ Ἀδείμαντος, ἐγγύς τι αὐτὸν Γλαύκωνος τουτουῖ τείνειν ἕνεκά γε φιλονικίας, i. e. quisnam homo civitati laudis studiosae similis est?... Adimantus, propter ambitionem censeo, inquit, Glauconi simillimum eum esse. Quae opinio nostra corroboratur iis, quae legimus priore parte libri II[1] (357 A—368 E). Nam postquam libro I° Thrasymachus locutus est, qui nil nisi divitias colit neque curat aliorum opinionem, minime cupidus simulandi se virum iustum ac bonum esse, dummodo dives sit et potens et re vera tyrannus, libro II° Glauco Adimantusque verba faciunt, qui simulatorem probitatis describunt, qui malus est, sed bonus videri speciemque virtutis servare cupit: 362 A οὐκ εἶναι δίκαιον, ἀλλὰ δοκεῖν δεῖ ἐθέλειν, 366 E οὐδεὶς πώποτε ἔψεξεν ἀδικίαν οὐδ' ἐπῄνεσεν δικαιοσύνην ἄλλως ἢ δόξας τε καὶ τιμὰς καὶ δωρεὰς τὰς ἀπ' αὐτῶν γιγνομένας, i. e. si quis unquam iustitiam laudavit, non iustitiam laudavit, sed speciem *honorem* dona quae ab iis profluunt, cf. 364 A (τιμᾶν... ἀτιμάζειν), 367 B τὰς δὲ δόξας ἀφαίρει.

Congruunt haec cum loco quodam libri I[1], ubi Glaucus in scenam inducitur. Ut iam vidimus, libro I° vulgo de nulla fere re sermo est nisi de pecunia et commodis, sed vix de honore. Sed postquam v. τιμή ab Socrate dicta est, statim Glauco sermonis particeps fit. Cum Thrasymachus de sola pecunia agat, Glauco disputat de pecunia cum honore coniuncta: 347 B φιλότιμον καὶ φιλάργυρον, ibid. οὔτε χρημάτων οὔτε τιμῆς ἕνεκα. Ergo exemplum laudis cupidinis Glauconem (cum Adimanto) esse iam patet, opinor.

Quis denique exemplum est hominis divitiarum cupidi? Obiter inspicienti Thrasymachus esse videtur. Nam ut v. τιμή audita extemplo Glauco in scenam prodit, ex quo apparet rationem, quae Glauconi est cum hac voce, fere eandem esse, quam vir musicus ille Wagnerius „motief" vocat, sic „motief" Thrasymachi divitiae sunt. Nam quando sermonis fit particeps? Quum primum agitur de tyrannis et postquam Socrates negavit sententiam „iustitiam esse inimicis nocere" Simonidi esse attribuendam, sed eius auctorem esse suspicatus est tyrannum quendam, qualis fuit aut Periander aut Xerxes: 336 A Οἶμαι αὐτὸ Περιάνδρου εἶναι ἢ Περδίκκου ἢ Ξέρξου.... ἤ τινος ἄλλου **μέγα οἰομένου δύνασθαι πλουσίου** ἀνδρός. Continuo post haec

Digitized by Google

verba Thrasymachus in scenam irrumpit, quemadmodum post vocem *τιμή* Glauconem continuo sermonis participem fieri vidimus.

Sed ut clarius appareat divitiarum cupidinis et tyrannidis specimen Thrasymachum esse, necesse est totam Reipublicae compositionem strictim percurramus.

Est in Republica via acclivis (libri I—III), fastigium (IV—VII), via declivis (VIII—X). Libri III priores agunt de rebus pertinentibus ad duo genera hominum inferiorum: militum et negotiatorum:

l. I refutatur Thrasymachus, homo *φιλάργυρος*

l. II[a] disputant Glauco et Adeimantus, homines *φιλότιμοι* (357 A—369 B).

II[b] describitur ordo hominum negotiatorum (369 B—376 E).

II[c] et III describitur disciplina hominum militarium (376 E—417 B).

Itaque a genere *φιλαργύρου* per genus *φιλότιμον* ascendit Plato, deinde libro IV disputat, quae ratio intersit inter rempublicam iustam et hominem iustum, quo facto ad fastigium pervenit, i. e. ad rectam rempublicam describendam (V—VII). Inde a libro VIII° descendere incipit, sed antequam viam declivem illam ingreditur, designat iter et duas partes maxime diversas esse ait: suam modo descriptam praestantem rempublicam et vilem tyrannidem, addito nomine Thrasymachi: VIII 545 A *ἵνα ἡ Θρασυμάχῳ πειθόμενοι διώκωμεν ἀδικίαν ἢ τῷ νῦν προφαινομένῳ λόγῳ* (i. e. disputationi librorum V—VII) *δικαιοσύνην*. Deinde demonstrat, quomodo recta respublica per genus *φιλότιμον* recidat ad genus *φιλάργυρον*, i. e. ad pessimam tyrannidem.

Sub finem viae iterum Thrasymachus nominatur: IX 590 D *οὐκ ἐπὶ βλάβῃ τῇ τοῦ δούλου οἰόμενοι δεῖν ἄρχεσθαι αὐτόν, ὥσπερ Θρασύμαχος ᾤετο τοὺς ἀρχομένους, ἀλλ' ὡς ἄμεινον ἦν πάντι ὑπὸ θείου καὶ φρονίμου ἄρχεσθαι*, i. e. non cum damno civium regnare eum debere censemus, velut Thrasymacho videbatur, sed cuique praestare a viro bono regi.

Quod autem Thrasymachum et initio et sub finem disputationis librorum VIII et IX nominat, indicat ad disputationem libri I', ubi primas partes agit, responderi. Clare idem apparet IX 580 BC *Μισθωσώμεθα οὖν κήρυκα ἢ αὐτὸς ἀνείπω, ὅτι ὁ Ἀρίστωνος*

Digitized by Google

ὑὸς τὸν ἄριστόν τε καὶ δικαιότατον εὐδαιμονέστατον ἔκρινε..., τὸν δὲ κάκιστον τε καὶ ἀδικώτατον ἀθλιώτατον, quae respondent ad Rep. I 363 E, quem locum p. 311 laudavimus, cf. 588 A. Sed singula loca exscribere opus non est. Totus liber IX^us^, ubi tyrannidem redarguit et refellit, ad totum librum I^um^ respondet, ubi ad tempus idem iam fecerat. Sed in libro IX° habet, quod tyrannidi opponat: suam rempublicam splendidissimam, quam descripsit libris V—VII et quam identidem cum pessima illa tyrannide comparat. Ergo qui librum primum a Reipublicae libris dissolverit, ei liber IX^us^ quoque laxus videbitur et cum eo liber VIII^us^. Nos incolumes intactosque servemus splendidos libros Reipublicae et cavemus, ne disiecta membra philosophi retineamus.

V.

Restat, ut pauca dicamus de decimo libro Reipublicae, qui paulo laxius cum ceteris coniunctus est. Sed intellegemus, quid sibi velit, si cogitaverimus eum quoque ad primos libros respondere. Cum singula loca pro se loquantur, satis est ea indicare.

X 608 E—612 A sunt de proprio malo (οἰκείου κακοῦ) et manifesto respondent ad locum de propria virtute (οἰκείᾳς ἀρετῆς I 353 A), de quibus supra pp. 308 sq. disputavimus.

X 612 B—613 E respondent ad initium libri II^i^, prae ceteris 612 B οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγώ, τά τε ἄλλα ἀπελυσάμεθα ἐν τῷ λόγῳ, καὶ οὐ τοὺς μισθοὺς οὐδὲ τὰς δόξας δικαιοσύνης ἐπηνέκαμεν, ὥσπερ Ἡσίοδόν τε καὶ Ὅμηρον ὑμεῖς ἔφατε, ἀλλ' αὐτὸ δικαιοσύνην αὐτῇ ψυχῇ ἄριστον ηὕρομεν καὶ ποιητέον εἶναι αὐτῇ τὰ δίκαια, ἐάν τ' ἔχῃ τὸν Γύγου δακτύλιον ἐάν τε μή..... Quod neque mercedem neque speciem iustitiae laudaverunt, hoc referendum est ad librum I^um^ et initium II^i^ (sermones Thrasymachi et Glauconis); eodem libro secundo et Homeri Hesiodique versus sunt mercedem iustitiae laudantium; de Gygae anulo actum est 363 BC, 358 D.

Finis libri decimi totiusque Reipublicae, quo mythus παλιγγενεσίας continetur (614 A—621 D) respondet ad initium I. II (330 D) ubi Kephalos haec dicit: ἐπειδάν τις ἐγγὺς ᾖ τοῦ οἴεσθαι τελευτήσειν, εἰσέρχεται αὐτῷ δέος.... οἱ γὰρ λεγόμενοι μῦθοι

Digitized by Google

περὶ τῶν ἐν Ἅιδου, ὡς τὸν ἐνθάδε ἀδικήσαντα δεῖ ἐκεῖ διδόναι δίκην.... τότε δὴ στρέφουσιν αὐτοῦ τὴν ψυχὴν, μὴ ἀληθεῖς ὦσι, i. e. si quis mortem propinquam videt, metus ei inicitur.... mythi enim, qui dicuntur de inferis, (eum qui hic male vixerit, illic poenas daturum esse), tunc terrent eum, ne veri sint.

Etiam locus ille nobilissimus de poëtis (X 595 A—608 C) ad librum secundum respondere mihi videtur. Poëtae enim sententia Platonis ad ordinem quaestum facientium attribuendi sunt. De illo ordine autem libro II° fuse egit. Disertis verbis poëtae nominantur II 373 B: *πολλοὶ δὲ οἱ περὶ μουσικήν, ποιηταί τε καὶ τούτων ὑπηρέται.*

Forsitan Plato rationem reddere voluerit, cur poëtas in humilem ordinem illum disponeret eamque ob causam libro X° fuse disputaret, quam longe ii ab idearum notione distent.

Digitized by Google

DE CAPILLAMENTO MULIEBRI HODIERNO

QUERITUR

UMBRA APULEI.

Ut me summa dies manes demisit ad imos,
Desidiosus iners haec tristia regna peragro.
Primo pauca quidem me delectare solebant,
Sive metu gelido Cocyti stagna tueri,
Tetrum sive canem iactis vexare lapillis,
Sed mox pertaesum est: vacuus loca vasta pererro
Nec mihi sunt aliquid manes umbraeque recentes:
Non nisi saltatus fatuos, mimos, pugilatus,
Currus automatos, nugas sine fine loquuntur.
Ut fallam lentas horas animumque relaxem,
Ripas per Stygias spatior, qua lurida cumba
Itque reditque viam, nigri dum portitor Orci
Inrequietus agit remos et traicit umbras.
Prospicere e tumulo iuvat et cognoscere quales
Advectet tenues semper sine corpore vitas.
Est haec una tamen mihi iam finita voluptas.
Scilicet exspectans hesterno mane sedebam
Atque in conspectum venit hirti cumba Charontis.
Res miranda! Satin oculis ego cerno? Gravata
Est e more ratis defunctorum simulacris,
Verum quotquot habet spatiosi sarcina lembi
Vectores, cuncti puerorum spectra videntur,
Quippe pilis plane brevibus capita omnia vernant.
'Heu! quae dira lues primaevo flore iuventam
Tantam corripuit subito senioque pepercit!'
Haec cum fatus eram, iam nostris appulit oris
Proram nauta ferox turbamque escendere iussit.

Digitized by Google

Tum vero obtutu stabam defixus in uno:
Quos iuvenes puerosque animosos esse putabam,
Quam sunt diversi sexuque annisque habituque!
Nempe exit manus atque, vide, cum flore iuventae
Matronaeque graves simul egrediuntur anusque
Rugosae, pariter deformes vertice tonso,
Nec summum muliebre decus comparet in una!
O mores, mores! Varium et mutabile semper
Femineum genus esse monet nos alter Homerus,
At vero fieri quondam quis posse putaret
Ut fluidos cunctae truncarent sponte capillos?
Atqui tale nefas ne quis committeret umquam
Praemonui vivens multo sermone pedestri,
Nunc — opus est! — numeris iterum post fata monebo.
Caesaries, decus eximium, nativa venustas
Feminei capitis, quae te praeconia digne
Collaudent? Superas quaevis decora arte parata.
Ecce tibi virgo, muliebri splendida forma: [1])
Illa licet caelo nobis demissa benigno,
Aequore nata siet, nulli cessura dearum,
Sit licet ipsa Venus, Charitum stipata caterva,
Et toto comitata choro Cythereis Amorum,
Balsama quae rorat, splendet cui balteus auro —
Vertice si calvo (dirum!) processerit illa,
Vulcano placita esse suo non ipsa valebit.
Quid cum clarus adest fulgor gratusque capillis
Inlucet color atque adversus sidera solis
Fulgurat interdum vegetus placidusve nitescit?
Aut alia nostros oculos ratione remulcens
Aspectum variat, dum lenem mellis in umbram
Deprimitur radians auro piceove nigrore
Aequat corvorum fuscas imitamine plumas?
Quid cum rore Arabo redolens et pectine comptus
Discretus nitidusque oculis occurrit amici,
Gratior ut velut in speculo reddatur imago?
Quid cum compositus sublimi vertice surgit,

1) Vid. Apul. Metam. II C. 8 extr. et C. 9.

Digitized by Google

Spissus cum sobole innumera, vel dorsa solutus
Laevia prolixa serie permanat abunde?
Denique caesaries tanto laetatur honore,
Ut quaevis mulier, quamvis ornata lapillis
Caris et tunicis Tyriis incedat et auro,
Non cuiquam poterit satis exornata videri,
Si non sollicita distinxerit arte capillos.
Ergo audite, nurus castae pulchraeque puellae
Matronaeque graves! Huc, huc advertite mentem:
Nil pudeat curtos iterum promittere crines,
Ne mala deformet posthac tonsura comas, quo
Stet vestrum varium genus et mutabile semper!

P. H. D.

Digitized by Google

DE ANTIPHONTIS ORATIONE PRIMA.

SCRIPSIT

J. H. THIEL.

I.

Praemonendum. Qui de causa, quam Antiphon prima oratione sua tractaverit, disputare sibi proposuit, ei hoc primum statuendum esse videatur, sitne oratio re vera apud iudices habita, an umbratilem tantum eam iudicemus, eiusdem rhetoris tetralogiis quodammodo comparandam. Quamvis enim orationis nostrae indoles a tetralogiis abhorreat, sunt qui nihilo minus meram declamationem scholasticam esse causamque in ea disputatam plane fictam sibi persuaserint. Attamen tali disputatione merito supersedere mihi videor, quoniam demonstrandi officium ad eum procul dubio pertinet, qui traditionem reiciat — et sane apud antiquos, quod sciam, nemo veram causam oratione nostra contineri dubitavit —, non ad eum, qui traditionis fidem defendat. Itaque cum in hominum rerumque veritate orationem versari mihi persuasum habeam, iure meo, dum ab altera parte fictam causam hic agi pro certo demonstratum erit, pro vera eam tractabo neque disputationem inutilem inibo de rebus imponderabilibus, quibus nihil omnino demonstrari potest.

I. *De obscuris causae recessibus.* Hoc vel primum scrutari libet, quid ipsa oratio aegre invita nos doceat de vi argumentationis, de reae culpa, de dramatis personis, i. e. ex obscurissimis saepe orationis verbis veritatem colligere mihi propositum est. Quamquam enim Wilamowitzium id ipsum olim tractavisse haud ignoro, tamen sagacissimam sane disputationem [1]) eius partim supplendam, partim corrigendam esse censeo.

1) *Hermes* 1887, p. 194 sq.

Digitized by Google

De dramatis personis. Nomina patris mortui, novercae, filiorum ignoramus, non enim ab oratore memorantur. Noverca semel (§ 17) Clytaemnestra ab accusatore appellatur, scilicet ut ipse alter Orestes iudicibus videatur. Wilamowitzius quidem tale cognomen per ludum datum ab Antiphontis gravitate atque omnino ab aetatis eius mente esse alienum [1]), itaque non de noverca hoc dictum contendit, verum id ipsum negaverim, eiusmodi cognomento contumeliae causa indito quicquam iocosi inesse; quasi vero homini de plebe alterum Iudam hodie compellanti iocari in animo esset! „Clytaemnestra ista" [2]), inquit, „ei hoc suaserat, quippe quae priscam Clytaemnestram [3]) imitari vellet!" Neque enim obliviscendum apud Homerum Clytaemnestram instigatricem, Aegisthum exactorem facinoris fingi [4]): et noverca instigatrix est.

Unum tantummodo verum nomen orator noster memorat: patris amicum Φιλόνεων appellat (§ 14). De Vries v. d. [5]) hoc quoque cognomen fictum asseverat, quippe Philoneum mercatorem („navigationis amatorem") fuisse. Quod mihi quidem non probavit; nam si Philonei nomen fictum est, totam causam fictam esse credamus necesse; deinde talia cognomina ut a nobis ex libris sacris (*Job*, *Judas*), ita a Graecis ex argumentis heroïcis mythicisve hauriuntur (e. g. *Sisyphus* [6]), *Clytaemnestra*), utique nomen Athenis id aetatis usitatum [7]) cognominis usum praebere potuisse vix credibile; postremo Philoneum mercatorem fuisse nusquam apparet. Itaque de vero nomine me quidem iudice hic agitur.

Iam ad id ipsum inquirendum accedamus, quid ex oratione noscere possimus de hominibus illis anonymis, qui in miserabili tragoedia nostra partes suas egerint. Accusator hominis veneno absumpti filius, reae privignus est. Sed vide ne orationis argumento in errorem rapiaris, ubi haec leguntur: ὁ δὲ πατὴρ τοῦ λέγοντος τὸν λόγον τελευτησάσης αὐτῷ τῆς γυναικὸς μητρυιὰν τῷ παιδὶ ἐπεισήγαγε. Quae manifeste falsa; nam accusator tem-

1) *L. l.* p. 203.

2) Cum Gernettio lego: τῆς Κλυταιμνήστρας ταύτης ταῖς ὑποθήκαις.

3) *Odyss.* 11, 411.

4) Cf. Treston, *Poine* p. 72.

5) De Vries, *Pallake* p. 56[2].

6) Cf. Xen. *Hell.* 3, 1, 8.

7) *I. Gr.* I (ed. min.), 359. 954 et vide ibidem p. 271, v. 76 (cf. Arist. Ἀθ. πολ. 17, 1).

Digitized by Google

pore quo pater eius veneno interceptus erat, puer adhuc fuerat (§ 30); exspectare debuerat dum sui iuris fieret, ut novercam postularet (§ 1); fratres autem, novercae filios, aetate posteriores fuisse haud credibile, quoniam iudicii tempore et ipsi suae potestatis erant, utpote qui matris causam orarent. Facere igitur non possumus quin mortui filium spurium accusatorem fuisse credamus [1]); iuxta uxorem (accusatoris novercam) concubinam quoque pater habuerat, ex qua accusator natus erat. Utrum ξένη an παλλακὴ haec concubina fuerit, incertum. Quamquam Pericles anno 451/0 legem pertulerat μὴ μετέχειν τῆς πόλεως ὃς ἂν μὴ ἐξ ἀμφοῖν ἀστοῖν ᾖ γεγονώς, tamen Athenienses bello Peloponnesiaco ob hominum iacturam et νόθους in civitatem accepisse vel ex eo apparet quod anno 403/2 Periclis lex renovanda fuit [2]). Iam inde a primis belli Peloponnesiaci annis, cum pestilentia multos Athenienses abstulisset, et παλλακῆς et ξένης filios in civitatem ascisci potuisse putaverim. Quae cum ita sint, haud scio an nimis confidenter aetate historica παλλακὴν iuxta uxorem Graecos non habuisse De Vries v. d. statuerit [3]). Sane a Graecorum moribus id abhorruisse libenter ei concedo; sed quae contra bonos mores sunt, ea tamen et hodie cotidie fieri solent praecipueque quod attinet ad virorum feminarumque commercium nihil adeo depravatum hominibusque vulgo detestatum cogitatione fingi potest quin fieri tamen soleat. Qualis rei nostra quoque oratio exemplum fortasse praebet: iuxta uxorem pater accusatoris paelicem habuerat idque ipsum, ut quod a Graecorum moribus abhorreret, effecerat ut uxor a marito abalienaretur.

Restat ut inquiramus quid de patris sodali Philoneo ex oratione colligi possit. Ab accusatoris patre ὑπερῷον conduxerat, ubi habitaret quotiens in urbe moraretur; paelicem habebat, quam, utpote pertaesus, in πορνεῖον dare cogitabat, ni morte prohibitus foret (§ 14). In Piraeo procul dubio domicilium habuit, eo enim se contulit ut Iovi Ctesio, domestico imprimis deo [4]), sacrificaret (§ 16). Nam si mercator sine certo domicilio

1) Vide Wilam., *l. l.* p. 194 sq.

2) Arist. Ἀθ. πολ. 26, 4, cf. Lipsius, *das Attische Recht und Rechtsverfahren* p. 412 sq., vide etiam Arist. *Pol.* 3, 5, 4 (1278 *a*).

3) *L. l.* p. 57—58. 4) Cf. Wyse in Isaei editione ad locum 8, 16.

Digitized by Google

fuit, id quod contendit De Vries [1]), hoc statim rogo, **ubi** Piraei domesticum illud sacrificium facere potuerit; nisi **forte** in nave eum amico epulas apposuisse credideris! Mercatorem eum fuisse ex oratione nostra effici nequit, de vitae condicione nil discimus nisi quod verbis consulto obscuris ἦν ἐπὶ πορνεῖον ἔμελλε καταστῆσαι exprimitur. Hoc primum statuendum **ea** verba non esse vertenda: „quam in lupanar *vendere* cogitabat" [2]); nam καθιστάναι non est vendere, verum, ut vernacule dicam, *zetten* [3]). Igitur non vendere servam animo habuit, sed **ipsius** serva mansura erat quaestumque (nempe domino suo!) corpore factura in ipsius domini lupanari. Id solum ignoramus, quantum πορνεῖον illud fuerit. Nam neque voci πορνείῳ neque οἰκήματι [4]) sensus magni negotii inest; modo lupanar significant, ubi plures hetaerae quaestum corpore faciunt [5]), modo **unius** meretricis pergulam [6]). Nescimus ergo fueritne Philoneus verus πορνοβοσκός, an unam alteramve tantum servam prostituerit vel tum primum prostituere cogitaverit. Sed quamquam **eum** πορνοβοσκον fuisse demonstrari non potest, tamen veri simillimum mihi quidem videtur. Nam accusatorem id egisse ut Philoneum meliorem fingeret quam re vera fuisset facile intelligitur: patris enim mortui amicus fuerat. Consulto satis ambigue de negotio isto loquitur articulumque vocabulo πορνείῳ non addit, ut Philoneum lupanaris dominum fuisse dissimulet [7]). Iniuriam,

1) *L. l.* p. 56.

2) Wilam., *l. l.* p. 204: „in ein Bordell *verkauft* zu werden".

3) *In een winkel, in een zaak zetten.* Technicus paene terminus est de domino servam prostituente usurpatus, cf. Din. 1, 23; Diog. Laert. 2, 105; Athen. 13, 569 *d*; idem significare videtur verbum καθίζειν, apud Herodotum de patre dictum, qui filiae corpore quaestum facit (2, 121. 126).

4) Οἴκημα idem est atque πορνεῖον, cf. Pollux 9, 34. 45 οὐ μόνον δὲ τὸ δεσμωτήριον οἴκημα παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ἔστιν εἰρημένον, ἀλλὰ καὶ τὸ πορνεῖον. Notabile est vocem οἴκημα et carcerem et lupanar, sedes maxime infames, per dissimulationem significare, ut vox nostra *kast*; nisi quod vocabulo Batavo asperi quiddam inest, quod a voce Graeca abesse videtur.

5) Athen. 13, 569 *b*; Xen. *Memor.* 2, 2, 4.

6) Herod. et Diog. Laërt. *l. l.*; οἴκημα cella quoque meretricia esse potest, ut apud Isaeum 6, 19.

7) Simile dissimulationis exemplum habes apud Isaeum 6, 19, ubi ex oratoris verbis non apparet, utrum ipse Euctemon servam ἐκτήσατο, quam in lupanari sedere cogeret, an liberta, quae lupanari praeerat. Nempe et Euctemon πορνόβοσκος fuit, liberta lupanaris procuratrix, cf. Wyse ad locum.

Digitized by Google

opinor, accusatori non facimus res de Philoneo ab eo narratas in peius augentes. Nam et ipse sibi conscius fuisse videtur patris sodalem non tam honestum virum fuisse quam affirmare conatur. Vide quam acriter eum hominem honestissimum fuisse asseveret (§ 14); qui ultro tale quid affirmaverit, mendacii sibi conscius fuisse iure arguetur. Ideo, opinor, ἐν Πειραιεῖ παρὰ ταῖς πόρναις domicilium suum Philoneus habuit [1]): πορνοβόσκος potius quam ἔμπορος fuit [2]). Quid interdum in urbe apud amicum deversatus sit, incertum manet; sed negotiatores Graeci non omnes nummos suos uno in negotio occupare solebant [3]); et in urbe eum negotia quaedam gessisse crediderim.

Itaque pro Graecorum etiam moribus pater et amicus eius homines optimae notae non fuerant: pater — id quod a Graecorum mente alienum erat — paelicem iuxta uxorem habuerat; πορνοβόσκου autem negotium, quod amico ascripsimus, Graecis infame fuisse ex Aeschinis loco 1, 188 apparet. [4])

Denique pauca de Philonei paelice: eam servam fuisse non ex eo solum apparet, quod in lupanar dare eam Philoneus cogitavit, sed et eo demonstratur quod statim *morte* punita est (§ 20), quamquam *bona fide* ἐπὶ φίλτρῳ venenum viris ministraverat. Plura de hac re a viro docto De Vries satis disputata [5]) addere superfluum.

De reae culpa. Noverca dolo malo, scilicet ut maritum suum necaret, venenum Philonei servae dedisse ab accusatore arguitur. Sed antequam id ipsum inquiramus, sitne probabile ream commisisse revera scelus ei obiectum necne, quaestiunculam arcte cum praecedenti coniunctam prius disputare atque absolvere necesse: utrum novercam medicamentum amatorium Philonei paelici dedisse in confesso fuit idque solum mansit ambiguum, malo dolo an ἐπὶ φίλτρῳ dedisset? An ne illud quidem constitit neque dolus tantum malus accusatori demonstrandus fuit, verum etiam hoc, servam potionem a noverca accepisse?

---

1) Cf. Poll. 9, 34.

2) Habueritne procuratricem, quae negotio praeesset, ut Euctemon iste, non apparet. Veri autem est simile, quoniam ipse Philoneus interdum in urbe apud amicum devertebatur.

3) Cf. Bolkestein, *Tijdschr. v. Gesch.* 1923, p. 23 sq.

4) Et cf. Pollux 6, 128. 5) *L. l.* p. 16.

Digitized by Google

Wilamowitzius illud contendit; dicit enim (neque tamen argumentis confirmat) Philonei servam post facinus tormentis deditam novercam sociam scelerisque instigatricem edidisse; neque rea eiusque filii, si credas Wilamowitzio, id negabant, verum hoc solum contendebant, matrem bona fide egisse neque veneficii malo dolo facti, sed *ἀκουσίου* tantum *φόνου* teneri eam. Miror Maschkium quoque in libro egregio nuperrime edito [1]) Wilamowitzium hac in re esse secutum; nam ex ipsa oratione alia omnia concludere licet. Fratrem pro matre iuravisse *εὖ εἰδέναι μὴ πεποιηκυῖαν ταῦτα* ipse accusator testatur [2]); statimque addit: *πῶς ἄν τις εὖ εἰδείη οἷς μὴ παρεγένετο αὐτός*; Quae si integro iudicio perlegas, non de dolo tantum malo, sed de *facto*, i. e. de veneno decoquendo tradendoque hic agi concluseris. Haud enim iure suo Maschke verba *μὴ πεποιηκυῖαν ταῦτα* ita interpretatur [3]): „non *consulto* eam fecisse". Ut sane sit verum, quod contendit Maschke [4]), *τὸ ποιεῖν* actionem voluntariam, *τὸ δρᾶν* haud meditatam potius significare (quamquam id quoque demonstrandum est), tamen verba *μὴ πεποιηκυῖαν* talem interpretationem: „fecit quidem, sed non consulto fecit", non admittunt. Nam vocula *μὴ* non dolum tantum malum, qui facinori subest, sed et ipsum factum et intentionem negat. Item § 6 accusator id praesumendo refellere conatur, quod a fratre causam matris orante dictum iri suspicatur: *ὡς εὖ οἶδεν ὅτι γ' οὐκ ἀπέκτεινεν ἡ μήτηρ αὐτοῦ τὸν πατέρα τὸν ἡμέτερον.* Id ipsum Wilamowitzio iudice paelicis confessione constitit neque a noverca eiusque filiis negari potuit, quod ab iis negatum iri accusator ipse suspicatur! Et quid de uno solo illo argumento eoque debilissimo, quo accusatio nititur? Accusator adversariorum servos — frustra sane, nam dedere recusaverant — in tormenta petiverat; novercam enim iam antea identidem mariti animum medicamento sibi reconciliare conatam eos testari posse asseverabat (§§ 8 sq., § 3). Hic quoque de *facto* per ambages demonstrando agitur, non de mala intentione, quam teste ipso accusatore noverca in delicto deprensa praefracte negavisset. Postremo Philonei servam in tormentis auc-

1) Maschke, *die Willenslehre im Griechischen Recht* (1926).
2) § 28; agitur de diomosia. 3) *L. l.* p. 99. 4) *L. l.* p. 73[1].

Digitized by Google

torem facinoris novercam indicavisse — id quod contendit Wilamowitzius — nusquam apparet; hoc tantum dicitur, eam tormentis factum confiteri adactam (id enim est *τροχισθεῖσα*) ad supplicium esse traditam (§ 20). De noverca *οὐδεὶς λόγος*! Si revera serva instigatricem eam edidisset, quid, rogo, accusatorem adducere potuisset ut grave illud testimonium taceret, immo pro eo decantatum istum debilissimumque de adversariorum servis locum dilataret ad id demonstrandum, quod paelicis testimonio demonstratum iam esset? Insani hoc fuisset! Ad hoc haud scio an serva non statim carnifici tradita esset, si novercam sociam edidisset: nil enim nisi manus ministra ipsa fuisset.

Itaque novercam filiosque *omnia* infitiatos censeo, et veneni traditionem et interficiendi intentionem; serva suum ipsius tantum facinus confessa socium non ediderat. Quin quod serva de instigatrice tacuerat, id ipsum novercae filiis in anacrisi gravissimum, opinor, argumentum fuerat ad matris innocentiam demonstrandam: dicit enim accusator (§ 6) fratrem, quibus rebus certior fieri potuisset, tormentis scilicet, iis rem comperire noluisse; „*verum ubi nil nosci poterat, id ipsum studuit*". Quibus ultimis verbis, scilicet consulto obscuris, servae confessionem significat, quippe quae novercam non edidisset, ex qua „nil igitur nosci potuisset". Ergo frater ita (et hercle optimo iure!) ratiocinatus erat: „serva suum ipsius tantum facinus confessa est neque matrem meam indicavit; itaque nil inter eas compositum fuit". Etenim servam de auctore, si fuisset, inter tormenta taciturum fuisse quis credat? Miraculi loco fuisset [1]). Ulcus accusationis tangimus: servae testimonium de socia tacens anceps accusatori et lubricus locus est, quem dissimulare quam maxime studet. Vide verba ambigua, quibus rem molestam obscurare conatur [2]); inter duas sententiae partes, quae totum pondus habent clarissimaque in luce ab oratore collocantur [3]), pauca verba servae confessionem ambigue signi-

---

1) Cf. Antiph. 6, 25.

2) § 20; servam facinus confessam esse obscurius exprimere non potuisset quam verbo *τροχίζειν*, quo utitur.

3) *Ἀνθ' ὧν ἡ μὲν διακονήσασα ἔχει τὰ ἐπίχειρα ὧν ἀξία ἦν, οὐδὲν αἰτία οὖσα* —, *ἡ δ' αἰτία τε ἦδη καὶ ἐνθυμηθεῖσα καὶ χειρουργήσασα ἕξει, ἐὰν ὑμεῖς τε καὶ οἱ θεοὶ θέλωσιν.*

Digitized by Google

ficantia in umbram obscurissimam reprimuntur. Ita eum servae testimonium praetermissurum fuisse, si novercam revera edidisset, ne cogitari quidem potest.

Itaque haec statuo: 1° novercam potionem Philonei paelici dedisse non in confesso erat neque a noverca eiusque filiis concedebatur; 2° quod paelex novercam non prodiderat, id ipsum gravissimum indicium est novercam sceleris omnino non fuisse consciam. Sequitur ut inquiramus num alia quoque indicia de reae innocentia oratio praebeat. Neque veneni traditionem neque interficiendi intentionem *demonstrari*, immo accusatorem se id demonstrasse constanter simulare, quod adhuc sit demonstrandum, omnibus notum. Qua ex re tamen concludere non licet ream insontem fuisse, sed hoc tantum, eam quia nil demonstrari posset absolvi debuisse; innocentia non demonstratur demonstrandi penuria. Saepissime etiam hodie fit ut reus convinci nequeat ac tamen omnes eum scelus obiectum commisisse sibi persuadeant, quoniam quamvis absint argumenta culpae tamen species praevalet. Cuius rei hic quoque exemplum habemus: demonstrari nil potest; tamen plerique homines orationem nostram perlegentes novercam, etsi non convictam, sceleris haud expertem fuisse facile credent. Sed cavendum ne temere nobis persuaderi patiamur argumentatione speciosa potius quam fida; nam data opera accusator id agit ut, cum culpam *demonstrare* non possit, ad *suspicionem* tamen culpae iudicum animos excitet. Inquirere igitur necesse, unde originem trahat suspicio ista, antequam eam praevalere sinamus.

Hoc vel primum novercae innocentiae obstare videtur: si Philonei serva sponte sua potionem domino ministravit, cur eas ipsas inter epulas fecit, quibus praeter Philoneum amicus quoque accubuisset? Quod duobus amicis una cenantibus venenum ministravit, nonne indicio id est novercam (quippe amici uxorem) sceleris fuisse consciam? Quod quamquam primo obtutu grave culpae indicium videri posse haud ignoro, tamen ad merum casum referendum putaverim. Servam bona fide egisse constat: dominus eam aspernari coeperat, iam in eo res erat ut de paelicis in meretricis statum deiceretur; itaque φίλτρῳ eum sibi reconciliare conata est. Credidit potionis effectui; medicamenti autem amatorii fiducia ad religionem

Digitized by Google

pertinet. Itaque si per *sacrificii* occasionem venenum ministravit, nil mirum; nonne Deianira quoque [1]), ut Hercules *inter sacrificandum* vestem medicamento tinctam gereret, optaverat? Iovis autem Ctesii imprimis auxilium eam speravisse, exspectasse igitur dum illi deo dominus sacrificaret, facillime intellegitur: Zeus Ctesius cellae penariae deus erat, ubi signum eius esse solebat [2]); serva non solum παλλακή, verum etiam ταμία Philonei fuit [3]); si ταμία illa deum domesticum pro genio suo aestimavit, ergo in ipso discrimine temporis, quo a domini penatibus divelleretur, ab illo imprimis salutem speravit eiusque sollemnia ad facinus perpetrandum delegit, quid mirum? Domini amicum epulis interfore servae curae esse non poterat: praesente conviva fallere expeditius erat; insuper dolus malus aberat a servae consilio neque calamitatem exspectabat, verum in aliam tantum mentem dominum adductum iri sperabat. Itaque quod serva praesente domini amico potionem ministraverit, id mero casui assignandum censeo. Qua cum re parvum quoddam indicium congruere videtur, id dico quod serva Philoneo maiorem potionis portionem dedit quam amico (§ 19): *domini* mentem mutare desiderans ei plus vini veneno mixti infudit quam amico una libanti, cuius mentem φίλτρῳ corrigere haud cogitabat [4]). Quodsi a noverca instigatam contendas, instigatricis causam neglexisse suoque ante omnia commodo inservisse eam credas necesse; quod quamvis facile tibi finxeris, tamen non congruat constantiae a serva posthac in tormentis ostentatae: in veneno ministrando suo imprimis commodo servisset, paullo post tormentis dedita fidem cane dignam erga sociam praestitisset! Immo ita rem mihi fingo: Philoneo maiorem „dosim" ministravit, quoniam sponte sua egit eiusque tantum mentem mutare studuit; tacuit inter tormenta de instigatrice, quoniam instigatrix non fuerat. — Ceterum maiorem eam veneni portionem Philoneo dedisse non

1) Soph. *Trach.* 609.

2) Harpocr. *s. v.* Κτησίου Διός, cf. etiam Wyse ad Isaeum 8, 16.

3) De qua re liber viri docti De Vries saepius iam laudatus consulatur.

4) In cantharo, opinor, ex qua pocula repletura erat, venenum vino affuderat; itaque domino *soli* medicamentum ministrare non potuit quippe quod vino mixtum in cantharo apportaret.

Digitized by Google

constitit, sed hoc tantum, Philoneum statim, accusatoris patrem post vicesimum demum diem esse mortuum; mera coniectura nituntur ea, quae de variis portionibus accusator in narratione fabulatur, quamvis constare simulet. Adversarii alia omnia, opinor, ex sera patris morte coniecerant: servam soli Philoneo venenum ministrasse patremque in morbum forte incidisse suaque morte defunctum in anacrisi asseveraverant [1]). Qua re id confirmari, quod supra demonstrare conatus sum, in transitu annoto: servam soli Philoneo venenum ministrasse asseverando *sua sponte* eam egisse novercae filii simul contenderant. Tum Philonei amicum sua morte esse defunctum quamvis veri dissimile videatur, tamen de morbi qui eum perdiderit indole nil omnino notum esse neque ergo, num ex veneno originem traxerit, a nobis diiudicari posse haud obliviscendum. Accedit quod id aetatis hominibus unum tantum indicium praesto fuit, quo veneficium mortis causam fuisse statuerent: exiguum inter veneficium mortemque intercedens temporis spatium; nam defuncti corpus post mortem incidere visceraque rimari iis non licuit. Viginti autem dierum spatium haud ita parvum aestimandum est, utique adversariis ad accusatoris argumentationem impugnandam validissimum argumentum praebere potuit. Totum illud veneficium igitur locus quam maxime anceps atque obscurus et illis fuit et nobis est. Accusatorem portiones non aequales suspicantem fratre rectius coniecisse crediderim quidem; tamen etiamsi ita res se habuit, quemadmodum accusator eam sibi finxit, reae innocentiae indicium eam praebere supra iam indicavi.

Sequitur ut pauca disseramus de argumento isto, in quod semper semperque accusator revolvitur: ream iam antea saepius marito *φίλτρον* dare conatam (§ 3), sed ab eo in delicto deprensam esse (§ 9) contendit. Novercae filii servos suos, quos de ea re testimonium reddere posse accusator confirmabat, tormentis dedere recusaverant (§§ 8 sq.). Quale argumentum ne magni pendamus, quam maxime cavendum. Nam primum si reus servos suos in quaestionem dare recusat, id in conscientiam ducere non licet: servi dominis suis saepe non favebant,

1) Quod accusator § 26 refellere conatur: *πῶς γὰρ οὐ βιαίως ἀπέθανεν, ὅς γ' ἐκπλεῖν ἤμελλεν ἐκ τῆς γῆς τῆσδε παρά τε ἀνδρὶ φίλῳ αὑτοῦ εἱστιᾶτο;*

Digitized by Google

ad hoc tormentis quidvis ementiri adigebantur; quamvis innocens reus servos tormentis dedendo gravissimum periculum suscipiebat. Tum servi — si omnino quid noverant — de praecedentibus tantum novercae conatibus testimonium reddere poterant, non de ipso scelere; quod quamvis callide argumentationis iteratione [1]) orator dissimulet, flexu et per ambages miserum indicium ab eo praeberi ad id demonstrandum, quod comminus et recta via demonstrari omnino non posset, bene memoria teneamus necesse. Denique hoc rogo: num revera servi isti testimonium reddere potuerunt de praecedentibus novercae machinationibus? Equidem dubitaverim. Servi isti, qui iudicii tempore novercae filiis in dominio erant, procul dubio patris, dum vixerat, fuerant. Qui cum post servae facinus viginti dies vixerit, id miror, quid eum adducere potuerit ut de servis, quos uxorem suam indicare posse scilicet haud ignoraret, quaestionem ipse habere supersederet. Licuit ei utpote servorum etiamtum domino [2]) necnon post mortem heredes suos eosdemque novercae filios, quippe qui matri faverent, servos tormentis dedere filio spurio suo recusaturos suspicari potuit. Etiamsi vires ad quaestionem habendam ei ut qui gravissimo morbo aegrotaret defuisse conicias, tamen unum alterumve saltem servorum *νοθείων* nomine filio spurio legare potuit [3]), ne *omnis* demonstrandi materia accusatori a novercae filiis eriperetur. Sed neque hoc neque illud fecit: novercae filii servos post patris mortem hereditate acceperunt; patrem ante mortem quaestionem de servis non habuisse accusator ipse testatur [4]). Quae res indicio esse videtur servos istis rebus conscios non fuisse, immo prorsus fictum id esse [5]) ab accusatore ac patre eo consilio, ut, si adversarii — id quod quamvis innocentiae sibi conscii propter periculum facturi erant — servos in quaestionem dare recusavissent, in conscien-

1) De qua re infra nobis orationis compositionem tractantibus disputandum erit; vide etiam Wilam., *l. l.* p. 200 sq.

2) Cf. Lipsius, *das Attische Recht und Rechtsverfahren* p. 893.

3) Cf. Harpocr. *s. v. νοῤῥεῖα*: *τὰ τοῖς νόῤῥοις ἐκ τῶν πατρῴων διδόμενα οὕτω καλεῖται· ἦν δὲ μέχρι χιλίων δραχμῶν* e. q. s.; vide etiam Aristoph. *Ac.* 1656.

4) § 30.

5) Id quoque accedit quod si revera noverca maritum saepius veneno aggressa esset, procul dubio eam repudiasset; quod non fecit.

Digitized by Google

tiam id ducendo iudicum suspicionem moverent. Tale quid ementiendo accusator multa in aleam non dabat, immo ludus omnis periculi expers idemque utilissimus erat: si adversarii condicionem repudiassent, conscientiae indicium habiturus erat; sin accepissent, servos tormentis adactos quamvis falsa edituros exspectare poterat.

Scilicet, si vera sint ea quae conicio, accusator paterque, qui tales artes, ut opinor, eum docuisset, homines candidi atque integri non fuerunt; sed est sane quod eorum verba haud magni pendamus. Abiecti et sordidi quiddam patri honestissimo sodalique haud minus honesto adhaeret. Patrem iuxta uxorem concubinam habuisse supra iam vidimus; quod ipse spurius ex paelice natus patris mandatu [1]) vindex exstitit in patris uxorem, quam eodem isto cum paelice commercio pater in miseriam dedisset, quod ita bonus ille maritus etiam post mortem uxorem vexare perrexit, cui vivus gravem iniuriam intulisset, id offensioni est et indignationem movet. Philoneus amicus melior non fuerat; iniuriam, opinor, accusatoris factioni non facimus verba eorum diligenter cavendo.

Una iam res superest, quae etsi reae culpam non demonstrat, tamen culpae suspicionem moveat: accusatoris patrem uxorem caram non habuisse, immo ab ea abalienatum fuisse constat; itaque eam maritum φίλτρῳ sibi reconciliare serva adiutrice conatam esse non prorsus incredibile. Negare non possum; si quis oratione speciosa sibi persuaderi velit, cum mea pace novercam veneficii damnato; sed ne hoc obliviscatur, non in omnibus solum fabulis indagatoriis, verum etiam in ipsa scelerum historia temeritatem et casum magnas partes agere et semper egisse: multi insontes capite damnati sunt dum iudices id sceleri assignaverunt, quod mero casui tribuendum fuisset.

Itaque accusator non modo nihil pro certo demonstrare potuit, sed novercam sceleris consciam fuisse ne veri quidem fit simile; verum ita mihi rem fingo: Philonei serva sponte sua potionem viris ministraverat; ideo in tormentis suum tantum facinus confessa est statimque morte punita. Postea accusatoris patri, qui non, ut amicus, statim exanimatus erat, sed

1) § 30.

Digitized by Google

viginti adhuc dies vixit, servam ab uxore sua fuisse instigatam in suspicionem venit, dum morbo novissimo afflictus cum morte luctatur. Fieri saltem potuit, ut uxorem bona fide suspectam haberet: nam ab eo abalienata erat neque igitur morituro talia in mentem venisse absurdum videtur. Sed fortasse non hoc saltem, verum suam mortem praesagiens in perniciem odio incensus miseram secum abstrahere voluit. Utcumque ea res se habuit, filio spurio moriens mandavit ut novercam postularet.

Ecce fabula ad finem perducta; sed pauca quaedam addere liceat. Accusatoris *causam* acriter percensere et debilitatis fallaciaeque convincere supra conatus sum, *orationem* vero damnare animus non fuit: *causa* debilis et indigna est, *oratio* callida et pulcherrima. Quae res acriter distinguendae sunt; causam per se debilissimam artibus oratoriis ita circumdedit Antiphon, ut ne lectores quidem hodierni argumentationis speciei facile se eripiant, nedum iudices antiqui. Nil demonstrari verum quidem est, sed Antiphonti non imputandum: neque testes neque argumenta praesto erant, itaque suspicionem tantum movere potuit, non demonstrare. Quin quod testes praebere non potest, eo ipso adversarios iudicibus in suspicionem adducere astute conatur (§ 28), quamquam re vera accusationis tantum debilitas ea re arguitur! Quam callide argumentationem dividat atque iteret, ubi de servorum testimonio loquitur, supra iam indicavimus et infra fusius disputabitur. Et narratio quam ad iudicum animos permovendos apta est, quam fide digna parva illa tragoedia videtur! Summa arte oratoria composita est: multa ex iis, quae hic enarrat, plane ficta sunt, quippe de quibus a nullo certior fieri potuisset; tamen res illas commenticias tam subtiliter persequitur, ut veritate non niti eas facillime obliviscaris. De secreto novercae servaeque colloquio (§§ 15 sq.) — ut unum exemplum afferam — nosse nil potuit, nam ut revera collocutae essent, neque ipsum neque alios testes adfuisse luce clarius est. Tamen tam accurate colloquium illud describit, quasi ipse interfuisset, id, opinor, haud ignorans, ei, qui mentienti sibi credi velit, non de re universa ambigue et incerte esse dicendum, sed singulas res acriter et subtiliter esse enarrandas. Dignam denique modestiam accusatori vix adulto Antiphon addidit; hoc enim vel primum cavere

Digitized by Google

studuit, ne orator vix sui iuris factus idemque spurius iudicum animis arrogantia offensioni esset [1]). Sed fusius has res infra disputabimus orationis compositionem tractantes; plura hic verba perdere in eorum stultitia redarguenda, qui orationem Antiphonte indignam censuerint, haud necesse; plus certe captiosae probabilitatis causae indignae et debili adici non potuit quam Antiphon addidit. Sitne damnata noverca, memoriae traditum non est; si vero capite poenas luit, nil est quod miremur. L'éloquence est un plat, qui se mange chaud. Nobis per otium pedetentim orationem perlegentibus argumentationi callidae causam debilem subesse facile perspectu est; iudicibus eadem strictim audientibus verba speciosa cavere difficilius fuit. Tamen iudicibus tali argumentatione persuasum nobis fingere haud facile possumus; nam praeterquam quod talis causa omnibus argumentis orba apud nos ad iudicium nunquam perveniret, huiusmodi oratio quoque apud iudices nostros haberi non potest: iudex Batavus rem spectare solet, non verba; Cicerones Antiphontesque non patitur. Sed normam iudiciorum nostrorum Graecis antiquis obtrudere iniquum; etiam hodie nationes sunt quae, ut Graeci antiqui, multo facilius verbis facundis moveantur quam Batavi tranquilli remque solam spectantes; ubi etiamnunc iudices iurati oratione nostrae simili facile sibi imponi sinerent. Cum nuperrime Bougrattius medicus Gallus veneficii postulatus esset, accusator publicus haud minus facile demonstrandi officium detrectavit suspicionemque tantum movere conatus est quam Orestes noster. Medicus ille gravissima poena damnatus est, quamquam homines medicinae peritissimi venenum ab eo non esse ministratum pro testimonio dixerant; num novercam, etsi haud convictam, a iudicibus Atheniensibus damnatam esse incredibile? Qualis iudex, talis causidicus. Iudicum nostrorum indoles causidicum res demonstrare cogit; causidicus Graecus artibus oratoriis mobiles iudicum animos aggreditur: lacrimas ciet, suspicionem movere studet. Caveamus ne Graecos iudiciorum mores ex nostris iudicemus; id Graecis antiquis opprobrare non possumus, quod multis locis et hodie moris est.

(Continuabitur)

---

1) Wilam., *l. l.* p. 198 sq.

Digitized by Google

AD PETRUM HELBERTUM DAMSTÉ

EPISTULA

QUA STRENAM AB AMICIS OLIM DISCIPULIS OBLATAM PROSECUTUS EST

H. WAGENVOORT.

Vultu sereno, lumine lucido,
nulli secundus viribus impigris,
  nec mente miti ac perbenigna,
    discipulorum animis inhaeres,

Damsté Magister. Sollicitudine
nos prosecutus semper amabili,
  non litteris humanitatis
    spargere semina condocendis

satis putasti; nec fuit irritum —
verum fatemur: vivida adest tuae
  virtutis atque integritatis
    ante oculos memores imago.

Volvuntur anni praecipiti rota;
effare: quintam curriculo tuo
  metam ipse lustrorum attigisse
    crediderisne academicorum?

Quid? Num dolori pectus habet locum,
aevi fugacis respiciens gradum?
  Non sis beatus gaudioque
    gratum animum iubeas salire?

Digitized by Google

Longe modesto quoque modestior,
fastidiosus laudis et obsequi,
frequentiae praeconiique
effugiens onera avolasti.

Atqui choreis suaviloquum hoc die
laetis alumni concelebrant sui
Musae Latinae eduntque carmen
patria rura canens amoena.

Florebat olim patria laudibus
oris Latini, dulcis et advenis
nostrisque; vexillum superstes
tu nisi fortiter extulisses,

prorsus perisset iam fere gloria,
mutante morem progenie patrum:
recentia admirata semper
debitum honorem adimit vetustis,

vetante te, qui praeteriti memor
nostratium aevi codicibus quoque
sollers acumen consuesti
in mutilis male corrigendis

consumere, ultro prospiciens tamen
cuiusque alumni iudicio integro:
quocumque verterunt viarum,
te duce prospere iere certo.

Sensus latentes ingenue eloqui
diemque festum iam vetitis coram
congratulari fas scida sit
usque tui sociis amoris.

Custos fidelis tu patrimonii,
locum occupatum perpetuo tene,
facemque praefer veritatis
laeto oculo, viridi senecta!

Digitized by Google

DE VOCABULORUM ORDINE OBSERVATIONES NONNULLAE.

SCRIPSIT

M. R. J. BRINKGREVE.

Vetus est haec opinio et nobis philologis quasi insita flectione et coniugatione patefieri quomodo in sententiis latinis vocabula cohaereant. Et ipse diu ab hac parte steti. Sero tantum, commercium cotidianum in munere ludi magistri positum iam relicturus dubitare coepi num haec lex iis qui linguam latinam inde a prima pueritia didicerant tam clara manifestaque fuisset. Inde primo valde timidus et haesitans, post magis magisque iam certus quaerere coepi utrum credere possimus auditoribus ad periodas longas oratorum, sententiasque multa cum arte compositas poetarum intellegendas illis antiquis temporibus revera opus fuisse, mente illa, saepe laudata quae sententiae compositionem ex vocabulorum formis grammaticis deducat et post disiunctionem membra disiecta iterum coniungat.

Nec credere quivi.

Accedit quod et aliunde ut de significatione propria illarum formarum quaererem adductus sum.

Viri enim docti nonnullis lustris ante certabant utrum casus illi nominum vim localem an grammaticalem antiquitus habuissent. Salva omni reverentia sententiam meam proferre mihi liceat totam hanc disceptationem meras esse nugas.

Pro certo persuasum habeo formas illas non ortas esse ex compositione duarum partium quarum utraque olim suam propriam significationem haberet et quidem altera, radix nempe, rem ipsam indicaret altera vero rationem quae huic rei cum altera intercederet, sed ex pronuntiationis varietate sponte nata cum alius eandem sonorum seriem alio modo proferret.

Digitized by Google

Non longe a vero aberrabimus cum antiquissimis temporibus homines non res vel actiones accurate descriptas et definitas discernere et indicare consuevisse putamus sed alterum alterius animum identidem ad rudem indigestamque molem quandam externam quam timerent appeterent mirarentur attendisse et ex his signis vagis vix tandem linguam quandam ortam esse, cuius membra primo non ad certam normam redacta partes conscriptas haberent sed potius nunc rem quandam nunc actionem nunc statum nunc conditionem magis indicarent quam exprimerent. Sonorum series illas non in certam formam redactas varie pronuntiatas esse facile credimus quae varietas ipsa menti quaerenti quomodo experientiae diversitatem distingueret copiam fecerit.

Sed et missa hac opinione quae versatur in rebus de quibus certi aliquid scire et argumentis firmare semper nobis negatum esse statim concedo non ita magno mentis acumine opus est ut fateamur vocabuli eiusdem varias formas non rationem quae rebus externis alteri cum altera intercederet nedum vinculum quoddam grammaticum indicavisse sed animi motum eius qui loqueretur.

Quid autem fit? Si ab hac propositione proficiscimur et proinde existimamus formam vocabuli mentis animique ut ita dicam dispositionem et loquentis exprimere et auditoris evocare eo adducimur ut credamus flectionem et coniugationem non mente quam vocant logica concipi sed animum eas commovere itaque structuram sententiae neque hoc adiumento carere posse neque ex his indiciis solis patefieri.

Huc usque secutis benevolis lectoribus haud scio an non appareat sententias latinas et antiquitus intellectas esse et nunc intellegendas esse non opere mentis laborioso cum in membra disiecta corpus vivum dissecemus et deinde iterum operose denuo coniungere conemur sed cum inde ab initio attente sequamur imaginum seriem quam nobis auctor suggerat.

Quae cum ita sint haud longa oratione opus est ut demonstremus multa in modis et rationibus hodiernae institutionis prorsus mutanda esse. Haec autem nunc missa faciamus.

Neque enim mihi proposui de institutione hodierna sed de splendore ipsius linguae latinae pauca proferre.

Digitized by Google

Quae cuncta non eo tendunt ut credamus vocabulorum formas neglegendas esse verum ut nobis persuadeamus his formis certam quondam animi conditionem concitari quae imaginem vocabuli significatione evocatam ut ita dicam certo quodam lumine illustret.

At vocabulorum ordo nequaquam minoris fuit momenti, quin etiam hic ordo tamquam instrumento vocabulorum formis usus est.

Ut fusius explicem quid velim capita nonnulla diligenter inspiciamus, quae capita non certa aliqua ratione elegi, sed exemplum Horatii secutus apis Matinae more modoque quo forte delatus sum haesi.

In Verrem IV. 1.

Venio	Hoc vocabulo in primo loco posito orator se transire ad aliam partem demonstrat.
nunc	Quivis intellegit 'nunc' hic non adhibitum esse ad temporis momentum indicandum quippe qua indicatione nullo modo cuiquam opus sit; sed auditorem quem ad novam rem primo vocabulo vocavit monet auctor se hac in re paulisper versaturum esse.
ad istius	Rem illam novam ad reum referens cum prioribus criminibis coniungit.
quem ad modum ipse appellat	Nomini rei quae nobis iam eo usque indicata est ut eam licet non manifestam tenere nobis videamur apte haec verba praecedunt quae curiositatem nostram morantur et excusationem rei praesumentia debilitant.
Studium	Nomen rei sed non illud nomen quod expectamus.
ut amici eius morbum et insaniam	ordinis figuram eandem sed breviorem iterum videmus et iam intellegimus sententiae figura quae climax vocatur oratorem uti.

Digitized by Google

ut Siculi latrocinium	hac tertium repetita figura orator nunc sic uti potest ut primo animos auditorum commoveat Siculis, quos defendit, quos favori conciliat, erga quos misericordiam sollicitat commemoratis; tum ut maxima cum vi verum nomen rei de quo sermonem esse iam iam scimus pronuntiet; praeterea quod duabus figuris praemissis nunc expressione magis concinna uti potest; orator iuxta ponere potest duo nomina, quae non ratione syntactica quae alteri cum altero intercedit sed significatione et positione totum crimen quasi complectuntur.
ego	Figura quae in priore sententia unum membrum sententiae explicavit repetitur; sed nunc totius sententiae structura describitur; eo fit ut in iis quae in priore sententia hac figura expressa erant haereamus quae res animis intentis requiem dat. Idem orator agit se ipse proferens, nam ipse ut ita dicam immunis est.
quo nomine appellem	eadem de causa figura iam denuo plane exprimitur.
nescio	ironia apte uti potest ut quem animis impetum auditorum dederit tenere sinat.
rem	post breve intervallum forti ictu auditores iterum aggreditur.
vobis	ad quos hoc 'vobis' rem ipsam trahit.
proponam	ratio duobus nominibus *indicata* verbo *exprimitur*.
vos	ab auditoribus
eam	ad crimen revertitur.
suo	cum hinc illud 'suo' ad ea quae sequuntur prospicit, casu nempe et genere at altera ex parte positione et significatione huius vocabuli patefit auditores iuste de crimine iudicaturos esse, suum cuique tribuentes.

Digitized by Google

non nominis	antithesis cum priora commemorantur tum post tres ictus praecedentes attentio relaxatur
pondere	manum porrectam pronomine adiectivo 'suo' prehendit substantivum.
penditote	cum 'pondere' figuram 'etymologicam' effecit quae nihil nempe significationi addens vel magis attentionem relaxat in primis hĭc ubi et assonantia orator usus est.
genus ipsum	res illa, de qua etiam atque etiam loquitur, non crimen unum semel commissum est, sed genus quoddam criminum. Hac de causa locutione paululum inflexa idem nominat atque primo loco sententiae praecedentis.
primo	'prius' 'genus ipsum' sequitur ut supra dictum est 'eam suo'
cognoscite	cf. quae dicta sunt de 'proponam'
deinde fortasse non magnopere	haec vocabula nihil novi afferunt ideoque intervallum efficiunt auditoribus permissum, idque ut superiora penitus penitusque percipere possint non data opera sed cum praecedentia infixa haereant neque novis imaginibus pellantur memoriam ut ita dicam complent atque occupant.
	cf. praeterea quae dicta sunt ad 'nescio'
quaeretis	cf. etiam hic quae dicta sunt ad 'nescio'
quo nomine appellandum putetis	revocat 'quo nomine appellem'
	vide ad 'quaeretis'
Nego	Orator hoc verbo ipse prodit, ipse auctor adest et auctor quidem qui non de una alterave re dicturus sit sed totum genus complectatur.
in Sicilia	in locum criminum transimus
tota	iterum omnia se complecti monet
tam locupleti	ambitum generis criminum designat.

Digitized by Google

tam vetere	favorem auditorum clientibus suis conciliat.
provincia	quam gravia sint crimina religione muneris praetoris spreta indicat.
tot oppidis	vide quae dicta sunt de 'deinde fortasse
tot familiis	non magno opere' Praeterea hac appo-
tam copiosis	sitione 'tam copiosis' illud 'tam locupleti' iteratur.
ullum argenteum vas	tandem auribus oculis, quin etiam paene
ullum Corinthium	manibus rem illam, diu designatam,
aut Deliacum	tenemus.
fuisse	enumeratio partium nititur duobus verbis 'fuisse' bis repetito et 'nego' ex initio sententiae iterato, quae repetitio ipsa figuram a-b-a-b effecit
ullam gemmam	singulae partes diverse exprimuntur ita
aut margaritam	tamen ut diversitas analogiam nequaquam
quidquam	obscuret.
ex auro	
vel ebore	
factum	
signum ullum	
aeneum	
marmoreum	
eburneum	
nego	vide supra ad 'fuisse'
ullam picturam	vide supra ad 'ullam gemmam'
neque in tabula	
neque in textili	
fuisse	
quin	ex descriptione complexus atque ambitus negativa ad enuntiationem maleficii ipsius transimus.
conquisierit	ictus ipse diu praeparatus eaque de causa
inspexerit	sapienti cum moderatione illatus. Sed
quod placitum sit	eo non minus letalis. Postquam tota
abstulerit	Sicilia eiusque incolae tam ii qui publica gaza tantum fruuntur (oppidis)

Digitized by Google

quam ii qui res preciosas proprias habent (familiis) oculis sese obtulerunt cum thesauris suis iam apparet homo iste qui sibi uni ex tanta copia optimum quidque adiudicarit. Sed etiam haec tam brevis series non aequaliter procedit. Verbo 'conquisierit' adhuc operam quandam a reo datam esse intellegimus; 'inspexerit' virum harum rerum studiosum qui domi tranquille pulchritudine fruatur describit; 'quod placitum sit' superbiam hominis ironice increpat. 'Abstulerit' demum ex consulto quam moderatissime maleficium designat ut auditores ipsi indignatione vehementissima ob audaciam avaritiam incontinentiam commoveantur neve orator eos ad indignationem excitare videatur.

Quamquam vereor ne nimis diu in rebus notis versari multis iam videar tamen nonnulla addenda sunt, et primo quidem duas inter se paene oppositas rationes sententiae nobis occurrisse.

Altera paucis vocabulis in initio collocatis totius sententiae argumentum exponit, altera fulcra nonnulla quae auribus statim recognoscimus per totam sententiam distribuit et inter ea partes dividit, quas paene singulas animo concipimus.

Exempla prioris rationis sunt: 'Venio nunc ad istius'; supra ample exposuimus ad finem sententiae ubi pervenerimus, nomen verum nondum enuntiatum esse; 'rem vobis'; 'vos eam suo'; 'genus ipsum prius'.

Alterius exemplum est periodus illa quae fulcris 'nego fuisse' bis repetitis nititur cuius partes nobis imagines offerunt quas ut locum vel aedificium intuemur non ut actionem sequimur. Hoc discrimen magnum locum in lingua latina tenere iam antea monui, ubi in libello meo c. t. 'De Latijnsche zinsbouw' huc discrimen inter accusativum et nominativum revocavi, discrimen nempe inter communicationem facti et expressionem animi conditionis necnon discrimen inter modum infinitivum et formas finitas interque modum coniunctivum et modum indicativum.

Digitized by Google

Graeca et Sanscritica linguis comparatis eandem radicem invenimus eius discriminis quod exstat inter genus medium et genus activum verbi. Sed de phaenomenis comparandis alio die. Ad caput nostrum redeamus, et hoc saltem mihi monere liceat, quod postquam periodum illam accurate descripsimus mihi iam manifestum videtur ne in illis quidem sententiis ordinem perturbari posse ita ut primo fulcra illa exquaeramus et iis partes interpositas alio ordine adiungamus; sin minus pro vivo flore particulas languentes omni gratia carentes restare. Deinde commemoremus ex sententiis quae paullo commotiorem animum prodant, duas incipi ex obiecto; volo: 'rem vobis' et 'genus ipsum' tertiam quae ex 'vos eam' incipiat ordinem inversum habere ea de causa quod praecesserit illud 'rem vobis proponam'.

Ex his numeris nimirum nullam coniecturam facere volo. Res vero est digna quam retineamus sicut in iis quae sequuntur spero fore ut demonstrem.

Praeterea ad 'Siculi latrocinium' observavi inter vocabula ex significatione et positione rationem quandam existere, quae nullo modo forma grammatica exprimitur. Idem fere valet in ultima vocabula capitis 'quod placitum sit, abstulerit', hic enim ex iuxtapositione oppositio nascitur: Verres eas res sumebat quia ei non iniucundae erant; sed quo modo afflictos esse credimus eos a quibus abstulerit?

Hic paulisper ordinem egredi volo. Fieri enim potest ut nonnulli, qui tanta sunt benevolentia ut commentariolum hoc perlegant, credant me in interpretationibus meis ultra fines illos Horatianos progredi cum multa ex textu eliciam quorum ne auctor quidem ipse sibi conscius fuerit nedum auditores eius. Iis pauca respondere volo. Et ipse longe absum ab opinione vel oratorem vel auditores omnium rationum quas ex vocabulorum ordine inter vocabula nasci indicare conatus sum sibi conscios fuisse. At orator sic vocabula collocavit quia sic sententia bene procedere visa est et auditores oratione eius commotum iri credidit. Utriusque rei causa eadem. Et hanc causam vel potius huius causae radices investigamus et hac in re occasione nobis concessa ut eandem sententiam iterum iterumque perpendamus utimur sicut viri docti qui historiae

Digitized by Google

naturalis vel artium physicarum periti sunt instrumentis utuntur quae iis res multo maiores monstrant vel in tabella vitrea artificiose praeparata in perpetuum figunt ea quae brevissimo temporis momento facta sunt.

Et hoc quidem ut experto credat a benevolo lectore peto eum qui iam textum latinum quendam sic dissolverit post eundem textum perlegentem varietate et copia auribus perceptis delectari quae antea ipsum eundem prorsus effugissent.

Iam alio transeamus et quidem ad Caesaris de Bello Gallico Libri primi caput XXII.

Prima luce,	Si metaphora ex theatris hodiernis petita mihi uti licet, dicam: aulaeum levatur.
cum	expositio positionis strategicae incipit
summus mons	locus indicatus
a Tito Labieno	dux designatur (et cum duce copiae)
teneretur	cf. quae supra de 'proponam' dixi.
ipse	non ad solum Caesarem sed ad partem maiorem exercitus spectat; ideo nunc 'ipse' loci designationi praecedit.
ab hostium castris	iam positio strategica descripta est; hostes inter utramque Caesaris exercitus partem sunt.
non longius MD passibus	amplificatio et magis accurata definitio
abesset	vide ad 'teneretur'
	Totam scaenam perlustravimus.
Considius	Is, qui primas partes agit, in scenam
equo admisso	prodit. vide ad 'non longius e. q. s.'
ad eum	nunc ea pars scaenae ubi res agitur designatur
accurrit	vide ad 'abesset'
dicit	actio incipit.
montem	a
	partes littera a indicatae definitionem
quem a Labieno occupari voluerit	b. amplectuntur.
ab hostibus teneri	a Praeterea 'a Labieno occupari' et 'ab hostibus teneri' figuram a-b-a-b-efficit.

Digitized by Google

id	vide quae supra dicta sunt de 'rem vobis'
se	et similibus.
a Gallicis armis atque insignibus	argumentum datur
cognovisse	vide ad 'accurrit'
Caesar	actio ad alteram personam transfertur
suas copias	cf. quae supra de 'vos eam' dicta sunt
in proximum collem	positio prorsus immutatur
subducit	cf. ad 'cognovisse'
aciem	novae positionis indicatio
instruit	cf. ad 'subducit'
Labienus	Ad alteram partem scaenae oculos convertimus
ut erat ei praeceptum a Caesare	explicatio eorum quae hic aguntnr iure praemittitur narrationi
ne proelium committeret	praeceptum
nisi ipsius copiae prope hostium castra visa essent	restrictio
ut	explicatio praecepti; incipimus a loco;
undique	iam tempus indicatur; tum quid agen-
uno tempore	dum sit; vocabula 'impetus fieret' ampli-
in hostes	cant et magis accurate describunt.
impetus	
fieret	
monte occupato	locus describitur
nostros	ad priorem partem actionis respicit. actio,
exspectabat	vel. potius absentia actionis hac in parte
proelioque abstinebat.	scaenae; amplificatio quippe qua utantur auctores Latini ubi attentionem remittere volunt; cf. quae supra de 'non nominis' dicta sunt.
Multo denique die	Tertius actus incipit
per exploratores	respondent Considio
Caesar	idem ille et hic secundas partes agit.
cognovit	cf. ad 'proponam'.

Digitized by Google

et montem – a suis-teneri	alias duas partes scaenae iterum eodem
et Helvetios – castra movisse	ordine perlustramus
et Considium	ad primam actionem revertitur
timore perterritum quod non vidisset –	iudicium de iis quae tunc acta sunt
pro viso – sibi renuntiasse	amplificatio et magis accurata descriptio.
Eo die	Quae sequuntur cum prioribus coniunguntur simili initio
quo consuerat intervallo	tertia positio strategica
hostes sequitur	quae nunc aguntur
et milia passuum III	amplificatio et magis accurata descriptio.
ab eorum castris	his vocabulis indicatur temporis momentum: hostes castra posuerunt
castra ponit	eadem metaphora atque in initio usus dicam aulaeum descendit.

Primo dissolutio huius capitis nobis commonet de versibus Horatii:

'Ordinis haec virtus erit et venus aut ego fallor
ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici'.

Sed deinde opinor paululum miramur etiam hunc stylum tam purum, tam simplicem, qui omnibus ornamentis carere videatur figuris nonnullis ordinis uti maxima quidem moderatione attamen iisdem quas in ubertate Ciceroniana invenimus quin etiam iisdem quibus poetas usos esse videbimus.

Et mehercule verum hoc dicere possumus multo maioris momenti esse argumentum ex Caesaris libris petitum quam quae ex aliorum auctorum operibus peti possint, ut nobis persuadeat ordinem vocabulorum in lingua latina non ut in linguis hodiernis usu dicendi magna ex parte fixum et constitutum esse sed ab auctoribus constructum esse eo consilio ut auditores per seriem imaginum ducerent quae ex ipso hoc ordine ita nasceretur iisque auctoribus ideo instrumentum praesto fuisse quo hodierni careant. Si hoc loco de hominibus hodiernis loquor, adultos volo. Nam pueri, imprimis qui loqui inci-

Digitized by Google

piunt, eadem hac facultate utuntur, quippe quorum animi imaginum seriem sequantur neque ut adulti eam primum dividant et postea iterum coniungant secundum normam linguae iam per multa saecula fixae atque descriptae.

Nunc ad poetas transeamus. In poesi latina ordinem alium fuisse atque in soluta oratione luce clarius est. Hoc et ipsi Romani observaverunt teste Horatio qui in Satyra IV libri primi scribit:

vs. 56 his ego quae nunc
olim quae scripsit Lucilius eripias si
tempora certa modosque et quod prius ordine verbum est
posterius facias praeponens ultima primis
non ut si solvas Postquam Discordia tetra
belli ferratos postes portasque refregit
invenias etiam disiecti membra poetae.

Rem magis ex propinquo inspiciemus.

Horatii Carminum Libri primi carminis XVII stropham primam dissolvamus.

Velox	Primo statim vocabulo poeta illam animi conditionem evocat quam tota priore parte carminis describere vult.
amoenum	ictum iterat; praeterea 'velox amoenum' eandem figuram constituunt de qua iam ad 'se id' locuti sumus.
saepe	cf. quae de 'deinde fortasse non magno opere' dicta sunt.
Lucretilem	nunc ad locum duci nobis videmur ubi nos versari poeta vult.
mutat	cf. quae supra dicta sunt de 'nescio', 'quaeretis' et similibus.
Lycaeo	imaginum seriem illam qua carmina bucolica abundare solent nobis in mentes vocat.
Faunus	nomen semi-dei, excipiens indicationem vocabuli primi, primum orbem claudit. Alia vero ex parte 'Faunus' 'Lycaeo'

Digitized by Google

succedens caterva quadam lascivarum umbrarum stipatus est munerum ruris illorum qui et Pana Lycaei deum comitari solent.

et igneam. quam gratus sit locus describere pergit; nunc autem dicturus est quibus incommodis careat.

Hanc figuram, qua eandem rem duobus modis poetae exprimunt iam in adnotationibus ad Statii Achileidis versus 434 sq. et 759 sq. parallelismum membrorum vocavi. Hac praesertim utuntur ut descriptionem claudant. Vide etiam quae dicta sunt de 'deinde fortasse non magno opere'.

defendit aestatem — cum 'igneam' efficiunt figuram a-b-a.

capellis — capellae, animalia lasciva locum amoenum ut ita dicam ornant atque illustrant.

usque — vide ad 'saepe'.

meis — cum prioribus iterum figuram a-b-a exhibent.

pluviosque ventos — vocabulis 'igneam..... aestatem' respondent: neque nimis calidum neque nimis frigidum est. Itaque novus parallelismus. Simplici iuxtapositione animum relaxant.

Hac in distinctione et metrum et versuum divisionem negleximus. Itaque sententiam denuo contemplemur et videamus intercedatne ratio vocabulorum ordini cum carminis rhythmo.

Rhythmum effici metro, id est certa inter longas et breves syllabas ratione et divisionibus quae versum a versu dissociant et versus singulos caesura disiungant, omnibus patet.

Haec autem elementa non sufficere ad rhythmum ne simplicem quidem producendum nedum ad eliciendam illam paene infinitam rhythmicam varietatem qua poetae Augusti aetatis abundent haud ita difficile intellectu est. Quippe quae elementa omnium eiusdem generis versuum communia sint neque proinde eosdem versus varietate imbuere possint.

Digitized by Google

Nonnihil etiam vocabulorum divisionem per metri pedes addere cognoscimus ubi hanc in rem investigamus, at multo maioris esse momenti motum ipsum sententiae, seriem nempe ad quem iterum atque iterum devehor imaginum ex vocabulorum ordine nascentem. Si metrum et versuum divisiones cum alveo fluminis comparare nobis permissum est, vocabulorum divisio per metri pedes facta cum partibus ripae in quas aquae cum strepitu succurrunt, motus vero cum undis ipsis fluminis comparandus est.

Quod si observavimus proinde aliud quid nobis consequi videtur. Si quomodo sententia procedat maximi est momenti ad rhythmum efficiendum, altera ex parte significatio eorum vocabulorum velut in locum superiorem extollitur ubi in illis locis versus collocata sunt quae auribus nostris facile percipere possumus, id est in initio versus, ante caesuram, post caesuram et in fine versus. In versibus qui metrum surgens habent loci qui sunt ante caesuram et in fine versus vulgo aliis adhuc praecedunt, in versibus autem cum metro cadenti alteri alteris.

Duobus vero modis praecipue horum locorum vi poetae utuntur. Si paullo fortius canunt ibi vocabula quae etiam significatione eminent collocant; quando vocem remittunt in locis gravioribus vocabula leviora ponunt.

His praemissis strophan nostram repetimus. Huius strophae versuum primi et alterius partes ante caesuram surgunt, post caesuram cadunt, tertius versus totus cadit. Ultimi versus pars ante caesuram vacillat, post caesuram cadit. Quid autem?

Velox amoenum	velut saltu ad tumulum unde per totum locum prospicere possumus surgit poeta et 'amoenum' fortissime resonat.
saepe Lucretilem	locus gravior vocabulo leviore occupatur.
mutat Lycaeo	hic verbum quod minoris momenti est, in loco leviore est; nomen 'Lycaeo' verum in graviore. At 'Lycaeo' indicat eum locum unde venit ille velox, id est locum remotiorem; vox inflatur sed nondum tota emittitur; accedit quod 'Lycaeo' ut supra dictum est magis memoriam multitudinis imaginum sollicitat quam unam

Digitized by Google

	certam imaginem describit; et hac de causa vis paulisper temperata est.
Faunus	Iam vero totam vim vocis emittit: 'deus deus ille' clamat; accedit caesura secunda levissima quidem post hoc vocabulum; in tumulo illum de quo dicimus videmus deum magnifice magnum.
et igneam	brevis pars ultima versus in duo vocabula divisa nos nequaquam retinet; de significatione vide supra.
defendit	hoc verbum maiorem quidem vim habet quam vulgo verba apud poetas, cum significatio negativa totius ulterioris partis strophae verbo praesertim inest, itaque in primo loco versus cadentis est.
aestatem capellis	rhythmus sine gravitate decurrit.
usque meis	rhythmus vacillans vulgo prae ceteris animum retinet; cf. in eodem hoc carmine 'ruris honor(um)' quod ipso hoc rhythmo tam late et tanto fulgore splendet; hic vero vocabulis paene vacuis spatium impletur et animus remissus manet.
pluviosque ventos	pars versus vocabulis ita divisa, ut ea vocabula quadamtenus singula accipiamus, vocem effusam promittit.

Hic benevolum lectorem iterum monere volo explicatione mea me ne mihi quidem ipsum omnia exhausisse videri quae de rhythmi varietate dici possint neque credere haec omnia quae memoraverim explicite menti poetae nedum auditorum praesentia fuisse. Si vero et alii existimabunt sicut ipse opinor hac investigatione effici ut in penetralia pulchritudinis paulisper processerimus satis fecisse mihi videbor.

Etsi nonnisi summa sequentes fastigia rerum tamen defecissemus nisi et de Vergilio poeta optimo maximo locuti essemus.

Eclogam secundam primum carmen Vergilii duco quod nobis servatum est. Nam carmina quae appendix complectitur a Ver-

Digitized by Google

gilio ipso composita haud credo, et quamquam Eclogarum ordo haud certus est tamen versus qui sunt in Ecloga V:

86 Haec nos 'Formosum Corydon ardebat Alexim'
Haec eadem docuit 'cuium pecus; an Meliboei'.

verisimile reddunt carmen secundum totius seriei primum fuisse. Ab huius carminis initio igitur proficiscamur.

Formosum	in medias res poeta nos rapit
pastor	iam primus orbis clausus est, nam de pastore quodam et formoso puero sermonem esse scimus. Cf. quae supra dicta sunt de 'id se'. Nucleum tenemus, amplificatio incipit.
Corydon ardebat Alexim	Formosum pastor Corydon Alexim figuram a-b-b-a exhibent. Primum et ultimum locum versus occupat imago pueri.
delicias	hoc vocabulum prioribus succedens nihil adhuc novi affert. Cf. praeterea quae de 'saepe' 'usque meis' et similibus dicta sunt.
domini	ante caesuram hic vocabulum accipimus quod peripetiam dramatis exprimit.
nec quid speraret habebat	cf. quae dicta sunt de 'deinde fortasse non magno opere'.
Tantum	Imaginem quidem nullam haec particula evocat sed animi conditionem, animum nempe desperantem qui solacium unicum quaerit.
inter densas	solitudinem miserum amatorem quaerere audimus.
umbrosa	iam scimus locum non solitarium tantum esse sed etiam a sole defensum.
cacumina	oculos quos circumtulimus iam tollimus
fagos	et videmus quae sint arbores illae densae; descriptio ad initium redit. Nota figuram 'densas umbrosa cacumina fagos' a-b-b-a.
assidue veniebat	cf. quae de 'deinde fortasse non magno opere' dicta sunt.

Digitized by Google

ibi	Priora in unum colligat
haec	ad sequentia transimus
incondita	quippe quae ab homine minus erudito et humili loco nato proveniant; qui status magni est momenti in dramate nostro.
Solus	quae de loco dicens nobis indicavit poeta revocat hominis condicionem commemorans
montibus et silvis	solitus locus carminum bucolicorum
studio iactabat inani	cf. quae supra de 'proponam' dicta sunt praeterea 'inani' periodum claudens doloris nos commonefacit et misericordiam iam multis indiciis sollicitatam expresse poscit.
	totus hic versus vocabulorum per pedes divisione ita disiungitur ut vocabula singula percipiamus; cf. quae de 'pluviosque ventos' dicta sunt.

Quamquam structura haudquaquam tam artificiosa est quam in stropha Horatii, qua de re omnino non stupefacti sumus, cum hi versus a iuvene compositi sint, illa vero a poeta maturo, ille autem semper tam grandia appeteret, ut ingenium eius tantum non deficeret, hic vero a pueritia usque ad senectutem se inter eos fines retinere de consulto conaretur, quos arti ingenioque suis positos esse sciret, tamen ordine vocabulorum eiusque figuris et quod ad significationem et quod ad dispositionem per versuum locos attineret usum esse Vergilium videmus perinde ac Horatium. Quin etiam huius structurae elementa — excepta nimirum dispositione per versuum locos — et in Ciceronis oratione et in Caesaris historia recognovimus. Vergilius autem non ibi haesit ubi iuvenis versabatur. Matura aetate hac in arte ante omnes floruit. Duo exempla ex abundanti copia proferam.

Georg. IV 457 (de Eurydica poeta loquitur)

Illa quidem	'Quidem' additum prohibet ne in imagine puellae moremur
dum te fugeret	versus paullo commotior sicut ea quae accidentia nobis aspicere videmur.

Digitized by Google

per flumina	incertior est descriptio quia notio fugae tantum nobis inculcatur, qua fugiat autem nihil refert.
praeceps	hic paullulum haeremus quod hoc vocabulum descriptionem colligit.
immanem	in mediam rem venimus et primo pavor tantum exprimitur.
ante pedes	periculum instat
hydram	iam adest
moritura puella	quid fiat et cui fiat concisa expressione commemoratur
servantem ripas	amplificatio causam repetit; eodem tempore tranquillitas anguis iacentis fugae puellae opponitur.
alta	quam tutum animal istud ibi erat
non vidit	rem ipsam, morsum anguis, quominus nominet abhorret.
in herba	ubi mollem somnum carpere cuperemus! ad totum hunc versum cf. quae dicta sunt de 'quin conquisierit' e. q. s.
at	transimus ad aliud quid
chorus	cum quibus choreas agere solebat
aequalis	quam indigna tali sorte erat tam primaeva
Dryadum	levem parallelismum efficit cum 'chorus aequalis'
clamore	post moram brevem interpositam parallelismo dolor erumpit.
supremos	et quo!
implerunt	et quantus!
montis	cf. ad 'fagos'
Flerunt	Descriptionem prioribus respondens colligit
Rhodopaeae arces	amplus parallelismus membrorum
altaque Pangaea et	ut mortis descriptio absolvatur ultimo
Rhesi Mavortiatellus	versu vocabulorum per pedes divisione
atque Getae	rhythmus ipse haerere videtur donec in
atque Hebrus	metricam figuram (versus est spondiacus)
et Actias Orithyia	effunditur.

Digitized by Google

Ipse	Orpheus adest
cava	instrumentum canorum indicat
solans	cf. quae ad 'proponam' dicta sunt
aegrum	post caesuram dolor prioribus indicatus magna cum vi exprimitur
testudine	instrumentum iam nominatur
amorem	'aegrum' resumit
	nota figuram a-b-a-c-b-c. nam rhythmus est largus ille elegiacus
Te	toto animo ad Eurydicen poeta revertitur
dulcis coniunx	invocatio dolorem ob felicitatem amissam complectitur
te	post caesuram
solo in litore	cum dolore suo solus est
secum	expressio solitudinis iteratur in fine versus
te	primus locus
veniente	a
die	b
te	post caesuram
decedente	a
canebat	in fine versus positum, hane totam periodum in qua ne sonorum similitudinum quidem sprevit poeta ut cantum languentem et mollem redderet claudit. Prima et ultima vocabula horum duorum versuum haec edunt, te, secum, te canebat. Vide ea quae de 'nego fuisse' dicta sunt.
Aen. XII, 1.	
Turnus	Qui primas partes agit prodit. Velut ex superiore loco inter omnes, qui eum comitantur, eminet.
ut	vide ad ea quae dicta sunt de 'deinde fortasse non magno opere'
infractos	'infractos' et ipsum rhythmum vacillantem habet et cum 'Turnus ut' ampliorem vacillationem effecit, ad ultimum

Digitized by Google

	discrimen rem iam iam venisse conicimus; 'infractos' eos qui alteras partes dramatis agit introducit. Unus ille contra turbam! Quae de rebus suis desperans ad omnem ignaviam et pravitatam prona relapsura est
adverso Marte	respicit ad res nuper gestas.
Latinos	cum 'adverso Marte' parallelismum efficiens vocabulo 'infractos' respondet. Cum hoc ipso vocabulo praeterea figuram a-b-b-a exhibet.
defecisse	primo loco versus positum priorem versum complectitur et iterat.
videt	of. quae dicta sunt ad 'proponam'
sua	post caesuram cum vi productum, sed metri ratione (quia duo tantum brevia complet) celeriter praetercurrens rem ab Latinis ad Turnum reducit sed talem qualem Latini aestimant.
nunc	fatum iam iam ingruit
promissa	cum 'sua nunc' figuram a-b-a efficit.
reposci	in fine versus collocatum resonat velut murmur plebis in rebus adversis ducem huc usque secutae sed tandem respuentis.
se	iterum ad Turnum redimus
signari	cum 'se' rhythmum vacillantem exhibet.
oculis	'oculis' — nobis iterum multitudinem minacem producit.
ultro	hac particula quae Vergilio in deliciis est plerumque exprimit eum qui fretus suis ipsius viribus ad agendum prorumpit. Aptissime igitur hac una particula virtus viri unius opponitur vili ignaviae turbae desperantis.
implacabilis	amplificat 'ultro'
ardet	in fine collocatum illi 'reposci' respondet.
Attollitque animos	Parallelismus periodo finem imponit.

Digitized by Google

Poenorum	Post caesuram in initio novae sententiae si vocabulum positum esset quod manifestam imaginem nobis iniceret iam statim Turni imagine evanesceret. Hoc vero poeta non vult et ea de causa incipit ex vocabulo quod nullam certam adhuc imaginem affert. Praeterea hoc vocabulum hic in mentem nostram illos versus revocat, quibus in libro X Iovem loquentem poeta fingit; nam ibi Iuppiter certamen inter Aeneam et Turnum gravissime reprehendit et monuit melius fuisse si vires ad bella punica reservata essent.
qualis	Turnus comparatur. Itaque Turnus adhuc ante oculos est
in arvis	cum 'Poenorum qualis' figuram a-b-a exhibet. comparationi adhuc praeludit.
Saucius	in initio versus animum iam exordio comparationis excitatum gravi ictu ferit. 'Saucius' a Vergilio non solum de corporibus sed etiam de animis adhiberi memoria tenendum est.
ille	hoc 'ille' auditores velut testes adhibet. Nam 'ille' sic positum hominem indicatum nobis notum esse indicat. Ergo auditores noverunt illum saucium cum quo Turnus comparatur.
gravi	Ni fallor nobis omnibus in mentes venit? 'At regina *gravi* iamdudum *saucia* cura' Et Dido victima cecidit ante aras maiestatis imperii Romani cuius fundamenta Aeneas iacit.
Venantum	comparatio magis definitur. iam Turnum cum bestia quam venatores exagitent comparari patet.
vulnere	cum 'gravi venantum' figuram a-b-a exhibet; amplificat.

Digitized by Google

pectus	Vulnus adversum accepit; nimirum non cum bestia ignava Turnus comparatur. Praeterea 'pectus' in fine versus initio respondens ubi 'saucius' audivimus nos monet et Turnum 'saucium pectus' id est cura aegrum esse.
tum demum	Cf. quae de 'deinde fortasse non magno opere' dicta sunt nec non quae ad 'usque meis' observata sunt.
movet arma	metaphora paullo vagior quia attentio nostra reservatur. Vice verbi fungitur de quo cf. ad 'proponam'
leo	iam habemus! Bestiarum regis instar Turnus.
gaudetque	alacritati vocabulo 'ultro' antea expressae respondet amplius.
comantis	iubarum minas nobis poeta describit; imago tota est circumscripta; quae sequuntur coloribus tantum variare imaginem poterunt. Neque occasionem picturae poeta spernit quae simul ad animum remittendum pertinet cf. in stropha Horatii quae et qualia vocabula voci q. e. 'Faunus' succedant.
excutiens cervice toros	amplificatio; cum 'comantis' figuram a-b-c-a exhibet.
fixumque	vulneris admonemur
latronis	cum contemptu in fine versus dictum; simul de turba Turno minanti iudicium facit
impavidus	iterum cum forti ictu nobis imaginem bestiae (et viri!) periculum spernentis incutit.
frangit	cf. quae de 'proponam' dicta sunt
telum	ad 'fixum' redimus, id est ad 'saucius' quippe quae causa sit cur cum leone Turnus hic comparetur.
et fremit ore cruento	parallelismus comparationem claudit;

Digitized by Google

quod ad divisionem per pedes vocabulorum 'ore cruento' attinet. cf. ad 'pluviosque ventos'.

Sed iam finis erit. Nam plura dicturus fieri non posset quin de ratione quae ordini imaginum cum ordine syntactico intercesserit verba facerem, qua de re in societate nostra philologica antea iam pauca, exposui, hic autem disserere non possum nisi fines commentatiunculae constitutos longe lateque excedam.

Sufficiant ergo precor quae hucusque attuli.

Digitized by Google

DE IOANNE GOROPIO BECANO.

SCRIPSIT

P. C. DE BROUWER.

Pagum cui nomen HILVARENBEEK antiquis iam temporibus viarum e Belgio in Neerlandiam ducentium conexum et quasi nodum fecisse viculosque THULDER necnom GORP harum viarum deversoria fuisse et orbitae crebrae locis incultis impressae et copiarum Hispanarum cum manibus Rei publicae nostrae celeberrimo illo octoginta annorum bello facta illuc proelia satis superque ostendunt. In vinculo qui dicitur GORP anno 1518 Ioannes noster natus est, Gerardi filius. Ipse enim im libro c. t. „Origines Antverpianae" dicit (p. 613): „Sacssones enim syncoptôs vel integre Sacassones dicendi fuissent, id est, Sacarum filii; quo more vocandi Cimbri nostri, qui patrios quidem mores non exuerunt, hactenus utuntur. Sic me vocant JAN GERARTSSON, id est Ioannem Gerardi filium, gentis nomine (Goropius, van Gorp) post adiecto". Regionis in qua natus erat eum casus diligenter conspexisse et loca quae eius pueritiam laetam reddiderant, animo fovisse demonstrant et complures voces dispersae et haec (p. 321 seq.): „Non puto silentio praetereundum, quod anno post millesimum et quingentesimum quadragesimo primo accidit. In huius generis terram sive verius, eversarum arborum et putridarum mistam congeriem ignis incidit, culpa (ut putant) opilionis, e quo tantum incendium incidit, ut sub terra, sub aquis longe lateque saeviret. Accurrerunt mox LOVENSES, TILBORGENSES, DUNGII et ceteri vicini pagi ad exstinguendum. Spectaculum erat mirabile, videre sub ipsis paludibus et stagnis ignes grassari, ipsos qui exstinguere niterentur, per aquas et uliginosam terram in

Digitized by Google

ardentes carbones et fornaces incidere atque id tantisper fieri, dum, ceteris remediis desperatis, fossas summa celeritate depresserunt tam altas ut ultra totam hanc massam in terram subiectam descenderetur, in qua, quod pabulum igni non esset, incendium sistebatur".

Ioannes Goropius studiis incubuit in Universitate Lovaniensi et summos honores adeptus in Hispaniam migravit, ubi ambabus Caroli quinti sororibus Leonorae Franciae et Mariae Hungariae reginis vivis ad ultimum usque spiritum medicis consiliis servivit et mortuis aromatum omne genus pro eo ac fieri consuevit, moestus iniecit. (Praef.). Cui Maria Hungariae regina hoc mandaverat ut totius Hispaniae omniumque in ea nascentium, quorum permagna et varietas est et copia, naturalem historiam contexeret. Post herarum mortem ad otium et litteras rediit crassumque volumen de „Originibus Antverpianis" scripsit. Qui liber anno 1569 Antverspiae e clara Christophori Plantini officina prodiit. Primae paginae typographus ad opus commendandum inscripsit: „Habes hic, candide lector, Gentium origines longe aliter quam a quoquam hactenus scriptae sunt, explicatas et infinitos errores ex historiae scriptoribus tum vetustis tum recentioribus sublatos; totam denique historiam et poēsim ad Mosem et Orpheum revocatam. Vale et fruere".

Re vera liber multo plura continet quam titulus indicat. Ut Herodotus opus suum Goropius in novem libros divisit, et materiam ipsam Herodoti more elaboravit. Novem libri sic inscribuntur:

I. Aduatica,
II. Gigantomachia,
III. Niloscopium,
IV. Cronia,
V. Indoscythica,
VI. Saxsonica,
VII. Gotodanica,
VIII. Amazonica,
IX. Venetica et Hyperborea.

Totius operis 1058 paginas continentis summa haec est. Investigans omnis generis scriptores invenisse sibi videtur linguam hominum primam Cimmeriorum fuisse. Aedificandae autem turri Babylonis hosce Cimmerios non interfuisse neque igitur linguam priscam amisisse. Ab iisdem Cimmeriis prima lingua utentibus eamque retinentibus rerum serie Aduaticorum gentem ortum traxisse. Aduaticos autem condidisse Antverpiam

Digitized by Google

oppidum. Inde sequi ut lingua Brabantiae et Belgii recta via reliquiae Cimmeriorum linguae i. e. primae hominum linguae sint. Nullam igitur usquam linguam inveniri quae antiqua nomina tam lucide explicare possit quam lingua Belgica nullumque usquam populum tam facile linguas exterarum gentium addiscere posse quam populum Belgicum quippe qui semina omnium in orbe terrarum linguarum in lingua sua inveniret.

Linguam Belgicam re vera antiqua nomina lucide explicare multiplicibus atque variis argumentis probare conatur. Et id quidem mira sagacitate et eruditione. Quamquam saepius illud „risum teneatis amici" nobis in mentem venit, cum nostrum nomina biblica explicantem audimus. In libris res linguisticas tractantibus interdum etymologiae eius: Adam = „aardman" et Eva = „een vat" iure merito eluduntur [1]). Attamen nobis ridentibus ob oculos mentis semper versetur artem etymologicam sero demum apud nostrates legitimum fundamentum recepisse post v. cl. Bopp, Grimm, Verner alios.

Exempla hic adferre de duobus nominibus biblicis „Caïn" et „Abel", quae demonstrent quantas ad ineptias sensus quasi etymologicus virum quoque doctissimum perducere possit, non abs re esse videtur. „Caïn" (ita p. 540) ad verbum nobis sonat, consuetudine componendi nostris usitata, qua Tau tollitur, homini malum finem portendit. Cum enim omnia officia a fine bonorum et malorum pendeant, merito a malo fine appellatur, qui tam graviter erat a recta naturae rationisque via declinatus, ut proprium et unicum occideret fratrem, dimidium spei omnium saeculorum.

„Abel" priorem syllabam cum patre communem habet atque eiusdem significationis est. „Bel" vero est a „belgen", quod est irasci et pugnare, unde Belgis quoque nomen, et Latinis bellum, ab eodem derivatum. Abel igitur est „Abelg" sive „Hatbelg" extra compositionem; quo significatur is, cui bellum erat futurum cum invidia et odio. Vox haud dubie pro-

---

1) Sic saepius legi. Utrum Goropius praeter librum nostrum alio loco etymologiam tractaverit an linguistici ipsi Goropii librum numquam viderint nescio. In libro nostro etymologias esse: Adam = „haatdam", Eva = „eedvat", monere operae pretium est.

Digitized by Google

pria bonorum omnium, quibus perpetuum bellum est cum Ate illa pestilentissima et sine induciis omnibus perpetuum proelium cum insidiis serpentis. Quando enim homines pacem cum hac bellua componunt, e bonorum statim numero eximuntur; et sicut boni contra hanc generis humani pestem pugnant sine intermissione; ita e contraio omnium malorum invidiam contra se irritant, ut primus Abel non alia causa a fratre sit caesus. Hac igitur appellatione tam bonorum omnium propria omnes hactenus eos vocamus, qui modestiam et decorum in omnibus rebus observant. Latet hic et aliud etymon: sed quia nulla linguae nostrae hactenus a me est data catechesis, omittetur".

Quod hic vir miri ingenii ac multarum litterarum quippe quem scriptorum Graecorum Latinorum Hebraïcorum necnon linguarum Franciae Allemaniae Brittaniae Italiae Hispaniae peritum fuisse appareat, se in nugas et insulsitates falsae etymologiae perdidit, vehementer dolendum est. Nam ei qui, quamquam medicinam profitebatur, carmina Graeca in versus Latinos transmittere magna facilitate poterat, qui etiam de rebus theologicis et philosophicis diserte loquebatur, splendidorum operum componendorum potestas fuisset. Nunc liber eius „Origines Antverpianae" plenus rerum omnis generis multos locos praebet scientiae illi morum gentium cui nomen „Folklore" indiderunt. Lepida tradit v. c. de gallorum spectaculo veluti gladiatorum (p. 705) „quod Ambivaritis nostris hactenus in usu fuit, magna ambitione duabus factionibus inter se certantibus, atque id cum in pagis tum maxime in ipsa urbe, cui a Ducis silva nomen est"; de cenis communibus 11 die Ianuarii et 24 Iunii, de die festo qui „karmes" appellatur, etc.

Et Goropio nostro honori est, eum temporibus illis humanistarum quae dicuntur amorem linguae patriae semper retinuisse. De qua lingua „quam e blandis matris susurris didicimus" lepide et docte identidem disputat. Dicit (p. 453): „Quis est enim qui non amet patrium sermonem? Si modo non penitus Stoïcum aliquem induerit et adeo a sensu communi abhorreat, nihil ut sua interesse putet, quae maiorum vel lingua fuerit vel inter alias gentes claritas". Et (p. 565):

Digitized by Google

„contempserunt olim et nunc contemnunt nostratem loquendi consuetudinem tamquam effeminatam, quasi aliquid elumbe in lingua posset inveniri"..... Et illud honestum et verissimum (ibid.): „Si enim ea via optima est quae et rectissima est et facillima ad eundum, quidni et illa optima sit locutio quae et facillime et brevissime eo pervenit quo tendebat? Iam cum sermo omnis ad eum finem sit referendus, ut id quod volumus alteri significemus, num poterit negari eum optimum esse qui quam facillime et lenissime omnia animi sensa queat explicare?"

Goropius brevi ante mortem Leodium migravit unde a Comite de Medina Mosae Traiectum arcessitus est in qua urbe mortuus est die 27 Iulii 1572, in tempore tumultuoso ecclesiae catholicae devinctus.

Brevis vitae et operis Goropii conspectus fortasse nescio quem alliciet attrahetque ut ad hunc virum doctissimum et vere classicum propius accedat.

Digitized by Google

DE MATRIMONIO ATHENIENSI.

SCRIPSIT

O. DAMSTÉ.

Si quis Herodotum legens ad locum [1]) venerit, ubi Aegyptii in paludibus habitantes singulas tantum uxores habere dicuntur κατάπερ Ἕλληνες, sine dubitatione eam Herodoti observationem iustam existimabit, opinor, propterea quod Graeci in monogamia vitam egisse vulgo putantur. Tamen res digna est, quae diligentius cognoscatur: mirum enim videtur gentem, quae a patre historiae monogamiae exemplar fingitur, eandem omnium polygamissimum deum coluisse.

Paucissimi tantum viri docti condicionem polygamiae olim Athenis per leges licitam fuisse affirmant, inter quos Buermann [2]) et Hruza [3]) principem locum obtinent. Re tamen inter se nonnihil differunt. Buermann iuxta matrimonium iustum etiam concubinatum legibus sanctum ab Atheniensibus interdum susceptum esse putat; Hruza autem fieri potuisse probat, ut civis Atheniensis duas simul uxores legitimas haberet.

Buermanno hodie pauci assentiuntur, quamquam eius sagacitas et doctrina omnibus admirationem moverunt atque movebunt; lucem enim attulit rebus adhuc obscuris primusque difficultates satis probabiliter solvit. Sed quam de actione, quae dicitur ἐγγύησις, habuit opinionem, falsam esse Hruza plane demonstravit. [4])

1) Herod. II. 92.

2) Buermann, Drei Studien über attisches Recht (Jahrb. f. klass. Phil. IX. Suppl. 1877/8) pg. 569 sqq.

3) Hruza, Beiträge zur Geschichte des griech. u. röm. Familienrechts, I. Die Ehebegründung nach attischem Rechte, II. Polygamie und Pellikat nach griechischem Rechte. 1892/4.

4) l. l. I. pg. 25 sqq.

Digitized by Google

Hruzae autem opinionem qui refutaret librum legere mihi adhuc non contigit, etsi nemo eorum, qui post eum de hac materie scripserunt, eius sententiam amplexus est. Exempli gratia Beauchet hoc loco nominetur, qui ab Hruza se dissentire confitetur neque ulla sua argumentis eius opponit. [1])

Operae pretium videtur inspicere causas, cur viri docti polygamia uti civi Atheniensi licuisse negare soleant. [2])

Primum observare liceat Graecos antiquos nostra quoque aetate quasi perfectam quandam hominum speciem omnibus virtutibus praeditam a plerisque considerari. Siquidem nostratibus res sanctissima matrimonium est, Graecis dumtaxat sanctam fuisse variorum auctorum [3]) sententiis freti putant. Itaque immerita ignominia Graecos afficere videtur, qui eos polygamos interdum fuisse contendat.

Quos refutare opus non est. Graeci licet magistri nostri fuerint litterarum omniumque artium — pudicitiae fideique coniugalis non fuerunt. Neque minoris Graeci aestimandi sunt, si vicinorum exemplum interdum secuti sunt. Immo vero magno Graecis honori tribuendum est, quod illa gens Christiana disciplina nondum tacta atque ad corporis libidines propensa tamen monogamiam potiorem esse iam vidit ac docuit.

Alterum neque minoris momenti hoc est: si Graecis polygamia uti licuisset, certe unus vel alter auctor id commemoravisset; complures autem expressis verbis Graecos monogamos ideoque barbaris cultiores fuisse confirmant.

Tali modo ratiocinantibus ita respondeam: profecto singulas sibi uxores satis esse Graeci arbitrabantur; quod ad illud autem attinet, potius ita inquirendum est: si Athenis lex fuisset, quae binas vel plures uno tempore uxores habere cives vetaret, nonne ea lex servata esset? Inter plurimas lites, quas ab oratoribus tractatas cognoscere nobis licet, nonne una saltem de ea lege ageret? Immo, a vobis argumenta expectamus.

---

1) Beauchet, Histoire du droit privé de la République athénienne. I. pag. 39 sqq.

2) Vulgaris opinio legitur apud Lipsium, Das attische Recht und Rechtsverfahren, II. pag. 501 sqq. Gilbert (Griech. Staatsaltert. I. 210) in priore editione Buermannum secutus in altera rursus defecit.

3) E. g. Eurip. Andr. 177 sq. Xen. Oecon. VII. 30. Aristot. Oecon. I. 4. p. 1344. Iambl. de vita Pythag. 132, 195.

Digitized by Google

Nempe quaecumque civitas lege caret, qua polygamiae copia civibus eripitur, ea polygamiam tolerasse putanda est, — moleste licet, sed tolerasse tamen.

Ne minimum quidem talis legis vestigium adhuc cuiquam ut inveniret contigit; polygamiae autem exempla Hruza quattuor invenisse sibi videtur. Priusquam ad illa exempla enumeranda transeamus, pauca de legislatione Atheniensi disserere nobis liceat.

Lex Athenis fit, cum desiderium se offert. Disciplina constans in legibus Atheniensium desideratur, quamvis periti Solon aliique fuerint legislatores. Quod mirum non est in civitate tam variis casibus obnoxia. De eadem re alias aliter constituitur; quod hodie fieri licet, cras interdicitur, anno post rursus ut fiat conceditur. Exemplo utamur condicione iuris civitatis, quod omnibus semper maximae curae eademque severitate omnibus temporibus tractatum fuit. Sit civis Atheniensis ἐξ ἀμφοῖν ἀστοῖν, pater iurare cogitur se ἐξ ἀστῆς καὶ ἐγγυητῆς γυναικὸς filium in phratriam introducere [1]). Nihilominus huius moris severissimi haud paucas exceptiones invenies, si quaeras. Clisthenes, Themistocles, Cimon matre peregrina nati summos tamen honores assecuti sunt. Anno 451/0 a Pericle lex lata est, qua civitate excluduntur nisi qui e duobus civibus nati essent [2]). Quinquaginta annis post ea lex in oblivionem relapsa esse videtur, quoniam anno 403/2 renovata est Aristophonte et Nicomene auctoribus. [3])

Quomodo istae leges intellegendae sunt? Iam observavimus legem Athenis factam esse cum opus esset. Simulac civium numerus minor fore visus est, legibus cautum est ut augeretur; rursus cum satis esse genusque peregrinum nimis crescere videretur, nova lex statim aut priores sustulit aut in oblivionem reiecit. Dummodo ita rem spectes, intellegi posse videtur, quomodo genus illud invisum sycophantarum ita floruerit. Semper aliqua lex quamvis antiqua effodi poterat, qua civis invisus vel dives peteretur; penes iudices erat utrum lege uti placeret necne. Quid facundia posset, tum patebat.

1) Isaeus VIII. 19. XII. 9.

2) Aristot. Ath. Pol. XXVI. 4. XLII. 1.

3) Vide Busolt—Swoboda, Griech. Staatkunde II. pg. 939 sqq.

Digitized by Google

Multae Atheniensium leges supersunt, varias res vetantes vel concedentes, neque inter eas ulla, quae civem Atheniensem duas uno tempore uxores habere vetat. Ideo bigamiam licitam fuisse, quamvis fortasse raro evenerit, coniectura haud nimis temeraria videtur. Raro sine dubio evenit, nam primum obstitit vulgaris opinio, qua βαρβαρικὸν ἦθος viro Graeco indignum videretur. Deinde uxoris voluntatem aliquid momenti habuisse veri simile est; neque dubium videtur, quin uxori altero mariti conubio cognito, si ea de causa eum relinquere vellet, a polemarcho divortium impetrandi magna spes fuerit. Tertium res haudquaquam parvae pecuniae erat status conubii neque illi luxuriae quisquam nisi divitior indulgere poterat. Quamobrem amor tantum invictus duplicis matrimonii causa esse potuit aut liberorum desiderium.

Optimo autem iure nunc quaerere licet, possintne re vera in re publica Atheniensium polygamiae exempla indicari. Quattuor ab Hruza enumerantur [1]):

1. Socrati duas uxores fuisse, Xanthippam et Myrto, tradunt Plutarchus aliique [2]). Cui fabulae ne Hruza quidem fidem habet, quamquam non plane eam reicit.
2. Euctemon in sexta Isaei oratione.
3. Mantias in orationibus Demosthenis πρὸς Βοιωτόν (XXXIX et XL).
4. Callias in Andocidis oratione de mysteriis.

Pluribus verbis de iis disserere supervacaneum est, quoniam vir doctissimus mira sagacitate suam causam probasse ac plane confirmasse mihi videtur. Praesertim illarum orationum unus Hruza explicationem idoneam praebuit; eius tantum opinione recepta nihil iam obscuri inest.

Unum addere velim, quod ad hanc materiem pertineat, etiamsi non ex iure Attico sumptum est. Pactionum nuptialium exemplaria ex terra Graeca effossa nobis desunt; in

1) Hruza, l. l. II. pg. 31—50.

2) Plut. Vita Arist. 24. Athen. XIII. 2. Diog. L. II. 26. Lucian. Vita auct. 26.

Digitized by Google

papyris autem interdum ea occurrunt. De quibus unum exempli gratia fragmentum hic sequitur [1]):

τὰ δὲ [δ]έοντα π[ά]ντα καὶ τὸν [ἰμ]ατισμὸν καὶ τἄλλα ὅσα προσήκει γυναικὶ γαμετῇι παρεχέσθω Φιλίσκος Ἀπολλωνίαν (sic) ἐνδημῶν καὶ ἀποδημῶν κατὰ δύναμιν τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς καὶ μὴ ἐξέστω Φιλίσκωι γυναῖκα ἄλλην ἐπ[ει]σ[ά]γεσθαι ἐ[πὶ] τὴν Ἀπολλωνίαν μηδὲ παλλακὴν μηδὲ π[αιδ]ικὸν ἔχειν μηδ[ὲ τεκνο]ποι εἶσθαι ἐξ ἄλλης γυναικὸς ζώσ[ης] Ἀπ[ο]λλωνίας μηδ' ἄλλην [οἰκία]ν οἰκεῖν ἧς οὐ κυριεύσει Ἀπολλωνίαι (sic) μηδὲ κ. τ. λ.

In eadem papyro de uxoris officiis haec leguntur:

[ἐ]στω δὲ Ἀπολλωνίαι (sic) π[α]ρὰ Φιλίσκωι πειθαρχοῦσα α[ὐ]τοῦ ἃ προσῇ[κό]ν ἐστιν γυναῖκα ἀνδρός..... μηδὲ Ἀπολλωνίαι ἐξέστω ἐπέκειτον μη[δὲ] ἀΦήμερον γίνεσθαι ἀπὸ τῆς Φιλίσκου οἰκίας ἄνευ τῆς Φιλίσκου γνώ[μ]ης μηδ' ἄλλω[ι] ἀνδρ[ὶ] συνεῖναι μηδὲ ΦΘε[ί]ρειν τὸν κοινὸν οἶκον μηδὲ αἰσχύνεσθ[αι] Φιλίσκον ὅσα Φέρει ἀνδρὶ αἰσχύνην.

Verba quae sunt γυναῖκα ἄλλην ἐπεισάγεσθαι nihil aliud significare possunt quam „aliam uxorem domum ducere" [2]). Quod ne faciat cum Philiscus expressis verbis prohibeatur, Apollonia causam timendi habere debuit, ne id faceret. Insolitum nequaquam fuisse luculenter apparet, nedum vetitum. Quapropter mulieres conubium initurae pactione stipulandum curabant, ne maritus sua licentia uteretur.

Quamquam statum rerum Athenis saeculo IV a. C. n. prorsus alium fuisse atque in Aegypto saeculo I mihi conscius sum, tamen nostrae causae grave argumentum illam papyrum praebere arbitror. Graeca sunt Philisci et Apolloniae nomina, Graecum fuit conubium, Graecis moribus initum. Bigamia si lege vetita vel moribus illicita fuisset, non esset Apolloniae cur tale interdictum in tabulas introduceret.

Neque alia fuit Athenis condicio. Quamquam raro tantum maritum bigamiae licentia usum esse pro certo constat, tamen multae feminae nupturae sine dubio in engyesi stipulationem sumendam curabant, qua marito, ne illa uteretur, interdiceretur. Quod si uxor neglexerat, Demosthenes, Isaeus, Andocides suis orationibus supra laudatis nos docent, quae inde mala oriri potuerint.

1) Schubart. Einf. i. d. Papyruskunde pg. 468. Mitteis, Chrestom. 285.

2) Athen. XIII. 5: (φίλιππος) γήμας δὲ καὶ ταύτην ἐπεισήγαγε τῇ Ὀλυμπιάδι.

Digitized by Google

DE ANTRO SIBYLLAE CUMIS NUPER PARTIM EFFOSSO.

SCRIPSIT

H. M. R. LEOPOLD.

Quicumque viator adhuc paucis ante mensibus Cumarum arci excelsae appropinquabat antrum illud Sibyllae „immane" [1]) visere cupiens a vinitore rupis accola qui comiter monstratoris fungebatur officio post casam suam diligenter dealbatam ducebatur, ubi inter vineae contextos ramos dispiciebatur os speluncae quam dux sollemniter asseverabat esse antrum illud famosum.

Peregrinator, qua solet esse urbanitate hoc genus hominum, subridens assentiri solebat, sed secum repetebat versus poetae circa Euboicum litus assidui: „Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum, quo lati ducunt aditus centum ostia centum" [2]) opinans nullo modo fieri posse ut talibus verbis depingeretur caverna quam ne parvulus quidem rectus subire possit neque intellegens quomodo huic saxo asperrime dirupto „fores" [3]) adaptari potuissent. Maestus sibi persuadebat his saltem in rebus Vergilium a vero longius aberravisse neque amplius mirabatur commentatorum magnam partem ne conatos quidem esse poetae descriptionem cum iis quas testes oculati tradiderunt concinnare, alios paucos coniecisse antrum Sibyllae alio quodam loco quaerendum esse.

Nunc autem post aliquot dierum strenuum fossorum laborem aspectus locorum omnino mutatus est. Apparet hiatum quem

1) Vergilius, *Aeneis* VI 11.
2) *Ibid.* 42—43.
3) *Ibid.* 47.

Digitized by Google

omnes antea tamquam ostium speluncae intraverunt aliud nihil fuisse nisi summam magnae aulae partem terra ruinisque repletis omnibus aliis solam vacuam relictam atque illum fornicem, cuius superficies inaequalis valvas non capiebat, mediae camerae fragmentum esse.

Egesta ingenti parietinarum et aggeris vi vir clarissimus Maiuri, praeses excavationum, intellegens diligentiam in omni huius generis labore adhibendam impedituram esse ne ilico una expeditione aestiva pavimentum nudaretur, conscius avidissime omnes antiquitatis et carminis Vergiliani cultores eventum expectare diutius morari noluit inventaque sua nonnullis imaginibus phototypicis illustrata publicavit. [1])

Contextu atque imaginibus Maiurii probatur non solum, quod iam dixi, fornicem rupis reliquias esse concamerationis atrii, cuius altitudo quindecim metrorum spatium superat, sed etiam foris venienti in hoc atrium non nisi longo cuniculo interiecto aditum patuisse.

Cuniculus hic, cuius altitudo metra quinque non superat neque longitudo triginta, leniter incurvatus ab atrio pergit ad introitum, qui revera est in imo colle non ut hiatus qui usque ad hoc tempus eo vocabulo designabatur paene in summo.

Qui naturam loci qualis initio erat cogitatione complectitur, facile sibi persuadet antrum oculis plane occultum fuisse neque extrorsum aliud apparuisse nisi aditum ad cuniculum. Quem aditum valvis occludi facile posse nemo est qui non concedat. Ne tamen credas haec illa esse „attonitae magna ora domus" [2]) simplex monet ratiocinatio. Cuniculus hominum manibus secundum regulas architecturae effectus nullam omnino religionem habere potuit neque ullo modo credi potest in eo Sibyllam bacchatam esse idque clare dicit Vergilius: „immanis in *antro* bacchatur vates" [3]), „talibus ex *adyto* dictis" [4]), „*antro*que remugit" [5]). *Antrum*, *adytum* nihil aliud esse potest nisi atrium amplum et excelsum rupe excisa effectum, quod nunc denuo visitantibus offertur.

---

1) A. Maiuri, *Cuma. Primi saggi di esplorazione nell' Antro della Sibilla (luglio-dicembre 1925)* in *Notizie degli scavi di antichità 1926*, pag. 85—93. Cf. etiam R. Herbig, *Cumae* in *Gnomon* II (1926) p. 747 sq.

2) Vergilius, *Aen.* VI 53. 3) *Ibid.* 77. 4) *Ibid.* 97. 5) *Ibid.* 99.

Digitized by Google

Qua re diiudicata restat ut statuamus ubi Aeneas cum sodalibus suis constiterit cum responsa vatis perciperet. Certo non ante portam cuniculi. Nullo enim modo fieri potest ut vox humana amplo emissa adyto spatio angusto et curvo triginta metrorum interiecto exaudiatur. Troianos ad alterum antri aditum constitisse manifestum est. Quod alterum ostium iam multis ante annis ab iis, qui antrum visitabant, repertum est. Unus enim ex cuniculis, quibus montis viscera iam antiquitus perfossa erant [1]), ex atrio ascendit in templum Apollinis. Exitus eius in ipsius templi platea a viris doctissimis E. Gabrici et I. Beloch anno 1909 repertus est muro recenti occlusus [2]). Spatium autem inter atrium et templum non tantum est ut vox emissa in illo in hoc exaudiri nequeat. Liquet igitur sacerdotem Phoebi consulto Teucros invitasse ut in altum templum intrarent [3]) atque Vergilium loci naturam optime novisse eumque locum de industria elegisse. Probari non potest sed veri simile est Sibyllam vulgo solam in antro mansisse atque aedituos hominibus oraculum petentibus ante portas cuniculi inferioris responsa foliis inscripta reddidisse. Ita explicatur metus Aeneae ne „turbata volent rapidis ludibria ventis" [4]); apertis enim ostiis superiore et inferiore necesse erat ventus antrum pervaderet.

Loci vera natura sic excavationibus denudata meo iudicio non modo narratio Vergiliana vindicatur sed etiam explicantur ea quae recentioris aetatis auctores de antro Sibyllae nobis tradiderunt. Dico Pseudo-Iustinum [5]) et Agathiam. [6])

Ille his verbis oraculum describit: Ἐθεσπίσθη δὲ ἐν τῇ

---

1) E. Gabrici (*Cuma, Monumenti dei Lincei* XXII, 1913, col. 9) recte, ut opinor, conicit antiquissimis regionis incolis illos cuniculos pro habitaculis fuisse: „È molto probabile che nella grotta situata nelle alture dell' acropoli abitassero in origine famiglie di cavernicoli.... Il certo è che ben presto troviamo abitate la costa e la vetta del monte da un primo nucleo di populazione indigena avanti lo stanziamento dei Greci, come si desume da alcuni frammenti di vasi d'impasto, scoperti anni fa in una breve superficie di terreno" (Maraglino, *Cuma e gli ultimi scavi*, p. 12 in *Atti d. Accad. di Arch. di Napoli*, XXV, 1906).

2) Gabrici *ibid.* 3) Vergilius, *Aen.* VI 41. 4) *Ibid.* 75.

5) [Iustinus], *Paraenet. (cohortatio ad gentiles)* c. 37, p. 35 A (pag. 120 ed. Otto, Ienae 1879).

6) Agathias I 8—10 (ed. Niebuhr, Bonn 1828).

Digitized by Google

πόλει γενόμενοι καί τινα τόπον, ἐν ᾧ βασιλικὴν μεγίστην ἐξ ἑνὸς ἐξεσμένην λίθου ἔγνωμεν, πρᾶγμα μέγιστον καὶ παντὸς θαύματος ἄξιον, ἔνθα τοὺς χρησμοὺς αὐτὴν ἀπαγγέλλειν οἱ ὡς τὰ πάτρια παρειληφότες παρὰ τῶν ἑαυτῶν προγόνων ἔφασκον. Ἐν μέσῳ δὲ τῆς βασιλικῆς ἐπεδείκνυον ἡμῖν τρεῖς δεξαμενὰς ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐξεσμένας λίθου, ὧν πληρουμένων ὕδατος λούεσθαι αὐτὴν ἐν αὐταῖς ἔλεγον, καὶ στολὴν ἀναλαμβάνουσαν εἰς τὸν ἐνδότατον τῆς βασιλικῆς βαδίζειν εἶκον ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐξεσμένον λίθου, καὶ ἐν μέσῳ τῷ οἴκῳ καθεζομένην ἐπὶ ὑψηλοῦ βήματος καὶ θρόνου οὕτω τοὺς χρησμοὺς ἐξαγορεύειν.

Ne in verbis ἐξ ἑνὸς ἐξεσμένην λίθου haereas, iis opponens Maiurium in utroque latere basilicae muros opere latericio constructos necnon aditum interiorem cuniculi stipitibus adhuc ornatum invenisse. Perspicuum est sacerdotes oraculi — ut collegas eorum qui templo Fortunae, quod Praeneste admirationem movet, praeerant — parietes et pavimentum decorius exornasse [1]), ut advenas caperent. Receptacula „ex eadem rupe excisa" inventa non sunt. Recentiores procul dubio ea abstulerunt; demonstrabimus antrum usque ad saeculum post Christum natum decimum sextum omnibus patuisse.

Agathias vero ubi narrat quomodo Byzantini Gothorum praesidium Cumis oppugnaverint accuratissimam loci descriptionem praebet [2]). Primo statuit antri aditum fuisse in *imo* monte (ὕπεστιν) valvasque ipsas se aperuisse (αὐτόματα) quod et Vergilius commemorat [3]). Exinde ex contextu patet Byzantinos per cuniculum in basilicam penetrasse. Alio modo enim fieri non poterat ut eorum apparatus Gothos latuerint. Denique auctor egregie explicat cur Narsetis strategema irritum permanserit [4]). Parietes enim basilicae — quae meo iudicio vocabulo

1) Quod Augusti temporibus esse factum a Maiurio (l. l.) probatum esse mihi videtur.

2) C. 10: ἐν τῷ πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα τοῦ λόφου τετραμμένῳ ἀγκῶνί ἄντρον τι ὕπεστιν ἀμφήρεφές τε καὶ γλαφυρώτατον, ὡς ἄδυτά τε ἔχειν αὐτόματα καὶ κύτος ἐνὸν καὶ βαραθρώδες· ἐνταῦθα δὴ πάλαι φασὶ τὴν Σίβυλλαν τὴν πάνυ, τὴν Ἰταλὴν, ἐνδιαιτωμένην.

3) Verg. *Aen.* VI 81—82.

4) *Ib.* p. 35: σήραγγές τε γάρ τινες καὶ ἀπορρῶγες τοῦ τε λόφου καὶ τῶν ἔνδοθεν τειχισμάτων ἐπὶ μέγα ἐκτεινόμεναι, κρημνώδες ἀτεχνῶς καὶ δυσέμβολον οὐχ ἧσσον ἐκπεδείκνυσαν τὸ χώριον.

Digitized by Google

περιαυλισμάτων indicatur — non minus inexpugnabiles apparuerunt quam antea moenia antiquissima ipsi illi basilicae superimposita.

Restat ut investigemus quo tempore loci aspectus tantopere mutatus sit, ut exploratores de vera antri natura in manifestos errores induxerit.

Maiurius auctoritate Cocchiae [1]) fretus ut omnium antiquissimum ex recentioribus testibus citat „Anonymum" [2]) in libro qui inscribitur: *Memorie sui monumenti di antichità che esistono in Miseno, in Baoli ecc.* Napoli 1812, contendens huius descriptionem ad verbum congruere cum iis quae ante effossiones visebantur. Sed eum fefellit Paolinum [3]) aperte dixisse congeriem terrae et ruderum plus quam octo metra altam recentioribus temporibus tribuendam esse.

Paolinum non erravisse apparet, ut mihi quidem videtur, ex descriptione quae exstat in libro cui titulus: J. F. Breithaupt, *Christlicher Helden Insel Malta*, Frankfurt a. M. 1632. Ipsum librum Breithauptii reperire non potui, sed ex iis quae v. cl. Wünsch viro clarissimo Nordeno suppeditavit [4]) conicere licet

---

1) V. Cocchia, *La geografia nelle „Metamorfosi" di Ovidio e l'Averno Virgiliano* in *Atti dell' Accad. di Arch. di Napoli* XVIII, 1896, n⁰ 7, p. 36 sqq. (= *Saggi filologici* III p. 291).

2) Ex primis verbis praefationis apparet librum conscriptum esse a Roberto Paolino.

3) Pag. 123—124: „... Oggi quest' antro ha parimente molte bocche, e molte gallerie sotterranee, che si diramano. Il suo principale ingresso è dalla parte del mare nel lato meridionale del monte, ed all' occidente di Cuma. Tutte queste sopradette gallerie sono ripiene di rottami e di pietre che hanno ingombrate tutte le profondità, e le lunghezze, delle quali le prime a più di 30 palmi (un palmo = 26. 36 cm.), e le seconde a più centinaja di passi, forse ancora per cura del Governo de' secoli trasandati, perchè non fossero un ricovero di masnadieri."

4) E. Norden, *Vergils Aeneis* VI, p. 132: Auf eine interessante Beschreibung dieser Höhle macht mich R. Wünsch aufmerksam: J. F. Breithaupt, Christlicher Helden Insel Malta (Frankfurt a. M. 1632) 204 f., dort heisst es u. a.: „Das inwendige Theil ist anfänglich gar weit und hoch, in die Vierung gestellet, mit viereckten steinern Seulen..., hernach gleichsam in eine Ebene auszgebreitet, dessen Lenge sechzig Schritt und Breite von zehen. Folgends kommt mann in gar seltsame... Kammern..., sind denen vorigen gantz ungleich, auch viel gröszer und höher als dieselbe... Unter andern ist daselbst eine Kammer, in welcher die Sibyllinische Weissagerin von Cuma soll gewohnet haben: ist viereckt mit Griechischer Arbeit auszgemacht auff die Art wie der Heidnische Tempel deß

Digitized by Google

auctorem anno circiter 1630 p. Chr. n. basilicam paene integram vidisse.

Ut antiquiorem testem et spectatorem invenirem mihi non contigit. Vir enim clarissimus Cluverius qui annis 1613, 1617 et 1618 Italiam peragravit docte quidem de antro Sibyllae disputavit [1]) ex auctoribus demonstrans falsam esse opinionem suis iam temporibus divulgatam speluncam Sibyllae ad lacum Avernum sitam fuisse sed quae postea de Cumaei antri situ ex iis ipsis auctoribus congerit a vero longius absunt neque testi oculato imputanda. Cluverium implicite indicavisse se Cumas non vidisse apparere mihi videtur ex ipsius verbis [2]) „quorum (sc. auctorum monumenta) testimonia in medium producere consilium est, quando super eo antro varium hodie est doctorum etiam virorum certamen".

Quam tamen disquisitionem ita docte fecit ut imago vocis eius multo post audiatur apud recentiores quibus descriptiones spectatorum suppeditare potuissent. Cluverius semel atque iterum [3]) ponit templum Apollinis idem fuisse atque basilicam de qua scribit Iustinus neque aliud aedificium indicari ab Agathia vocabulo *οἰκοδομίαν*. Eum — mirabile dictu — nostris etiam temporibus sequitur v. d. Buchholz qui in lexico mythologico Sibyllam tractavit. [4])

Weingötzens Bacchi in Rom.... Soll dieses Ohrts wegen vieler Gespenste.... weiter einzugehen gefährlich seyn. Insgemein sind vorgedachte Kammern oben alle offen, auch mit Wänden und Mauern unterschieden".

1) Ph. Cluverius, *Italia antiqua*, Lugd. Batav. 1624, pag. 1104—1114.

2) *Ibid.* p. 1107.

3) Pag. 1112: ...*templum* illud *altum et immane Apollinis* idem esse quam *βασιλικὴν* vocat *μεγίστην*.... istud *antrum* sive *adytum* ex quo fata canebat Sibylla idem esse, quam *ἐνδότατον τῆς βασιλικῆς οἶκον* appellat Iustinus; pag. 1113: Diserte *οἰκοδομίαν*, id est, *aedificium*, quem adpellet hoc antrum cum compluribus adytis Agathias; dubitari haud licet, quin idem intellegat, quod *altum et immane Apollinis templum* vocat Vergilius, Iustinus vero basilicam ingentem. — Talem in errorem incidisse virum topographiae expertissimum iure miratur Paolinus noster (*Memorie* etc. p. 123): „Egli è molto da maravigliarsi, che un uom sommo nella Geografia, e Topografia, e nella letteratura Greca, e Latina, quale si era Cluverio, abbia potuto mancare di far simili riflessioni, allorch' egli trovossi sul luogo di cui si parla (Supra diximus nos non credere Cluverium Cumas vidisse)."

4) Roscher, *Mytholog. Lexikon*, *s. v. Sibylla* col. 801: „In späterer Zeit knüpfte sich die Erinnerung an die Sibylle in Cumae... an eine *βασιλικὴ μεγίστη*. Vielleicht ist damit das Heiligtum des Apollo gemeint."

Digitized by Google

Vix credere possis Cluverium ut probet enuntiatum suum ipsum Vergilium testem adducere [1]): „Ne autem suspiceris, praedicto antro superimpositum fuisse istud altum Apollinis templum; en ita ait Virgilius, dicto libro VI:

Talibus adfata Aenean, nec sacra morantur
Iussa viri, Teucros vocat alta in templa sacerdos,
Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum;
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum."

Negari non potest verba poetae, si interpunctionem Cluverii accipis, hoc modo intellegi posse, sed ita effecta constructio ab usu Vergiliano plane abhorret [2]) obstatque tali interpretationi ipsius poetae descriptio loci, quae templum in summa arce [3]) aperte distinguit ab antro in imo colle [4]). Attamen commentatores fere omnes auctoritatem Cluverii — nomen reticentes — secuti sunt [5]). Primus quod sciam Vossius [6]) rectum vidit, „alta templa" de templo Apollinis intellegens, unde cryptoporticus duxerit in antrum Sibyllae. Quam sententiam nunc effossiones viri clarissimi Maiurii plane confirmaverunt.

---

1) Pag. 1114.

2) Vid. Norden ad vers. 42 et Servium ad X 653.

3) Verg. *Aen.* VI 9—10: At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo Praesidet, horrendaeque *procul* secreta Sibyllae, antrum immane petit.

4) *Ibid.* III 443: Insanam vatem aspicies, quae *rupe sub ima* Fata canit.

5) E. g. Heynius ad vss. 40 sqq. et in excursu III ad libr. VI pag. 1009 edit. quartae, Lipsiae 1832: *„alta in templa"*. Haec de Apollinis templo si accipias, totus rerum ordo turbatur; sed Sibyllae antrum intellegendum esse, manifestum fit". Cui assentitur etiam Wagner (*ibid.* in annotatione critica ad vs. 41): „dubitavi aliquamdiu, an in fine huius versus commate distinguerem; tum verba *latus ingens* apposita erunt his: *alta in templa*; i. e. templum, quod exciso ingenti rupis Euboicae latere efficitur. Ac nescio, an ita oratio multo evadat concinnior".

6) Vid. A. Forbiger (ed. tertia Lipsiae 1852) ad Verg. *Aen.* VI 42 sqq.

Digitized by Google

PATRES CONSCRIPTI QUI FUERINT.

SCRIPSIT

I. H. VAN MEURS.

Grata memoria illorum temporum mihi difficilium, quibus discipulum me eximia tua benevolentia doctrinaque magnopere tibi devinxisti, Vir clarissime mihique aestumatissime, ego quoque, licet iuri colendo deditus magis quam philologiae, festo hoc die donum quantulumcumque de meo quin conferrem facere non potui. Argumentum decantatum sane nec tibi profecto per se iucundissimum ideo tamen tractandum mihi sumere ausus sum, quoniam novi aliquid in medium proferre posse mihi videor, quo non diiudicetur quidem controversia vetus, sed tamen nescio an via indicetur ad aenigma illud solvendum, qua de re tuum iudicium exspectare velim.

Quomodo res se habeant, breviter commemorare mihi liceat. Mommsenus [1]) in senatu Romano, qualis erat temporibus liberae rei publica, scilicet tam e patriciis quam e plebeiis compositus, alterum senatum discernere posse sibi visus est, e cuius numero soli senatores patricii essent cuique collegio sua essent aliquot iura, nempe in deliberationibus, in patrum auctoritate, in interregno. Quam rem contrariam etiam significari putabat iis verbis sollemnibus, quibus senatus appellari solebat, quae erant: patres conscripti. Quae verba idem valere contendebat atque: patres *et* conscripti, ita ut patres essent senatores patricii, conscripti autem senatores plebeii. Principio nomen illud 'conscriptos' vertendum rebatur: 'Zugeschriebenen', postea [2])

1) Inde ab anno 1864 in opere c. t. 'Römische Forschungen'.

2) In voluminibus posterioribus operis c. t. 'Staatsrecht' (1888).

Digitized by Google

autem: 'Eingeschriebenen', ita ut apud Romanos ab origine cuncti senatores eo nomine appellati essent, quippe qui in tabula essent conscripti, procedente vero tempore soli senatores plebeii, 'nach [1]) der bekannten römischen Redeweise, die allgemein gültige Kategorie terminologisch speciell für die geringere Rangklasse zu verwenden'.

Ex contraria parte exemplum secutus v. d. Ihne [2]) rem consideravit Willems [3]), qui negabat ullam extare divisionem bipartitam cum in ipso senatu [4]) tum in sollemnibus illis verbis, quae antiquitus significasse censebat nonnullos partricios in senatorum tabula inscriptos. Quod tum fieri coeptum esse, cum non iam patricii ad unum omnes in senatum venirent; eadem autem verba mansisse in usu, cum anno fere 300 a. C. n. plebeii quoque in senatum admitterentur.

Iam cum plerique viri docti, nisi omnia me fallunt, hactenus cum Mommseno faciunt ut senatum difariam fuisse partitum credant — excepto patriciorum proprio iure in deliberationibus [5]) — omnino non consentiunt ubi quaeritur, utrum divisio illa indicetur verbis q. s. 'patres conscripti' necne. Mea quidem sententia satis illud constat, fuisse in senatu contractiorem senatum patriciorum, collatis locis aliquot Ciceronis et Livii, qui non coacti erant antiquam historiam obsoletamque arbitrario denuo exstruere, sed scribebant de institutis suae adhuc aetatis. Etenim ipso anno 52 a. C. n. Servius Sulpicius interrex fuit [6]) et disertis verbis de interrege Cicero haec dicit: 'et ipsum patricium esse et a patriciis prodi necesse' [7]). Lucu-

---

1) Staatsrecht III 839.

2) Anno 1865 Heidelbergae in conventu philologorum.

3) Inde ab anno 1878 in libro c. t. 'Le sénat de la République romaine'.

4) Patrum auctoritatem penes cunctos patricios, non penes solos senatores patricios fuisse censet.

5) Neumann adhuc (Gercke–Norden, Einl. i. d. Altertumswiss.[1] III p. 401 sq.) hac quoque in re Mommsenum sequitur. Itidem Costa ('Storia del diritto romano pubblico'[2] — 1920 — p. 111), licet patriciorum propria iura in patrum auctoritate extitisse infitietur (p. 107 sq., n.) atque insuper postea non iam omnes senatores plebeios pedarios fuisse credat (p. 124 sq.), quod quibus de temporibus accipiendum sit, in dubio relinquit.

6) Asconius in Milonem p. 35, 37.

7) De domo 14, 38.

Digitized by Google

lenter inde et ex aliis locis [1]) efficitur sermonem esse de patriciorum privilegio; praeterea alibi apud Ciceronem [2]) haud ambigue apparet non omnes patricios significari sed solos senatores ex iis electos.

Quod ad patrum auctoritatem attinet, Cicero [3]) valde vereri se profitetur, ne ex patriciis in gentes plebeias adoptatis gravia pericula rei publicae immineant: 'iam patricius nemo relinquetur'; deinde: 'ita populus romanus brevi tempore (non) habebit.... auctores centuriatorum et curiatorum comitiorum'. Livius auctor est quondam [4]) 'factum senatusconsultum ut.... patres auctores omnibus eius anni comitiis fierent' [5]). Solos igitur penes patricios auctoritas fuit, neque umquam quisquam dubitavit, quin non omnes patricii sed ipsi senatores e gentibus patriciis orti hic spectentur.

Itaque, me si audis, revera in senatu romano duae fuerunt partes [6]), quae potestate fruerentur haud aequa. Restat autem altera illa quaestio de verbis q. s. 'patres conscripti'. Nec habeo cur dissentientibus Mommseno et Willemsio alterutri me adiungam, quoniam id ipsum falsum esse crediderim, de quo inter se consentiunt; negaverim enim verbum q. e. 'conscripti' vertendum esse: 'ingeschrevenen', ita ut aliud nihil significaret nisi senatorum nomina in unam eandemque tabulam collata.

Saepe [7]) ad sententiam eam et interpretationem stabiliendam referimur ad conscriptionis militaris similitudinem. Sin usum loquendi investigamus, nusquam in lingua iuridica antiquae rei publicae liberaeque verbum 'conscribendi' eo sensu adhibitum invenimus. Iis locis e. g., quos Mommsenus in opere

---

1) Cic. ad Brut. I 5, 4: 'auspicia ad patres redeunt'; Liv. I 32, 1: 'res ad patres redit'.

2) De rep. II 12, 23, ubi agitur de primo post Romuli mortem interregno: '*senatus*.... ut ipse regeret sine rege rem publicam'.

3) De domo 14, 37 sq.

4) Non loquitur de sua aetate, sed de temporibus priscis.

5) VI 42, 14.

6) De tota quaestione cf. Brassloff (P. W. s. v. conscripti, 1901); de litteris recentioribus cf. Costa, l. l. p. 110.

7) E. g. Willems, 'Le droit public romain' [7] (1910) p. 161: 'recrutés'; Brassloff l. l.

Digitized by Google

suo de iure publico [1]) et Liebenam in disputatiuncula huc pertinente [2]) attulerunt, ubi agunt de rei militaris ante Marium temperatione, de conducendis militibus semper simplex verbum scribendi, nusquam verbum compositum adhibetur. Tanti est etiam statuere, secundum Thesaurum linguae latinae in litteris priscis verbum conscribendi eo sensu bis tantum occurrere. Cui quidem rei licet per se ipsi haud multum tribuendum sit propter reliquiarum, quae ad nos pervenerunt, paucitatem, tamen id observandum est, duos illos locos minime tales esse qui demonstrent in veterum Romanorum lingua iuridica verbum conscribendi fuisse proprium terminum illo sensu usitatum. Alter enim locus apud Plautum invenitur, nec quisquam ignorat, quam caute agendum sit in antiquitatibus romanis ex eius comoediis illustrandis; accedit, quod illo loco non sermo est de militibus romanis, sed de latronibus pro rege Seleuco mercede conductis [3]). Quod si huic loco nulla inest vis probationis, altero potius contrarium efficitur. Ibi enim, loco e Catone sumpto [4]), eodem sensu primum verbum scribendi proprie, deinde rhetorice, ut ita dicam, verbum conscribendi adhibetur.

Idem fieri videmus, ubi magistratuum nomina vel alterius cuiuspiam collegii membrorum in tabulas referuntur. Nusquam in litteris priscis verbum conscribendi adhibitum invenimus [5]); itidem in inscriptionibus cum formis derivatis prorsus deest [6]); contra verbum scribendi occurrit e. g. in lege Acilia repetundarum [7]).

---

1) III 1071 sq. 2) P. W. s. v. 'dilectus' (1905).

3) Mil. glor. 73 sq.:

Videtur tempus esse ut eamus ad forum,
ut in tabellis quos consignavi hic heri
latrones, ibus dinumerem stipendium:
nam rex Seleucus me opere oravit maxumo,
ut sibi latrones cogerem et conscriberem.

4) De rege Attalo et vectigalibus Asiae dissuasio (Or. 63, Jord.): 'remiges scripti cives romani sub portisculum, sub flagrum conscripti veniere passim'.

5) Verbum 'scribendi' in Thesauro nondum elaboratum est.

6) Missis scilicet factis 'conscriptis' senatuum civitatum in posteriorum temporum civitatibus, ubi verbum illud desumptum est ex Romanorum titulo q. e. 'patres conscripti', ita ut nihil valeat ad controversiam dirimendam. Cf. Gradenwitz, 'Heidelberger Sitzungsberichte', 1916.

7) Bruns, Fontes[7] p. 59 v. 15: '....eosque CD viros quos ex h. l. legerit, is p. omnis in taboleis puplicis scriptos in perpetuo habeto'; passim. Cf. etiam

Digitized by Google

Qui verbi scribendi usus inde explanatur, quod in antiquissima lingua iuridica verba per com-composita eodemque sensu ac simplicia adhibita raro vel numquam reperiuntur [1]), contra atque in sermone recentiore. Exemplum praebet verbum 'urendi' in Leg. XII tabb. [2]) et in Lege Acilia [3]), nec non 'damnandi' verbum in legis actione per manus iniectionem [4]), cui opponi potest compositum q. e. 'condemnari' ex recentioris aevi formula [5]). Pellucide quid interfuerit inter verba simplicia et composita illustratur apud Gaium. Ubicumque enim ille — aut auctor eius — verbis legis Aquiliae, qualia sunt 'damnas esto dare', inhaeret, semper utitur verbo 'damnandi' [6]); contra agens de rebus recentioribus, velut de iniuria, 'condemnandi' verbum usurpat [7]). Idem fit in verbis 'urendi' et 'comburendi' [8]): in lege Acilia tractanda utitur illo [9]), contra hoc adhibet, ubi loquitur de testamento igne delendo, non respecta lege antiqua [10]).

Itaque si in antiquissima iuris lingua verba per com-composita alium sensum habuerunt atque simplicia, quaerendum est, quaenam vis illi particulae adiunctae inesse potuerit. Investigantes actionis in iure antiquas formas inveniemus, ubi legimus 'contestari litem', plane ibi indicari, alterum cum altero pro se utrumque aliquid facere; e contrario conferri potest verbum

---

Lex Agraria anni 111 (Bruns p. 74 sq., v. 66): 'Quoi colono eive, quei in colonei numero scriptus est...., passim. Propter numerum singularem adhibitum his locis minor sane inest vis probationis. Porro eiusdem legis v. 100 ita restituitur: 'eaque' nomina ....[in tabuleis publiceis scripta habeto....

1) Cf. Maschke, 'Die Willenslehre im griechischen Recht', 1926, p. 47 n. 2, qui similia observavit in graeca lingua iuridica (κτείνω et κατακτείνω) quique Graecorum et Romanorum his in rebus usum loquendi inter se comparat.

2) Tab. X 1: 'Hominem mortuum in urbe ne sepelito neve urito'. Tab. XI 8: 'Ast im cum illo sepeliet uretve, se fraude esto'.

3) D. 9, 2, 27, 5 (Ulp. l. XVIII ad edictum): 'Ceterarum rerum... si quis alteri damnum faxit, quo usserit....'. (Bruns, Fontes p. 46).

4) Gaius 4, 21: 'Quod tu mihi iudicatus (sivi damnatus) es....'

5) G. 43: 'iudex.... condemna'.

6) G. 3, 211. Cf. etiam legatum per damnationem (G. 2, 201).

7) G. 3, 224.

8) Verba 'rumpendi' et 'corrumpendi' (Leg. Aquilia; Leg. XII tabb., tab. VIII 2; G. 3, 217) inter se conferre praetermitte propter difficultates perplexas cum iis cohaerentes.

9) G. 2, 151.

10) G. 3, 217.

Digitized by Google

'testandi' adhibitum in testamentis solitariis [1]). Quod si loco illo [2]) Legum XII Tabularum, ubi agitur de causae peroratione [3]) neque cum Mommseno 'tum' [4]) neque cum Nabero [5]) 'c(aussa)m' legendum est, sed tradita lectio 'com' vindicanda est, tum tantum ea vocula intellegi potest, si ibi quoque ita interpretamur: 'inter se, pro se uterque', potius quam ut ambos una fecisse accipiamus. Quod attinet ad verba q. s. 'causam coiciunto' [6]), eodem loco Leg. XII tabb. occurrentia, grammaticorum [7]) et Gai [8]) interpretationes me prohibent, ne eandem significationem verbi per com compositi hic accipiam, etsi hoc quoque loco aliquantum interest inter compositi et simplicis verbi sensum. At ubi legimus 'manum conserunt' [9]), eandem habemus significationem, quamquam nescio an una agendi notio isdem insit verbis.

Quibus rebus constitutis si eo revertimur unde progressi sumus, veri simile esse non videtur, ideo tantum senatores 'patres conscriptos' appellari esse solitos, quia eorum nomina in una tabula scripta essent, ita ut 'conscripti' verti posset: 'Eingeschriebenen'; sane fieri potest, ut hic quoque verbum compositum duarum partium communem actionem indicet, ita ut transferendum sit: 'Zusammengeschriebenen'.

Iam vero ab alia parte rem propositam consideremus. Tam apud Graecos quam apud Romanos graece vox senatus proprie vertitur *σύγκλητος*. Inde ab initio secundi a. C. n. saeculi [10]) in

1) Festus ap. Bruns. p. 5 sq.: 'Contestari litem dicuntur duo aut plures adversarii, quod ordinato iudicio utraque pars dicere solet: testes estote'; licet fortasse haec verba actionem per formulam spectent. Contestari est, cum uterque reus dicit: testes estote.

2) Tab. VIII, 22: 'Qui se sierit testarier....'; G. 2, 104: 'ita lego ita testor itaque vos Quirites testimonium mihi perhibetote'.

3) Tab. I 7: 'Com peroranto ambo praesentes'.

4) Apud Brunsium p. 19, n. 5) Mnemosyne 1913.

6) 'Ni pacunt, in comitio aut in foro ante meridiem caussam coiciunto'.

7) Cf. Bruns: Non. (267) coicere, agere. Afranius: causam coicere hodie ad te volo. (Num. sing.!)

8) G. 4, 15: 'Solebant breviter et quasi per indicem rem exponere, quae dicebatur caussae coniectio. 9) Tab. VI 5: 'Si qui in iure manum conserunt....'

10) In inscriptione anni 193 a. C. n. (Viereck, Sermo graecus e. q. s., 1888), quae ita incipit: *Μᾶρκος Οὐαλάριος Μάρκου στρατηγὸς καὶ δήμαρχοι καὶ ἡ σύγκλητος Τηίων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν.* Ipse Viereck p. 72: 'Semper est *σύγκλητος*....'

Digitized by Google

fontibus iuris romani senatum eo nomine indicatum invenimus, idque usque ad saeculum decimum quartum p. C. n. [1]). Etiam in fontibus graecis ab initio secundi a. C. n. saeculi idem nomen occurrit [2]), nec minus in litteris graecis adhiberi solet, e. g. apud Polybium [3]); primus Plutarchus ita profitetur: ἡ δὲ Ῥωμαίων σύγκλητος ἄχρι νῦν γερουσία καλεῖται [4]). Itaque γερουσία non est appellatio propria, neque apud auctores Polybio vetustiores in usu est ut senatum significet. Tamen etymologice ipsa vox γερουσία idem valuisset ac 'senatus', neque hercle ignota fuit tam Graecis Lampsacenis quam in Occidentis partibus habitantibus: utrobique enim vox illa occurrit. [5])

Cur igitur huic voci altera illa σύγκλητος praelata est? Constat inter omnes, hoc nomen ductum esse a Graecis Occidentis incolis eorumque institutis. Mommseno [6]) iudice procul dubio a Campanis ductum est; faciunt cum eo Viereck [7]), Hahn [8]), Magie [9]). Ac revera in nonnullis Occidentis urbibus graecis, velut Neapoli [10]), Agrigente [11]), Melitae [12]), σύγλητον extitisse novimus. Attamen inde videlicet non fit perspicuum, quam ob rem ipso eo nomine potius usi sint quam ceteris, qualia sunt γερουσία et βουλή. Quod Hahn quoque et Viereck intel-

---

1) Harmenopoulos Hexabiblos 5, 8, 68: συγκλητικοῦ γύνη. In Basilica inque fontibus iuris Iustinianeis passim.

2) In inscriptione anni 196 a. C. n., quam attulit Magie, De romani iuris publici vocalibus sollemnibus e. q. s. (1905) p. 4; invenitur apud Dittenb. Syll.[3] II 591. Ibi vs. 50 sq. legitur: διακομισθεὶς δὲ εἰς Ῥώμην μετὰ τῶν συμπρεσβευτῶν καὶ τῶν συναποσταλέντων ἐκ τῆς Μασσαλίας καὶ χρηματίσας τῇ συγκλήτῳ μετ' αὐτῶν.... Magie p. 6 haec dicit: Sed ex his appellationibus (sc. σύγκλητος, βουλή, συνέδριον) σύγκλητος sola in sermonem publicum recepta est.

3) E. g. 1, 20, 1; 6, 11, 12; 6, 13, 2. Et 1, 11, 1 et alibi senatum etiam συνέδριον appellavit.

4) An seni 10, 23 (789 E).

5) γέρων Syracusanus C. I. G. 5394; gerusiarches Puteolanus Inscr. regn. Neap. 2555.

6) Staatsrecht III 841. 7) ibid. 72.

8) Rom und Romanismus (1906) p. 15.

9) l. l. p. 42: 'de rebus publicis Magnae Graeciae Romanos hanc appellationem sibi assumpsisse constat'.

10) I. G. XIV 756[a] (anno fere 100 a. C. n.): δόγματι συγκλήτου.

11) I. G. XIV 952 (anno fere 200 a. C. n.): ἔδοξε τᾷ ἀλίᾳ καθὰ καὶ τᾷ συνκλήτῳ.

12) I. G. XIV 953 (eiusdem fere aetatis): ἔδοξε τῇ συγκλήτῳ καὶ τῷ δήμῳ τῶν Μελιταίων.

Digitized by Google

lexisse videntur, qui rem explicare conantur. Viereck enim nomen illud 'apti vocabuli parum aptam permutationem' dicit contenditque, nisi falso eius sententiam intellego, senatus locum non fuisse eum, quem teneret βουλή graeca, sed quo uteretur σύγκλητος, cuius rei Syracusas affert exemplum [1]). Hahn autem, licet satis obscure ratiocinetur [2]), Neapolis exemplo nititur et idem velle videtur atque Viereck. At quae fuerit in urbibus illis status et potestatis ratio βουλὴν inter et σύγκλητον, paene omnino nos latet; proinde utriusque viri docti interpretatio nihilo magis probari potest quam refutari.

Paulo melius iudicare possumus, quomodo in Occidentis regionibus σύγκλητος fuerit composita. Bruno Keil [3]) demonstravit in civitatibus graecis haud raro accidisse, ut plebis desideriis ita obsequerentur, ut quod extaret collegium nomine βουλή ad certas res curandas augerent cooptandis senatoribus qui ad tempus tantum eo munere fungerentur quique vocari solebant ἐπίκλητοι sive εἴσκλητοι sive ἐπείσκλητοι. Nec raro paulatim eo perventum est ut hi fierent senatores perpetui, quo facto senatus numero auctus vocari solebat sive βουλὴ καὶ ἐπίκλητοι sive uno nomine utramque partem comprehendente βουλὴ σύγκλητος sive compendio σύγκλητος. Rebus ita progredientibus fuit scilicet cum βουλή antiqua nonnullis adhuc fruebatur privilegiis prae illa recenter adiuncta, sicut initio semper vel plerumque sola valebat potestate.

Iam his rebus perpensis ea, quae invenimus in senatus romani historia conferamus cum iis, quae ex Magnae Graeciae Siciliaeque civitatibus prompsimus. En habemus similitudinem memoratu dignissimam! Utrobique invenimus collegium paulatim demum ita numero auctum, ut qui principio collegio interfuissent postea per aliquantum temporis nonnullis privilegiis fruerentur, sed ceteroquin in auctius illud collegium essent confusi. Praeterea nomen collegii romani publice graece reddebatur voce minime obvia, quae apud Graecos ipsam illam

1) 'Haec apti vocabuli parum apta permutatio non tam ad infantiam scribarum referenda est quam ad consilium eorum, qui Romae rebus praecerant nec sine idonea causa' e. q. s.

2) Pag. 15.

3) Gercke–Norden, Einl. III[1] p. 338 sq.

Digitized by Google

duarum partium coniunctionem indicabat. Accedit quod collegium romanum proprie appellari solebat 'patres conscripti', ubi pro certo affirmari potest particulae praefixae inesse vim quandam singularem, nec quicquam vetat quin ipsam duarum partium coniunctionem ea indicari sumamus.

Ne perperam intellegar: non contendo equidem graecam vocem σύγκλητον translatam esse per 'patres conscriptos' vel contra; ne id quidem volo, eas voces prorsus idem valere. Id tantum monuerim, extare hic similitudinem quandam et fieri posse, ut aeque atque in aliis rebus ad ius pertinentibus hic quoque Romani, sicut alii Itali [1]), a Graecis didicerint.

Tibi vero, Vir clarissime, ceterisque viris harum rerum peritioribus iudicibusque magis idoneis rem diiudicandam gratus relinquo.

---

1) Cf. Rosenberg, Der Staat der alten Italiker, p. 136.

Digitized by Google

„PATER PATRATUS" QUID SIGNIFICET

QUAESIVIT

F. MULLER J.FIL.

Quinque iamiam praeterierunt lustra, clarissime Damsté, cum Gymnasium Leidense reliquisti Ultraiectum petiturus, ubi te cum iure togae amplissimae gravissimum manebat docendi munus. Multa inibi discipulis artis criticae impertisti documenta, litteras latinas emendare numquam desiisti, cumque te sanandi textus officium „absinthia taetra" adolescentibus studiosis offerre coegerat, saepius „suaviloquenti carmine Pierio", quae est naturae tuae atque ingenii eximium donum, fessos iam nos recreasti.

Neque tamen „musaeo contingens cuncta lepore" omnia exhausisti institutionis tuae condimenta. Altera tibi semper praesto erat ratio, qua usus iuvenes devincire voluisti, revera tibi conciliare valuisti. Unde hoc tibi contigit? Dum te ipse exhibuisti eundem semper hominem simplicem atque integrum, amicis amicum, inimicis inimicum, virum omnibus numeris absolutum, cui penitus inhaeserat poetae versus:

moribus antiquis res stat Romana virisque.

Si huius aevi profectus non semper te invenerunt laudatorem disertum, at saeclum quod praeteriit litteraeque latinae, quae unice tibi curae sunt, strenuum te defensorem numquam non habuerunt.

Ita evenit, ut, antiquitatis exemplum dum te suspicimus, ex discipulis amici facti te monere vellemus ex doctrina tua atque institutione revera humana nec non humanistica id praecipue manavisse, quod hominem ipsum tanquam nucleum ibi aureum usque nos deprehensuros confideremus.

Leni vero gradu cum tibi obrepit senectus adhuc viridis, verba nobis succurrunt quae Cicero (de Or. I, 199) paululum

Digitized by Google

immutata tibi, ut annos nimis fugaces consolaretur, scripsisse videtur: „senectuti vero celebrandae et ornandae quod honestius „potest esse perfugium quam ⟨litterarum⟩ interpretatio?.... „Quid est enim praeclarius, quam honoribus... perfunctum senem „posse suo iure dicere idem, quod apud Ennium dicat ille Py- „thius Apollo, se esse eum, unde sibi, si non populi et reges, „at omnes sui cives consilium expetant,

summarum rerum incerti: quos ego ope mea
† ex incertis certos compotesque consili
dimitto, ut ne res temere tractent turbidas".

Parumper, scio, haesisti. Nonne ultimum versum legenti tibi suspicio oborta est? Nonne me quamvis oblique strinxisse putasti spinosam illam atque salebrosam recte iusteque pronuntiandi linguam Latinam rationem? At hercle longe aliter res se habet neque cum tibi gratulor, rem ingratam, quippe quae quantum hac in re abs te distarem, plane ostenderit, me tetigisse scito. Immo vero, uterque nostrum in altero versu legendo paulisper institit. Quid ni textum restituere conabimur? Namque quae Ribbeck et alii proposuerunt, locum non sanaverunt. Meministine verbi *potiendi* qualis fuerit apud Plautum [1]) usus?

Pauca tantum exempla laudabo:

Amph. 176 sqq.:

satiust me queri illo modo servitutem:
hodie qui fuerim liber, eum nunc
p o t i v i t pater servitutis.

Saepius occurrit passivum, imprimis locutio: potiri hostium = in potestatem hostium venire, e. g.

Pl. Capt. 92: postquam meus rex est potitus hostium, cf. v. 144, 762, Epid. 532, 562. Quod propter syntaxeos usum singulare quiddam prae se fert. Namque si „potio aliquem servitutis" idem valet quod „aliquem *potem servitutis reddo, efficio ut servitutis compos sit", inde usus sequitur huiusmodi passivi: „aliquis potitur servitutis = *potis fit servitutis"; ita legitur (C I L. I, 1011) „quadraginta annos nata necis potior". Eōodem prorsus modo ex: „potio hostes mei = hostibus potestatem mei tribu passive fit: „hostes potiuntur mei", numquam et

1) Vide e. g. Ch. Bennett, Syntax of Early Latin II 86, 93.

Digitized by Google

nusquam „(ego) potior hostium". Haece difficultas syntactica cui non in mentem revocat Staringi nostri celeberrimum carmen: „Kaptein!" „„Waar zit je? Kom! dit bosch is niet te trouwen"" „'k heb twee gevangenen" „„Breng ze mee!"" „Ik word door beide vastgehou'en en... kan niet van de stee".

Hic nodus aliter solvendus est. Rectissime enim Hauler in quartae Phormionis editionis versu 469 lectionem difficiliorem praetulit, quam exhibet Donatus ad hunc versum, scribens: „pateretur mali, legitur et potiretur, quia potiri τῶν μέσων fuit". Idem tamen Hauler difficultatem non perspexit; quodsi fecisset, numquam scripsisset, locutiones quales sunt „potior necis" „ich gerate in die Gewalt des Todes" tamquam deponentis „potiri" esse vocem passivam. Veram explicandi rationem monstrant quae Lindsay ad Captivos 92, Hauler l.l. observaverunt deponentem quae dicitur formam „potiundi" saepe accusativum rerum secundarum, adversarum perraro regere. Nempe ita in rerum natura comparatum est, ut nobis semper videantur bona, quae nobis cedunt et quasi victa manus dant, mala et adversa, quae nobis validiora tamquam in potestatem alienam nos dedere cogunt. Ergo „nos potimur voluptatis, gaudii, hostis (victi)", sed „nostri potitur voluptas mala et infausta, dolor, mors, hostis (victor)".

Verum tam arto vocis bonae malaeque confinio fieri non potest quin lingua tantae subtilitatis parum curiosa non iam distinguat inter: „ego potior voluptatis laetae" et „mei potitur voluptas infelix", eodemque modo etiam: „potiri mortis, necis", inde „potiri hostium" dicere possit.

„Quorsum haec tam putida"? inquis. Huc, inquam. Plane demonstrant adiectivum „pŏtis", cuius comparativus „potior, potius" et superlativus „potissimum" valde usitata sunt, iam dudum in usu cotidiano vixisse ibique trita esse: alioquin eiusmodi sensus mutationem numquam passurum fuisse. Opportune fit, quod locus Plautinus huius rationis luculenter vindicias affert. Est locus Casinae 111 sqq.:

tun illam ducas? hercle me suspendio
quam tú eiius potior fias satiust [1]) mortuom.

1) Eadem locutio redit Pl. Amph. 177.

Digitized by Google

Nunc demum via nostra satis mihi esse munita videtur, qua ad restituendam veram lectionem progredi possimus. Omnia optime se habebunt, si legas apud Ciceronem:

quos ego ope mea
ex íncertís certós potésque cónsilí
dimitto [1]).

Videsne, mihi ubi primum,

ut loquerer tecum, veni, tecumque sederem
ne tibi non notus, quem facis, esset amor,

tantum non invito quasi excidisse coniecturam?

Nempe emendandi amor? Immo tui!

Tu mendas spectas, ego te: spectemus uterque,
quod iuvat, atque oculos pascat uterque suos.

Cum Hartmanno amico tuo, viro piae memoriae, olim tibi magistro, collega postea, Societatem Lugduno-Ultraiectinam condere ausus iuniores cum senioribus communionem quandam studiorum habere et didicisti et docuisti. Quodsi hodie prioris aevi unicum te quasi monumentum superstitem artisque criticae, quae duce Cobeto Lugduni Batavorum et alibi tam eximia laude floruit, felicem auctorem propugnatoremque intrepidum cognovimus, at nos, posterioris aetatis qui sumus, hominem ipsum quaerimus, diligimus, immo grata memoria recordamur, quam firma quamque in te fuerit robusta ista vere patriae amicitiae imago.

Spicilegium quoddam criticum tibi carptum in posterum differens, quid hodie melius aptiusque tibi, qui tantam erga patrum memoriam exhibuisti pietatem, quantam ob patriam caritatem nunc ab iunioribus tibi oblatam videbis ipsi, scribam, quam pater patratus quid revera significaverit?

Iam varias virorum doctarum sententias evolvere supersedeo [2]). Ex studiosis litterarum classicarum una, ornatissima G. Molt,

---

1) Temporibus historicis adiectivum compositum „com-pos" magis in usu fuisse demonstrant loci allati a Bennett, Syntax of Early Latin II 82.

2) Cf. inter alios Th. Mommsen Röm. Staatsrecht [2]I 237 sqq., L. Lange Röm. Alterthümer [3]I 322 sqq., J. Marquardt Röm. Staatsverwaltung VI 418, Wissowa Rel. u. Kult.[2] 552, Samter Pauly-Wissowa VI 2260 sqq.

Digitized by Google

nuper hanc rem enodare aggressa quaestionem solvere conata est, undique collegit quae huc spectare ei videbantur, postremo solutione desperata rem integram reliquit, postquam sibi quam cum ea communicaveram explicandi rationem — est ea ratio quam nunciam patefaciam —, minus placere confessa est [1]). Exemplorum autem copiae mihi benigne fecit potestatem.

Summa tantum sequamur fastigia rerum neque quae sescenties dicta ab aliis sunt, denuo proponamus.

Disputationis capita haece sunto.

Egregiam ritus atque officii patris patr. invenies descriptionem apud Livium (I 24, 4 sqq.): „tum ita factum accepimus, nec ullius „vetustior foederis memoria est. Fetialis regem Tullum ita roga„vit: „iubesne me, rex, cum patre patrato populi Albani foedus „ferire?"" Iubente rege: „„sagmina", inquit, „te, rex, posco"". „Rex ait: „„puram tollito"". Fetialis ex arce graminis herbam „puram attulit. Postea regem ita rogavit: „„rex, facisne me tu „regium nuntium populi Romani Quiritium, vasa *comites*que „meos?"" Rex respondit: „„quod sine fraude mea populique „Romani fiat facio"". Fetialis erat M. Valerius [2]); is patrem „patratum Sp. Fusium fecit verbena caput capillosque tangens. „(pater patratus ad ius iurandum p a t r a n d u m id est sancien„dum fit foedus multisque id verbis, quae longo effata carmine non „operae est referre, peragit). Legibus deinde recitatis „„audi"", „inquit, „„Iuppiter, audi pater patrate populi Albani, audi *tu* „populus Albanus [3])" e. q. s. In fine capitis haec sunt: „sua „item carmina Albani suumque ius iurandum per suum *dicta*„torem suosque sacerdotes peregerunt". Eundem ordinem inveniri

1) Eadem „*patrem patratum*" a verbo quodam prorsus ignoto neque reconstructione probabili vindicato *pătrandi* (denominativo a **pat-ro-s*) „contingere, aanraken" ducit, cuius radix *pat-* nusquam apparet. Nam ndl. *vatten* — v. Franck-v. Wijk p. 724 — radicem *ped-*, non *pat-* continet! Ab idg. **pĕd-ro-s* proficiscendum fuerat, sonis contiguis *-dr-* in *-tr-* mutatis, ut fit in *taeter*, *taetro-* < **taid-ro-s*: *taedet*. Hoc fieri potuit, non nego, verum et alibi et in dialectis italicis omni prorsus adminiculo caret.

2) Nisi omnia me fallunt, etiam hoc loco haud forte accidit, quod nomina b o n i o m i n i s occurrunt: *Valerius: valēre*, *Fusius* (: *fusi exercitus*; postea idem nomen *Furius: furo* explicandum fuisset, v. etiam Cic. Verr. II, 1, 109!). *Quod* si aliter fuisset, eodem modo quo *Fusius* etiam *Valesius* (v. Paul. 22, 8 L.: *ut Valesii, Papisii pro eo, quod est Valerii, Papirii*), opinor, scripsisset.

3) Nominativus pro vocativo positus non habet, cur legamus: „audito populus Romanus" vel „audiat".

Digitized by Google

par est apud Romanos et apud Albanos: itaque regi Romanorum dictator Albanus respondeat, sacerdotibus Albanorum fetialis et pater patratus Romanorum. Accedit quod etiam apud Albanos patris patr. mentio fit, de quo in fine capitis Livius verba facit tamquam sacerdote. Ergo pater patratus unus ex fetialibus fuit, ipse quoque sacerdos, quod etiam luculenter demonstrant Dionysii Halicarnassensis verba (II, 72, 6).

Variis locis adhibitis satis constat non solum Romanos sive Latinos sed etiam alias Italiae gentes *fētiāles* habuisse [1]). Quod ipsum sacerdotii nomen declarare mihi quidem videtur: derivatum est a nomine indo-germanico **dhē-ti-s*, proto-italico **pē-ti-s* [2]), cuius vestigia supersunt in got. *-dēþs* = ndl. *daad*, lituan. *dėtis* „(onus) impositum", *dėtys* „ova uno partu posita" (cf. gall. *pondre un oeuf* < lat. *ponere* = gr. *τίθημι* eiusdem radicis *dhē-*). Aliter formatum, scilicet a tenuiore radicis specie, indogerm. **dhə-ti-s*, est graecum vocabulum θέσις. In lingua autem latina usque et ubique formae per *-k-* auctae inveniuntur: *făc-io*, *fēc-ī*, *făc-tum*; Umbrorum vero sermo varias exhibet formas, quas licet nonnulli viri docti expediant adhibita radice aucta *fēk-* (e. g. umbr. fēia „faciat" < **fēçia* < ital. **fēk-iā-t*), tamen multo melius explicare poterimus, si a formis proficiscemur radicis *fē-* < ital. *pē-*, indog. *dhē-* (v. gr. *τί-θη-μι*), propterea quod *fēta* „facta" posteriorem solutionem admittit, priorem spernit. Quae cum ita sint, ital. **pēti-* dialectorum italicarum indoli atque naturae magis quam latinae linguae accommodatum esse videtur.

Rex Romanus non ipse neque per se foedus sive **fētim* „Satzung (: setzen), verdrag" facit sed duos mittit, qui tamquam regiam personam agant. Cur duos? Scilicet quia in rege duo officia sive opificia insunt, unum sacrum, alterum profanum. Rex enim officio fungitur sacerdotis, cuius rei vestigium exstat in rege sacrorum, fungitur magistratus officio, quam partem muneris recepit et sustinet consul (praetor, iudex).

---

1) Cf. A. Rosenberg, Staat der alten Italiker, Pauly-Wissowa VI 2259.
2) Cf. F. Muller Jzn, Altital. Wörterbuch p. 508.

Digitized by Google

Iam vero ipse rex [1]) ex patrum ordine prodit; rege mortuo „auspicia ad patres redeunt": tum a secundo aut a posteriore interrege novus rex, postea consul creatur eodem modo quo (Liv. I, 24) a fetiali pater patratus „d(e)icitur" = δείκνυται, digito monstratur „wordt (aan)gewezen." Manifesto apparet ex fetialibus unum ab altero nomine *patris patr.* designari propterea, quod ille demum, qui iussu regis stato die ad certum officium perpetrandum creatur dis consentientibus, putandus est iustam regis personam agere. In eo patre patr. igitur tria coniunguntur: sacerdotium, quia est fetialis, magistratus, quia est vir unus, patres i. e. senatus patricius, quia regis personam tuetur regisque vicem obtinet. Verum quandoquidem Romae quod dicitur „Volkskönigtum" fuit, i. e. ex patribus familias unus ab altero patre familias interregis locum obtinenti creatur sive „dicitur" atque, ut magistratus postea magistratum creavit [2]), sic rex (sive interrex) regem dicere vel designare solitus est, idcirco ex tribus illis partibus longe fuit princeps patrum persona vel officium. [3])

Hinc omnia dilucida mihi esse videntur.

Fetialis ipse unus ex patribus, quippe ipse antiquissimis temporibus ingenuus natus et pater familias et propterea patricius, quasi patrum nomine agebat. Ergo fuit *pater patr*.... Quomodo lingua latina hoc designare potuit? Sicut *sĕn-ēs* (sive *sĕniōres*) cuncti efficiunt *sĕn-ātum*, itidem *pătrēs* faciunt *pătr-ātum* „*vaderschap cf. vroedschap". Itaque vir ille, de quo loquimur, fuit *păter pătrātūs*.

Noli obicere quod formae *patrate* voc. (Liv. I, 24, 7), *patrato* dat. (Liv. V 32, 11) et *patrato* abl. (Liv. I 24, 4) occurrunt! Nam sicut *patratus*, ni fallor, antiquius senatus nomen continet, ex quo demum ipsum *senatus* vocabulum, temporibus recentioribus natum, intellegi potest — suffixo *-ātus* per ana-

1) V. Th. Mommsen Röm. Staatsrecht ^{3}II, 3 sqq., Abriss d. röm. Staatsr. 103, F. Petri, Die Wohlfahrtspflege des Augustus, N. Jhrb. 1927, 268—284.

2) Cf. Mommsen Abriss 103: „Die Continuität des Oberamts der Gemeinde und, was dasselbe ist, die gesicherte Wiederbesetzung derselben ruht auf dem patricischen Senat. Diese stetig ergänzte und auf ewige Dauer angelegte Körperschaft trägt das Königtum sozusagen in sich".

3) Mommsen Abriss 104: „der Magistrat erschafft den Magistrat: von diesem fundamentalen Princip ist das römische Staatsrecht ausgegangen".

Digitized by Google

logiam ut dicitur addito —, ita Romanos posterioris aevi verbum adeo priscum, raro vel numquam usitatum, arguimus vix recte dinoscere potuisse. [1])

Quod ad formam attinet, ita mihi rem fingo.

Ut a *minist(e)ro-* derivatum est *ministerium*, ita a *magist(e)ro-* *magisterium*, v. Suet. Aug. 3: „Avus (sc. Augusti) municipalibus „magisteriis contentus abundante patrimonio tranquillissime „senuit". Quae cum ita sint, in vocem *consŭlātus* (abstracte dictam „munus consulis") et in vocem eodem modo formatam sed aliud significantem *sēn-ātus* (non abstracte dictam „munus senatoris" sed concrete „universi patres sive senes"), cui adhaeret *sĕnātor*, suffixa ista *-ātus* et *-ātor* aliunde irrepserunt. Hoc unde fluxerit, apparet: *impĕrātor* [2]), *regātor* [3]), *dictātor* antiquissimis temporibus semper cum patribus uno tenore coniunguntur. Iuxta nomen *sĕnātor* creatum est *sĕnātus* et *pătrātus* vocabulum. Causam tamen praecipuam deprehendere mihi videor in voce *magistrātus*, quae verbum *magistrandi* sequebatur [4]), ut iuxta *minister* verbum notissimum erat *(ad)ministrandi*. Inde primo *magistrātus* significavit „magister esse, praeesse" sensu abstracto, dein sensu concreto „ii qui praesunt", postremo „is qui praeest". [5])

Nomini agentis simile *sĕnā-tor* [6]) rursus novum inauditumque peperit vocabulum: *sĕnā-cŭlum* (= *cēnā-tor: cēnā-cŭlum*), v. Varro L.L. V 156: „senaculum supra graecostasin...; sena-

---

1) Cf. Quint. I, 6, 40 loco notissimo: Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta: sed illa mutari vetat religio et eonsecratis utendum est, Hor. A. P. 68: mortalia facta peribunt; nedum sermonum stet honos et gratia vivax. Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque, quae nunc sunt in honore vocabula.

2) Vide F. Muller Jzn, Mededeelingen Kon. Ak. v. Wet. Afd. Lett. October 1927.

3) Cf. osc. Regatureí „Rectori" (ut- dīcāre ~ dīcātor × dic-tor = dictātor). Hic clare perspicimus ultra iustum terminum suffixum *-ātor* fines propagavisse.

4) Eodem modo *administer* (Varro L.L. VII, 3) non ex *ad* + *minister* compositum est sed originem ducit ex *administrandi* verbo.

5) Cf. Fest. 138 L. (v. Paul. 139 L.): „magistrare pro regere et temperare dic...." Cardo quaestionis igitur hac in re invenitur, quod *magistrātus* sensu concreto non iam a *magistrandi* verbo obsoleto ortum esse putabatur, sed ab ipsis Romanis protinus, nullo alio vinculo intercedente, cum *magistri* nomine coniungebatur.

6) Senatus nomen etiam alibi, in gentibus Italicis, invenitur cf. osc. senateís „senatus" Gen. Sing. (v. Rosenberg Staat der alten Italiker 135). Sed optimo iure quaerimus, id utrum primitus ibi fuerit an ex Romae imperio illuc fluxerit.

Digitized by Google

„culum vocatum, ubi senstus aut ubi seniores consisterent, „dictum ut γερουσία apud Graecos", Fest. 470 L. (cf. Paul. 455 L.): „senacula tria fuisse Romae, in quibus senatus haberi „solitus sit, memoriae prodidit Nicostratus in libro qui inscri- „bitur de senatu habendo". Hoc saltem apparet *senatus* vocabulum satis iam fuisse antiquum quippe quod ex se rursus aliud nomen genuerit.

Una tantnm modo stirps nomina tam in *-ātus*, quam in *-ātor* et *-āculum* exeuntia creavit, derivata ab *augurandi* verbo: existunt *augurātus* „munus auguris", *augurātor* (quod minus laete floruit iuxta se simplex nomen *augur* habens) et *augurācŭlum*, v. Paul. 17 L.: „auguraculum appellabant antiqui, quam nos arcem dicimus, quod ibi augures publice auspicarentur".

Quod haud scio an merito et iusto causarum nexu ita ceciderit. Alibi enim [1]) demonstrare conatus sum, quam late radices egerit in latinitate prisca ipsum *auguris* nomen eiusque notio.

Vocabula in *-(ā)tor* exeuntia iam priscis temporibus hac in re nonnullius fuisse momenti, inde sequitur, quod *praetor praetūra*, *dictātor dictātūra* genuit ratione phonetica antiquiore *(-tōr-ā > -tūr-ā)*.

Postremo paulisper mihi indulgeam, dum pauca addam. *Pater patratus* priscis temporibus idem tulit nomen quod anno 2 a. Chr. n. Augusto datum est (5 Febr.): *pater patriae*! Accedit, quod etiam in cultu Mithraico *pater patrum* invenitur, qui bis etiam *pater patratus* appellatur [2]). Quod casu tantum fieri, mihi nullo modo persuadere possum.

---

1) Vide F. Muller Jzn, Mededeelingen der Kon. Akademie van Wetenschappen, Afd. Lett. October 1927.

2) Vide C. I. L. V 5795 et II 2705 (Cumont Textes et Monuments 190 et 514), v. etiam Wissowa Rel. u. Kult.² 370.

Digitized by Google

DE IUDICIO PERDUELLIONIS SUBLATO.

SCRIPSIT

E. H. RENKEMA.

Ciceronis orationem, quae inscribitur pro C. Rabirio perduellionis reo ad Quirites, non in causa perduellionis esse habitam, sed pertinere ad multae irrogationem, quam post elusum perduellionis iudicium Labienus tribunus Rabirio intendisset, per centum annorum spatium Niebuhrio [1]) omnes fere crediderunt. Primus Eduardus Meyer [2]) argumentis et ex ipso Cicerone et ex Dione [3]) petitis haud dubie demonstravit orationem suum sibi titulum optimo iure obtinere, quippe quae ad populum adhibita sit in eodem perduellionis iudicio, cui repentinum exitum dolus Metelli praetoris attulerit. Unam tamen difficultatem reliquit vir doctus. Nam si re vera perduellionis reum Cicero defendit, unde fieri potest ut in eadem oratione iudicium perduellionis a se sublatum suaque virtute tribunum ex crudeli actione depulsum esse semel atque iterum glorietur? [4])

Quae de ea difficultate Meyer disputat, ad persuadendum parum accommodata videntur. Vult enim, postquam sententiam tulerint duumviri, antequam res ad populum deferretur, actionem perduellionis a senatu ita esse circumscriptam et debilitatam, ut de multa, non de capite Rabirii ad populum certatum sit; itaque eo tempore, quo Cicero causam eius egerit,

1) Ciceronis orationum pro M. Fonteio et pro C. Rabirio fragmenta ed. B. G. Niebuhr, 1820.

2) Caesars Monarchie und das Principat des Pompeius (1918) p. 543—557.

3) XXXVII 26—28.

4) §§ 10, 17.

Digitized by Google

licet superfuerit nomen perduellionis, verum atque antiquum perduellionis iudicium non iam fuisse. Quam interpretationem refutat ipse orator, qui identidem profitetur reum etiamtunc in capitis periculo versari, id est, si damnatus sit, aut vita aut patria cariturum [1]). Quod Meyer coniecit, Rabirium, si res adversa cecidisset, multae magnitudine coactum patria excessurum fuisse, ne id quidem testimoniis ullo modo confirmat. Ut hoc iam concedamus, quod probabile minime videtur, perduellionis iudicium a capitis discrimine seiungi umquam potuisse, attamen ea quae de „multae irrogatione" in hac oratione leguntur [2]), magis indicant praeter perduellionis actionem multam quoque Rabirio irrogatam esse propter leviora quaedam crimina, quae, ut facere accusatores solebant, tribunus in nece Saturnini persequenda obicere reo extra causam non neglexerit. Accedit quod comitia populi, quae vexillum in Ianiculo submissum subito diremit, hoc ipso vexillo centuriata fuisse demonstrantur; de multa autem irrogata tributim in suffragium mitti populus solebat.

E. G. Hardy, qui hoc triennio rem denuo tractavit [3]), alio modo nodum solvere conatus est. „Perduellionis iudicium sublatum" sic intellexit: postquam Rabirius a duumviris condemnatus ad populum provocasset, auctore Cicerone factum esse senatusconsultum, quo tota actio, quae per duumviros instituta esset, irrita fieret [4]); populum igitur de ea iudicare non potuisse; tum tribunum pro multa, quam ob alia crimina iam ante irrogasset, poenam capitalem substituisse, ut novum oreretur

1) e. g. § 1 „in hac defensione capitis, famae fortunarumque omnium"; § 5 „in tanta dimicatione capitis, famae fortunarumque omnium"; ... „vita C. Rabirii ... vestris manibus suffragiisque permittitur"; § 31 „non supplicium deprecarer, sed praemium postularem"; § 37 „nihil aliud iam vos orat atque obsecrat, nisi uti ne se legitimo funere et domestica morte privetis, ut eum, qui pro patria nullum umquam mortis periculum fugit, in patria mori patiamini".

2) §§ 7—9.

3) Some problems in Roman history (1924) p. 27—35, 99—125.

4) Hardy legem, qua actio perduellionis in Rabirium constituta sit, sublatam putat facto senatusconsulto „populum ea lege non teneri". At neque legis neque plebisciti in hac causa partes ullae fuisse possunt, siquidem Cicero (§ 12) „iniussu vestro" reum condemnatum esse queritur. Quid huc pertineat Ciceronis locus ab eodem viro docto allatus (in Pisonem § 4), non intellego. Dio (cap. 27) ne duumviros quidem a populo, sed a praetore designatos tradit.

Digitized by Google

perduellionis iudicium [1]); in hoc altero iudicio Rabirium a Cicerone defensum et dolo praetoris periculo exemptum esse. Cui opinioni quominus accedamus, duo praecipue sunt quae impediant. Primum demiramur, si totius rei rescindendae et tollendae senatui potestas fuit, cur patres ea potestate non ante usi sint quam duumviri more maiorum de reo iudicaverint [2]). Deinde, si Rabirius duo habuit iudicia perduellionis, quorum alterum, cum Cicero verba faciebat, iam sublatum erat, alterum tunc ipsum exercebatur, num ita loqui orator potuit: „nam *de perduellionis iudicio*, quod a me sublatum esse criminari soles, meum crimen est, non Rabirii" [3])? Nonne potius diceret „de *priore* iudicio" vel tale quid, ut inter utramque causam bene distingueret? In eodem luto haesitamus: in iudicio perduellionis utramque partem, dum summis viribus de victoria contendit, consentientem videmus iudicium perduellionis esse sublatum. — An id recte dici ita potuit, ut iudicium, quod sublatum esse consentiebant, non eodem sensu „iudicium" diceretur quo tum Rabirium „in iudicium vocari" nemo negabat? Hoc si tenuerimus, habebimus, nisi fallor, quo quasi altero Ariadnae filo passus errantes regamus. Experiamur si exitum invenire contingat.

Iudicii vocabulo, ubi in causis agendis usurpetur, non semper eandem notionem subici pueris cognitum est. Ut alia omittam, aut totam causam eiusque actionem significat („proces") [4]) aut sententiam a magistratu [5]) vel a populo [6]) vel a

---

1) Similiter anno 211 in Cn. Fulvio fecit Sempronius tribunus, qui „cum bis pecunia anquisisset, tertio capitis se anquirere dixit" (Liv. XXVI 3). Cf. Liv. XXV 4_8.

2) Re vera iudicasse duumviros constat testibus Dione (l.l.) et Suetonio (Caes. 12). Cf. huius orationis § 12.

3) § 10.

4) Cf., si tanti est, huius orationis §§ 16 et 33; de Domo § 45 „si qua res illum diem.... sustulit, tota causa iudiciumque sublatum est"; in Caecilium §§ 1, 25; in Verrem Act. Sec. I § 139; III § 52; pro Cluentio §§ 147, 192; pro Murena § 3; ad Fam. IX 25_3.

5) Cic. Orat. § 156; de Rep. II § 54; Liv. I 26_5; III 36_8; IV 10_6. Verbum iudicandi eodem sensu legitur apud Ciceronem in huius orationis § 12; de Domo § 45; de Legibus III § 6; apud Livium I 26_7; XXVI $3_{8,9}$; XLIII 16_{11}.

6) De Domo § 45 (semel); huius orationis § 34; Liv. VII 28_9; XXVII 34_3; XXIX 37_4.

Digitized by Google

iudicibus [1]) latam („uitspraak, vonnis"). Quid hoc loco valeat, illustrat Livius, ubi narrat quae in Horatio facta esse posterior aetas crediderit: „Duumviri... cum condemnassent, tum alter ex iis 'Publi Horati, *tibi perduellionem iudico*' inquit. 'i, lictor, conliga manus'" [2]). Iam apparet „*perduellionis iudicium*" a Cicerone sublatum quomodo intellegendum sit. Non totam causam sustulit, sed condemnationem a duumviro pronuntiatam, quae cum lictoris exhortatione coniungebatur, irritam fecit. De eadem re in extrema oratione Cicero sic loquitur: „accusatio perniciosa, *iudicium acerbum*, res tota a tribuno plebis suscepta contra rempublicam". [3])

Quomodo Cicero effecit ut hoc duumvirale iudicium dissolveretur? Ipsum audiamus [4]): „Nam de perduellionis iudicio, quod a me sublatum esse criminari soles, meum crimen est, non Rabirii. Quod utinam, Quirites, ego id aut primus aut solus ex hac republica sustulissem! Utinam hoc, quod ille crimen esse vult, proprium testimonium meae laudis esset! Quid enim optari potest quod ego mallem quam me in consulatu meo carnificem de foro, crucem de campo sustulisse? Sed ista laus primum est maiorum nostrorum, Quirites, *qui* expulsis regibus nullum in libero populo vestigium crudelitatis regiae retinuerunt, deinde multorum virorum fortium, qui vestram libertatem non acerbitate suppliciorum infestam, sed lenitate legum munitam esse voluerunt. Quam ob rem uter nostrum tandem, Labiene, popularis est? Tune, qui civibus Romanis in contione ipsa carnificem, qui vincla adhiberi putas oportere, qui in campo Martio, comitiis centuriatis, auspicato

---

1) In Verrem II § 66; V § 163; pro Cluentio §§ 60, 106.

2) Liv. I 26.

3) § 35. De eodem iudicio Suetonius (Caes. 12): „(Caesar) sorte iudex *in* reum ductus tam cupide condemnavit, ut ad populum provocanti nihil aeque ac *iudicis acerbitas* profuerit". Hinc Hardy collegit C. et L. Caesares duumviros sortitione designatos esse. Sed nihil est quod diffidamus Dioni, qui a praetore electos disertissime praedicat. Sic Livius (I 26_5) duumviros a rege factos tradit „concilio populi advocato" (i. e. in contione; cf. Liv. I 8_1; II 7_7; V 43_8). Suetonius (vel is qui auctor ei fuit) hoc dicere voluit, C. Caesarem sorte constitutum esse qui iudicium a se et collega factum pronuntiaret. Aut *sorte aut* comparatione talia inter se componere collegae solebant.

4) §§ 10 sq.

Digitized by Google

in loco, crucem ad civium supplicium defigi et constitui iubes, an ego, qui funestari contionem contagione carnificis veto, qui expiandum forum populi Romani ab illis nefarii sceleris vestigiis esse dico, qui castam contionem, sanctum campum, inviolatum corpus omnium civium Romanorum, integrum ius libertatis defendo servari oportere?" Duumviri scilicet, priusquam condemnarent, defensionem reo non permiserant [1]). Condemnatum haec sequi debebant, ut in foro coram populo, qui, ut iudicio adesset, in contionem convocatus erat, lictor [2]) vincula ei iniceret; tum, si ad populum provocasset, ex vinculis causam diceret; postremo, si comitia centuriata iudicium confir-

1) § 12: „Hic popularis a duumviris iniussu vestro non iudicari de cive Romano, sed indicta causa civem Romanum capitis condemnari coëgit". Cf. Suet. ll. In hac quoque re duumviros nixos esse „lege horrendi carminis" facile intellegitur coll. Liv. I 26_7: „duumviri... se absolvere non rebantur ea lege ne innoxium quidem posse". Livium in Horatii iudicio enarrando vestigia causae Rabirianae conservasse iamdudum animadversum est.

2) Lictorem (§ 13) rei augendae et improbandae causa invidioso carnificis nomine saepius dicit Cicero, ut in Verr. V §§ 118, 125. — Lictoris mentio facta demonstrat contioni, ubi duumviri Rabirio perduellionem iudicaverunt, non tribunum praefuisse, sed praetorem, qui in eadem contione duumviros designaverat. Ea vero contio, in qua Cicero pro Rabirio verba fecit, quam subsecuta sunt comitia (cf. § 5 „hodiernum diem"), ab ipsis duumviris advocata esse videtur, sicut in vetere „commentario anquisitionis", quod servavit Varro (L. L. VI 90 sqq.), quaestor, qui capitis accusavit T. Quintium Trogum, auspiciis a praetore vel a consule petitis ipse populum per praeconem ad se vocat (cf. Liv. III 24_7). Quod Cicero in oratione saepissime Labienum alloquitur, id in hac re nullius momenti est; patronum enim a populo vel ab iudicibus ad accusatorem se convertere minime rarum est. Caesar et Crassus hunc potissimum accusatorem subornaverant, quia et propter patruum cum Saturnino occisum iniuriam domesticam ulcisci videri et contionibus atque intercessionibus tribuniciis vexare reum et patronos poterat. Sic tribunicia potestate fretus se semihoram tantum ad loquendum concessurum Ciceroni denuntiavit (§ 6). Tamen, quo maiorem terrorem Ciceroni et senatui incuterent (nam de Rabirio non multum curasse videntur), iidem auctores fuerant ne ipse tribunus Rabirio diem diceret, sed eam actionem institueret, qua supplicium more maiorum de reo sumeretur. Itaque Labienum, ut quemvis privatum, postulandi causa praetorem adisse puto; tum praetorem, quia perduellionis quaestio perpetua non erat, rem ad senatum detulisse; inde orta esse illa certamina „περὶ τοῦ δικαστηρίου", quae Dio describit, „τῶν μὲν ὅπως μὴ συναχθῇ, τῶν δὲ ἵνα καθιζήσῃ δικαιούντων". Postquam senatui de „more maiorum" constituendo convenit, praetor contione advocata duumviros nominavit. Tum secuta est altera contentio „περὶ τῆς κρίσεως". Labienum Rabirio „diem dixisse" quod tradit Suetonius, sensu proprio scripsisse non potest; nam si cui tribunus plebis diem dixit, duumviris opus non est.

Digitized by Google

massent, statim in ipso campo Martio more prisco in eum animadverteretur. Haec omnia „ex annalium monumentis atque ex regum commentariis" [1]) prolata admodum discrepabant ab eis quae in ceteris causis capitalibus ea aetate fieri solebant. Ibi enim is cui magistratus diem dixerat [2]), liber et sine vinculis esse sinebatur; ter prodicta die reus necdum condemnatus causam suam populo probabat; si id parum successerat, exilio voluntario supplicium effugiebat. Neque in quaestionibus perpetuis reum comprehendi mos erat. Hoc „ius libertatis", quod omnium civium Romanorum proprium esse dicit, ut etiam in Rabirio servaretur Cicero perfecit. Id ius a se non creatum sed vindicatum putat [3]); se nihil aliud nisi impedivisse quominus in libero populo crudelitas regia restitueretur. Quod indicta causa Rabirius condemnatus erat, infectum reddi non poterat; ut in certatione, quae apud populum de provocatione futura erat, etsi non reus, attamen pro reo esset et solum vertendi certe facultatem haberet, consul providit. Quod se suo nomine fecisse libenter profitetur: non sub senatus umbra atque auctoritate delitescit. Iam conicere licet, opinor, cum lictor ad hominem condemnatum accederet, Ciceronem appellatum auxilio fuisse Rabirio et pro imperio consulari intercessisse ne vinciretur. [4])

Haec habui, Magister carissime, quae die Tuo festo munusculi loco Tibi offerrem. Qualiacumque sunt, non ingrata Tibi fore speravi, quia versantur in litteris nostris, quibus diu Te ornamento futurum omnes discipuli et amici Tui ex animo cupimus atque optamus.

---

1) § 15.

2) Post leges Cornelias, quae iudicia publica fere omnia a populo ad quaestiones perpetuas transtulerant, tamen populi iudicia fieri non omnino desierunt. Sic Clodius aedilis Miloni diem dixit de vi (Cic. pro Mil. § 40; in Vat. § 40; pro Sest. § 95; ad Q. fr. II 3). Cf. Act. Sec. in Verr. I § 13; V §§ 178, 183; pro Mil. § 36; de Harusp. Resp. § 7.

3) Cf. §§ 10, 12 sq., 16 sq.

4) Cf. Cic. Legg. III § 6: „Magistratus nec oboedientem et noxium civem multa vinclis verberibus coerceto, ni par maiorve potestas populusve prohibessit, ad quos provocatio esto". Ibid. § 16: „Illud... habet consul, ut ei reliqui magistratus omnes pareant excepto tribuno".

Digitized by Google

DE SYMBOLICA PHAETHONTIS FABULAE INTERPRETATIONE APUD ROMANOS.

SCRIPSIT

G. A. S. SNYDER.

Quicumque artis historiae studiosus est, non amplius eadem fruitur libertate, qua Cicero quondam utebatur, cum latino sermoni graecorum notiones philosophicas accommodabat, atque ideo raro tantum investigationum suarum summam latinis litteris commendare solet. Notionibus suis usitatissimis frustra plerumque paria quaerit verba latina. Nec mirum! Vix enim formarum inquisitione ad stilum pertinente antiquis opus erat, qua quidem imprimis nitimur recentiores, cum deficiente traditione antiquae artis historiam redintegrare conamur. Et quibus interdum illaqueemur difficultatibus, qui notionibus nostris vestem latinam induere velimus, iam ambo, Magister aestimatissime, experti sumus, quippe qui viribus iunctis nuperrime talequid adorti simus. Nec semper nos quem volumus sensum collegis ita ut facile enucleanri possit explicasse puto.

Ne diem Tuum sollemnem aenigmate Tibi proponendo perturbem, ex ea, quae meum praesertim studendi genus attingit materia, thema quoddam elegi, quod ad artis operum stilum formamque non pertinens, argumentum eorum imprimis spectat. Pro aenigmate Tibi responso, quaestione ut puto soluta, gratulari velim.

Romanorum imagines sarcophagorum non ortas esse e cura vel etiam doctrina quadam obsoletarum fabularum rediviva, nec mere deberi desiderio cuidam oculis placendi iam vulgo sumitur. Duos praesertim eas explicandi modos adhuc invenimus. Alter, nimis simplex, sarcophagi imaginem et hominis

Digitized by Google

sepulti vitam vinculo quodam externo coniunctas esse contendebat. Sic philosophus a Musis circumdatus, in sarcophago expressus, virum mortuum philosophum vel poetam fuisse confirmare videbatur [1]); sic nobis venatio commendabat, ut hominem ibi conditum venandi fuisse studiosissimum putaremus [2]). Hanc interpretandi rationem aptam interdum esse nequaquam negare velim. Sunt sarcophagi quidam sumptuosi, proeliorum imaginibus adornati, quibus accommodata esse videtur. Vulgo autem haec interpretandi ratio reicienda est, non solum proptereaquod aequaliter constanterque eam persequentes ad absurdum perducimur, sed etiam quia harum rerum rara quidem atque fortuita in litteris traditis mentio alteram nobis explicandi viam aperit. Romanos enim aetate imperatoria heroum fabulas symbolice accepisse iam satis notum est [3]). Varias Imperii Romani religiones earumque doctrinas paulatim cognoscimus et quantopere Romani opinionibus de morte deque vita post-mortem beata regantur in omnibus quas agant sentiantque rebus, in diem magis apparet. Quibus rebus nobiscum perpensis, ut inter sarcophagorum imagines quoque et cogitata huius temporis religiosa commune quid suspicemur perducimur. Et re vera altera illa interpretandi ratio, quam rectam esse puto, non sine fructu identidem adhibita esse videtur. Iam constat sarcophagorum imagines, Herculem ferarum domitorem exhibentes, symbolice accipiendas esse [4]): hominem sordidiorum cupiditatum victorem in mentem vocant, idemque fere Meleagri venantis imaginem spectare nuperrime monstrare conatus sum [5]). Plures autem quam adhuc explicatae sunt imagines obscurae remanent, nec quae proponunt aenigmata solutu facilia sunt.

De sarcophagis tantum Phaethontis fabulam exprimentibus nonnulla in medium proferre hodie mihi liceat [6]). Imagines

1) Symbolice hanc repraesentationem interpretatus est Dütschke, Ravennat. Studien, p. 146 sq.; cf. Robert, Archäol. Hermeneutik, p. 70.

2) Helbig-Amelung, Führer, I. 895.

3) cf. Mau, Religionsphilosophie des Kaisers Julianus, p. 161 et p. 104 (169 D—170 C).

4) cf. Strong, Apotheosis and Afterlife, p. 201 sq.; Eisler, Orphisch—Dionys. Mysteriengedanken, p. 82. 1.

5) In libro c. t. Raccolta... Fel. Ramorino, p. 257 sq.

6) cf. Robert, Die antiken Sarkophagreliefs, III. 3. 382 e. q. s.

Digitized by Google

istas nequaquam ad vitam hominis mortui, sarcophagum occupantis, spectare posse luce clarius est. Quod petit Phaethon, ut solis scilicet curru per aëra vehi sibi liceat, ipsumque iter et exitus fatalis nemini profecto contigit umquam, frustraque similia quaerentes cuiusvis hominis vitam scrutabimur, nisi forte Daedali Icarique experimentum vel Alexandri Magni per aëra iter afferre velimus. Haec autem ipsa memoria populari exornata ad fabellas potius releganda sunt. [1])

Cum symbolicam Phaethontis imaginum explicationem aggredimur unum praesertim ante oculos habeamus necesse est. Poeticis liberata ornamentis haec restat fabulae medulla: Phaethon, Solis filius, patre victo precibus, curru eius solari in caelum ascendit, votique sui compos mortem obit. Symbolice si ea accipimus, spem hominis mortui, se vita defunctum in caelum ascensurum, expressam esse puto. Cogitatum illud nec non huius rei imago satis nobis nota sunt. Apud Graecos antiquitus ea invenimus, maxime autem in Oriente viguerunt. Cultus imprimis orientales ad Romanos ea perduxerunt et quantopere per totum terrarum orbem passim effusa sint, sepulcralia monumenta nos docent. Longum est repetere quibus et quam variis modis animam in caelum ascensuram esse antiqui crediderint [2]). Iam satis est statuere currum solarem inter ea, quae ascensioni putabantur idonea, vehicula aptissimum atque usitatissimum habitum esse. Identidem eum in simplicibus humiliorum cippis expressum invenimus.

Quare autem ii, qui de ascensionis symbolis disseruerunt, Phaethontis fabulae imagines ad ea, quoad sciam, non rettulerunt? Proptereaquod nimis mythologice et ad verbum, ut opinor, fabulam nobis traditam secuti sunt. Phaethontis fato

---

1) De fabula Alexandri Magni itineris caelestis, quae elementa religiosa orientalia fortasse complectitur, cf. imprimis Herzberg, Thron des Khosro (Jahrb. Preuss. Kunstsamml. 1920. 41, p. 118 sq,; Millet, Syria, 1923. 4, p. 85 sq.; Loomis, Burlington Magaz. 1918. 32, p. 136 et 177 sq.

2) cf. Strong, Apotheosis and Afterlife, p. 125 sq.; Dieterich, Eine Mithrasliturgie, p. 181 sq. et p. 197 sq.; Cumont, Afterlife in Roman Paganism, p. 153 sq.; eiusdem, Etudes Syriennes, p. 91; Diels, Himmels- und Höllenfahrten, N. Jahrb. f. d. kl. Altert. 1922. 49, p. 239 sq.; C. Hönn, Stud. z. Gesch. der Himmelfahrt, Progr. Mannheim 1910 (hunc librum inspicere non potui; bibliothecis nostris deest); R. Holland, Arch. f. Religionswissensch., 1925. 23, p. 207 sq.

Digitized by Google

acerbo imprimis commovemur; Phaethontis preces nobis superbia iterque eius nefas esse videntur, quae vindicans divina iustitia fatali eius ruina crudeliter sed haud immerito castigat. Inter ὑβρίσαντας praesertim Phaethonta hucusque habuimus. Quod quidem nobis, sarcophagorum imagines denuo inspicientibus, vix satisfacere potest. Theologus quis hanc explicationem fortasse accipiet, humana autem qui spectat, profecto eam repudiabit. Ad sepulcrum enim adsistentes, quae forsitan metuenda nobis sint non eloquimur.

Quod speramus de vita post mortem beata nobis potius exprimendum videtur, nec nefas eiusque poena, in sarcophagis efficta, spem eam satis apte reddere videntur. Faciamus tamen explicationem istam rectam esse. Ne Phaethontis fabulae in sarcophagis expressae significatio spectatorem omnino lateat, eum ipsum inter peccatores famosos habeamus necesse est. At ea res litteris traditis minime nobis commendatur; immo vero complura nobis contrarii indicia praesto sunt. In henotheismo solari, quo aetate imperatoria posteriore variae paganarum religionum species convergunt, Phaethon graves partes egit. Lactantius [1]) nos docet Phaethontem eundem atque Phaneta et Orphea habitum esse. Αἰθέρος υἱόν eum vocari illis temporibus, quibus versus velut

εἷς Ζεύς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος
εἷς θεὸς ἐν πάντεσσι. τί σοι δίχα ταῦτ' ἀγορεύω;

et alii eiusmodi circumferebantur, non mirum videtur [2]). Nec magis miramur Phaethonta vinculo quodam cum Mithra coniungi. Mithras enim Solem magis magisque absorbuit, fabulaeque de deo illo antiquo in novum deum potentioremque transierunt [3]). Quam graves autem quas egit Phaethon in sacris Mithriacis partes fuerint, nunc demum nobis ectypo quodam, nuperrime in Mithrae fano in pago Dieburg reperto, apparuit.

Est tabula lapidis arenacei quadrata, circum axem directum se convertens, ab utraque parte ectypis exornata. Latus adversum imagines e Mithrae vita terrestri sumptas exhibet, aversum

1) Divin. Inst. l. 5, 4—6; Kern, Orphicorum fragm. 73 (p. 151).
2) Kern, l.l. 239 (p. 251); cf. 236 (p. 249).
3) cf. Cumont, Textes et Mon. figurés, relatifs aux Mystères de Mithra, I, p. 177; II, p. 63.

Digitized by Google

autem Phaethonta nobis monstrat, cum matre adiuvante a Sole patre currum solarem petit. Ipsius ectypi specie, nec non inscriptione, qua illud D(eo) S(oli) I(nvicto) M(ithrae) dedicatur, imaginem sacram nos invenisse discimus, itemque apparet tabulam illam religiosis procedentibus caerimoniis suo tempore circum axem convertendam fuisse, quo, pro laboribus Mithrae periculisque, Phaethontis preces ante oculos cultorum ponerentur [1]). Phaethonta igitur in Mithrae cultu doctrinaque multum valuisse constat, nec amplius filii desiderium per aëra vehendi curru paterno, ubi obviam nobis fit inter sarcophagorum imagines, ex obstinata tantum atque puerili vanitate ortum accipere licet. Immo vero, in novum deum transiens profundiorem atque eum religiosum sensum acquisivit fabula: hic quoque eam „vestem sublimis veritatis mirabilem" esse invenimus.

Quem autem sensum religiosum fidelibus suis, hanc imaginem inspicientibus, Mithrae sacerdotes traditum voluerunt? Si omnino quod respondeamus habemus, egregiis imprimis v. d. Cumontii investigationibus id debemus, qui monumenta nec non ea rara ac fortuita, quae huc spectantia librorum textu nobis servata sunt, sagaci studio collegit, iisque confisus theologiam Mithriacam, dudum obscuratam, denuo exstruxit. [2])

Quid igitur nos docet de vita post mortem beata doctrina Mithriaca? Simplicioribus suis discipulis tam animae immortalitatem quam resurrectionem carnis Mithras pollicitus esse videtur. Doctrina autem philosophica, humiliorum respectu non adulterata, animae tantum immortalitatem profitebatur. Anima, simulatque perfunctus est vita homo initiatus, corpus eius, carnis illum carcerem, relinquit et per planetarum sphaeras in caelum ascendit, dum cadaver exanime exstinctioni fit obnoxium. Immortalitate digna habita, praesertim si mysteriis Mithriacis imbuta [3]) sacris iis utitur carminibus, quibus oboedientes sphaerarum custodes transitum concedunt, anima, omnibus denique reliquiis terrestribus liberata supremum caelum

1) De ectypo Dieburgensi fusius tractavit v. d. Behn (Gnomon, 1926. 2, p. 686 sq.), qui similitudinem quoque, *figurarum dispositionis* inter ectypum illud atque sarcophagos Phaethontis fabulam exhibentes, iam perspexit.

2) Textes et Monuments, I, p. 309 sq.

3) ibid., I, p. 309, 8.

Digitized by Google

attingit, ubi iuxta deum in luce sempiterna summam cognoscit beatitudinem. Cuiusvis igitur hominis initiati anima per eandem progreditur viam atque Mithras, cum, perfectis in terra mandatis, solari curru in caelum ascendit [1]). Quid miremur currum eum solarem ut ascensionis symbolum in monumentis sepulcralibus saepissime expressum inveniri? [2]) Theologorum placita, effictu difficilia, per symbola tantum exprimi possunt.

Huius rei respectu imaginem quoque in ectypo Dieburgensi expressam symbolice accipiendam esse puto. Ascensionis spem vitaeque post mortem beatae fidelibus ob oculos obducit. Sicut patrem suum caelestem adit Phaethon eumque obsecrat per paternum amorem, ut currum sibi solarem concedat, itidem Mithrae fideles omnes, Dei liberi et ipsi, patrem suum divinum adeunt, currusque solaris fidem ab eo petunt. Quae ut exprimantur consuetam Phaethontis precantis imaginem, arte iam dudum formatam, eligunt, imaginem maxime idoneam, quippe quae figuris penitus reddat, quod sperant atque credunt: se, Dei liberos patris, ultimum in caelum domumque paternam iter tutos facturos esse [3]). Quod autem vivi petunt post mortem demum adipisci possunt. Ascensio in caelum animae tantum terrestribus vinculis liberatae contingit. Ipsam igitur ascensionis imaginem in monumentis sepulcralibus solam expressam invenimus.

Huius rei symbola multa atque varia enumerare longum est. Hercules interdum nobis occurrit, qui laboribus perfunctus solari curru in caelum ascendit, sicut in monumento Igeliano [4]). Corporis re vera ascensionem ante oculos habemus, licet herois species adhibeatur. Philosophi vero ab hac immortalitate nimis corporea abhorrebant. In mentem nobis venit Peregrini Proteos, qui alter Hercules, in rogi flammas se iniciens, animam corporis vinculis liberavit atque in aethera se effudit [5]). Id

---

1) ibid. I, p. 306; cf. p. 176 sq.

2) cf. Cumont, Afterlife in Rom. Paganism, p. 156 sq.; Strong, Apotheosis and Afterlife, p. 65 sq. et p. 226 sq.

3) cf. Cumont, Textes et Mon. I, p. 310. 3.

4) cf. Dragendorff et Krüger, Das Grabmal von Igel, p. 71 sq.; Strong, Apotheosis, p. 226.

5) Lucian. de Morte Peregr. 40; Holland, Arch. f. Religionsw. 1925. 23, p. 209 sq.

Digitized by Google

quidem ipse voluit. Adstantium unus sane se animam volucris specie avolantem vidisse profitebatur, sed saepius antiqui hac imagine usi sunt, qua cogitationi adminiculum quoddam corporeum praeberent [1]). Peregrinum Protea idem sibi voluisse atque Hilarium, Christianum quendam, qui tituli sepulcralis versibus hanc inclusit sententiam:

contemnens fragilem ter[ren]i corporis usum
hic carnis spolium liquit a[d] astra volans [2]),

Lucianus nos docet. Ac mire, ut vidimus, Mithriacae de rebus extremis doctrinae haec sententia convenit, quae mea opinione aptissime exprimitur imaginibus in sarcophagis frequentibus, quae fabulam Phaethontis exprimunt. Primarium ibi locum Phaethontis in caelum ascensio eiusque ruina semper obtinent, praeter preces eius superstitumque de mortuo questus. Etsi, ut supra dixi, Phaethontis exitu imprimis commovemur, in eo quo nunc versamur contextu attentione nostra dignius esse videtur, *quo modo* perierit. Solis enim aestu adustus, Summi Dei fulgure absumptus, exanimis in terram praecipitatur. Hi autem eventus doctrinae de rebus extremis Mithriacae prorsus conveniunt. Nam quomodo „carnis spolium" hic linquendum esse melius significari possit, quam imagine Phaethontis, crudeliter e curru excussi? Profecto, ipsam animam non effictam videmus, sed quomodo fieri id potuit? Anima enim lustrationibus reiteratis ac praesertim igne caelesti ab omnibus humanis terrestribusque residuis liberatur, atque mortalium oculorum aciem fugiens Patris caelestis domum pergit. Haec opinio astrologorum imprimis placitis confirmatur, et unum saltem monumentum nobis servatum est, ubi anima, pro specie humana, astrali veste symbolica induta est. Basin quandam dico, Pergami repertam, nunc Berolini in Museo antiquo asservatam [3]); in ectypo, quo exornatur, currus solaris apparet; auriga autem caret. Pro eo fulgentem stellam supra currum suspensam tuemur. Quod quidem per se vix sufficeret, quo nostram Phaethontis fabulae interpretationem symbolicam probaremus, nisi

1) Artemid., Onirocr. II, 68.
2) Bücheler, Carm. lat. epigr. 688, 4—5.
3) cf. Altertümer von Pergamon, VII. 2, p. 338 sq., fig. 420.

Digitized by Google

alia quoque fragmenta, litteris tradita et huc spectantia, insuper demonstrarent paganos de sorte animae sic fere cogitavisse. Arnobius [1]), contumaciam suam „adversus gentes" haud insuetam exhibens, de „sciolis nonnullis" loquitur, profitentibus „deo esse se prognatos nec fati obnoxios legibus, si vitam restrictius egerint, aulam sibi eius patere, ac *post hominis functionem* prohibente nullo tam quam in sedem referri patritam". Haec verba ad Mithrae discipulos pertinere v. d. Cumont valde comprobavit [2]), eiusque opinio oraculo quodam, Juliano Imperatori dato, confirmari mihi videtur. Oraculum illud, propterea quod eadem ibi exprimuntur cogitata, ita ut quasi titulus Phaethontis imaginibus subscribi possit, hoc loco repetere velim [3]):

Δὴ τότε σὲ πρὸς Ὄλυμπον ἄγει πυριλαμπὲς ὄχημα
ἀμφὶ θυελλείῃσι κυκώμενον ἐν στροφάλιγξι
λυσάμενον βροτέων ῥεθέων πολύτλητον ἀνίην
ἥξεις δ' αἰθερίου φάεος πατρῴων αὐλήν
ἔνθεν ἀποπλαγχθεὶς μεροπήιον ἐς δέμας ἦλθες.

Iam antea v. d. Cumont observavit [4]) Julianum se ipsum Solis filium spiritualem duxisse, nec opus est repetere Solis atque Mithrae cultum aetate imperatoria eundem fuisse. Oraculum igitur, Iuliano datum, primarium Mithriacae doctrinae documentum habeamus oportet. Quod si Phaethontis imaginum religiosa intentione intellecta non contenti, id quoque investigandum nobis proponimus, cuius praesertim doctrinae assectatores in sarcophagis illis sepulti sint, est profecto, cur Mithrae fideles eruditiores opulentioresque ibi requievisse accipiamus. Phaethontis enim preces, in ectypo Dieburgensi expressae, ab ascensione eius, quam in sarcophagis effictam invenimus, non separandae sunt. Quod vivus petivit, id mortuo obtingit. Phaethontis ruinam poenam putare, quam temerarius iuvenis pro superbiae peccatis solvat, certo nobis non licet. Immo vero ruina illa nos admonet corpus nostrum in terra linquendum esse, Phaethontis autem per iter caeleste periclitationes, cum

1) adv. gentes, II. 62.
2) Textes et Monum., I, p. 15 sq. et p. 310.
3) Eunapius, Hist. fragm. 26.
4) Textes et Mon. I, p. 345. 7; eiusdem, Etudes syriennes, p. 104.

Digitized by Google

Sole aduritur ac igne caelesti afflatur [1]) iter illud extremum animae et lustrationem ab omnibus additamentis terrestribus in mentem vocat. Ita hominis moribundi spes fidesque in sepulcro eius expressa sunt superstitibus solacium nec non norma bene vivendi.

Unum monumentum novum inventum subito nobis multa alia dudum obscura illustrare potest. Unum illud ectypum Dieburgense non solum nos docuit Phaethontis fabulae in sarcophagis expressae sensum subesse profundiorem atque eum religiosum, sed fontem quoque monstravit, unde pietas illa, saepe in dubitationem vocata, derivaverit. Multae et aliae sunt sarcophagorum imagines, quarum profundior sensus adhuc nos fugit. In haec problemata enucleanda si incubuerimus, inveteratis tollendis erroribus disciplinae nostrae proderimus.

Tibi quidem, Migister aestimatissime, aeque ac mihi horum monumentorum studium cordi fore spero, proptereaquod veram indolis Romanae imaginem, non adulteratam auctoritate tam Christianorum auctorum quam profanorum, redintegrare nos iuvat, quippe unde discamus, quam propinquus nobis sentiendo atque de iis, quae penitus hominem commovent, rebus cogitando fuerit iste populus, cuius Tu quidem litteris per tot iam annos studium Tuum impendisti, cuius autem artis monumentis operam meam dare in animo habeo. Quam praesertim ob causam sollemni hoc die, solvendo quod tetricum videtur aenigmate, gratulari Tibi ausus sum.

1) cf. Ovid. Metam. I 227 sqq. et 311 sqq.

Digitized by Google

DE VOCE „PAENITENTIA" APUD TERTULLIANUM.

SCRIPSIT

ST. W. J. TEEUWEN.

Quae sit vis notionis vocis q. e. „paenitentia" apud Tertullianum, lingua hodierna non facile uno verbo reddi potest [1]); quin etiam hoc ullo modo fieri posse non videtur, quia haec vox ab eo, nominatim in tractatibus „De paenitentia" et „De pudicitia", significationibus maxime variatis adhibetur [2]), ubi simplici versione „boete" vel „bekeering" non satisfit; ita ut in versione v. g. titulus „De paenitentia" melius servetur.

Unum certe constat, vocem q. e. „paenitentia" Tertulliano itemque Christianis eius aetatis nonnisi christiane sonare, qui sonus paganis omnino ignotus erat: „Paenitentiam hoc genus, quod et retro fuimus, caeci, sine domini lumine, natura tenus norunt". Sensus enim vulgaris antechristianus, qualis etiamnum in voce graeca *μετάνοια* adest, erat: „sententiam mutare, aliter sentire de actu priore" (neerlandice dicitur „spijt"), quale igitur pagani „etiam in bonis factis adhibent"; Christiani vero paenitentiam tantum ut dolorem erga Deum noverant (neerlandice „berouw"), quae timore domini nixa nonnisi in peccatis adesse poterat: „Dubitandum est, sicut in universis actibus nostris, ita in paenitentiae quoque causa iustitiam deo praestandam esse? Quod quidem ita impleri licebit, si *peccatis*

1) Sic v. g. Kellner titulum „De paenitentia" in priore editione (a. 1882) vertit „Über die Bekehrung", in altera vero (Kellner-Esser a. 1912) „Über die Busse".

2) Quare pluribus locis sophismata inveniuntur, in quibus Tertullianus hoc uno eodemque verbo significatione diversa utitur.

Digitized by Google

solummodo adhibeatur... Quodsi non delinquit [1]), cur *paenitentiam* invadit, *delinquentium privatum*?"

Vocis „paenitentia" igitur, transeuntis e sermone communi in sermonem christianum, significatio restricta est, cum tamen simul notio „boni" ibi sentiatur [2]). Simul tamen aliud quid accedit, quod notioni doloris etiam sensum concomitantem addat: Ubi enim Tertullianus dicit: „(populum Judaicum) ingratissimum totiens expertus (dominus) ad *paenitentiam* semper hortatus est", ibi domini mens non solum haec est: Iudaei de peccatis suis paenitentiam agant, doleant quod peccaverunt; quin potius, respiciens quod ante e S. Mattheo (III, 1) laudavit („paenitentiam initote" [3]), indicat: e peccatis surgant et se ad Deum *convertant*. Qui sensus concomitans: conversio peccatoris, („emendatio"), a sensu christiano doloris seiungi non potest, nam „Ubi metus nullus, emendatio proinde nulla; ubi emendatio nulla, paenitentia necessario vana". Quin etiam emendatio (conversio) summa est paenitentiae, ita ut hic sensus concomitans fiat sensus praecipuus, et vox „paenitentia" synonyma fiat „pristinorum renuntiationis", sive dicitur de peccatore sensu generali (conversio [4]) ad Deum), sive de „converso" sensu stricto, de transitu ad Christianismum: „Hoc enim dico, paenitentiam... semel cognitam atque susceptam *nunquam* posthac iteratione delicti *resignari* oportere"; quod verbis positivis sic dicitur: „ad paenitentiam semel (neerlandice „eens voor al") capessendam et *perpetuo continendam*". Utrumque dictum ét „nunquam resignari" ét „perpetuo continendam" indicant notionem doloris recedere et tantummodo ob oculos versari sensum praecipuum q. e. „conversio".

Notio autem adaequata paenitentiae non semper tantum

---

1) „Delinquere" et „delictum" apud Tertullianum plerumque ut et hoc loco christiane sonant: peccare, peccata.

2) Cfr.: „Malo enim ad miseriam pervenitur; sed *ubi paenitendum est, desinit miserum, quia factum est salutare*" (paen. 10).

3) Conferatur textus Vulgatae: Evang. sec. Marcum 1, 15: „*Poenitemini, et credite Evangelio*"; Actus Apostolorum 3, 19: „*Poenitemini igitur, et convertimini* ut deleantur peccata vestra".

4) „Vivo, inquit dominus, et *paenitentiam* malo quam mortem" (paen. 4.) Cfr. „Nolo mortem peccatoris, sed ut magis *convertatur* et vivat".

Digitized by Google

„conversio" est, sed huic significationi statim alter sensus concomitans adiungitur, prout de catechumenis aut de peccatoribus baptizatis agitur. Ubi enim Tertullianus in capite VI tractatus „De paenitentia" speciatim catechumenos adloquitur, ibi statim de baptismo instanti cogitatur. Tertullianus paenitentiam catechumenorum cum nummo comparat, quo in baptismo remissio peccatorum acquiritur; deinde dicit: „Si ergo qui venditant prius numum quo paciscuntur examinant, ne scalptus neve rasus, ne adulter, etiam dominum credimus paenitentiae probationem prius inire": ita etiam deum puto examinare, num quid paenitentiae desit. Hic paenitentia igitur amplius significat quam conversionem; quid enim aliud deesse potest catechumenis, qui vitae ante actae renuntiantes sese converterint? Tertullianum audiamus dicentem: „Quicquid ergo mediocritas nostra ad paenitentiam semel capessendam et perpetuo continendam suggerere conata est, omnes quidem deditos domino spectat,... sed praecipue novitiolis istis imminet, qui... *dicunt quidem pristinis renuntiare et paenitentiam assumunt, sed includere eam neglegunt*".

Quid hic sibi vult „paenitentiam includere"? [1]) Oehlerus illud dictum interpretatur verbis „scl. baptismo", quasi verba „paenitentiam includere neglegunt" significent „nondum baptizari volunt"; quam interpretationem non esse veram apparet e toto capite, in quo Tertullianus eandem sententiam positive et negative variis modis exprimit. Quae hic de catechumenis dicit: „paenitentiam includere neglegunt" alio loco v. g. „cunctationem et tergiversationem erga paenitentiam" vocat. Si supra dicta interpretatio Oehleri vera esset, etiam hic „cunctatio et tergiversatio" dilationem baptismi indicaret [2]) et ideo „paenitentia" „baptismus" esset. Quod ipsa verba continus insequentia „praesumptio intinctionis" vetant; praesertim cum animadvertimus, quomodo Tertullianus postea sensum horum verborum late explicet.

Ii catechumeni enim, quos Tertullianus spectat, non vere

1) *Includere* hic idem valet quod „perficere", quo sensu etiam „adimplere, implere" adhibetur, cum „assumere" nonnisi „incipere" significet.

2) Neque verbis „Differamus tantisper paenitentiae veritatem" directe dilatio baptismi denotatur.

Digitized by Google

paenitentiam agunt, et putant se ei iam satisfecisse, quod „inter auditorum tirocinia deputantur, *quasi* eo etiam nunc *sibi delinquere liceat*". Potius post conversionem ad Christianismum vitam sine peccatis agere assuescant, et ita paenitentiam suam (= conversionem) perfectam reddant („paenitentiam includere"). Iam ante baptismum enim catechumenos peccare desiisse oportebat, nam „non ideo abluimur ut delinquere desinamus, sed quia *desiimus*, quoniam iam corde loti sumus; haec enim prima audientis intinctio est, *metus integer*". Ob id ipsum autem, quod in baptismo omnia peccata remittantur, putant usque ad illud tempus etiam peccare sibi licere, et „commeatum sibi faciunt delinquendi quam eruditionem non delinquendi". Cumque hi catechumeni dicunt: „Differamus tantisper paenitentiae veritatem" [1]), ipsa „praesumptio intinctionis", ipsa certitudo se in baptismo remissionem peccatorum esse adepturos („certi enim indubitatae veniae delictorum"), iis fit causa, cur ad tempus „veram paenitentiam", plenam conversionem atque cordis renovationem differant: „Omne praeterea cunctationis et tergiversationis erga *paenitentiam* vitium praesumptio intinctionis importat".

Hoc loco igitur vox „paenitentia" alium habet sensum: est paenitentia catechumenorum, est eorum „paenitentia vera". Cum Tertullianus catechumenum-peccatorem, qui „assumit quidem paenitentiam, sed includere eam neglegit", „hominem infidae paenitentiae" dicat, catechumenus „verae paenitentiae" is catechumenus est, cui „displicet malo esse", „qui sponte innocentiam induit" et „delectatur a crimine vacare", denique „qu conscientia semel paenitentiam amplexatus est". Ipse hic animus a peccatis alienus, quem Tertullianus christiane „metum" [2])

---

1) „Paenitentiae veritas" (= paenitentia vera) hic non ut Esser putat (B. K. V. I, 235) actiones paenitentiae consuetas ante baptismum spectat, de quibus in hoc tractatu „De paenitentia" omnino sermo non fit (fit vero v. g. in „De oratione" 20. Cfr. infra. p. 415[3]). Totus contextus tantum perfectionem paenitentiae indicat, quae talis esse debeat, ut postquam quis catechumenus factus sit, vitam sine peccatis agere pergat.

2) „Metus integer" igitur synonymus est cum „desinere peccare". Cfr.: „Le catéchumenat était un stage pendant lequel les convertis apprenaient leurs *devoirs* essentiele de croyance et *de conduite*, en même temps qu'ils s'exerçaient à les pratiquer" (Duchesne, Origines du culte chrétien 1889, p. 281).

Digitized by Google

vocat, in baptizandis omnino requiritur eorumque paenitentiam „veram" reddit („instrumentum paenitentiae, id est metus"); quare hanc paenitentiam veram etiam „metum integrum" dicere potest. Qui hunc metum non habet, eius paenitentia non est perfecta, et ideo in eo non est talis animus, qui eum ad baptismum admitti sinat: „Quem censeas digniorem nisi emendatiorem? quem emendatiorem, nisi timidiorem, et idcirco *vera paenitentia functum*?"

Quae paenitentia non baptizati igitur („paenitentia ante fidem") continet ea quae in catechumeno ad baptismum requiruntur; si autem reputamus, Tertulliano eiusque aetati notionem „baptismi" fere idem sonuisse quod „remissionis peccatorum" [1]), notionem paenitentiae etiam his verbis enuntiare possumus: ea, quae in catechumenis ad remissionem peccatorum requiruntur. Quamobrem Tertullianus: „Quam porro ineptum quam *paenitentiam* non adimplere, et *veniam delictorum* sustinere"... „Hoc enim pretio dominus *veniam* addicere instituit; hac *paenitentiae* compensatione redimendam proponit impunitatem".

Quamquam autem baptismus potissimum peccata remittere putabatur, tamen etiam post baptismum peccata remitti poterant. Tertullianus vitam hominum navigationi, quae ad vitam aeternam instituitur, comparat: navis, qua in portum salutis navigari potest, est baptismus (i. e. remissio peccatorum, quae fit in baptismo). Christianum, qui post baptismum denuo peccat (quod vocat „baptismum amittere"), naufrago comparat, cui in fluctus peccatorum lapso una tantum spes salutis superest in tabula paenitentiae: „Eam (scl. paenitentiam) tu peccator... ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicuius tabulae fidem. Haec te peccatorum fluctibus mersum prolevabit et in portum divinae clementiae protelabit".

Ut ante baptismum (paenitentia ante fidem) ita etiam post baptismum paenitentia ad remissionem peccatorum remanebat (paenitentia post fidem). Tametsi baptizato hoc verbum aliud sonabat ac catechumeno, tamen utrique idem valebat ac: ea

1) v. g. „Haec igitur venena eius (scl. diaboli) providens deus, clausa licet *ignoscentiae* ianua et (= scl.) *intinctionis* sera obstructa, aliquid adhuc permisit latere" (paen. 7). (Cfr. Teeuwen, Bedeutungswandel bei Tertullian p. 78/79.

Digitized by Google

quae requiruntur ad veniam. Quare haec altera ratio remissionis peccatorum [1]) etiam „paenitentia secunda" dicitur: „Clausa licet ignocentiae ianua et (= scl.) intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit latere. Collocavit in vestibulo *paenitentiam secundam*, quae pulsantibus patefaciat". Ritus enim universus reconciliationis peccatoris, quae fit post baptismum, simillima erat initiationi baptizandorum. Peccator enim baptismum amisisse putabatur, quem nunc recuperare conatur; alter quidam catechumenatus ei erat peragendus [2]), itaque et altera paenitentia, cuius eventus quidem erat idem (venia delictorum), cuius tamen ambitus diversus: „Huius igitur *paenitentiae secundae* et unius quanto in arto negotium est, tanto operosior probatio, ut *non sola conscientia* praeferatur, sed *aliquo etiam actu* administretur. Is actus, qui magis Graeco vocabulo exprimitur et frequentatur, exomologesis est".

Expressis igitur verbis enuntiatur hanc paenitentiam secundam aliam esse ac paenitentiam-ante-baptismum, de qua paulo ante verba fecit. Discrimen enim in eo est, quod paenitentia secunda praeter conscientiam actum etiam exteriorem continet, qui dicitur exomologesis (paenitentiae actiones publicae). Etiam ante baptismum licet actiones quaedam paenitentiae praeciperentur [3]), eae tamen non peragebantur nisi postquam quis iam dignus iudicatus est qui baptizaretur [4]); praeparatio tantum proxima erant baptismi, ideoque omnibus eaedem. Exomologesis autem alii peccatori alia erat pro gravitate peccatorum, et omnino necessaria erat ad remissionem peccatorum conse-

---

1) Cfr. „Piget *secundae*, immo iam ultimae *spei* (= spei veniae) subtexere mentionem, ne retractantes de *residuo auxilio paenitendi* spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur" (paen. 7).

2) Duchesne, Origines du culte chrétien p. 421. Cfr.: „secunda te paenitentia excipiet; eris *iterum* de moecho *christianus*" (pudic. 10).

3) „Ingressuros baptismum orationibus crebris, ieiuniis et geniculationibus et pervigiliis orare oportet et cum confessione omnium retro delictorum, ut exponat etiam baptismum Ioannis" (orat. 20).

4) „Si le catéchumène désirait compléter son initiation et si les chefs de l'église le jugeaient digne de recevoir le baptême, il passait dans la classe des élus ou compétents.... Pendant la sainte quarantaine, ils devaient se présenter souvent à l'église pour subir les exorcismes et entendre les instructions préparatoires au baptême" (Duchesne, Origines p. 282).

Digitized by Google

quendam. Peccatori non prius communicatio ecclesiastica restitui poterat quam episcopus et sacerdotes et populus actiones paenitentiae satis peractas iudicaverant.

Qui graecismus „exomologesis" apud Tertullianum raro admodum invenitur, et id quidem praesertim cum in „De paenitentia" de actionibus paenitentiae verba facit. In graeca iam ecclesiae lingua haec vox in terminum technicum evaluerat, quo indicabantur actiones peccatoris paenitentis post baptismum, et eae quidem publicae ab ecclesia impositae: „Itaque exomologesis *prosternendi et humilificandi hominis disciplina est*"; „*Castigatio* victus atque cultus". Quae sunt eae actiones, quibus quis erga Deum de facto se peccatorem constituit: „Is actus... exomologesis est, qua delictum domino nostrum confitemur" (= manifestamus). Simul tamen indirecte etiam accusatio sui ipsius est adversus alios Christianos, ita ut facile intelligatur „plerosque *hoc opus* ut *publicationem sui* aut suffugere aut de die in diem differre". Quae paenitentia publica iis peccatoribus, quorum peccata quae dicebantur mortalia suppliciis aeternis digna erant, iniungebatur tamquam necessaria ad reconciliationem cum Deo impetrandam („ut deum reconciliem mihi" [1]). Quamobrem Tertullianus, postquam nos monuit, quomodo ii, „qui ambitu obeunt capessendi magistratus" omnia sustineant „in causa votorum suorum", peccatores, quorum „vota" essent venia peccatorum, ad illos imitandos exhortatur dicens: „Nos, quod securium virgarumve petitio sustinet, *in periculo aeternitatis* tolerare dubitamus? et castigationem victus atque cultus *offenso domino praestare* cessabimus?"

Quod igitur peccatori in exomologesi ante oculos versabatur, erat venia peccatorum, quam paenitentia peracta sperare posset: „Cum igitur provolvit hominem, magis relevat; cum squalidum facit, magis *mundatum reddit*; cum accusat, *excusat*; cum condemnat, *absolvit*". Dicta qualia sunt: „gehennam... exomologesis *extinguet*, „aeterna supplicia... *expunget*" e. a. ostendunt his paenitentiae actionibus talem valorem tribui, ut eae pec-

1) Cfr. „Peccator *restituendo sibi* institutam a domino exomologesin sciens praeteribit illam?" (paen. 12).

Digitized by Google

catori imprimis necessariae esse viderentur. Ita etiam intellegi potest, quae sit Tertulliani mens dicentis: „adversus gehennam post prima illa intinctionis dominicae munimenta *esse adhuc in exomologesi secunda subsidia*". Quibus nempe verbis Tertullianus non dicit post baptismum actiones paenitentiae per semetipsas vim remissionis habere; nam vox „exomologesis" hic non sensu stricto adhibetur, sed ut pars pro toto eodem sensu quo paenitentia secunda usurpatur, complectens ea omnia quae post baptismum ad remissionem requiruntur. Quod apparet e textu parallelo supra laudato, quo eadem his verbis dicuntur: „Clausa licet ignoscentiae ianua et *intinctionis sera obstructa*, aliquid adhus permisit latere. Collocavit in vestibulo paenitentiam secundam". Utrumque hunc textum idem [1]) dicere manifestum est, ita ut vox „exomologesis" hic per synecdochen sensu latiore ut paenitentia secunda adhibeatur.

Non tamen haec argumentatio convertenda est ita ut dicatur: in textu posteriore paenitentiam sensum strictiorem exomologeseos accepisse. Quamquam enim „paenitentia" apud Tertullianum saepius ita sumitur, hic tamen fieri non potest, imprimis ob haec verba: „aliquo *etiam* actu (= exomologesi) administratur". Exomologesis itaque nonnisi pars paenitentiae est; ipsa ea paenitentia has actiones paenitentiae secum affert: „Pariter *de paenitentiae officio* sedent in sacco et cinere inhorrescunt"; „*ex paenitentia* flentes et ieiunantes, et adflictionem suam offerentes deo". Qua de re Tertullianus relationem paenitentiam inter et exomologesin — utpote totum eiusque partem — indicat his verbis: „Paenitentia et ministerium eius exomologesis".

Ut iam supra indicatum est, ita etiam ex his verbis „ministerium eius" apparet, has actiones peccatori non simpliciter partem paenitentiae sed partem praecipuam esse. Sicut in paenitentia catechumenorum res praecipua erat timor domini („*instrumentum* paenitentiae, id est *metus*"), ita in paenitentia secunda pars praecipua erant actiones paenitentiae („paenitentia et *ministerium* eius exomologesis"). Nil mirum ergo Tertullianum, ubi in tractatu „De Paenitentia" de utroque hoc

1) Cfr. „Maculas carnis *post baptisma* respersae *paenitentia* dilui posse" (pudic. 12).

Digitized by Google

genere paenitentiae copiose disserit tractantem de paenitentia-ante-fidem quaestionem actionum paenitentiae omnino relinquere (quamquam et ante baptismum tales actiones non deerant), sed tantum de „emendatione" agere. Ubi rursus venit ad agendum de paenitentia secunda, iam nonnisi de exomologesi loquitur, quippe quae res praecipua sit, quamquam ad remissionem peccatorum etiam alia requirebantur [1]). Quod ergo catechumeno „metus" valebat, id peccatori actus paenitentiae, nempe summa paenitentiae et sicut in illo notio „paenitentiae" magis animum interiorem exprimit, ita in hoc praecipue actus exteriores. Quare, sicut vox „paenitentia" in catechumeno praegnanter „metum" significare potest, ita in peccatore actum paenitentiae. Quo sensu saepius a Tertulliano usurpatur speciatim in tractatu „De pudicitia", in qua de sola paenitentia secunda loquitur, et remissionem peccatorum denegans ecclesiae eam soli Deo, cui paenitentia agatur, tribuit [2]): pro exomologesi ibi simpliciter „paenitentiam" dicit.

In tractatu „De paenitentia" etiam Tertullianus putat omnium peccatorum veniam paenitentiae nomine concedi posse (quamquam semel tantum [3]) et eum, qui postea in peccata capitalia relapsus sit, „paenitentiam perdere", q. e. eum non iam in communicationem restitui posse. At in tractatu „De pudicitia" etiam peccata quaedam inremissibilia ponit, quorum igitur paenitentia omnis, utpote venia carens [4]), inanis esse videtur. Nihilominus etiam peccatori, qui veniam consequi non posset, paenitentia agenda erat. Hanc ei ecclesia imponebat, non vero quod crederet eum in damnationem aeternam esse iturum, sed

---

1) v. g. „Quid enim ex paenitentia maturescit quam emendationis effectus? sed etsi venia potius est paenitentiae fructus, hanc quoque consistere non licet sine cessatione delicti. Ita *cessatio delicti* radix est veniae, ut venia sit paenitentiae fructus" (pudic. 10). Cfr.: „ut non sola *conscientia* praeferatur, sed aliquo etiam actu administretur" (paen. 9).

2) „Nos, qui solum dominum meminimus delicta concedere, et utique mortalia" (pudic. 3).

3) „Sed iam semel, quia iam secundo, sed *amplius nunquam*, quia proxime frustra" (paen. 7); „Huius igitur paenitentiae secundae et *unius*" (paen. 9).

4) „(Paenitentia) alia erit, quae *veniam* consequi possit, in delicto scilicet remissibili, alia quae *consequi nullo modo possit, in delicto* scilicet *inremissibili*" (paen. 2).

Digitized by Google

ut eum pro meritis castigaret; nam etsi „pacem hic non metit, apud dominum seminat; nec amittit, sed praeparat fructum" (np. veniam)... Ita nec paenitentia (= castigatio victus atque cultus) huiusmodi vana, nec disciplina eiusmodi dura est".

Haec notio castigationis (neerl. boete), quam inde ab initio in verbo „paenitentia" fuisse vidimus, cum hoc verbo, usque ad nostram aetatem, coniuncta permansit. Unde, quia id, quod nostris temporibus „peccatorum confessio" dicitur, apud Tertullianum imprimis actiones paenitentiae continebat, ob id ipsum tunc pro hac re non vox „confessio" (ut nunc fit) sed „paenitentia" usurpabatur. Cum inde ab aetate Augustini actiones publicae paenitentiae paulatim recederent et maius momentum confessioni orali tribueretur, tunc demum vox „paeniteri" terminus technicus facta est [1]), et vox „paenitentia" indicabat castigationem, quae posthac ut poena post confessionem peccatori imponebatur, ut etiam nunc fit.

Hac ipsa aetate etiam ratio vocis paenitentiae scribendae mutari coepta est. Iam pridem, et frequenter inde a saeculo IV, in sermone vulgari diphthongus *ae* monophthongicam pronuntiationem *e* obtinuit; simili evolutione *oe* in *e* transiit, quod inde ab aetate imperatoria probari potest. In pronuntiatione minus recta diphthongi *ae* litterae *ae* et *oe* in elocutione et scriptura in sonum *e* miscebantur. Sonus litterae *oe* in sermone vulgari (= *ö*) causa fuit, cur et ibi *oe* scriberetur, ubi sonus, qui antea fuit *ae* vel *e*, ad sonum *ö* accederet. Quae quidem ratio scribendi praecipue medii aevi propria erat et postea magis semper frequentabatur, sed hic illic iam in inscriptionibus aevi III et IV p. Chr. n. invenitur [2]). Qui processus generalis etiam in voce „paenitentia" evaluisse videtur, et insuper hac re firmabatur, quod haec vox quod ad sensum attinet cum notione „poenae" coniungebatur.

---

1) Teeuwen, Bedeutungswandel bei Tertullian, p. 79; 89.

2) Kühner, Grammatik I (1912) p. 26, 8; 98, 5. Seelmann, Die Aussprache des Latein (1885) p. 227.

Digitized by Google

„ARMAQUE" ET SIMILIA IN VERSU HEXAMETRO LATINO.

SCRIPSIT

H. VROOM.

Cornu vir doctus abhinc viginti annos diligentissime investigavit de ratione qua poetae latini utuntur vocabulis: „armáque", „armáve", „armáne", similibus (Sitzungsber. d. Wiener Ak. d. Wiss. 159 [1908], p. 34—68).

Ex qua investigatione est intellectum vocabula talia non eodem plane modo in versu exhiberi quo cetera, quae tamen eandem quantitatis habeant rationem, ut: „gaúdia", „pérfice".

Nam ex 1413 vocabulis, quae Cornu in 139941 versibus hexametris invenit, eiusdem generis cuius est „armáque":

pes primus habet . . .	1132	(80 %)
pes secundus	4	
pes tertius.	1	
pes quartus	4	
pes quintus	272	(20 %)
	1413	

Contra (ut iterum numeris quibusdam expresse rem significemus) ex vocabulis dactylicis 385 cuiusvis generis (sive: „armáque", sive: „gaúdia"), quae in his versibus leguntur: Ov. Met. I, 1—250; Verg. Aen. I, 1—250; Hor. Sat. I, 1; 2:

pes primus habet . . .	139	(36 %)
pes secundus	1	
pes tertius	0	
pes quartes	22	(6 %)
pes quintus	223	(58 %)
	385	

Duae igitur res praesertim sunt animadvertenda: „armáque" enim vel ei simile vocabulum:

Digitized by Google

1) in quarto hexametri pede non solet occurrere:

2) in hexametri pede primo saepius legitur quam in quinto.

Utramque rem Cornu explicari contendit ex diversitate accentus grammatici, quae in duobus illis cernitur vocabulornm generibus: „armáque" et „gaúdia". Quod utrum recte an falso iudicaverit, iam videamus.

I. „Armáque" in pedem quartum non admittitur; nam ex 1413 eius generis vocabulis 4 tantum in illo pede inveniuntur. Contra: „gaúdia", etsi non saepe, aliquotiens tamen ibi legitur.

Usus igitur duorum vocabulorum diversus est. Diversus est etiam eorum accentus grammaticus. At num ideo usus diversus, quia diversus accentus? Minime. Nam si res ita se haberet, omnia vocabula, quae similem accentus grammatici in pede quarto efficiant dispositionem atque „armáque", ea de causa ibi prohibiti fuissent. Iamvero ipse Cornu versus hexametros invenit non minus 1103, in quorum pede quarto leguntur vocabula huius generis: „(ar)mentáque" vel „(ali)mentáque" ita ut „ar-" vel „ali"- syllabae thesim expleant pedis tertii. Versus igitur tales qualis est hic:

Sive recens tellus *seductaque* nuper ab alto....

Romanorum aures non offenderunt. Offendit autem hic:

Debemus morti *nos nostraque*; sive receptus....

Quorum versuum, unum post alterum attente legenti, haec discrepantia mihi quidem esse videtur, quod thesis pedis tertii in priore versu intime arsi pedis quarti est coniuncta, in altera autem aliquantum ab ea disiuncta. Quam diaeresim poetae Romani vitare voluisse videntur, cum admitterent: „seductaque", vitarent autem eodem loco: „nos nostraque". Praesertim enim inter pedis tertii thesim et arsim quarti omnem disiunctionem prohibuerunt, ne in duas partes inter se similes versus hexameter divideretur.

Iamvero eadem causa *semper* vetat pedem quartum expleri vocabulo quale est „armaque". Nam disiunctio illa verborum ante omnia vocabula quibus „-que" particula est adiuncta, occurrat necesse est. Quod paucis verbis astruamus. [1])

1) Idem fere dicendum esse videtur de „-ne" et „-ve" particulis; sed hae multo sunt rariores.

Digitized by Google

Plerumque vocabulis illis („arma*que*" et similibus), ut cum Quintiliano loquar (Inst. Or. IX, 4, 97), novus elocutionis inchoatur gradus, quod parva linea in his exemplis indicatur:

Quae postquam evolvit, | caecoque exemit acervo...
Astra tenent caeleste solum, | formaeque deorum.
| Utque erat et tellus illic et pontus et aër...

Atque adeo cum vocabula ista ipsi iunguntur verbo, quod proxime subsequuntur, ut in: „pax bellaque", „di hominesque" — etiam tum, quamquam novus elocutionis gradus inchoari non videtur, aliquanta tamen inter utrumque intercedat necesse est disiunctio. Cum enim res duae vel plures illo modo, nulla particula interposita, enumerantur, vix mihi quidem recte proferri posse videntur, quin mora quadam vocis inter se disiungantur. Quae mora, si pes quartus haberet: „armaque", inter pedem tertium intercederet et quartum: hoc autem debitae illorum pedum coniunctioni obstaret.

Non est igitur quod miremur quattuor solummodo versus tales inveniri inter 139941. Sunt autem hi:

(Lucr. VI, 1262:) Omnia complebunt loca *tectaque*: quo magis aestu....

(Hor. A. P. 63:) Debemur morti nos *nostraque*: sive receptus....

(Hor. Ep. II, I, 89:) Nostra sed impugnat, nos *nostraque* lividus odit.

(Luc. VI, 710:) Si quisquis vestris caput *extaque* lancibus infans....

In istis versibus vocabula „tectaque", „nostraque", „extaque" ipsi iunguntur vocabulo, quod proxime praecedit. Quid vero si, ut vulgo fit, vocabula illa novum elocutionis gradum inchoarent? En habes monstrum, quod oreretur:

Iam morti debemur; nostraque reddere oportet.

Talis versus cur a nullo poeta Romano sit admissus, accentus grammaticus profecto in causa non est. Nam neque hunc admiserunt:

Iam morti debemur; *gaúdia* reddere oportet.

Quare ergo non admiserunt? Rationem inveniri in sola disiunctione pedis tertii et quarti nemo non videt.

Eadem vero de causa versus in quibus pes quartus item

Digitized by Google

expleatur vocabulo quale est „gaudia", *intime* vero *coniuncto* cum iis quae praecedunt, non offendunt, quia inter eorum pedem tertium et quartum vix ullam sentimus disiunctionem. Exempla sint versus nonnulli Ovidii, cuius generis sescentos invenire est apud omnes poetas Romanos:

Vesper et occiduo quae *litora* sole tepescunt....
Iussit et erectos ad *sidera* tollere vultus.
Flumina iam lactis iam *flumina* nectaris ibunt.
Saevior ingeniis et ad *horrida* promptior arma.
Communemque prius ceu *lumina* solis et auras....

II. Ad alteram rem transeamus.

„Armaque" in hexametri pede primo multo saepius legitur quam in quinto (I: 80 % — V: 20 %), cum econtra vocabula dactylica cuiusvis generis in pede quinto saepius communiter inveniantur quam in primo (I: 36 % — V: 58 %).

Cuius rei causam in accentu grammatico iterum non puto esse quaerendam. Nam satis superque et hoc ex iis quae supra dixi explicari videtur.

Si enim, ut dictum est, vocabulis illis, quibus „-que" est adiunctum, plerumque inchoatur novus elocutionis gradus, profecto in iis locis saepius ea inveniri consentaneum est, ubi saepius gradus illi inchoantur. Quod cum in arsi pedis primi multo fiat saepius quam in arsi quinti, quid miremur, quod „armaque" et similia illic multo saepius occurrunt quam hic? Mirum sane videretur, si secus esset.

Iamvero cum in arsi pedis quinti novus ille gradus inchoatur, exsistit caesura quae dicitur bucolica. Et revera Cornu ex 272 versibus, quorum pes quintus habet „armaque", non minus 232 caesura illa insignitos invenit. Quod cum iis quae supra dixi plane congruere immo ex iis consequi nullaque ultra explicatione videtur egere.

Attamen Cornu, rem commemorans, his utitur verbis: „Von 272 Versen solcher Art.... haben nicht weniger als 232 die *Bukolische Cäsur*, welche den Hexameter in 16 + 8 Moren gliedert, oder, jedoch viel seltener, eine Abart der bukolischen Cäsur. Sie hat das Eigentümliche, dasz, wo sie eintritt, der

Digitized by Google

daktylische Rhythmus im fünften und auch im vierten Fusze gestört wird".

Quibus verbis significare videtur caesuram bucolicam ideo in versibus illis a poetis esse adhibitam, quia vocabulum illud „armáque" in quinto pede positum rhythmum dactylicum perturbet, perturbato autem rhythmo dactylico caesura bucolica maxime sit accommodata. Hoc autem omnino est negandum. Nam *sponte sua* oriri solet caesura illa cum pes quintus habet „armaque"; etenim, ut dixi, ante vocabula talia plerumque locutionis cadit incisio, sicut in his versibus videre est:

(Ov. Met. III, 187:) In latus obliquum tamen astitit, | oraque retro (188:) flexit.

(Verg. Aen. III, 196:) Continuo venti volvunt mare | magnaque surgunt (197:) aequora.

Item omnes versus hexametri, quorum arsis quinta habet: „Nam", bucolica caesura insignitos esse apparebit, non sane quod vocabulum illud rhythmum dactylicum perturbet (quamquam alioquin hoc facere potest), sed quia novam elocutionis partem solet inchoare.

Alia insuper re, quam Cornu animadvertit, nostra item opinio confirmatur. In hexametris enim iis, qui cum pentametro efficiant distichon, multo rarius pes quintus habet „armaque" quam in carminibus quae solis hexametris sint confectae. Cuius rei causam ipse Cornu recte perspexit; dicit enim: „Der Grund dieser Seltenheit ist im Wesen des Distichons zu suchen: denn Hexameter und Pentameter bilden in der Regel zwei für sich bestehende Zeilen: der Sinn am Schlusse des Hexameters greift nicht allzuoft hinüber".

Hanc igitur rem ne Cornu quidem accentui grammatico adscribit, cum ex ipso usu atque significatione verborum apte explicetur. Eodem autem modo ceteras discrepationes explicari posse, quae in usu horum verborum: „armáque" et „gaúdia" ostenduntur, demonstrasse mihi videor. De accentus grammatici vi atque momento nihil omnino probant. Immo accentus illius ullam rationem habuisse poetas aetatis Vergilianae nulla re probari puto.

Digitized by Google

SEPULCRUM INCANTATUM.

SCRIPSIT

H. WAGENVOORT.

Declamationes Quintiliani quae feruntur maiores quin usque ad nostra tempora nimis neglectae sint, praesertim si ad historiam humani cultus civilisque considerentur, nullus equidem dubito; uberrimus enim est fons indiciorum pretiosorum ad mores hominum religionesque pertinentium. Quam si sequimur rationem, primum locum obtinere mihi videntur declamationes quarta, decima, decima tertia; decima autem, cui titulus inscriptus est 'Sepulcrum incantatum', mea quidem sententia facile palmam tulerit. Immo miror, quod ii, qui de magia scripserunt antiqua, vix aut ne vix quidem huius libelli rationem habuerunt, excepto viro docto franco-gallico Le Blant, qui paucis paginis his de rebus egit generatim satis parumque definite [1]). Item qui de defunctorum umbris propinquis in conspectum se dantibus egerunt omnes quod sciam luculentissimi huius loci mentionem facere supersederunt; quin etiam frustra quaeritur in egregio libro, quo Cumont quinque annis ante hanc materiam tractavit [2]) aliaque multa huc spectantia collegit.

Tamen non difficile est intellectu, quae fuerint huius rei causae. Primum quidem fieri potuit, ut viris doctis scrupulum iniceret, quod saepissime rhetores aetate imperatoria declamantes argumenta sibi sumpserunt usu recepta ac mera traditione nitentia; etenim quis non nauseat sescenties eos tyrannos,

1) 'Sur deux déclamations attribuées à Quintilien, Note pour servir à l'histoire de la magie', Extr. d. Mém. de l'acad. d. inscr. et bell. lettr. Paris 1895.

2) 'After Life in Roman Paganism'. New Haven, Yale Univ. Press, 1922.

Digitized by Google

tyrannicidas, piratas, fortiter facientes, proditores, novercas effutientes neque novit plerasque ex declamationibus, velut quae feruntur Quintiliani minores, a rebus Romanis prorsus alienas esse et pertinere ad iuris graeci praescripta? Nihilo secius dubitari vix potest, quin Sepulcrum incantatum mores describat, qui usque in aetatem imperatoriam permanserint, exprimatque cogitationes, quae licet vetustissimae id aetatis hominum animos tenere perrexerint. Rectissime ita Dessauer[1]): 'Die behandelten Stoffe sind freilich Erfindungen und Ausgeburten einer oft tollen Phantasie, aber der Berührungen mit dem wirklichen Leben finden sich genug. In den Declamationen spiegeln sich mehr, als man vielleicht denken könnte, der Kulturzustand und die ethischen Anschauungen der Zeit'. Ut fusius infra exponam, huius argumenti cardo in eo versari mihi videtur, quod unici filii umbram post mortem apparentem pater ut larvam perhorrescit, quippe qui vivum filium severius atque malignius adhibuerit, contra mater amoris plena ut veros Manes, immo vero ipsum natum dilectissimum nocturna vita denuo fruentem amplexatur et osculatur. Quod si cui miri quid ac necopinati talibus opinionibus ad tempora fere Domitiani relatis inesse videtur, documenta secum reputet quaeso a Cumontio collecta in libro supra allato, quae ex inscriptionibus et rerum scriptoribus repetivit[2]). Quodque attinet ad magiam, vix argumentis opus erit. Sane Friedländer[3]) monuit, in declamationibus rhetoricis magos non inveniri ante Quintilianum: apud Senecam enim, Petronium, Tacitum frustra eos quaeras. Cumque in rhetorica graeca occurrant illi quidem, ex qua exemplum affert Philostrati, nescire se perhibet an inde a rhetoribus latinis desumpti sint. At nemo nescit

1) 'Die handschr. Grundlage der 19. Declam.' p. 102.

2) Velut Dessau, Inscr. Sel. 8201[a]: 'Tu qui legis et dubitas Manes esse, sponsione facta invoca nos et intellege' (ap. Cumont. p. 62 n. 52). Contra animadvertas, aliam inscriptionem ibi allatam (p. 61 n. 49), nempe C. I. L. II 4427 (Büch. 542, 5): „Lacrime si prosunt, visis te ostende videri', quae verba sic vertit Cumont: 'If tears are of any avail, show thyself by apparitions', cum incertae esse interpretationis, quippe quae Buecheler post *visis* interpungenda ratus sit, tum dubiae originis et probitatis; Buecheler saltem haec adnotavit: 'vereor ut probitatis ac fidei intemeratae'.

3) S. G. IV[8] p. 21 sq.

Digitized by Google

primis temporibus principatus multum favoris atque auctoritatis accessisse artibus magicis nec diutius eas a procerum circulis prohibitas esse; quid mirum, si tandem aliquando in declamationum quoque scenam prodierunt?

Profecto autem multis quoque altera causa dubitandi fuit textus non solum intellectu haud raro difficilis sed etiam saepe perturbatus. Lehnert quidem, qui anno 1905 maiorum declamationum editionem curavit, ut ipsum opus satis mediocre et Quintiliano omnino indignum ducebat, ita textum egregie fere traditum putabat. Contra Reitzenstein, qui accuratissime eas investigavit [1]), editionem illam parum idoneam esse arbitratus, in alia omnia discedit: rhetoricae Romanorum scholasticae reliquias pretiosas in iis dispicere sibi videtur atque eas pessime corruptas. Potissimum crebris locis sententias indagavit inter se simillimas, quas ex duabus recensionibus diversis ortas esse arbitratur, ita ut qui ad nos pervenit textus ex duplici libri censura conflatus esse putandus sit. Ex codicum aliquot subscriptionibus apparet exeunte saeculo quarto Dracontium et Hierium textum descripsisse et emendasse; veri simile est igitur eos corpus traditum collegisse. Reitzenstein autem suspicatur antiquitus varias lectiones circumlatas esse harum declamationum, quae in rhetorum scholis vulgo adhiberentur et apud Hieronymum aliosque auctores plus semel laudentur; quas ita ediderint commentatores illi, ut diversas eiusdem sententiae recensiones in textum reciperent alteram subter vel iuxta alteram positas, quo facto postea suo Marte quispiam discrepantias bene adhuc notatas sustulerit omnia promiscue in unum confundendo. Non omnino utique hanc opinionem a veritate abhorrere vel inde manifestum esse, quod hic illic signa quae feruntur critica servata sint K et O [2]), quae quid significent pro certo quidem decerni nequire, sed in enumeratione signorum criticorum a quodam Olybrio confecta, quam Reifferscheid publici fecit iuris [3]), K explanari: 'in capitibus sensuum', Θ: 'in amputandis'. En deprehendi διορθωτοῦ alicuius

1) 'Studien zu Quintilians grösseren Deklamationen', Argentorati 1909.
2) XII c. 16, 17, 19.
3) Anecdoton Cavense, cf. Mus. Rhen. 23, 128.

Digitized by Google

vestigia. Deinde R. Helm eandem rem tractavit [1]), qui magnam partem Reitzensteinio assentitur, etiamsi disputationis eius argumenta aliquantulum debilitat. Non infitiatur, in ipsa declamatione decima inde a capite nono utique incipere alteram eiusdem argumenti tractationem; haesitat autem, utrum in singulis omnibus sententiis satis saepe minutis, quas ad corroborandam opinionem suam Reitzenstein attulit, revera necesse sit cogitare de duarum recensionum fragmentis necne.

Iam antequam quid nobis videatur statuamus singulos Sepulcri incantati locos critice examinemus.

***

Caput I.

(p. 189, 12) '....haec tamen femina neque noto neque publico genere miserabilis non impudenter inter ceteras matres quae aut unicos aut iuvenes pios filios perdiderunt, eminere et occupare quendam maerentium principatum differentia novae calamitatis affectat....'

Ante *pios* Lehnert cunctanter inserendum proposuit ⟨*aut*⟩; Klotz legendum censet *aut pulchros*; Reitzenstein iam hic lectionis varietatem odoratur ac *pios* illud expungendum arbitratur; denique Helm *iuvenes* tollere mavult et ita verba interpretatur: 'die einzigen Söhne oder (wenn nicht die einzigen) besonders liebevolle Söhne'. Sed nihil mutandum: *unicos* aeque ac *iuvenes* substantive positum est (cfr. p. 136, 7; 192, 23; 197, 16; 198, 27; passim; Decl. 270 — p. 108, 12 R. — 'sunt qui gravissimum existiment unicos perdere'); utraque vox apposita est ad *pios filios* et sensus hic est: quae perdiderunt natos amantes, sive unici erant sive (saltem) aetate florentes' [2]). Novimus autem in oratione rhetorica complures notiones taceri solere, in quibus etiam esse *saltem* illud; cfr. Sen. Ep. 29, 2: 'illud scio, alicui (sc. saltem) me profuturum, si multos admonuero'; 56, 2: 'praeter istos quorum, si nihil aliud, rectae (sc. saltem) voces sunt'.

1) Gött. Gel. Anz. 1911 p. 337 sqq.

2) Cfr. p. 198, 20: 'Si mihi aliquam imaginem filii mei vel parvuli vel iam adulti vel novissimam iuvenis auferres....'; praeterea p. 194, 9.

Digitized by Google

(p. 189, 21) '.... Planctibus lacrimisque, paene improbe dixerim, parcius utebatur, nec [1]) sibi permittebat dolor lugere venientem. Nunc destituta solacio persuasione fraudata est. Dum non putabat perisse quem poterat videre, eripuit ingrata filio alterum titulum. Miser ille, nisi teneretur, iam et ad patrem veniret. Tantum misera petit, ne minus perdidisse videatur quam ipsa desiderat....'

Persuasio hic ut et alibi est animi error, falsa opinio (nos „illusie"). Iam Reitzenstein ante *persuasione* inseruit ⟨*postquam*⟩, recte id quidem, si quid video. Deinde duas sententias sequentes tollendas putat: [Dum non putabat.... ad patrem veniret] additque haec: 'Jedenfalls würde ich *postquam* ergänzen, auch wenn ich die folgenden zwei Sätze für zweckvoll halten könnte'. Helmium quoque hae sententiae prorsus in angustias adduxerunt; non cohaerere eas inter se existimat conicitque etiam hic nos habere sententias bis expressas et falso hoc loco insertas; cum priore enim haec confert (p. 189, 20): 'nec iam timebat ne ille, quo fruebatur, mori posset' — at in his verbis illorum summam omnino me desiderare ingenue fateor; cum altera haec comparari iubet (p. 194, 1): 'iam coeperam tuam quoque, marite crudelis, agere causam rogabamque iuvenem ut paternis oculis quoque laetus occurreret et tibi, ingrate, dimidia nocte cedebam', atque ita pergit: 'da *ingrata* an der ersten Stelle sinnlos ist, wird wohl, falls nicht *ingratus*, auch dort *ingrate* als Adverb zu lesen sein'. Iam statim miror equidem, qui fieri potuerit, ut ex locis tam diversis utraque sententia huc delata sit. Priusquam autem alia ratione aenigma solvere conemur, exquirendum mihi videtur, quid tandem moverit patrem ut mago arcessito filii umbram impediret ne nocte sepulcro exiret cubiculumque intraret. Primum videamus, quas ipse pater causas afferat. Non vult, ita ille, diutius uxorem inquietari et sollicitari. Cfr. p. 191, 4: 'maritus sic filium inclusit, tamquam se inquietari mater ista quereretur'; 194, 21: 'domum repetit et maternos territat somnos'; 204, 10: 'tuae....

[1]) Recte ita Reitz.; Lehnert: *ne*.

Digitized by Google

hoc quieti praestiti, ne attonitis agitata terroribus sollicitas semper ageres suspensasque duceres noctes'; ibid. 25: 'terrebaris.... et sollicitis noctibus laborabas'. Praeterea altero nititur praetexto arte cum illo cohaerente, quod ne perspicerent interpretes impedimento fuit locus ab omnibus, quod sciam, perperam intellectus. Legimus enim c. 10 (p. 197, 18):

> 'Quam misera est quae queritur et de solacio suo. Non coniugis desideriis large indulget: nihil aspere, nihil contra voluntatem! Habet privilegium suum mater infelix, molles manus et mitia fomenta magnis vulneribus admoveas'.

Ita Lehnert textum edidit; Gronovius iam negationem tollendam censuit mutavitque *indulget* in *indulge*, ita ratiocinans: 'hoc est, in tali statu decet bonum maritum desideriis uxoris large indulgere: nihil aspere, nihil contra voluntatem eius dicere'. Reitzenstein imperativum accipit, sed negationem servandam iudicat, post verba q. s. *de solacio suo* sententiam olim continuatam esse et pauca hodie intercidisse ratus. Omnia haec supervacua nec quicquam mutandum me quidem iudice. Inde error fluxit, quod uno excepto omnes commentatores ipsam rem monere crediderunt, verbi *indulget* subiectum esse patrem; solus Ellis, qui perpauca praefatus declamationem anglice vertit [1]), matrem intellexit recte quidem, sed male interpretatus est: 'You say she does not show any large forbearance to her husband's own regrets: still, I would have you do nothing severe, nothing at which she could murmur'. Etenim *coniugis* illa *desideria* nil aliud sunt nisi amatoriae blanditiones sive voluptates; cfr. p. 269, 5, ubi de meretrice sermo est: 'in hoc noctium dierumque sollicitudo consumitur quemadmodum de libidinibus fiat adfectus, qua ratione transcurrentia cotidie desideria teneantur' [2]). Ergo id quoque maritus uxori crimini dat, quod sibi blandienti et amplexanti prae maerore parum respondet; sententiae autem allatae: 'non coniu-

1) 'The tenth Declamation of (Pseudo) Quintilian', Londiniae 1911.

2) Cfr. p. 283, 18: 'Ita bibisti potionem quae finem cupiditatibus daret, premeret ardorem, desideria restingueret'.

Digitized by Google

gis desideriis large indulget' vis inest hypothetica. Quae si perspexerimus, continuo intellegemus non sine malitia quadam dicta esse verba causae patroni (p. 196, 19): 'Ac nec pelicis quidem dolore compellitur, nec tacita gaudia mariti impatientia et muliebri vanitate complorat'; non enim disertis quidem verbis asseverat, attamen obscure aeque ac maligne indicat, quaesisse maritum tacita gaudia, cum uxor desideriis ipsius non iam indulgeret. Malim igitur sententiam ita interpungere: 'Non coniugis desideriis large indulget? Nihil aspere, nihil contra voluntatem: habet privilegium suum....' e. q. s. Porro praecedens sententia quam absolutissima est; idem fere valet ac quae legimus p. 189, 17: 'quae.... iam alteram patitur orbitatem'; cfr. etiam p. 198, 12: 'quod eripuisti matri solacium'.

Uxor vero, quae virum malae tractationis accusat, alteras duas causas ei fuisse ait, cur filii commercio se privaverit. Primo enim loco sibi eum invidisse, quod matri compareret filius, patri non ita. Cfr. p. 191, 11: 'invidit matri, ne filio frueretur'; 204, 26: 'tu clusisses filium etiam, si ad te veniret?' Insuper autem mala conscientia ille cruciabatur, et quamvis invidus tamen filium male quondam a se habitum aspicere nolebat, p. 191, 12: 'nec hoc ideo fecit, quia videre ipse malebat'; etenim timebat eum, p. 194, 12: 'filium videre timuit' (cfr. p. 205, 25: 'nec tu, marite, nec tu timueris, ne ultricis umbrae vanis exagitere terroribus, ullis imaginibus'). Vidisset, si cupivisset, p. 198, 11: 'Nunquam sic desiderasti, ut videres'; ibid. 14: 'res indignior non est, quam quod tibi de eo postulas credi, quod non vidisti'.

Postremo autem una exstat causa, de qua inter patrem et matrem convenit, unum est crimen, quod merito maritum sibi obicere uxor concedat necesse est, licet filio iterum amisso nimis graves se dedisse poenas persuasum habeat. Nam matris quoque animus invidiae fuit obnoxius: de frequenti filii praesentia nocturna ne verbo quidem mentionem fecit, ut totum sibi haberet eum neve cum coniuge communicandus esset. Ipsa mater (p. 193, 30): 'nullis, inquit, destituta sum tenebris, donec scelerata tacui'. Lehnertium in indice iure monuisse putaverim, hoc loco *scelerata* illud idem valere ac *misera*, quam significationem in inscriptionibus quoque saepius invenimus.

Digitized by Google

Nihilo secius culpam suam mater agnoscit confiteturque; qua enim nocte primum a filio destituta est, sic loquens fingitur (p. 195, 6): 'Ecce iam medios sidera tenent cursus; indignor, irascor: ita demum mihi satisfacies, si apud patrem fuisti'. Haec sola a matre pars infirma est in tota litigatione nec mirum, si ab adversario premitur. 'Misereor feminae, cuius invidiae totum [1]) facinus ascribitur' — ita causidicus eius p. 191, 3. Progredientibus autem diebus noctibusque non commisit mulier ut tacere pergeret: tandem marito enuntiavit. Obiter moneo, quod hactenus fugisse interpretes videtur, ea quoque de re duas praeberi relationes satis inter se diversas. Capite enim sexto legimus filium pollicitum se paternis quoque oculis laetum occursurum. Tum mulier velut exultans: 'gaude' inquit 'marite, gaude, filium fortasse nocte proxima videbis' (p. 194, 7). Contra p. 199, 30 caute admodum et paene timide agit: 'patri tantum tuo, patri — ignosce deceptae — confessa sum, dum interrogo, an te et ille vidisset'.

Iam vero revertamur, unde profecti sumus. Prior enim illa sententia: 'dum non putabat perisse quem poterat videre, eripuit ingrata filio alterum titulum', mihi quidem non iam obscura esse videtur, dummodo in textu allata verba patris vel potius patris patroni notentur. Secundum patrem gratus animus matrem vetare debebat, ne omne gaudium sibi reservaret itaque filio alterum eriperet titulum, laudis scilicet et beneficii, si etiam ad patrem venisset. Nec quemquam fallet opinor, sequentem sententiam aptissime quadrare in praecedentem, modo intellegatur matris responsum. 'Miser ille, nisi teneretur, iam et ad patrem veniret'. Proinde, sicut et infra, ea excusatione femina utitur, quod iam coeperat mariti crudelis agere causam rogaveratque iuvenem ut eius quoque oculis occurreret (cfr. p. 194, 1). Id vero manifestum est, duas has sententias ab eo loco, ubi nunc leguntur, alienas esse. Plus una est causa qua adducar, aliquanto infra eas inserendas esse, scilicet p. 190, 25 ante verba q. s. 'nunc barbaro carmine....' e. q. s. Ibi enim et cum praecedentibus verbis et cum sequentibus egregie convenire videntur. Postquam mater filium sepul-

1) Ita codices; *tantum* Reitz., vereor ut recte.

Digitized by Google

cro velut carcere clausum fuse questa est, patris obiectioni facinus excusanti suus est locus. Sentiens mulier non immerito prorsus se incusari tamen respondet: 'Miser ille, nisi teneretur, iam et ad patrem veniret. Nunc barbaro carmine gravem terram totis noctibus pulsat'. Ubi animadvertas quaeso, aptissime inter se opponi verba q. s. *nisi teneretur* et *nunc*. Quin ipsam sententiam tale quid expostulare mihi persuasi. Iam Reitzenstein perspexit, verba per 'nunc barbaro carmine' incipientia matri reddenda esse. Idem in c. 2 notavit anaphoram quae dicitur: 'nunc tenebras inanes....' (190, 13), 'nunc ista carcere....' (190, 19). Iam vero equidem in oratione hac rhetorica graviter offendor tertia sententia a *nunc* incipiente nec quicquam illuc pertinente: 'nunc barbaro carmine....' Sin insertis duabus illis sententiis *nunc* illud habet quo referatur, omnis offensio sublata est. Itaque cum Reitzensteinio inde a p. 189, 23 legere velim: 'Nunc destituta solacio, postquam persuasione fraudata est, tantum misera petit, ne minus perdidisse videatur quam ipsa desiderat'. Porro autem inde a p. 190, 24: '....vel magis cruciatur, quod non licet filio venire cupienti. — 'Dum non putabat perisse quem poterat videre, eripuit ingrata filio alterum titulum.' — 'Miser ille, nisi teneretur, iam et ad patrem veniret. Nunc barbaro carmine gravem terram totis noctibus pulsat....'

> (p. 190, 5) 'Non inani persuasione nec cogitationibus ficta lugentis umbra veniebat, nec agitabat incertos levis imago somnos, ac nec confusi quidem tristi cinere vultus et infern⟨a nigr⟩um favilla caput noctibus suis obibat, sed filius erat qualis aliquando....'

Textus a Reitzensteinio ita restitutus, collato p. 193, 12: 'nec favilla funebri nigra facies', alterius emendationis indigere videtur. Duae enim sententiae omnino negativae per *ac* coniunguntur. Prior ipsa constat duabus sententiis per *non.... nec* coniunctis. Quid altera? Non in aperto mihi esse fateor, quem locum in ea voces q. s. *vultus* et *caput* occupent. Vix autem dubito, quin haec quoque sententia constiterit duabus per *nec.... nec* coniunctis, atque sic fere textum suppleverim: 'ac nec confusi quidem tristi cinere vultus et inferna nigrum favilla caput (sc. erat) ⟨*nec recens umbra*⟩ noctibus suis obibat,

Digitized by Google

sed filius erat qualis aliquando....' Cfr. p. 193, 11: 'Non igne torridae comae nec favilla funebri nigra facies nec vix bene cinere composito umbrae recentis igneus squalor'. Accedit, quod ita demum plane intellegitur *noctibus suis*, quippe cum noctu umbris arbitrium reddatur in terris circumeundi; cfr. p. 195, 15 'noctes suas'; p. 202, 21: 'Queritur subito terram graviorem, utique cum sentit venisse noctem, quando umbrae feliciores dimittuntur ad matres'; Prop. IV 7, 89: 'nocte vagae ferimur, nox clausas liberat umbras'. Perspicuum est verba q. s. 'nec recens umbra' ante 'noctibus' facile potuisse intercidere.

Caput II.

(p. 190, 13) 'Nunc tenebras inanes et longas oculis flentibus noctes iuxta somnum mariti pervigil et tamen deserta metitur. Non desiderio fictus aut fucatus habitu nec, ut somniorum vanitate conspicitur, sed experta non totum mori hominem illud quod nec flammis uritur nec cineribus extinguitur nec urnis sepulcrisque satis premitur, expectat'.

Recte Reitzenstein legi iubet *et tamen deserta* pro eo quod codd. praebent: *et tantum deserta*; quae verba cum Helmio simpliciter sic interpretanda: licet totas noctes pervigilet, tamen manet deserta. Quod autem *fucatus habitu* legendum censet *fuscatus habitu* (ita Π), comparatis verbis supra allatis q. s. *nigrum favilla*, in ea re errasse eum probante licet Helmio pro certo habeo. Supra enim (190, 5) inter duo imaginum falsarum genera discernitur, scilicet quae vigili quaeque dormienti cuipiam offeruntur. Iam prius genus bifariam iterum dividitur in eas species, quas oblativas ('inani persuasione') quasque impetrativas ('cogitationibus ficta') vocare possis. Nisi omnia me fallunt, infra quoque c. 5 eandem significari divisionem veri simile esse reperiemus. Nec minus hoc loco eadem occurrit mutato tantum ordine, ita ut *desiderio fictus* idem valeat atque *cogitationibus ficta*, *fucatus habitu* autem idem quod *inani persuasione*. Quid sibi velit vox q. e. *fucatus* nos docet e. g. Cic. Lael. 95: 'secernere omnia fucata et simulata a sinceris atque veris', unde satis apparet, *fucata* et *simulata*

Digitized by Google

fere esse synonyma. Quod si eodem sensu attenuato hic quoque vocem adhibitam sumimus, nil offendit.

Ceteroquin verba 'non desiderio fictus..... conspicitur, sed' ut e varia lectione orta loco pellenda esse non possumus Reitzensteinio non assentiri. Difficilius utique est decernere de iis, quae sequuntur: 'experta non totum mori hominem illud quod nec flammis uritur nec cineribus extinguitur nec urnis sepulcrisque satis premitur, expectat'. Nam haec quoque Reitz. et Helm secludenda ducunt, tribus imprimis argumentis nisi, primo, quod anaphorae figura interrumpatur, secundo, quod ex sententia superiore sequi videatur non iam mulierem expectare filium, tertio, quod paululo post aliis verbis idem dicatur: 'infelicissima omnium mater plus aliquid esse quam umbram filium putat, postquam potuit includi'. Prioribus duobus tantum tribuo, ut ad faciendum cum viris summis propensus sim; tertio autem a vero longe aberrasse videntur. Nam quod mater experta est non totum mori hominem, id pertinet ad filii nocturnos obtutus; sin legimus: 'plus aliquid esse quam umbram filium putat, postquam potuit includi' — ubi quin legendum sit: '⟨*etiam*⟩ postquam p. i.' vix haereo — prorsus aliud quid auctor voluit. Nempe inter patrem et matrem controversia orta est, sitne nil nisi umbra filii, quae comparuerit, an plus aliquid quam umbra. Hoc mater contendit, illud pater, quippe qui magica arte umbram probare voluerit (p. 201, 10; cfr. 194, 26: 'tunc primum miser filius mors et umbra fit'; 202, 17: 'crudelissime omnium pater, de filio tuo malam umbram fecisti'). Matri vero saeva illa argumentatione nequaquam persuadetur; cfr. 225, 29: 'Nunquam matri tuae umbra nec manes'.

Caput III.

(p. 192, 3) 'Moneo te, orbitas, moneo, effusius fleas, effusius efferas, numquam perisse credas'.

Iam Burmanno verba q. s. 'effusius efferas, offensionem attulerunt nec tamen quid melius esset vidit. Legendum videtur: 'effusius ⟨*te*⟩ efferas', collato p. 179, 9: „effers te longius, dolor', ita ut *se efferre* sicut *efferri* idem significet atque 'penitus commoveri, sui non esse compotem'.

Digitized by Google

Caput IV.

(p. 192, 9) '....et iam desperantibus medicis crediderat pater, adhuc tamen spirare matri videbatur....'

Rectissime Becker[1]) cod. M lectionem *spirare* repudiavit, reliquorum autem lectionem *sperare* vindicavit, collatis p. 156, 1; 158, 24; 159, 4; ubique enim sperantes et desperantes inter se opponuntur. Quod vero *matri* mutari iubet in *mater*, vereor ut iure fecerit, nam mater non videbatur tantummodo sperare, sed auctor affirmat eam sperasse, utpote cui sperare videretur, i. e. placeret.

(p. 192, 14): 'Scitis ipsi, quo exequiarum dies labore extracta sit, quam diu filium tenuerit adlambentibus flammis'.

In cod. Bambergensi legitur: 'a lambentibus flammis', quod a Rittero[2]) defenditur, qui bis habet indicativum praes. *adlambeo* (sic!) Sed nihil dicit, nam quamdiu corpus nondum in rogo positum est, vix verbo lambendi locus est; cfr. praeterea p. 104, praesertim vs. 18: 'Cur super flagrantes iaceant rogos? Cur ardenti non divellantur amplexu?' Itidem p. 117, 15: 'Etiam cum tota supra corpus incubuit, amplexam putavi, etiam cum iniecit tollentibus manum, 'et hoc' inquam 'solent facere matres, ut funus morentur'.

Caput V.

(p. 193, 2) 'Nihil de te, marite, nihil queror; satis magnas dedisti poenas: si totis noctibus mecum flere voluisses, vidisses utique, non quemadmodum tenues rerum imagines solent cogitationibus accipere corpus, cum vanae absenti animo cogitationes finguntur, sed ipsum filium, qualis blandissimus erat, qualem ego vidi et, si dimittatur videbo'.

Huius sententiae tam initium quam finem Reitzenstein palmaribus coniecturis emendavit, media autem etiamnunc mendo

1) 'Pseudo-Quintilianea', progr. Ludwigshafen 1904.
2) p. 9 n.

Digitized by Google

laborare videtur. Ipse vir clarissimus corrigendum arbitratur: 'cum vanae absenti*um* animo cog. f.'; praeterea totam sententiolam textu amovet ut praecedentium verborum repetitionem supervacaneam. Supra autem vidimus in hac declamatione diligenter solere discerni inter eas imagines, quae vigilantibus quaeque dormientibus offerantur. Huc aliud quid accedit: ipsa enim verba in memoriam nos revocant illius loci c. 1; inter se conferantur p. 193, 4 *tenues rerum imagines* et p. 190, 6 *levis imago*; porro p. 193, 6 *cogitationes finguntur* et p. 190, 5 *cogitationibus ficta*. Atqui illic non habemus eiusdem notionis marcidam iterationem, sed duas notiones inter se oppositas. Quam ob rem hic quoque legendum proponam: '....non quemadmodum tenues rerum imagines solent [cogitationibus] accipere corpus ⟨in somniis, aut⟩ cum vanae absenti animo cogitationes finguntur'.

(p. 193, 13) 'Proclamaret mater infelix, etiamsi talem videre desisset'.

Expungas quaeso causidici verba, quae in matris narrationem male irrepserunt.

Caput VI.

(p. 194, 7) 'Gaude' inquit 'marite, gaude, filium fortasse nocte proxima videbis. Illum quem crudelibus flammis exussisti, ex quo cineres et ossa supersunt, iuvenem videbis et forte etiam die speres'.

Iam Schultingius emendandum censebat: 'iuvenem ⟨nocte⟩ videbis'; contra Reitzenstein: 'forsitan diu frueris', quod ideo minus probabile est, quoniam legimus p. 193, 29: 'mulier filium nocte videbat, die sperabat'. Vide autem an nullus scrupulus restet sublato priore illo verbo q. e. *videbis* et continuata sententia: '....filium fortasse nocte proxima illum, quem.... exussisti, ex quo.... supersunt, iuvenem videbis et forte etiam die speres'.

Caput VII.

(p. 194, 22) 'Inveni aliqua, inveni vincla verborum'.

Tales anaphoras artificiosas declamatores studiosissime con-

Digitized by Google

sectantur. Cfr. p. 191, 7: 'sciebat ubi lacrimas, ubi posset invenire singultus'; ibid. 10: 'quid enim inhumanius patre, quid inveniri truculentius potest'; p. 200, 11: 'quod ego gaudium, quam vidi felicitatem'; praeterea 24, 10; 26, 30; 27, 26; 29, 9; 33, 25; 38, 12; passim. Ubique autem duae notiones paris fere momenti ita inter se coniunguntur (lacrimas et singultus; inhumanius et truculentius; gaudium et felicitatem). Idcirco mihi persuasi hoc loco vocem intercidisse verborum vinclis respondentem; propter p. 202, 4 sqq. et p. 205, 20 ('ut ferrum tuum refigas, ut verba tua resolvas') restituendum arbitror: 'inveni ⟨*ferri*⟩ aliqua, inveni vincla verborum'.

Caput VIII.

(p. 196, 1) 'Ille qui non venit, in quendam carcerem translatus a tumulo patitur veneficia vitae'.

Translato commate, quod a Lehnertio post *carcerem* erat positum, sine dubio Reitzenstein sensum meliorem reddidit. Quod autem scribere vult *beneficio vitae* (*beneficia* BM), fallitur. Nemo scilicet ignorat magicas artes earumque effectum latine crebro dici *veneficia*; cfr. fabella illa a Plinio narrata (N. H. XVIII 6, 41: 'veneficia mea, Quirites, haec sunt'), sed etiam infra legimus (p. 205, 29): 'si modo veneficum pondus et terroribus omnibus verba graviora mago patiente discusseris'. Id vero inusitatum, quod filius patitur veneficia vitae, id est: vivit ille quidem, sed eam ipsam ob causam sentit, vitam suam venefico pondere premi. Auctor igitur scribere poterat: 'veneficia animae'; cfr. quae sequuntur: 'Magnae sunt ergo umbrarum catenae.... atque alligant tamquam reum corpus animam'. Nil igitur mutandum.

(p. 196, 5) 'Ferro vero ac lapidibus artare et, ut solent bellicae robur accipere portae, ipsam umbram iam catenis alligare, iam claustris non dico crudele, est portentosum, nefarium, utique si hoc faciat qui sensurum filium credat'.

Hic quoque transposito commate Reitzenstein textum emendavit (*crudele est*, *portentosum* Lehnert). Deinde codice Parisino

Digitized by Google

(Π) nisus, quem nimis magni aestimare videtur, — scriptum praebet ille *vero ferro* — ideoque praemittendam ratus vocem elapsam scribendum iudicat: '⟨sepulcrum⟩ vero ferro ac lapidibus artare [et], ut solent bellicae robur accipere portae, ⟨et⟩ ipsam umbram iam catenis alligare....' Licet autem concedam cum portis bellicis aptius sepulcrum comparari quam umbram, tamen vix offendor transitione tam facili intellectu. Gravius est, quod ipsum sepulcrum non artatur lapidibus, sed carminibus magicis et ferro, cui inesse vim idoneam ad umbras arcendas [1]) iam Homeri scholiastes noverat, qui ad Od. XI 48 haec adnotavit: *Κοινή τις παρὰ ἀνθρώποις ἐστὶν ὑπόληψις ὅτι νεκροὶ καὶ δαίμονες σιδηρὸν φοβοῦνται.* Lapides autem illi sunt ipsum sepulcrum, cfr. p. 201, 12: 'si filii sepulcrum funditus eruisset et sacratos morte lapides, etiam cineres et ossa religiose quiescentia fracta sparsisset urna'. Itaque *ferro ac lapidibus artare* est *ἐν διὰ δυοῖν* atque idem valet quod 'ferratis lapidibus artare', 'artare ferro sepulcri lapidibus undique praefixo'.

Caput IX.

(p. 196, 15) 'Videtur itaque mulier infelix a dignitatis dolore secedere, quod tam uxorias in forum querelas et tamquam delicata matronae desideria pertulerit'.

Ab his verbis incipere alteram declamationem de eodem argumento habitam et cum priore satis inepte commissam Reitzenstein luculenter demonstravit. Quod ad ipsa verba attinet, iam veteres commentatores mendum aliquod in iis latere perspexerunt, e quibus nonnulli legendum putarant *ab indignitatis dolore* et infra v. 24 *indignitas*. Aptius Reitzenstein interrogationis signum post sententiam posuit; minus placet haec eius emendatio: 'quod ⟨eum⟩ tam⟨quam⟩ uxorias in forum querelas.... pertulerit', quam ne amplectamur impedire videntur verba *in forum* inter *uxorias* et *querelas* interposita. Exstant autem alii loci, iam a Reitzensteinio partim allati, qui ad illustrandam hanc sententiam velut commentarii vice

1) Cfr. Rohde, Psyche p. 56 n. 2; K. H. E. de Jong, 'De magie bij de Grieken en Romeinen' p. 45 sq.

Digitized by Google

fungantur, e. g. p. 150, 14 sqq., 340, 15 et imprimis p. 324, 8 sqq. Ibi enim haec legimus: 'Malae tractationis agimus. Placet ergo, iudices, ut illa voce qua matrimoniorum conquerimur iniurias, gemitu, quo corporum contumelias, damna, cultus et negatos in publicum deflemus egressus, orbitates ac liberorum suprema plangantur'? e. q. s. Argumentorum similitudo et interrogationes per similia verba (*videtur itaque ~ placet ergo*) introductae me movent, ut alterum quoque rhetora nostrum ab isdem verbis exordium fecisse et ita iudices allocutum esse coniciam: 'Malae tractationis agimus. Videtur itaque mulier a dignitate doloris (recte ita Reitzenstein)....' e. q. s., quod exordium in coniungendis duabus declamationibus omissum esse sumpserim. Deinde non credo ulla medela opus esse; nam quod legimus 'tam uxorias.... querelas', satis tum explicari videtur actionis genere disertis verbis praemisso; cfr. p. 340, 15: 'Quid tibi cum lege quam propter alios minores accepistis adfectus?' Denique quod proxima sententia antecedenti per *enim* coniungi videtur, occupationis figura est e Cicerone et aliunde notissima; cogitatione igitur supplendum est: (Ita si iudicatis, fallimini,) non enim.... e. q. s.

Caput XII.

(p. 199, 13) 'Aliquis, o pietas, sepultus et conditus, ceteri corporis cinis et favilla, tamen corpus sumebat in nocte....'

Iam Burmannus viderat corrigendum esse *in noctes*; ultima enim littera *s* in plerisque codicibus sequenti vocabulo adhaesit, ut *et* fieret *set*.

Caput XIII.

(p. 199, 23) 'Nemo' inquit 'oculis meis fidem detrahat. Fili, indulgentissime adolescens, vidi te, nec semel vidi'.

Cum codd. B Π¹ Reitzenstein legit *filii*, quod ad sententiam antecedentem putat trahendum, duplicem vocativum parum apte positum arbitratus. Sed cfr. p. 205, 28: 'iuvenis piissime, iuvenis indulgentissime', quo loco nisus haereo an scribae

Digitized by Google

vitio alterum epitheton exciderit sitque legendum: 'fili ⟨piissime⟩, indulgentissime adulescens'.

> (p. 199, 25) 'Certum est, fixum est, eripi non potest. Quatenus impius pater et hoc tibi auferre conatur, ut te venisse non credam'?

Ellis ita locum vertit: 'It is a certainty, a thing unalterable, a fact not to be gainsaid. This I say because your father is unnatural enough to aim at taking even this from you, and denying me my right of believing that you did really come'. Itaque quamquam Reitzensteinii librum non videtur in manibus habuisse, tamen cum eo facit, nam etiam Reitz. nisi fallor *quatenus* accipit coniunctionem causalem, et sic verba scribi vult: 'Certum est.... eripi non potest, quatenus.... credam'. Alibi [1]) Ellis monuit, ubicumque post *quatenus* sequatur indicativus, id est quinque locis, semper voci inesse vim causalem. Audio, nec nescio in minoribus quoque declamationibus uno excepto loco ubique inveniri eandem significationem. Atqui p. 253, 3, ubi *quatenus* idem valet quod *quousque*, ideo tantum coniunctivum regit, quod sequitur interrogatio obliqua. Et mihi quidem commodius intellegi locus videtur servata Lehnertii interpunctione.

> (p. 200, 8) 'Non ego fatigata planctibus sensi venisse noctem: videre filium pervigiles meruistis oculi, sed primum, dum metuo, umbra processit subito. Dii boni, quod ego gaudium, quam vidi felicitatem'.

Pro *sed primum dum metuo* Reitzenstein substituit *somnum dum metuo*, in codicibus manuscriptis saepius *sompnum* exaratum esse commemorans traditamque lectionem sensu carere ratus. Malim equidem: 'Non ego fatigata planctibus sensi venisse noctem: videre filium pervigiles meruistis oculi! Sic, primum dum metuo, umbra processit. Subito, dii boni, quod ego gaudium, quam vidi felicitatem'.

---

1) Hermathena 15 (1909) p. 337.

Digitized by Google

Caput XIV.

(p. 201, 9) 'Quid imprecer sceleratissimo patri? Umbram probare voluit'.

Mirum quantum laxe cohaerentia haec et languida in ipso capitis fine stimulum quendam exigente. Reponas quaeso: 'umbram, ⟨*quam*⟩ probare voluit'. Videlicet pater professus est de filio nihil restare nisi malam umbram sive larvam: esto, causidicus inquit, mala illa umbra patrem persequatur! De umbris se ulciscentibus cfr. locus qui est in declamatione cui titulus *Cadaveribus pasti*, p. 245, 14: 'Laceros video manes et truncas partibus suis umbras. Quid hoc est? Non de sepulcris insurgunt, non aliquo terrarum haustu procedunt umbrae nostrorum: de populo exeunt. Illuc ite, illi taedas intendite, illum anguibus petite et tam longae morae exigite rationem'.

Caput XV.

(p. 201, 15) 'Advocatur homo cuius ars est ire contra naturam. Qui simul ore squalido barbarum murmur intonuit, favere superos, audire inferos, tremere terras, ut experimentis loquentium fama est, constitit iuxta tumulum miserrimi iuvenis mors certior'.

Meursii coniecturam secutus Lehnert *favere* in textum recepit; codices praebent *fallere*, praeter unum Leidensem 9, ubi legitur *pallere*. Quam lectionem Burmannus iure defendere mihi videtur auctore Ovidio in Met. VII 208 sq., ubi in precibus Medea haec profitetur: 'currus quoque carmine nostro pallet avi, pallet nostris Aurora venenis'. Porro Ellis coniecit: '⟨*ita fecit*⟩ *favere*', tamquam si *ita* illud responderet sequenti *ut* ('ut experim. loq. fama est'). Cuinam vero persuadebit tantopere declamatorem balbutiisse? Nescio equidem an post *intonuit* pronomen *quod* interciderit, quo facto *ut* illud aliquis inseruerit; itaque vide sis praestetne legere: 'Qui simul ore squalido barbarum murmur intonuit, ⟨*quod*⟩ pallere superos, audire inferos, tremere terras [ut] experimentis loquentium fama est, constitit....' e. q. s. Ceteroquin cum his verbis apte conferatur Luc. Phars. VI 686, ubi striga illa Thessalica 'confundit

Digitized by Google

murmura primum | dissona et humanae multum discordia linguae'.

Caput XVI.

(p. 202, 10) 'Tu sic filium tuum clusisti, tamquam nocentes ad inferos revocari soleant animae, quae inter languentium familiam et tristes penatium morbos vagae errantesque magica vanitate captantur'.

Sic.... tamquam idem valet atque *eo praetexto, quod*, cfr. p. 191, 4: 'maritus sic filium inclusit, tamquam se inquietari mater ista quereretur'. Itaque huic auctori si credere licet, haud raro accidit, ut malignae mortuorum umbrae nocturnis erroribus domos visentes ac letum perniciemque spargentes adiutoribus magis expellerentur; ex sequentibus verbis apparere videtur, potissimum fuisse eas hominum sceleratorum umbras atque eorum, qui mortem sibi conscivissent. Non enim semper umbras ita errantes fuisse malevolas et alibi comperimus et p. 351, 14: '....ubi adhuc forsitan filii tui vaga per maestos penates anima discurrit'.

Quod vero Lehnert optimorum codicum lectionem *magica sanitate* deterioribus fretus mutavit in *magica vanitate*, id perperam eum fecisse mihi persuasi. Magica enim vanitas significat magorum iactationem sive vaniloquentiam fraudemque, sicut creberrime apud Plinium Maiorem (velut N. H. XXII, 20; XXVI, 28; XXVII, 57; initio l. XXX: 'Magicas vanitates saepius quidem antecedente operis parte, ubicumque causae locusque poscebant, coarguimus detegemusque etiamnum'). Neuter autem ex rhetoribus, qui in hac declamatione verba faciunt, magos ita aspernari videtur, ut eorum auctoritati potentiaeque diffidat et ostentatores eos habeat temere vaniloquos; cfr. p. 195, 15: 'necessitatibus magicis'; p. 205, 14: 'at tu, cuius in leges di superi manesque torquentur, qui nocturno terribilis ululatu profundum specus et ima terrarum moves, modo saevientium evocator [1]) animarum, nunc idem crudelis et inexorabilis custos....' Qua de causa iam antea excogitaveram legendum *magica societate*, sed haud scio an praestet reservare

1) Recte ita Reitzenstein; codd. *servientium revocator.*

Digitized by Google

lectionem traditam. *Sanitas* enim saepe in aetatis imperatoriae oratione (cfr. Sen. Ep. 2, 3) et passim in his declamationibus eundem sensum habet atque 'curatio' vel etiam 'remedium'; cfr. e. g. p. 146, 22: 'intellexit illum non sine sanitate fuisse languorem'. Ergo *magica sanitate* interpretari velim: ita ut remedium adhibeatur ars magica.

Caput XVII.

(p. 203, 14) 'Vana ergo sapientes persuasione frustrati qui constare homines et perfici corporis elementis animaeque dixerunt: corpus caducum, fragile, terrenum, ut sicca humidis, calida frigidis, resolutis adstricta pugnarent, partim aut doloribus adfici, aut novissimis annis et senectute dissolvi, animam vero.... nec interire nec solvi....'

Ex ultimis verbis allatis satis perspicuum est in prioribus expositum esse quomodo corpus aut interire necesse sit aut solvi. Unde protinus elucere contendam sic esse corrigendum: '⟨*morbis*⟩ partim aut (*sive* et?) doloribus confici' (*afici* prior manus Bamb., quod ortum crediderim ex *c̃fici*)'. Itaque *partim* illud alteri vocabulo *aut* respondet.

(p. 204, 3) '....donec in alia fata saeculo pugnante transmigret'.

Recte Ellis vidit, sed multo ante iam viderat Schulting, legendum esse *saeculo purgante*.

(p. 204, 13) 'Ita parricida commune facinus fecisti et imputas quod filium videre desiimus? — 'Somnum enim ante petebamus et placidum soporem'. — Crudelis, nunc inquieta, nunc attonita mater est, nunc perdidimus noctes'.

Verba inter lineolas posita patri reddenda.

Caput XVIII.

(p. 204, 16) 'Umbramne tu fili rem formidulosam, rem plenam putasti esse terroris? Quid illa laetius facie? Quid illo blandius vultu? Quid magis adulatur oculis?

Digitized by Google

> Quid possunt videre libentius lacrimae? Non magis metuenda est umbra filii quam cadaver. Necesse est, ut mors horrida fiat aliena. Sed aliae forsitan animum imagines territant et tunc inferi vocantur, cum ignoti sunt'.

Sicut hic sententiae procedunt, verba q. s. 'necesse est, ut mors horrida fiat aliena' intellegi vix possunt. *Mors* hoc loco eodem fere sensu adhibetur quo *umbra*; cfr. p. 191, 26 et praesertim p. 194, 26: 'tunc primum miser filius mors et umbra fit'. Iam vero notatu est dignum proximam sententiam huic licet minime contrariam tamen opponi: *sed* aliae forsitan.... e. q. s. Quam Ellis ita vertere conatus est: 'But it may be that the phantoms, which terrify the mind, belong to a different class', sed haud rectam esse eam translationem verba demonstrant deinceps sequentia: 'Itaque prudenter, si tantum ad suos veniunt', unde plane patet tantummodo notorum hominum umbras et ignotorum inter se opponi. Olim Schulting optime locum intellexit, etiamsi non possum non concedere emendationibus perquam arbitrariis hac in re eum esse grassatum; scripsit enim: 'Nec necesse est, ut mors horrida fiat, nisi aliena. Scilicet alienae forsitan....' e. q. s. Contra mihi quidem vix quicquam mutandum videtur, modo hic quoque sicut loco continuo ante allato patri sua reddamus. Eum enim trepidantem et perhorrescentem mater admonuit nil metuendam umbram, quippe quae sit ipsius filii proprii. Respondet pater: „necesse est, ut mors horrida fiat aliena", ubi *mors horrida* subiectum est, non praedicatum; vult igitur: larvam non iam agnosco filii umbram, sed puto alienam. Cui mater: 'Sed ali⟨en⟩ae forsitan animum imagines territant et tunc inferi vocantur, cum ignoti sunt'. Prorsus igitur ratiocinationem convertit et hoc dicit: non alienae putandae sunt umbrae, quia horridae, sed nescio an ideo tantum horridae nobis videantur, quia alienae. Deinde plane perspicua sunt verba sequentia.

> (p. 205, 3) 'Ita non tenetur', inquit ille, 'non premitur, nullo carmine, nullo inclusus est ferro'. Removete ergo omnia, et interrogabo. Ego autem scelerata tam cito credidi, ita non ille ad me veniret solutus et liber?'

Verba q. s. 'removete ergo omnia et interrogabo' e. q. s.

Digitized by Google

Ellis me quidem iudice male admodum intellexit ita vertens: 'Put aside therefore, judges, the whole statement, and I will ask you a question: Was it I that was wicked in believing so readily? Was he so peremptorily forbidden to visit me, free and unfettered as he was?' Postquam enim pater affirmavit non per magum stetisse quominus ad matrem filius veniret, quippe quem mera cogitatione sibi finxisset, primo illa gaudio afficitur inopinato, et incipit sibi gratulari. Iam quid manifestius quam quod proxima verba matri debentur? Scribas quaeso: 'Ita non tenetur' inquit 'ille, non premitur, nullo carmine, nullo inclusus est ferro. Removete ergo omnia, et interrogabo'. Id est: si verum dicit maritus, si carminibus illis et vinculis ferreis nulla inest vis efficax nec revera filius iis premitur, cur non omnia ea removet ut ipsa interrogem, filium scilicet cur non iam ad me veniat? Deinde autem ad se redit et sententiam mutat: fieri non potest quin maritus mentiatur. Quam ob rem sic loquitur: 'Ego autem scelerata tam cito credidi (sc. verba mariti)? Ita non ille ad me veniret solutus et liber?' Id est: si revera filius non premeretur, si solutus esset ac liber, sine dubio ad me veniret. Particula enim q. e. *ita* conclusio introducitur sicut paulo supra: 'ita non tenetur', i. e. 'proinde non tenetur'. Mutata igitur sententia quae modo dixit: 'ita non tenetur ille, non premitur, nullo carmine, nullo inclusus est ferro', brevi post affirmat: 'arte cluditur miser, arte retinetur'.

Caput XIX.

(p. 205, 14) 'At tu, cuius in leges di superi manesque torquentur, qui nocturno terribilis ululatu profundum specus et ima terrarum moves, modo saevientium evocator animarum, nunc idem crudelis et inexorabilis custos, aliquando preces et matris admitte'.

Verba ita emendata [1]) Reitzenstein conferri iubet cum iis quae legimus p. 196, 11: 'o mage saeve, crudelis....' e. q. s. In promptu est autem oratorem hic imprimis spectasse prioris partis alterum locum, qui est p. 194, 13: 'Sic magum protinus

1) Vide p. 443 n. 1.

Digitized by Google

nescia matre cuius horrido murmure imperiosisque verbis *dii superi manesque torquentur*, excogitator iste mortis alterius advocat, non ut exorati manes deducerentur, nec ut *evocata nocturnis ululatibus* undecunque umbra properaret, sed tamquam parum sepulcra premerent et tumulorum leve pondus esset'. Ceterum cum haec verba in alio prorsus contextu inveniantur, necessario sequi videtur, ut alter orator cognita alterius declamatione suam conscripserit.

> (p. 205, 25) 'Nec tu, marite, nec tu timueris, ne ultricis umbrae vanis exagitere terroribus, ullis imaginibus: huic secura dabitur quies, scit ad quam debeat venire dimissus'.

Perperam Ellis verba q. s. 'huic secura dabitur quies' ita transtulit: 'our son will be allowed to rest in peace'. Etenim relata ad praecedentia et ad sequentia aliud nihil significare possunt nisi hoc: *patri* secura dabitur quies, quoniam filii umbra vinculis liberata neque ultionis avida ad solam matrem veniet. Fatear autem oportet pronomine q. e. *huic* potius indicari videri — non filium, ne patrem quidem, sed matrem (cfr. paulo supra: 'huius lacrimis, planctibus huius'), quo adducor ut credam Burmannum rem acu tetigisse cum scriberet: '*hinc* secura dabitur quies'.

* * *

In his declamationibus suo pretio aestimandis quantum debeamus Reitzensteinio, qui omnes eas aequa diligentia sollertiaque persecutus est, neminem opinor latebit. Licet enim in singulis rebus hic illic ab eo dissentire ausus sim, tamen satis superque apparuerit non trahere me in dubium quin in summa verum perspexerit. Spero enim fore ut pluribus allatis locis similibus etiam magis, si fieri potest, eius enuntiatum iudicibus idoneis commendaverim probaverimque duas declamationes esse discernendas. Ut nihil esse credam cur cum Helmio faciamus dubitante, sintne revera duae eiusdem argumenti tractationes in unum conflatae, praecipue ea me movent, quae supra (p. 432) adnotavi de duobus locis q. s. p. 194, 7 et p. 199, 30 inter se comparatis; praeterea ut alterum rhetora ponam alterius orationem cognitam habuisse iis imprimis adducor, quae ad

Digitized by Google

p. 205, 14 commonefeci. Etiam quantopere interpunctione multo diligentiore opus sit [1]) iterum atque iterum vidimus. Complures adhuc restare quaestiones solvendas, praesertim quae pertineant ad rationes de arte magica deque mortuorum animis superstitibus in hoc libello expositas non dissimulo. Hodie autem haec hactenus sufficiant.

1) Cfr. Reitzenstein l.l. p. 85.

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom,
B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, W. E. J. Kuiper,
J. D. Meerwaldt, J. C. Naber, A. G. Roos, M. C. Valeton,
H. D. Verdam, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUINQUAGESIMUM SEXTUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1928.

Digitized by Google

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

Digitized by Google

INDEX

	Pag.
Spicilegium criticum ad Apulei Metamorphoseon libros, scripsit P. H. DAMSTÉ	1—28
Ad Apuleium, scripsit A. J. KRONENBERG	29—54
De Bacchylidis Carmine XVIII, scripsit W. E. J. KUIPER	55—59
Liviana V, (continuantur ex Mnemos. LV pag. 286), scripsit C. BRAKMAN I. f.	60—69
Tacitus quae de Astrologia iudicaverit, scripsit C. BRAKMAN I. f.	70—78
Suevi—Saevi, scripsit P. H. D.	78
Iterum de virginibus Vestalibus, scripsit H. J. ROSE	79—80
De Antiphontis oratione prima, scripsit J. H. THIEL	81—92
Quo tempore Lycophron Alexandram composuerit, scripsit WM. ROLLO	93—101
ΤΗΧΙΠΠΟΣ, scripsit G. Vollgraff	102—105
Titulus (I. G. III, 893) restitutus, scripsit P. I. KOETS	105
Galenus correctus, scripsit CH. CH. CHARITONIDES	106
Ad inscriptionem Atticam, Mnemos. LIII, 1925, p. 415 sq., scripsit E. H. S. et P. M.	107
Corrigendum	108
Observatiunculae ad papyros iuridicae (continuantur ex vol. LV pag. 238), scripsit J. C. NABER	109—138
Annaeana, scripsit C. BRAKMAN I. f.	139—158
De verborum quae vulgo dicuntur imitativa natura et origine, scripsit J. D. MEERWALDT	159—168
Apuleiana, scripsit C. BRAKMAN I. f.	169—185
De Horatio Hannibali inimico, scripsit K. H. E. DE JONG	186—192
Observationes criticae ad Tertulliani ad Nationes libros, scripsit J. G. P. BORLEFFS	193—201
De sermonis puerilis apud ignotum quendam comicum ratione et usu, scripsit J. D. MEERWALDT	202—206
Asinii Pollionis iudicium de Caesaris commentariis, scripsit G. VRIND	207—213

Digitized by Google

Pag.

De Propertii Elegiarum libro IV, scripsit P. H. Damsté . . 214—219
Epigramma Atticum, scripsit I. I. E. Hondius et G. Vollgraff . . . . . 220—222
Epigramma Acarnanicum, scripsit G. V. 222
„Augustus", scripsit F. Muller I. fil. . . . . 223—224
Observationes criticae ad Tertulliani ad Nationes libros (continuantur ex pag. 201), scripsit J. G. P. Borleffs . . . 225—242
Scripseritne Marcus latine evangelium suum? scripsit J. de Zwaan. . . . . 243—253
Quando Pervigilium Veneris conditum est? scripsit C. Brakman I. f. . . . . 254—270
Ad Pervigilium Veneris, scripsit P. H. Damsté . . . . . 271—272
Vindiciae Antimacheae, scripsit J. van IJzeren . . . . . 273—298
De carmine Simonideo, quod interpretatur Plato in Protagora dialogo, scripsit H. D. Verdam . . . . . 299—310
Aristides corrigendus, scripsit Ch. Charitonides. 310
De Caenei ἀτρωσία, scripsit H. J. Rose. . . . . 311—312
In lexicographos, scripsit Ch. Ch. Charitonides . . . . . 313—314
Arx Argorum, scripsit Guilielmus Vollgraff. . . . . 315—328
Stili differentia quatenus ex historia terminationis cuiusdam (*-ēre ~ -ĕrunt*) appareat, scripsit F. Muller J.fil. . . . 329—389
Antiphontea, scripsit J. H. Thiel . . . . . 390—394
De tributo, quod εἰσφορά dicitur, scripsit B. A. van Groningen. 395—408
De verborum quae vulgo dicuntur imitativa natura et origine, scripsit J. D. Meerwaldt . . . . . 409—414
Apollodorus Antiphontis filius, scripsit H. J. Rose 415

Digitized by Google

SPICILEGIUM CRITICUM AD APULEI METAMORPHOSEON LIBROS.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Apulei Metamorphoses, libellum lepidissimum, cum nuper aliquando relegerem in editione praestantissima, quam Rudolfus Helm v. d. apud Teubnerum anno MCMXIII iterum emisit, maxime admiratus sum summam editoris sagacitatem, qua aut suis aut aliorum emendationibus permultos locos sive temporum iniquitate seu librariorum incuria depravatos feliciter restituit, nec non diligentiam egregiam, qua in apparatu critico coniecturas virorum doctorum probabiles honoris causa memoravit, praeposteras argumentatione brevi sed certissima refutavit. Quibus de causis quamquam inter innumeras Metamorphoseon editiones Helmianam facile principem iam evasisse arbitror, locos haud paucos etiamnunc corruptos manere nemo negabit. Quae cum ita sint, coniecturas, quas inter legendum relegendumque annotaveram, iam tandem excutere atque subtilissimo editoris iudicio summittere velim, sperans fore ut ad textum emendandum ipse quoque pauca attulisse ei videar.

Liber I.

P. 16. 1 (C. 17): „cum dicto Socraten deosculabar amplexus. at ille odore alioquin spurcissimi humoris percussus, quo me Lamiae illae infecerant, vehementer aspernatur: „apage te", inquit, fetorem extremae latrinae" et causas coepit huius odoris comiter inquirere".

Iam Burman, qui obiter — et Hild, quiociter pro

Digitized by Google

tradita lectione comiter coniecit, scripturam codicis mendosam esse perspexerunt, quam Helmium retinuisse valde miror. Attulit ille quidem ad eam vindicandam locos duos, ubi adverbium comiter legitur, quem numerum facile augere potuisset, sed istis locis vocabulum a contextu orationis minime alienum est. Nostro tamen loco est importunissimum, immo repugnat etiam sententiae quam exspectaveris. Quidni? Socrates, odore spurcissimi humoris, quo mulieres Aristomenen infecerant, magnopere offenditur, eius amplexus vehementer aspernatur, et postquam exclamavit: „apage te, fetorem extremae latrinae!" causas odoris inquirere coepit. An cuiquam verisimile videbitur, eum tanta iracundia inflammatum comiter quaesivisse? Credat Iudaeus Apella! Voc. comiter sine ullo dubio corruptum est.

At illa quae a Burmanno Hildioque proposita sunt, quamquam per se ipsa non absurda, a scriptura vocabuli traditi nimium distant: obiter vel ociter in comiter esse corruptum nullus credo. Mihi vero persuasum est, Apuleium scripsisse: continenter, quod èt in scripturam comiter facile abire potuit èt rei valde est accommodatum: Socrates comitem male olentem miratur fastiditque et faetoris causas inquirere non ante desinit quam hic intentionem eius in alium sermonem avocavit ut finem faceret interrogationis molestissimae.

P. 16. 8 (C. 18): „Aliquantum processeramus, et iam iubaris exortu cuncta conlustrantur, et ego curiose [sedulo] arbitrabar iugulum comitis, qua parte gladium delapsum videram".

Halm vocabulum curiose delendum censet, quod legentibus probare studuit eo quod tres locos conferri iubet, ubi sedulo scriptum est adverbio curiose non addito (p. 26. 33: curabo sedulo, p. 31. 14: sedulo et puplice intueri, p. 155. 2: claustra sedulo exploraverat). Miram, hercle! argumentandi rationem, nam quis non credat, alibi quoque adverbium sedulo posse inveniri altero adverbio non adiecto?

Contra ea Novak voc. sedulo inducendum iudicat, eandem futilem argumentandi viam ingressus, quoniam ipse quoque tres locos congessit, ubi curiose legitur vocabulo sedulo non adiuncto (p. 24. 24: curiose singula considerabam, p. 48.

Digitized by Google

25: cuncta curiosis oculis arbitrabar, p. 155. 3: ipsa membra... curiose perspexerat).

Editor etsi Novakio obsecutus voc. sedulo uncinis inclusit, dubitasse videtur, nam infra ascripsit: „aut scribend. curiose et vel seduloque cf. 109. 8 sq., 129. 19." Illo autem loco est: „scrupulose curioseque", loco altero: „sollicite seduloque". Quid tandem ista ratione proficiamus non video.

Quid roponendum sit me quidem docet sana ratio.

Aristomenes enim a latere Socratis incedens eum limis oculis aspicit explorans num in iugulo comitis conspicua sint signa vulneris, quod nocte ei illatum esse putabat, nec tamen curiositatis suae suspicionem ei movere vult. Ergo mihi constat locum sic resarciendum esse: „...et ego curiose sed ⟨clanc⟩ulo arbitrabar iugulum comitis".

Adv. clanculo saepenumero in Met. occurrit e. g. p. 58. 8, 64. 5, 162. 23, 209. 18, 247. 20.

P. 21. 9 (C. 23): „ego te, inquit, etiam de ista corporis speciosa habitudine deque hac virginali prorsus verecundia, generosa stirpe proditum et recte conicerem".

Hunc locum, quem nemo adhuc suspectum habuisse videtur, interpretes nunc ita explicare suspicor, ut ad verba et recte etiam proditum cogitatione supplendum esse putent; nempe adverbium recte ad verbum conicerem pertinere non potest, quandoquidem primum illud et abundaret, deinde deesset testimonium verecundiae: Milo enim speciosam corporis habitudinem demonstrare existimat, iuvenem generosa stirpe proditum esse, virginalem autem verecundiam, qua veritus erat sedile mulieris occupare, ostendere, eum humanitatis politioris non esse expertem.

Has duas virtutes non significari posse verbis generosa stirpe proditum et recte proditum quivis agnoscet. Qua de causa mihi persuasum est, post recte excidisse participium quale est: eruditum.

P. 23. 25 (C. 26): „isto accepto pergit ipse et iniecta dextera clementer me trahere adoritur".

Verbum pergit, pro quo Nolte iam substituere voluit

Digitized by Google

surgit, hoc loco ineptum est. Veram lectionem esse credo: percitus, quod vocabulum Apuleio in deliciis est: legitur p. 7. 14, 67. 20, 76. 19, 95. 24, 101. 22, 121. 9, 124. 1, 180. 12, 181. 4, 182. 16, 203. 18, 290. 15.

Similiter participium et ablativum absolutum copula et conexa vides p. 42. 10: „aggeratis in cumulum stragulis et effultus in cubitum... porrigit dextram".

Milo igitur postquam ab ancilla certior factus est de Lucii excusatione, ipse percitus et iniecta manu clementer eum trahere coepit.

Iam de quattuor locis corruptis disserere lubet, qui num recte nunc constituti sint dubito.

P. 2. 13 (C. 2): „equo indigena peralbo vehens, iam eo quoque admodum fesso, ut ipse etiam fatigationem sedentariam incessus vegetatione discuterem, in pedes desilio, equi [sudorem] frontem curiose exfrico, auris remulceo".

Auctore Leone editor voc. sudorem induxit, sed ipse in apparatu critico locos attulit quibus lectionem traditam vindicare voluisse videtur. Haupt sudoram coniecit. Plasberg sudore ⟨fumantis⟩ temptavit. Alii vitium latere suspicati sunt in scriptura frontem (frontẽ): Helm rogat an forte sit legendum sudorem fronte ⟨defluentem⟩, Becichem fronde emendandum censet.

Voc. sudorem insiticium esse nemo umquam mihi persuadebit, quod quo modo in textum irrepere potuerit nullus video, verum certo mihi persuasi, Becichemum rem acu tetigisse: corrigendum est fronde pro frotẽ, quod in codice exaratum est.

Obiter alterum mendum in eodem enuntiato significare velim. Si sermo esset de asino, non de equo, fortasse ferri posset, Apuleium scurriliter iocantem posuisse auris remulceo, sed quis umquam equum remulcens aures eius curavit? Vix ac ne vix quidem dubito quin scripserit: armos.

P. 5. 2 (C. 5): „sed ut prius noritis, cuiatis sim [qui sim]: Aegiensis".

Praeeunte Rossbachio editor verba *q* sim ut glossema delevit. Alii alia protulerunt: Van der Vliet ⟨sum⟩, Hild

Digitized by Google

quive, sum, Luetjohann quippe sum, editor ipse qui sim: ⟨Aristomenes⟩ Aeg., Beyte Aegiensis audio, et. Miror neminem adhuc coniecisse id quod mihi semper visum est optimum: „sed ut prius noritis, cuiatis sim: civis sum Aegiensis".

P. 9. 11 (C. 9): „Quae cum subinde ⟨*faceret*⟩ ac multi nocerentur, publicitus indignatio percrebruit".

Vitium, quod hunc locum manifeste inquinavit, alii aliter tollere sunt conati: nonnulli Quae suspectum habuerunt, Beyte itaque, Guil. Meyer quare veram lectionem rati, alii verbum post subinde excidisse putant, ubi Van der Vliet fierent, Helm faceret inseruit, rursus alii plura addiderunt.

Mihi promptissima eademque levissima emendatio videtur: „Quo cum subinde ac multi nocerentur", i. e. qua re, qua ratione. Similiter p. 23. 25 (C. 26) positum est isto.

P. 12. 24 (C. 13 i. f.): „his editis abe⟨*unt et*⟩ una remoto grabattulo varicus super faciem meam residentes vesicam exonerant".

Hanc lectionem pro corrupta codicis scriptura ab* una veram esse non posse ipse rerum narratarum cursus demonstrat: neutiquam enim abibant mulieres, id quod Bursian, qui abiturae — et Kronenberg, qui ⟨antequam⟩ abeunt coniecit, optime perspexerunt. Locum, quem desperatum fere dixerim, multi iam coniecturis sanare studuerunt, quibus si meam quoque addere licet, propono: „his editis abunde remoto grabattulo", h. e. postquam grabattulum, sub quo iacebam, satis removerunt. Ceterum quicquid Apuleius scripsit, vetat rerum ordo ne loci recensio Helmiana mihi probetur.

Addo hisce locum, cuius sententiam vel iocum minime intellego. Est autem

P. 9. 5 (C. 9): „alium de foro, quod adversus eam locutus esset, in arietem deformavit et nunc aries ille causas agit".

Hoc dictum mihi quidem ita demum leporem quendam et salem consecuturum videtur, si emendaverimus: „et nunc arietibus ille causas agit".

Denique duo loci sunt, qui quamquam viris doctis corrupti

Digitized by Google

visi sunt et coniecturis sollicitati, mihi quidem bonam interpretationem admittere nihilominus videntur. Alter est

P. 13. 13 (C. 14): „proclamares saltem suppetiatum, si resistere vir tantus mulieri nequibas".

Epitheton tantus a Brantio, qui natus- et a Rossbachio, qui tacitus corrigendum censet, sine ulla iusta causa temptatum est. Cf. p. 21. 2: qui mihi tantum conciliavit hospitem, p. 51. 5: quam deus tantus affluenter indueret, p. 53. 14: iudicium tantum theatro redderetur, nec non p. 97. 19, 103. 8, 130. 16, 142. 8.

P. 17. 14 (C. 19): „nam et ⟨*cre*⟩br[ev]itas ipsa commeantium metum mihi cumulabat".

Voc. brevitas multis scrupulum iniecit: Heinsius celebritas — Wowerus crebritas — Leo crebitas coni. Editor, qui Woweri coniecturam recepit, id non sine haesitatione fecisse videtur, quoniam infra rogat num forte brevitas pro paucitate positum sit. Non credo neque magis credo, vocabulum vitiose esse traditum. Equidem sic locum intellego: verba, quae continuo sequuntur „quis enim de duobus alterum sine alterius noxa peremtum crederet?" satis ostendunt, Apuleium hoc voluisse: commeantes, si de duobus comitibus alterum peremptum viderint, numquam credent, id sine alterius noxa esse factum, neque longiore inquisitione opus esse censebunt, sed indicta causa, sine mora ulla, summa brevitate usi supplicium de me sument.

Liber II.

P. 25. 11 (C. 2): „Sic attonitus, immo vero cruciabili desiderio stupidus nullo quidem initio vel omnino vestigio cupidinis meae reperto cuncta circumibam tamen, dum in luxu⟨*m*⟩ nepotalem similis ⟨*otioso*⟩ ostiatim singula pererro".

Locum mutilatum multi varie resarcire sunt conati. Rohde in luxu nepotali esuriens, Leo in luxu n. miselllus, Bursian ita lixae (lixae Scal.) nepotali similis, Luetjohann in luxum nepotalem ⟨intentus potulento⟩ similis, Rossbach in luxum n. sim., Bluemner enixo negotiatori similis, Helm denique temptavit id quod supra exscriptum est in luxum nep. (i. e. luxus causa) sim. ⟨otioso⟩.

Digitized by Google

Criticos omnes in hoc loco tractando fugisse existimo, unum esse vocabulum, quod etiamsi nulli suspicionem moverit, in hac narratione prorsus intempestivum est. Voc. ostiatim dico. Ut e capite antecedente patet, Lucius oppidum totum Thessalicum pererrans lapides, aves, arbores, fontanos latices, statuas, parietes, boves, denique nihil non suspiciebat tamquam magica arte iam ortum: minime domos deinceps curiose spectabat. Quae cum ita sint, voc. ostiatim ineptum hic esse aio neque quicquam inserendum esse puto, sed emendandum: „dum in luxum nepotalem similis oscitanti singula pererro". Similiter supra est p. 24. 24: „curiose singula considerabam" et cf. Plin. N. H. XVI. 24: folia arborum ad solem oscitant.

P. 39. 3 (C. 17): „paulisper etiam glabellum feminal rosea palmula potius obumbrans de industria quam tegens verecundia: 'proeliare', inquit, 'et fortiter proeliare, nec enim tibi cedam nec terga vortam; comminus in aspectum, si vir es, derige et grassare naviter et occide moriturus".

Colvius verba in aspectum interpretamentum putat, Elmenhorst in os spatham legi iubet. Neutrum credo, quamquam lectionem traditam absurdam esse concedo. Quaeso corrige: „comminus ⟨in scopum⟩ inaspectum, si vir es, derige". Cf. Stat. Theb. I. 50: imaeque recessu | sedis inaspectos caelo radiisque penates servantem.

P. 40. 4 (C. 18): „tibi vero fortunae splendor insidias, contemptus etiam peregrinationis poterit adferre".

Pricaeus coniecit contemptum e. peregrinatio, sed quomodo peregrinatio contemptum afferre possit non capio, id quod idem valet in ceteras coniecturas quae sunt Luetjohanni peregrinationis ⟨fama⟩, Vlietii ⟨periculum⟩ poterit, Novakii contemptus per. etiam ⟨vitae periculum⟩, nec non in transpositionem, quam editor mavult: splendor, contemptus e. peregr. insidias. Quid Fotis voluerit, locus alius docet qui est p. 54. 26 (C. 3): „habetis itaque reum tot caedibus impiatum, reum coram deprensum, reum peregrinum. constanter itaque in hominem alienum ferte sententias de eo crimine, quod etiam in vestrum civem severi-

Digitized by Google

ter vindicaretis". Ergo legendum credo: „contemptus etiam peregri⟨nae⟩ nationis".

P. 40. 18 (C. 19): „argentum alibi clarum et aurum fulgurans et sucinum mire cavatum et lapides ut bibas et quicquid fieri non potest ibi est".

Editor pro ut bibas coni. vividos, Gruterus in capides pro et lapides. Nescio an pro lapides ut bibas fuerit: „lapides unde bibas".

P. 41. 23 (C. 20): „Inter haec convivium totum in licentiosos cachinnos effunditur omniumque ora et optutus in unum quempiam angulo secubantem conferuntur. qui cunctorum obstinatione confusus indigna murmurabundus cum vellet exsurgere, 'immo mi Thelyphron', Byrrhena inquit" e. q. s.

Hanc lectionem sanam esse dubito: voc. obstinatione nude sic positum loco minime accommodatum videtur. An forte emendandum: obstina⟨ta cachinna⟩tione? Cf. p. 50, 21, ubi de eodem viro: „Cum primum Thelyphron hanc fabulam posuit, conpotores vino madidi rursum cachinnum integrant".

P. 45. 2 (C. 24): „Lucerna, aio, praegrandis et oleum ad lucem luci sufficiens et calida cum oenophoris et calice cenarumque reliquiis discus ornatus".

Faber verba luci sufficiens tamquam a librario addita exstirpanda putat-Nolte aut ad lucem aut luci delendum. Potius credo corrigendum esse: ad diluculum. Cf. p. 71. 4: sed primo diluculo remedium festinabitur tibi, p. 90. 20: usque diluculum. Continuo haec sequuntur

„Tunc illa capite quassanti: abi, inquit, fatue, qui in domo funesta cenas et partes requiris, in qua totiugis iam diebus ne fumus quidem visus est ullus".

Pro cenas revocandum est: lagenas. In responso enim cum voc. partes ad cenarum reliquias in rogatione pertineat, voc. lagenas ad verba calida cum oenophoris et calice respicere necesse est.

P. 45. 17 (C. 25): „Sic desolatus ad cadaveris solacium per-

Digitized by Google

frictis oculis et obarmatis ad vigilias animum meum permulcebam cantationibus, cum ecce crepusculum et nox provecta et nox altior et dein concubia altiora et iam nox intempesta. mihique oppido formido cumulatior quidem, cum repente" e. q. s.

Mire fugit viros doctos huius loci notio, quem coniecturis improbabilibus, additamentis minime aptis. explicationibus contortis extricare studuerunt. Protulit Van der Vliet: ⟨iam⟩ oppido ⟨formidanti⟩ formido, Novák: oppido forti cumulatior qu. ⟨constantia⟩, Elmenhorst: cumulatur, Leo denique oppido... cumulatior coniungit.

At tamen prompta mihi videtur loci emendatio.

Nocte horrenda procedente Thelyphron se magis magisque pavidum factum esse affirmat simulque somnum sibi sensim obrepsisse, donec tandem eum „somnus profundus in imum barathrum repente demergit" (p. 46. 2).

Quo igitur modo locus noster intellegendus et emendandus est? Adverbium oppido pertinet ad verbum formido, quod non est substantivum, ut critici perperam putarunt, cf. Flor. 1: „quamquam oppido festinem", et voc. cumulatior, quod mirum in modum nemini in suspicionem venit, haud dubie corruptum est. Est nimirum legendum: „mihique oppido formido somnolentior quidem". Voc. somnolentus est p. 24. 10 et 186. 27.

P. 46. 10 (C. 26): „rimabar singula, quae cuncta convenerant".

Immerito hanc lectionem suspectam et coniecturis vexatam esse comprobat locus in p. 50. 7 qui est: „utque fallaciae reliqua convenissent".

In eodem capite vs. 22 legitur: „immo, inquam, domina, de famulis tuis unum putato, et quotiens operam nostram desiderabis, fidenter impera".

Nonne potius: unum ⟨me⟩ putato?

P. 48. 26 (C. 29): „iam tumore pectus extolli, iam salubris vena pulsari, iam spiritu corpus impleri".

Pro salubris, quod aequabilitatem trium partium sane disturbat, Prescott salebris voluit. Malim saltibus cl. Verg. Georg. III. 460: ferire pedis salientem sanguine venam.

Digitized by Google

Liber III.

P. 55. 12 (C. 4): „facile vos edocebo me discrimen capitis non meo merito, sed rationabilis indignationis eventu fortuito tantam criminis invidiam frustra sustinere".

Est profecto insipida ac ridicula argumentandi ratio, si quis se tres homines occidisse eo defendit quod rationabiliter indignatus fuerit! Nonne sana ratio flagitare videtur: repugnationis? Infra vs. 27 latrones condixisse feruntur: „qui repugnare temptaverit feriatur", et p. 56. 20 Lucius exclamat: „nec possum repperire, cur iustae ultionis... nunc istum reatum sustineam". Cf. De Platone 1. 12 extr.: „at ubi repugnationes istae nocivae erunt, infelicitas dicitur".

P. 59. 12 (C. 10): „Tunc ille quorundam astu paulisper cohibitus risus libere iam exarsit in plebem. hi gaudii nimietate gratulari, illi dolorem ventris manuum compressione sedare".

Verbum gratulandi ab hoc loco alienum esse Cornelissen perspexit, qui strangulari proposuit, nec non ipse editor, qui coniecturam crapulari in apparatu evulgavit. Mihi vera ac genuina videtur esse lectio gravidari, quam verba quoque, quae continuo sequuntur, commendant. Cf. De Mundo 9: „ea crassitudo aquarum fetu gravidatur", Cic. N. D. II 83: „terra gravidata seminibus".

Praeterea astu vehementer displicet. Quomodo enim risus ad tempus cohiberi potuit astu, ut paulo post libere exardesceret? Scriptum fuisse suspicor gestu vel nutu.

P. 63. 4 (C. 15): „sic ad me reversa colloque meo manibus ambabus inplexa voce tenui et admodum m[e]inuta: paveo, inquit".

Sic Oudendorp scripturam traditam, quae est meInuta interpretatus est, conferri iubens minuto cinere p. 85. 24!

Vide an non tautologia, quae vocabulis tenui et minuta nunc inest, probabiliter evitetur, si scribimus: mellita, cl. p. 115. 7: „nec tamen scelestarum feminarum nequitia vel illa mellita cantus dulcedine mollita conquievit". Legitur

Digitized by Google

adiectivum etiam p. 95. 7, 99. 4 et est 132. 25: „aves melleis modulis suave resonantes".

P. 64. 4 (C. 16): „hunc iuvenem, cum e balneis rediret ipsa, tonstrinae residentem hesterna luce forte conspexit ac me capillos eius, qui iam caede cultrorum desecti humi [d i]iacebant, clanculo praecepit auferre".

Litterulas d i, quas editores iam spernere solent, Van der Vliet ita explicare voluit, ut olim h u m i d i ⟨s p e r s i⟩ i a c. fuisse putaret. Mihi vero, cum mulier capillos desectos ad magicos usus voluerit, in mentem incidit, Apuleium fortasse scripsisse: h u m i ⟨s u c i⟩ d i i a c., ut Apol. 24: „solum sucidum" posuit. Cf. Varro R. R. II. 11 § 6: recens lana tonsa sucida appellata est, Cels. VIII. 3 extr.: imponenda vulneri lana sucida, Juvenal. 5. 24, Martial. XI. 27. 8 nec non Plin. N. H. XXIX C. 2, ubi lanae sucidae usus salubres varios exponit.

P. 65. 23 (C. 18): „cum ecce crapula madens et inprovidae noctis deceptus caligine audacter mucrone destricto in insani modum Aiacis armatus, non ut ille vivis pecoribus infestus t o t a laniavit armanta, sed longe fortius quidem tres inflatos caprinos utres exanimasti".

Immo vero: t u t a l. armenta, h. e. secura, inoffensa.

P. 66. 4 (C. 19): „At ⟨*ego plau*⟩si lepido sermone Fotidis".

Ita editor, alii aliter lacunam supplent. Equidem praetulerim: A t⟨*ri*⟩s i. Paulo inferius est (vs. 15): „quamquam mihi nec ipsa tu videare r e r u m rudis vel expers".

Ante r e r u m Cornelissen addere voluit: e a r u m, sed quoniam satis est perspicuum, rem magicam dici, pro r e r u m malim: r e i.

P. 67. 3 (C. 19 extr.): „iam denique nec larem requiro nec domuitionem paro et nocte ista nihil antepono".

Ad l a r e m suum excidit attributum, sive p a t r i u m fuit (p. 287. 18) sive n o s t r u m (p. 109. 1) seu aliud epitheton. Lar pro domo est etiam p. 106. 11, 110. 1, 281. 1, 287. 18 e. a.

Digitized by Google

P. 70. 9 (C. 24): „iamque alternis conatibus libratis brachiis in avem similem gestiebam".

Editor explicat *similem* scil. *bubonem*, sed ne ipsi quidem haec interpretatio placuisse videtur, cum infra paginam ascripserit coniecturam: similem ⟨plumari⟩. Lectionem salebrosam alii quoque temptarunt; Burman simulari, Scriverius simul, C. W. Vollgraff similem ⟨reformari⟩ proposuit.

Helmii interpretationem admitti posse non credo: non de certo avis genere h. l. sermo esse potest, verum de motibus dicitur, quibus Lucius avem qualemcumque gestibus iam simulabat. Qua de causa nescio an sit legendum: „in avem simili ⟨gestu⟩ gestiebam".

Cf. p. 261. 19: in deae Iunonis speciem similis, Tac. An. II. 39: aetate et forma haut dissimili in dominum erat.

Quod ad verbi gestiendi constructione attinet cf. p. 166. 8: graduque molli gestiens, 161. 27: coepit risu laetissimo gestire, 263. 18: acre comminantibus gestire pupulis, 271. 18: tantaque hilaritudine... gestire mihi cuncta videbantur.

Liber IV.

P. 79. 20 (C. 7): „etiamne tu... sic nobis... lusitabis nec nostris tam magnis tamque periculosis laboribus solacium de tam sera refectione tribues?"

Scribendum est: „de tua sera refectione". Particulam tam, in versu superiore bis scriptam, erroris causam librario fuisse suspicor.

P. 88. 1 (C. 18): „ibi capulos carie et vetustate semitectos, quis inhabitabant pulverei et iam cinerosi mortui, passim ad futurae praedae receptacula reseramus".

Pro verbo semitectos Van der Vliet semiconfectos — Plasberg semiretectos coniecit. Reponendum arbitror semirutos, cl. Florid. c. 15 init.: „oppidum habet, nequaquam pro gloria, sed quod fuisse amplum semiruta moenium multifariam indicant". Cf. etiam p. 206. 11: „quod erat in angulo semiobrutum".

P. 92. 19 (C. 23): „puellam mehercules et asino tali concupiscendam... advehebant".

Digitized by Google

Iniuria Bursian tali expungi iubet; significat enim: qualis ego sum, ut p. 121. 11: „sive invidia noxia sive quod tale corpus contingere et quasi basiare et ipsa gestiebat", nec non p. 170. 4: „homines amator talis appetit".

P. 97. 13 (C. 29): „iam multi mortalium longis itineribus atque altissimis maris meatibus ad saeculi specimen gloriosum confluebant".

Oudendorpio assentior, emendandum esse altissimis, sed latissimis veram esse lectionem non credo. Malim: avidissimis, cl. Plin. N. H. III. 1: „Oceanus... avido meatu terras... demergens".

P. 99. 6 (C. 31): „vindictam tuae parenti, sed plenam tribue et in pulchritudinem contumacem severiter vindica".

Lectio severiter Brantio debetur pro corrupta codicis scriptura quae est reverent̃. Plasberg severiter et saevienter maluit. Potius credo in scriptura tradita delitescere: vehementer, cl. 98. 5, 104. 4, 116. 10, 175. 5, 211. 28, 216. 1, 225. 3, 243. 21.

P. 100. 6 (C. 32): „laudatur ab omnibus, nec quisquam, non rex, non regius, nec de plebe saltem cupiens eius nuptiarum petitor accedit".

Pro regius Van der Vliet corrigere voluit ⟨filius⟩ regius. Maluerim: „non rex, non regulus".

Infra (vs. 13) est: „quamvis gentibus totis complacitam odit in se suam formonsitatem".

Pro in se emendandum puto: ipsa.

Liber V.

P. 103. 18 (C. 1): „parietes omnes argenteo caelamine conteguntur bestiis et id genus pecudibus occurrentibus ob os introeuntium".

Vocabula quae sunt id genus pecudibus, post bestiis scripta cum essent, viris doctis importuna semper visa sunt, neque id mirum est. Bestia enim apud Latinos aut est animal rationis expers itaque homini oppositum aut ferum voraxque,

Digitized by Google

ut locutiones q. s. ad bestias mittere vel damnare, dare ad bestias, bestiis aliquem obicere, demonstrant. Sic apud Ciceronem in copulatione „pecudes et bestiae" alterum vocabulum animalia mansueta utiliaque, alterum fera animalia denotare videmus.

Manifestum igitur cum esset, verba qualia nunc leguntur sana esse non posse, critici ad unum omnes id genus vitiosum esse pro certo habuerunt: Norden vocabula deleri iubet, Jahn setigeris — Rohde quod genus — Morawski indigenis — Rossbach ingentibus — C. W. Vollgraff omne genus substituere voluerunt.

At moneo, formulam id genus Apuleio in deliciis fuisse: sescenties in eius scriptis legitur, qua de causa haec verba tangenda non esse mihi persuasum est.

Id quod haud raro factum videmus, in hoc loco tractando rursus accidit: viri docti vocabulum, quod nullo laborat vitio, emendatione egere rati sunt, scripturam vere corruptam numquam habuere suspectam. Nempe in voc. pecudibus corruptelam latere aio.

Quis in artificiis, qualia hoc loco memorantur, usquam animalia domestica, vaccas, oves, sues, talia depicta aspexit? Immo animalia fera ac fabulosa in eiusmodi operibus artifices sibi fingenda sumunt. Cf. p. 285. 28: „quaqua tamen viseres, colore vario circumnotatis insignibar animalibus: hinc dracones Indici, inde grypes Hyperboraei" cet.

Quae cum ita sint, mecum scribere ne dubita:

bestiis et id genus speciebus.

Forma speciebus, damnata a Cic. (Top. 30), qui formis uti maluit, apud nostrum Ascl. 5 e. a. legitur, et manifesta est corruptelae origo: cum semel per haplographiam scriptum esset peciebus, in promptu iam erat proxima vocabuli mutilati immutatio in pecudibus.

Scriptor igitur voc. id genus speciebus voluit: quales sunt dracones, gryphi, sphinges.

P. 106. 5 (C. 4): „atque ut est natura redditum, novitas per assiduam consuetudinem delectationem ei commendarat et sonus vocis incertae solitudinis erat solacium".

Digitized by Google

Hunc locum ut in integrum restituerent viri docti rursus ipsa temptarunt vocabula, quae neutiquam sollicitanda mihi quidem videntur. Jahn viduitas — Bluemner nova vita — Traube solitas pro voc. novitas coniecit. Aldus delectationem delevit. Alii rursus nonnulla excidisse putant: Schroeter: ⟨in⟩delectationem ⟨se⟩ commutarat, Van der Vliet: ⟨se⟩ converterat, Traube: ei ⟨se⟩ commendarat, Novák: p. a. delectationem ei ⟨se⟩ commendarat, Oudendorp: p. a. cons. delectatione ei ⟨se⟩ comm. coniecerunt.

At si bene locum intellego, in uno vocabulo consuetudinem peccatum est: mutato praefixo desuetudinem scriptum fuisse ab Apuleio suspicor.

Psyche enim diu neglecta desertaque iacuerat, non assueta fuerat obsequio adulescentium, sed cum sorores nuptae iam essent, ipsa „virgo vidua domi residens deflet desertam suam solitudinem", ut in C. 32 legimus. Iam vero novitas cupiditatis et amoris Cupidinis hanc delectationem ei commendarat et quidem per assiduam desuetudinem, h. e. propterea quod eiusmodi voluptate atque affectibus assidue desueta fuerat.

P. 106. 14 (C. 5): ea nocte ad suam Psychen sic infit maritus-namque praeter oculos et manibus et auribus † ius nihil sentiebatur".

Hic quoque locus graviter corruptus necdum expeditus coniecturas multas peperit. Traube: is nihil ⟨non⟩, Haupt: is nihilo ⟨secius⟩, Luetjohann: is ⟨non⟩ nihil, Koziol: is nimirum, Jahn: ille nihilo⟨minus⟩, Beck: istius nihil ⟨non⟩, Leo: visibilis, Helm: ignotus ille vel insignitus temptavit, sed crucem ponere satius duxit.

Quoniam exaratum est in codice: Iuſ nichil, sed supra ſ cognoscitur ˢ, incidit mihi suspicio, emendandum esse:

„namque praeter oculos et manibus et auribus ⟨obv⟩ius simul sentiebatur".

Adiectivum obvius est p. 124. 22, 132. 28, 181. 7, 273. 1, 291. 20.

Digitized by Google

P. 110. 20 (C. 10): „ego vero maritum articulari etiam morbo complicatum curvatumque ac per hoc rarissimo venerem meam recolentem sustineo".

Haupt rarissima Venere eam voluit, ad quam coniecturam iure editor rogat num forte me voluerit. Michaelis maluit: Venere memet. Quaeso corrigas: „ac per hoc rarissimo Venerem mecum recolentem sustineo" et conferas

p. 164. 22: „post noctem unicam et rudimenta Veneris".

176. 17: „puellae illius, quae mecum aput latrones pares aerumnas exanclaverat".

217. 23: „commodum novis amplexibus Amori rudi litabant, commodum prima stipendia Veneri militabant".

P. 111. 25 (C. 11): „ac sic parentes quoque redulcerato prorsum dolore raptim deterrentes vesania turgidae domus suas contendunt".

In hisce voc. raptim de loco suo deturbatum est et reponendum ante contendunt.

P. 114. 17 (C. 17): „Psyche, non ita ut pridem parvula, et ipsa iam mater es".

Nonne corrigendum est: iam⟨iam⟩? Cf. p. 110. 12: „iam iam sursum respicit et deam spirat mulier".

P. 115. 2 sq. (C. 15): „statimque eas... triclinio mirisque illis et beatis edulibus atque tuccetis oblectat".

Van der Vliet voc. atque tuccetis delevit, Cornelissen et potulentis coniecit. Maluerim: atque temetis, cl. p. 105. 8: „et ilico vini nectarei eduliumque variorum fercula copiosa... subministrantur".

P. 126. 6 (C. 28): „Nec loquax illa conticuit avis, sed 'nescio', inquit, 'domina: puto puellam — si probe memini, Psyches nomine dicitur — ⟨*eum*⟩ efflicte cupere'."

Apparet ad verbum cupere deesse obiectum, quod Rossbach supplendum censuit scribendo: puellam⟨illum⟩, Traube pro cupere substituendo: eum perire, Oudendorp puellae scripsit, Helm inseruit: eum.

Digitized by Google

Quaero iam ut inspicias p. 121. 5 sq.: „sic ignara Psyche sponte in Amoris incidit amorem. tunc magis magisque cupidine fraglans Cupidinis, prona in eum efflictim inhians... de somni mensura metuebat". Hoc loco collato Apuleio reddendum esse credo: „puto puellam... efflicte cupere ⟨Cupidinem⟩".

P. 128. 5 (C. 31): „Tunc illae ⟨*non*⟩ ignarae, quae gesta sunt, palpare Veneris iram saevientem sic adortae".

Beroaldo obsecutus editor non inseruit, sed commendare videtur ratio palaeographica: iam gnarae.

Liber VI.

P. 129. 3 (C. 1): „Interea Psyche variis iactabatur discursibus, dies noctesque mariti vestigationibus ⟨*intenta et quanto magis*⟩ inquieta animo, tanto cupidior iratum licet, si non uxori⟨*i*⟩s blanditiis lenire, certe servilibus precibus propitiare".

Vlietii supplemento recepto editor fortasse non ipsa scriptoris verba, sed sententiam certe probabiliter restituit. Ad iratum tamen desidero substantivum quo accuratius persona denotetur neque scio an hic quoque omissum sit nomen. Nonne fuit: „tanto cupidior ⟨Cupidinem⟩ iratum licet?"

Infra (vs. 12) haec leguntur:

„videt spicas frumentarias in acer*vo* et alias flexiles in corona et spicas hordei [videt]".

Nordeno suadente Helm voc. videt uncinis inclusit, dubitans, ut videtur, nam coniecit ipse: „vid. et sp. hord". Forsitan scriptum fuerit: „spicas hordei virides" cl. p. 137. 7: „arundo viridis".

P. 135. 9 (C. 10): „accepto frumento et hordeo et milio et papavere et cicere et lente et faba commixtisque acervatim confusis in unum grumulum sic ad illam":

Michaelis ⟨et⟩ acervatim coniecit. Maluerim pro confusis scribere: cunctis.

P. 136. 19 (C. 11): „videsne illud nemus, quod fluvio praeterluenti ripisque longis attenditur, cuius imi gurgites † vicinum fontem despiciunt?"

Digitized by Google

Quot coniecturis haec ultima sententiola obruta est, e quibus ne unam quidem editori satis placere potuisse crux appicta ostendit! Vereor ne nimium mihi placere videar, si ipse quoque locum, a multis viris doctis frustra temptatum, attigerim, quin etiam exigua mutatione illata me restituere posse crediderim. Vel sic tamen sententiam meam eloquar.

Cuncta vocabula cum deinceps a criticis sollicitata sint, de eorum conaminibus primum pauca dicenda sunt.

Primum igitur hoc monere velim, eos qui voc. fontem mutandum censent (Michaelis pontem, P. Thomas fontem frondes, Brakman vicinam frondem, Rohde vicino monte desiliunt), non satis attendisse, fontem illum revera in vicinitate fuisse, de quo in C. 13 legimus: „videsne insistentem celsissimae illi rupi montis artui verticem, de quo fontis atri fuscae defluunt undae proximaeque conceptaculo vallis inclusae Stygias inrigant paludes et rauca Cocyti fluenta nutriunt?" atque de eodem fonte in capite sequenti longior etiam sermo est. Ergo verba vicinum fontem non sollicitanda sunt.

Deinde multi lectionem imi gurgites iniuria aggressi sunt, e quibus Hild summi vertices, Van der Vliet imi frutices, Luetjohann invii frutices ⟨sed⟩, Helm rami turgentes protulerunt, quas coniecturas ad unam omnes reiciendas esse opinor neque unam ob causam, quod ratio palaeographica omnibus quam maxime adversatur et pronomen cuius sine ullo dubio ad voc. fluvio pertinet.

Denique Luetjohann post attenditur distinguere — Leo cuius... respiciunt post praeterl. traicere — P. Thomas imi gurgitis scribere voluit, quibus propositis quomodo locus fiat emendatior non video.

Verba igitur imi gurgites iustam suspicionis causam non movent. Superest vocabulum ultimum, verbum scilicet despiciunt. Bluemner id interpretatur 'contemnunt', sed nonne sana ratio prohibet ne aquas fluminis contemnere vicinum fontem dicamus? Plasberg recipiunt coniecit, perperam, nam vicinus fons non est fons nostri fluvii; sin minus, fluvius iam esse non posset. Oudendorp respiciunt dedit, quam coniecturam, quamvis primo satis placitam, postea improbandam

Digitized by Google

putabam, cum totius loci significationem melius perspicere mihi visus essem, quam hanc esse arbitror: nemus attenditur fluvio praeterluenti ripisque eius longis, longis scilicet in altitudinem, ut nos nunc hominem longum dicimus hominem, qui proprie altus est; eius autem fluvii gurgites sive aquae propter istam riparum altitudinem imi sunt, h. e. in tanta profunditate volventes, ut fontem qui in vicinitate de monte defluit, decipiant h. e. λανθάνουσιν.

Cf. p. 185. 27: „⟨Thrasyllus⟩ ex imperio Charites adornatus et nutricis captiosa vigilia deceptus inrepit cubiculum pronus spei", nec non Liv. XXII. 4 § 4: „id tantum hostium, quod ex adverso erat, conspexit; ab tergo et super caput decepere insidiae", Hor. Sat. I. 3. 38 sq.: „amatorem quod amicae turpia decipiunt caecum vitia".

Qua levi correctione adhibita non ullam restare reor difficultatem; nihil certe est quod me quidem amplius offendat.

P. 140. 3 (C. 15): „sed cedo istam urnulam'. [s]*et* protinus adreptam complexamque festinat".

Editor scripturam traditam minus bene interpretatus esse et correxisse videtur. Emendandum enim puto sic, quod similiter positum est p. 142. 6, 149. 22. Conferas quaeso ea quae ad p. 21. 7 (I. 23) editor ipse annotavit ut lectionem sic, quae ibi est, a Burmanni coniectura et hic vindicaret: „*sic* i. e. *quo facto* cf. 52. 11, 63. 2 al."

P. 142. 9 (C. 18): „ergo et inter mortuos avaritia vivit nec Charon ille vel Ditis pater, tantus deus, quicquam gratuito facit, set moriens pauper viaticum debet quaerere".

Lege: gerere. Cf. quae vs. 11 sunt: „seni dabis nauli nomine de stipibus, quas feres, alteram".

P. 143. 17 (C. 20): „neglecto supernatantis mortui desiderio... domum Proserpinae penetrat",

Inspice p. 142. 14: „tibi pigrum fluentum transmeanti quidam supernatans senex mortuus... orabit" et locum nostrum sic mecum supple: „supernatantis ⟨senis⟩ mortui desiderio".

P. 148. 7 (C. 26): „comitibus adscitis, qui vulnerati reman-

Digitized by Google

serant, dudum recurrunt, reliqua ipsi laturi, taedio, ut aiebant, nostrae tarditatis".

Pro absurda lectione dudum Leo actutum coniecit. Praestat scribere: eodem.

P. 150. 17 (C. 28 extr.): „te meum sospitatorem cotidie saginabo".

Editor cum saturandi verbum apud Apuleium non exstet, saginandi vero ei in deliciis sit, pro scriptura mutila quae est sa**tuábo, cuius quid erasum sit non liqueat, recensuit saginabo, quod in lacuna nescio quis postea addidit.

Pro certo credo, sanam lectionem esse: salutabo. Cf. p. 151. 24: „nos... risu maligno salutant", p. 164. 15: „exin me suum sospitatorem nuncupatum matrona prolixe curitabat".

P. 151. 19 (C. 29): „quid facis, infelix puella? quid agis? cur festinas ad Orcum? quid meis pedibus ⟨*vim*⟩ facere contendis? non enim te tantum, verum etiam me perditum ibis".

Infeliciter editor Rohdii supplementum frigidissimum vim post pedibus recepit neque magis opus est additamento me, quod Bursian ante meis inserere voluit. Locus optime se habet, immo persuasum mihi est, utrumque loci leporem omnino non persensisse. Asinus nempe, qui a puella dirigitur in viam a latronibus obsessam, salse rogitat: quid meis pedibus (ablat. instrum.) facere contendis? h. e. pedibus, qui mei quidem sunt, sed quibus imperare, eheu! mihi non licet. Non perspexerunt salem esse loci, quod asinus de pedibus suis loquitur tamquam de instrumentis, quae non sui iuris sunt.

Eluatur igitur quam primum macula, qua nunc locus venustissimus infeliciter aspersus est.

P. 153. 15 (C. 31): „hunc igitur iugulare crastino placeat totisque vacuefacto praecordiis per mediam alvum nudam virginem, quam praetulit nobis, insuere, ut sola facie praeminente ceterum corpus puellae nexu ferino coherceat".

Pro ferino corrigendum est: uterino. Cf. p. 156. 21: „subit me illa cura potior, qua statuto consilio latronum manibus virginis decretam me victimam recordabar ventrem-

Digitized by Google

que crebro suspiciens meum iam misellam puellam parturibam".

Liber VII.

P. 161. 7 (C. 9): „nam ego arbitror latrones, quique eorum recte sapiunt, nihil anteferre lucro suo debere ac ne ipsam quidem saepe et aliis damnosam ultionem".

Lectionem aliis non extrico. Nisi me fallunt omnia, reponendum est: alias. Cf. p. 164. 5: „nam et alias curiosus et tunc latronum captivitatis spectator optabam fieri", 201. 19: „inibi vir principalis, et alias religiosus et eximie deam reverens, 233. 3: „at meus, adhuc maerore permixtus et alias Latini sermonis ignarus, tacitus praeteribat".

P. 162. 4 (C. 10): „quin igitur, inquit, supplicatum Marti Comiti pergimus et puellam simul vendituri et socios indagaturi?"

Emenda: supplicato. Cf. p. 248. 23: „cognito quod res erat, ipse quoque per idem prospiciens foramen delectatur eximie".

Videantur etiam verba quibus editor ad p. 276. 24 Rohdii coniecturam respuens traditam scripturam nutu significato vindicat: „interpretandum *cum nutu significaret*".

P. 167. 9 (C. 17): „nec saxeas tantum sudes incursando contribam ungulas, verum fustium quoque crebris ictibus perdite dedolabar".

Pro contribam Van der Vliet coniecit contriveram. Locus qui est 165. 22: „vicinorum etiam frumenta mercennariis discursibus meis conterebat" me inducit ut potius corrigendum credam: conterebam.

P. 168. 10 (C. 18): „occipiens a capite, immo vero et ipsis auribus totum me compilabat †cidit fusti grandissimo".

Lectionem corruptam varie resarcire conati sunt, Koziol et id, Luetjohann concidendo, Helm crudeliter reponendo.

An forte scribendum est: compilabat ⟨ad ex⟩itium? Cf. 185. 3: „ne forte... manes acerbos mariti ad exitium salutis tuae suscitemus".

Digitized by Google

P. 169. 19 (C. 20): „arridens addidit: quo usque ergo frustra pascemus [in]ignitum istum?"

In codice exaratum est: Inigninũ, unde alii ignigerum, Oud igniarium, Helm ignitum, Leo inquilinum coniecerunt. Vide an non Apuleius scripsisse putandus sit: ignigenam, ita ut asinus ambustus cum Baccho comparetur, de quo Ovid. Met. IV. 12:

turaque dant Bacchumque vocant Bromiumque Lyaeumque
ignigenamque satumque iterum solumque bimatrem.

Monere non opus est, libellum nostrum scatere recordationibus mythologicis.

P. 171. 3 (C. 22): „nam corium adfirmatum cineris inspersu dominis referemus eiusque mortem de lupo facile mentiemur".

Equidem non credo, pastores illos tam stupidos fuisse, ut asinum a lupo necatum esse dominis persuadere posse sibi viderentur, si corium eius cinere inspersissent!

Pro cineris inspersu nimirum emendandum est: cruoris inspersu. Voc. cruor et alibi apud nostrum est et 177. 9, 191. 3 et 25, 199. 21, 228. 23 (mensam cruore perspergunt).

P. 171. 23 (C. 23): „possum... ad vos actutum redire trucemque amatorem istum atque insuavem dissitis femoribus emasculare et quovis vervece mitiorem efficere".

Nescio an pro insuavem, quod adiectivum h. l. languidius est, reponendum sit insanum. Ita locus, qui supra est vs. 17, me docet: „multos ego scio non modo asinos inertes, verum etiam ferocissimos equos nimio libidinis laborantes atque ob id truces vesanosque... mansuetos ac mites exinde factos".

P. 174. 3 (C. 26 init.): „nec uspiam ruris reperitur ille, sed plane corpus eius membratim laceratum multisque dispersum locis conspicitur".

Est prorsus inepta haec lectio nec uspiam ruris, nam sane repertus est puer, quamquam laceratus ab ursa et membratim dispersus, et est voc. ruris importunissimum, quoniam puer occisus inter silvosa nemora quaerebatur, unde lignum

Digitized by Google

solebat egerere. Id tamen quod Bluemner pro ruris substituere voluit, scilicet vivus, valde displicet: nimis frigide dictum esset atque verba nec uspiam ita moleste abundarent, cum praesertim sequatur puerum mortuum laceratumque esse inventum. Mihi liceat sententiam meam de loco aperire.

Ut supra dictum est, Apulei liber refertus est rebus mythologicis, sicut hic quoque eum iocantem allusisse credo ad rem et ad nomen, quae ad caerimoniam solemnem e re sacra Aegyptiorum pertinent et nota sunt lippis ac tonsoribus.

Nempe Osiris, quem Graeci Dionyso suo aequiperare solebant, apud Aegyptios quotannis mori credebatur, quo facto homines omnes exibant ad eum quaerendum. Osiri autem invento clamabant Εὑρήκαμεν συγχαίρομεν. Cf. Iuvenal. 8. 29: „Exclamare libet populus quod clamat Osiri invento", Serv. ad Aen. IV. 609: „sicut in Isidis sacris, ubi est imitatio inventi Osiridis". Ipse Apuleius haec sacra in libro XI fuse descripsit.

Quae cum ita sint, iam tandem Apuleio iocum suum redde et mecum rescribe: „nec uspiam Osiris reperitur ille.

Liber VIII.

P. 176. 22 (C. 1): „fuit Charite nobis, quae misella et quidem casu gravissimo nec vero incomitata Manis adivit".

Codex praebet nobis q. Gruter nobis quoniam, Eyssenhardt nobisque, Van der Vliet nobisque misella ⟨perivit⟩, Luetjohann nobis, quippe, Rohde obiit quippe, Helm nobis q̄, Kronenberg nobis [qui] coniecerunt. Cl. p. 177. 15: „ac dum erilis puella in boni Tlepolemi manum venerat" nescio an supplendum sit: „fuit Charite nobis quam mis⟨ella erilis pu⟩ella et quidem" cet.

De quam cum gradu positivo vid. Helm ad p. 275. 9.

P. 177. 18 (C. 2): „firmiter deorsus delapsum nutriens amorem et denegati thalami permiscens indignationem, cruento facinori quaerebat accessum".

Pro verbo permiscens, quod h. l. parum aptum est, Van der Vliet premens proposuit. Monere velim, ad sententiam aptissimum fore demussans, quod p. 71. 13 est: „demussata temporali contumelia".

Digitized by Google

Infra (vs. 24) haec sunt: „turbae gratulantium exultans insigniter permiscuit sese salutique praesenti ac futurae suboli novorum maritorum gaudibundus... amici fidelissimi personam mentiebatur".

Quandoquidem Thrasyllus minime gaudebat, verum se gaudere simulabat, ante gaudibundus inserendum esse quasi vel velut mihi constat.

P. 179. 11 (C. 4): „sed aper immanis atque invisitatus exsurgit toris callosae cutis obesus, pilis inhorrentibus corio squalidus, setis insurgentibus spinae hispidus, dentibus attritu sonaci spumeus, oculis aspectu minaci flammeus, impetu saevo frementis oris totus fulmineus".

Post oris lacunam statuit Van der Vliet. Rectissime, nam est emendandum: „impetu saevo frementis oris ⟨torvus⟩, totus fulmineus".

P. 180. 13 (C. 5): „sed percito atque plagosa crura [vulnera] contegenti suumque auxilium miseriter roganti per femus dexterum dimisit lanceam".

Spretis coniecturis, quas fecerunt Cornelissen plagoso, cruda v., Luetjohann plagosa et cruda v., vir. doct. plagosa crurum v., Bluemner ⟨contra⟩ vulnera, editor praetulit vulgatam lectionem, in qua voc. vulnera deletur. At Apuleium, cum contegenti poneret, haud dubie addidisse reor, quo modo Tlepolemus plagosa sua crura contexerit, ut fecit p. 212. 3. Qua de causa scripturam vulnera nequaquam eliminandam, verum emendandam esse suspicor atque rescribendum: „plagosa crura ulna contegenti", hac quidem notione quam habet nomen apud Plin. N. H. XVI 202: „arboris eius crassitudo quattuor hominum ulnas complectentium implebat".

P. 181. 11 (C. 6 extr.): „sed aegre manibus erepta suorum invita remansit in vita".

Cuinam erepta? Morti nimirum. Scribe igitur: „sed aegre mānibus erepta ⟨mă nibus⟩ suorum", et nota etiam verborum lusum nostri artificis: „invita... in vita!"

Cf. p. 177. 1: manis adivit.

Digitized by Google

P. 188. 26 (C. 15): „lupos enim numerosos grandes et vastis corporibus sarcinosos ac nimia ferocitate saevientes passim rapinis adsuetos infestare cunctam illam regionem".

Pro sarcinosos, quod h. l. ineptum est neque usquam legitur, emendandum est id, quod sana ratio flagitat, sc. carnosos.

P. 195. 25 (C. 24): „sed illa Fortuna... emptorem aptissimum duris meis casibus mire repertum obiecit".

Reponatur id, quod constructio requirit: „miro repertu", cl. 275. 5: sollerti repertu.

P. 198. 9 (C. 26): „haec audiens iam mea⟨s⟩ futuras novas cogitabam aerumnas".

Pro scriptura mutila mea Helm coniecit ⟨mente⟩mea; malim mae⟨rens⟩.

P. 202. 15 (C. 31): expergite mi ausculta et advenam istum asinum remoto quodam loco deductum iugula".

Verbum deducendi ab Apuleio semper et ubique cum praepositionibus cum accusativo casu poni solet, cf. 218. 2, 226. 30, 236. 5, qua de causa pro deductum scriptum fuisse puto adverbium actutum, quod apud eum frequens est.

Liber IX.

P. 203. 3 (C. 1): „me raptim... incunctanter immitto nec pauca rerum adparatus cibarii, mensas etiam genialis impetu meo collido atque disturbo".

Pro rerum, quod Leo delere voluit, nescio an sit legendum: vere, cl. p. 205. 12: „totum caput inferens salutares vere equidem illas aquas hauriebam".

P. 209. 10 (C. 9): „et ecce nobis repente de tergo man⟨*us*⟩ sp⟨*ic*⟩ulis armati supercurrunt equites".

Est tradita lectio manipulis. Coniecerunt Floridus manipuli — equitis, Pricaeus manipulus, Helm manus spiculis, Leo magnis baculis.

Quidni: venabulis? Cf. 179. 24, 204. 7, 272. 7.

P. 214. 7 (C. 15): „cuius et faciem videre cupiebam ex

Digitized by Google

summo studio, si tamen velamentum capitis libertatem tribuisset meis aliquando luminibus".

Corrigendum videtur: eximio studio, cl. 215. 7: „quod nunc nuper in quendam zelotypum maritum eximio studio commentus est".

P. 219. 3 (C. 21): „invadit cum summo clamore Myrmecem pugnisque malas eius clementer obtundens: 'at te', inquit", cet.

Pricaeus inclementer coniecit. Praetulerim continenter. Cf. ea quae ad p. 16. 1 a me observata sunt.

P. 231. 27 (C. 38 init.): „non nullam tamen sagacissimo iuveni proventus humanior vindictae speculam subministravit".

Hanc ridiculam lectionem tamdiu interpretes fugisse demiror. Emendare iam tandem ne dubita: proventus inanior. Cf. 281. 23: „sic anxius et in proventum prosperiorem attonitus templi matutinas apertiones opperiebar".

Liber X.

P. 238. 8 (C. 3): „nec adulescens aegrae parentis moratus imperium, senili tristitie striatam gerens frontem, cubiculum petit".

Pro senili Bluemner seniliter voluit. Nonne scriptor scripsisse putandus est: sensili?

P. 242. 20 (C. 7): „adserere incipit... quod venenum sua manu temperatum dandum fratri reddiderit, quod ad criminis probationem reservatum poculum neclexisse suspicatus sua postremum manu porrexerit puero".

Hunc locum vix recte traditum esse editori credo, quin etiam vitium quo laborat indicare atque emendare posse mihi videor.

Haec fere servi noxii fuit argumentatio:

Privignus reus necem sui fratelli mihi mandavit, promisit mihi grande silentii praemium, recusanti mihi mortem est comminatus; deinde venenum, quod ipse sua manu temperarat, mihi reddidit quod darem eius fratello; quod cum fecissem, suspicatus est me pauculum (veneni), ad criminis probationem reservatum, neglexisse atque ipse sua manu postremum (h. e. veneni residuum illud) puero porrexit.

Haec omnia satis recte procedere videbis, dummodo pro poculum mecum rescripseris: pauculum.

Digitized by Google

P. 248. 31 (C. 16): „novitate spectaculi laetus dominus aedium duci me iussit, immo vero suis etiam ipse manibus ad triclinium perduxit".

Pro duci editor ⟨in⟩duci coniecit. Mihi vero, cum insuper voc. aedium moleste abundet neque supra additum sit (vs. 19: „ut ad aures quoque praetereuntis perveniret domini"), suspicio nata est, corrigendum esse: „dominus ⟨intus⟩ aedium duci me iussit". Cf. p. 200. 28: „intus aedium audito ruditu meo".

P. 253. 15 (C. 22): „sed angebar plane non exili metu reputans, quem ad modum tantis tamque magnis cruribus possem delicatam matronam inscendere vel tam lucida tamque tenera et lacte ac melle confecta membra duris ungulis complecti".

Supplendum est: „et ⟨velut⟩ lacte ac mella confecta". Cf. p. 263. 24, 264. 16, 279. 19, 284. 5 al.

Liber XI.

P. 270. 4 (C. 5): „mitte iam fletus et lamentationes [omitte], depelle maerorem; iam tibi providentia mea inlucescit dies salutaris".

Editor verbum omitte ut variam lectionem ad mitte additam delevit. Nescio tamen an servanda sit tradita lectio, postquam sic voc. depelle divisum est: „mitte iam fletus et lamentationes, omitte de pelle maerorem".

Nempe ad asinum deus loquitur, qui si ad hominem esset locutus, dixisset: omitte de corde maerorem. Cf. vs. 17 infra: „detestabilis iam dudum beluae istius corio te protinus exue".

P. 271. 26 (C. 7): „quid quod arbores etiam, quae pomifera subole fecundae quaeque earum tantum umbra contentae steriles... dulces strepitus obsibilabant".

Lectio in codice depravata, quae est c̄tenta ē eriles, sic plene restituatur: „quaeque earum tantum umbra contentae ⟨ac⟩ steriles".

P. 276. 3 (C. 13): „tunc ego trepidans, adsiduo pulsu micanti corde, coronam, quae rosis amoenis intexta fulgurabat, avido ore susceptam cupidus promissi devoravi".

Lectio quae est cupidus promissi non modo improbanda

Digitized by Google

est quod continuo haec sequantur „nec me fefellit caeleste promissum", sed multo etiam magis propter significationem ipsam. Quid enim hoc loco sibi verba volunt, cum promissum pridem datum sit?

Quod cum perspexit, Novák, rationem extremam secutus, voc. promissi delevit, sed e viro docto quaerere velim, quomodo id in textum irrepsisse sibi fingat.

Quaerendum potius esse vocabulum mihi visum est, quod et lectioni traditae simile esset et rerum contextui accommodatum, ergo errores percensendos ac deliberandos esse, quibus librarios obnoxios fuisse notum est.

In quibus considerandis cum pervenissem ad haplographiam praefixi sequentis itaque legissem: promisside, lucem in tenebris dispicere coepi.

Est enim nomen promuscis synonymon vocabuli proboscis et est membrum ab uniuscuiusque bestiae naribus dependens, quo imprimis utuntur ad pabulum ad se trahendum (Lat. 'manus', nostrum 'snuit, snoet'). Saepissime nimirum vocabulum frequentatur, ubi de elephantis sermo est, sed in aliis quoque animalibus invenitur, sicut in erinaceo apud Varronem; apud asinos vero labra demissa vel maxime praebent promuscidis speciem. Ceterum forma promuscis apud Vegetium, Cassiodorum, Eustathium, in Not. Tiron. legitur — promoscis apud Isidorum et Solinum.

Quae cum ita sint, Apuleio reddendum esse suspicor: „coronam... avido ore susceptam, cupidus promusci ⟨de⟩ devoravi", atque optime iam sequuntur: „nec me fefellit caeleste promissum: protinus mihi delabitur deformis et ferina facies".

P. 287. 2 (C. 25 med.): „tuo nutu spirant flamina, nutriunt nubila, germinant semina, crescunt germina".

Pro inepta lectione nutriunt Wower mugiunt, Oudendorp nutriuntur coniecit. Dubito an scriptum fuerit: nubilant nubila, h. e. caligine obducuntur. Cf. p. 272. 1: „caelum autem nubilosa caligine disiecta.... candebat, Plin. N. H. XXXVII. 94: nubilantes carbunculi, Varro R. R. I. 13. 5: si nubilare coeperit, Cato R. R. 88: ubi nubilabitur.

Digitized by Google

AD APULEIUM.

SCRIPSIT

A. J. KRONENBERG.

Met. I 7 (p. 7, 15 Helm ed. 2ª): 'et statim miser, ut cum illa adquievi, ab unico congressu annosam ac pestilentem ⟨*servitutem*⟩ [c̄] contraho'.

Sententiae congruenter 'pestilentem contraho ⟨*adfectionem*⟩' restituit Novák, nam ab unico congressu exinde se et ipsum 'urigine percitum' dicit Socrates; tamen cum simul et substantivum aliquod desideretur et 'c̄' abundet, non est verisimile e sola dittographia hoc esse ortum, praesertim eo loco quo nomen illud requiras, sed potius suspiceris 'pestilentem con⟨*tagionem*⟩ contraho'. Cf. de Mundo 23 p. 159, 17 Thomas 'pestifera contagio'.

Met. I 21 (p. 19, 20) '— exiguo Lare inclusus et aerugini semper intentus, cum uxore⟨*m*⟩ etiam calamitatis suae comite⟨*m*⟩ habeat. neque praeter unicam pascit ancillulam et habitu mendicantis semper incedit'.

Servato casu ablativo Beroaldus (ed. Oudend. p. 67) scripsit 'habet' (= habitat), quod minime displicet. Similiter enim 'habeo' et 'pasco' iunguntur Apol. 21 (p. 25, 3 H.) 'quod vivo gracili lare, quod paucioris habeo, p a r c i u s pasco, levius vestio, minus obsono', ubi 'gracili lare' supellex designatur, 'habeo' (= habito) ad domum pertinet, 'pasco' ad servos (nam ad ventrem referri (= pascor) vetat sequens 'obsono'), cf. Apol. 25 (p. 29, 5) 'accusatis unum servum ut p a r c i'.

Met. II 4 (p. 28, 7) 'inter medias frondes lapidis Actaeon simulacrum curioso obtutu in d e a m [s u m] proiectus, iam in

Digitized by Google

cervum ferinus et in saxo simul et in fonte loturam Dianam opperiens visitur'.

Suspectum est 'deam', cum paulo post ipsa suo nomine nuncupetur. Ad emendandum vel potius supplendum viam demonstrant verba sequentia 'in cervum ferinus', scilicet 'in dam*num* su*u*m proiectus'.

Met. II 19 (p. 40, 14) 'ampli calices variae quidem gratiae, sed pretiositatis unius. hic vitrum fabre sigillatum, ibi crustallum inpunctum, argentum alibi clarum et aurum fulgurans et sucinum mire cavatum et lapides u t b i b a s et quicquid fieri non potest ibi est'.

Cum 'gemmae formatae in pocula' (= halfedelgesteenten) mox seorsum commemorentur, 'lapides' esse non possunt nisi pretiosissimi illi quibus inter cetera ad distinguendos calices utebantur veteres; in hac autem divitiarum satis ampla enumeratione miro modo desiderantur haec pocula διάλιθα, quae vide num sic possint restitui: 'h i c vitrum — i b i crustallum — argentum a l i b i — et lapides u b i v i s' (= 'ubibis' quod quanta potuit sagacitate correxit librarius). Laudat Lucius tam 'v a r i a m' gratiam materiae vel artificii, quam pretiositatem 'u n a m', i. e. non unicam, sed in omnibus eandem et parem et aequam.

Met. II 19 (p. 41, 6) 'certe libertas otioso (F: otiosa) et negotioso quidem advenae, Romana frequentia, modesto vero hospiti quies villatica'.

De Beroaldi emendatione 'otioso' dubitare non licet cum in homoeoteleutis admodum sibi placeat Apuleius, quem in sequentibus, ubi 'modesto vero' non habet cui opponatur, eidem stili artificio indulsisse haud absurde quis suspicetur: 'certe libertas otioso et negotioso, ⟨*et honesto*⟩ quidem advenae Romana frequentia, modesto vero hospiti quies villatica'. (Apol. 98 'puer honestus').

Met. II 26 (p. 46, 26) 'Vix effatum me statim familiares om*en* nefarium exsecrati raptis cuiusque (cuiusce? ut solet Apuleius) modi telis insecuntur'.

Non magis probanda est Walteri coniectura 'omi n i s' (Berl. Phil. Wochenschrift 36 Jahrg. 1916) quam Gruteri 'om e n',

Digitized by Google

nam et scaenam rei auget 'omnes' quod traditur et postea demum ominose se locutum esse reminiscitur Lucius (27 init.).

Met. III 5 (p. 56, 2) 'fateor, Quirites, extremos latrones — boni civis officium arbitratus — gladiolo — armatus fugare atque proterrere eos adgressus sum'.

Quamquam Lucium 'reum peregrinum' vocaverat accusator (c. 3, p. 54, 26) addideratque 'constanter itaque in hominem alienu'm ferte sententias de eo crimine, quod etiam in vestrum civem severiter vindicaretis', tamen illi quam satis novimus Apulei neglegentiae attribui posset 'civis', nisi paulo post (p. 56, 19) Lucius ipse de se sic loqueretur: 'probe spectatus apud meos semper innocentiam commodis cunctis antetuleram': unde bene Leo, quamvis dubitanter, 'viri' coniecit, sed propius erat 'boni cuius*que* officium'. (Apol. 3 p. 3, 15 H. 'bonus quisque')

Met. III 15 (p. 63, 13) 'nam me, quae sola mortalium novi, amor is, quo tibi teneor, indicare compellit'.

'amor is' — traditur 'amoris', sed in margine 'amor' — exemplis e Cicerone, non ex Apuleio, allatis defendit Helm; '⟨vis⟩ amoris', quae est lectio vulgata, receperat v. d. Vliet. Annon potius librarius dormitavit casum genitivum fingens a 'novus amor'?

Met. IV 6 (p. 78, 18) 'Res ac tempus ipsum locorum speluncaeque illius, ⟨*quam*⟩ latrones inhabitabant, descriptionem exponere flagitat'.

Exspectes '⟨*cui*⟩' vel '⟨*qui(bu)s*⟩', cf. 18 (p. 88, 1) 'quis inhabitabant mortui', quorum praestare videtur 'quibus' propter antecedens '— q; illius'. (Sed VIII 25 (p. 196, 18) 'in asini corio inhabitare')

Met IV 8 (p. 80, 14) 'clamore ludunt, strepitu cantilant, conviciis iocantur, ac iam cetera semiferis Lapithis [t]e*uan*⟨*t*⟩ibus *Cen*taurisque similia'.

Heinsius ('euantibus' pro '*bcinib;') id latronibus tribuit quod proprium est divinitus instinctorum quales sunt Bacchae et Deae Syriae sacerdotes (p. 198, 19), numquam autem, quod

Digitized by Google

sciam, per metonymiam usurpatur pro 'bacchantibus' latiore significatu (= tumultuantibus), quem post priora singillatim enumerata necessarium reddunt verba 'ac iam cetera', quae verbum aliquod postulant generalis notionis, quod tamquam fons et origo 'cetera' illa universa complectatur, unde erat cum ipse mihi in margine adnotarem 'turbantibus' (Apol. 82 p. 90, 23 H.); nunc, postquam duobis his verbis 'nihil desideratur' clare illuminavit has tenebras Helmius, iam prorsus irrita videtur omnis quae rem amplificet emendatio. Nam cum in proverbio sit Lapitharum Centaurorumque convivium, non tantum nihil desideratur, sed quidquid additur, ridicule additur: ecquem enim ferres dicentem ''t is een huishouden van den brasser Jan Steen'? Quam ob causam non solum [Thebanibus], quod vulgo legitur, erat includendum (Novák), sed etiam [semiferis], alioquin hic ineptum, quia si ad formam id referas, Lapithis non congruit, ad mores autem Centaurorum s e m i h o m i n u m (Ov. Met. XII 536) referri vetat constans usus. Itaque, ut proverbium servetur, aut utrumque adiectivum delendum est, aut scribendum et transponendum 'ac iam cetera Lapithis Centaurisque *cenant*ibus similia'. Illud praefero. Fieri potest ut '*bcinibus' reliquiae sint glossematis 'semihominibus', unde etiam 'Centaurisque' labem traxerit ('*semi*taurisque'): ad apographi lectionem 'tebainibus' Helmius adnotat: '*a* m. rec. effectum ex *o* aut *c*'.

Met. IV 13 (p. 85, 1) 'nam praecipuo studio for*insecus* etiam advexerat generosa illa damnatorum capitum funera'.

Eiusdem Heinsii est 'forinsecus', ab Oudendorpio refutatum, pro 'forensis', quod ortum potius videtur ex falsa lectione 'fores' cum recta 'foris' copulata (foresis). Similia sunt p. 10, 21 'commododum' et quae affert Helmius praef. LIII. Cf. Apol. 15 (p. 18, 12) 'sine ullo foris amminiculo'.

Met. IV 16 (p. 86, 27) 'iubet nobis protinus gaudii sui gerulis decem aureos, ut ipse habebat, e suis loculis adnumerari'.

In verbis 'ut ipse habebat', sive ea corrigas et transponas 'gaudii sui ut ipse aiebat gerulis' (v. d. Vliet), sive conferas cum graecis 'ὥσπερ εἶχεν' (Helm), sive vertas 'Il nous fait

Digitized by Google

sur-le-champ compter dix pièces d'or. C'était le fonds de sa bourse en ce moment' (Savalète), manet 'ipse' quod nihil agit: etiam si absint — inducta enim sunt in F — nihilominus in subsequentibus 'e suis loculis', ut plane otiosis, est quod offendas: unde enim sumeret dominus? Sed struendum est 'ut ipse habebat (= putabat, persuasum habebat) e suis loculis'. Ridet latro hominem qui de suo sibi videatur dare quod iamiam ipsorum sit futurum.

Met. VI 11 (p. 136, 17): vide quae adnotabuntur ad X 34.

Met. VI 15 (p. 140, 2) 'et protinus adreptam (sc. urnulam) completamque festinat —'.

In verbis 'adreptam completamque' emendandis unus v. d. Vliet mihi videtur verum tetigisse 'adreptam complet*um*[que]'; nam 'adreptum completumque', quod Weyman proposuit, hoc vitio laborat quod aquilae 'ob os puellae praevolanti' (p. 139, 16) nihil iam festinandum est ut adripiat urnulam, illo autem ceterae coniecturae quod aut verbum additur otiosum ('completum a q u a e' vel 'a q u a'), aut ingrata evadit tautologia, siquidem sive cum Helmio senseris ('complexamque'), sive 'complexa ungue' (Iahn) probaveris, sive 'adrepta comprensaque' (Rossbach), sive 'adrepta complexaque' (Leo), in aquila idem est adripere et complecti, utrumque fit unguibus, utrumque fit simul. Tamen quamvis Vlietii coniecturam prae ceteris probem, dubitare non desino an fortasse 'que' adservandum sit (nota clausulam!), cum saepius Apuleius, simulata neglegentia affectans stili artificium, inchoati sermonis ordinem mutet, migretque rigidam grammaticae legem [1]): ad quam cum scribere deberet 'et urnulam protinus adreptam completum festinat' aut 'urnulam protinus adripit completumque festinat' alterum cum altero conflavit, ita tamen ut 'que' non plane abundaret sed etiamnunc valeret ad notandam actionum non intermissam continuationem. [2])

Huius, ut mihi quidem videtur, artificii, ne hariolari videar, exemplum consimile profero IV 23 (p. 2, 20) 'eam simul

1) Qualia sunt X 23 (p. 255, 2), Apol. 60 (p. 68, 23 H.), alia complura.

2) Cf. Aesopus apud Gellium II 29, 8 'Haec ubi ille dixit, et ille discessit'.

Digitized by Google

intra speluncam verbisque quae dolebat minora facientes sic adloquuntur', locum non minus vexantem viros doctos quam ab ipsis vexatum, sed concinnatum tantummodo ex 'simulatque intra speluncam sunt, eam adloquuntur' et 'simul intra speluncam sunt et eam adloquuntur'. Alius usus est abundantis copulae ubi res improvisa vel subita adnuntiatur VII 26 (p. 174, 15) 'Interim, dum puerum illum parentes sui plangoribus fletibusque querebantur, et adveniens ecce rusticus —' (ubi non magis 'et' deleverim quam 'at' V 28 (p. 125, 6) 'Interim, dum Psyche quaestioni Cupidinis intenta populos circumibat, at ille vulnere lucernae dolens — ingemebat': cf. 'ὁ δὲ' in apodosi): Plautinum hoc est, nisi quod ille 'atque' usurpat in tali re, Epid. 209 'quom ad portam venio, atque ego illam illi video'. (Plura apud Draeg. Hist. Synt.² II p. 60) [1])

In iis quae sequuntur minus firmum habemus traditionis fundamentum, cum et incertum sit utrum 'volentes' an 'nolentes' a prima manu sit scriptum, et dubitetur de litteris refictis, ubi nunc 'minantes' legitur in F, sed cum primam litteram 'p̄' perspicere sibi visus esset Helmius, is 'praestantes' edidit: 'libratisque pinnarum nutantium molibus inter genas saevientium dentium et trisulca vibramina draconum remigium dextra laevaque porrigens volentes aquas et, ut abiret innoxius, prae*st*antes excipit, commentus ob iussum Veneris petere eique se praeministrare, quare paulo facilior adeundi fuit copia'.

Posset etiam de adiectivo quod est 'innoxius' esse dubium, utrum activo an passivo significatu positum esset — utrumque enim patitur stilus Apulei — nisi ipsum verbum 'abire' ab omni errore vindicaret: cf. 'impune abire' et quae similia suppeditant lexica i. v. 'abire'. Sed ne illa quidem inextricabilia videntur; nam si re vera 'volentes' aquas reddidit commento suo aquila, cur paulo faciliorem habuit aditum? et quomodo non, hanc benevolentiam undis tribuens, scaenae horrorem quam tanta arte elaboraverat, imminuit Apuleius? necessario enim 'paulo' addidit ut opus quidem perfici posset, simul tamen rerum difficultati quam minimum demeretur,

1) Rem tetigisse me comperio quam fusius tractavit W. A. Baehrens, Beiträge zur lat. Syntax, Philolog. Supplementband XII, 2es Heft pp. 426 sqq.

Digitized by Google

itaque tam 'volentes' damnandum est quam 'praestantes'. Si autem, quantum ad 'prae-', verum vidit Helmius, nonne 'praeminantes' (= cavere iubentes) quod codd. deteriores, sit licet e mera coniectura, exhibent, aliquid iuris sibi vindicat, cum et pure Apuleianum sit et e sequenti 'praeministrantes' facile labem contrahere potuerit? Et tamen, ut 'praeminantes' tueri non vereor, ita 'nolentes' vereor; nunc enim rursus sic rogo: si paulo faciliorem aditum habuit aquila, cur 'nolentes' aquae dicuntur? Dubito enim interpretari 'quae noluerant ante'. Accedit quod apographi auctor '*u*olentes' ante oculos habuisse videtur, in quo, rerum atrocitati congruenter, latere suspicor 'uollientes' i. e. 'bullientes'. Cf. p. 178, 5 'roinam' = ruinam, p. 2, 12 'discoterem' = discuterem, Fl. p. 13, 1 H. 'ampollam' = ampullam, M. p. 50, 14 'euullit', p. 124, 3 'reuulliuit', p. 228, 27 'reuullire', de verbo simplici cf. M. p. 256, 11 'bulliret'. Haec erat, quam 'scaturriginem' (c. 13) vocaverat Venus!

Met. VI 26 (p. 148, 7) 'comitibus adscitis, qui remanserant, dudum [1]) recurrunt, re⟨*liqua ipsi*⟩ lat*u*ri, taedio, ut aiebant, nostrae tarditatis'.

Conferunt viri docti Λούκ. 23 '*ἀπῄεσαν ὡς τὰ λοιπὰ τῶν σκευῶν ἀνασῶσαι*' et alius aliter supplentes aut dividunt corruptum verbum quod traditur 'relatori' aut integrum servant una mutata littera 'relat*u*ri', quod praestat quia Apulei stili proprium est 'referre' = 'asportare' (V 20 fin., Apol. 60 p. 68, 18 H). At cum in graeca fabula semel tantum ad abditam praedam recurrere latrones narrentur, in latina autem bis, locus illinc allatus, cui similis est p r i o r i s itineris descriptio (25 p. 147, 8) 'his (vulneratis) domi relictis et plagas recurantibus ipsi ad reliquas occultatas in quadam spelunca sarcinas, ut aiebant, proficisci gestiunt', perdubium est an nihil quicquam cum posterioris descriptione habeat commune, sufficiatque corrigere 'rel*icto*[ri] taedio — nostrae tarditatis' coll. X 6 (p. 241, 11) 'remoto iudicandi taedio'. Nam ne cui necessaria ideo videatur aliqua consilii indicatio ('relaturi' vel simile quid), ut c. 29

1) Iunxi 'remanserant dudum' Progr. Gymn. Erasm. 1892, p. 16 ann.

Digitized by Google

p. 151, 16 'gnarus' asinus recte dicatur, re vera is, ut prioris itineris iam factus comes, quo pergerent latrones ire optime sciebat.

Sed rem ipsam quam tetigi, iter repetitum, operae pretium est propius inspicere. Nam primum quidem verba 'ut aiebant', quae praeter hunc locum ubi ad 'taedium' referuntur et IX 31 fin., addere solet Apuleius, quo asinus, quamvis absens ipse, rerum gestarum narrator possit evadere (pp. 156, 25; 174, 14; 203, 19, cf. etiam pp. 225, 10; 234, 19; 242, 1), in prioribus illis 'ad reliquas occultatas in quadam spelunca sarcinas, ut aiebant, proficisci gestiunt' nihil agunt, ne tum quidem cum transponas post 'quadam' (v. d. Vliet), siquidem asinus latrones comitaturus ipsis rebus intererit, neque autem 'domi relictis sociis' utpote rerum gnaris communicato opus est: nunc finge abesse haec verba, finge etiam 'occultatas in quadam spelunca' — prorsus inepta si latrones paulo post dicentur venisse non, ut debuit, ad illam sed ad 'quampiam' speluncam — et habebis 'ad reliquas sarcinas proficisci gestiunt', id ipsum quod est in graecis '*ἀπῄεσαν ὡς — ἀνασῶσαι*'. Tum quae sequuntur (p. 147, 10) 'prandioque raptim tuburcinato' antecedentibus 'his domi relictis' male adpendentia, cum prandium fiat una cum illis — exspectes potius 'prandioque raptim tuburcinato, his domi relictis eqs.' —, optime quadrarent si referrentur ad ipsum latrocinium, ut Λούκ. 22 '*ἐν δὲ τούτῳ οἱ λῃσταὶ — ἐδείπνουν. — οἱ δὲ οὕτως ὡς εἶχον ἀναστάντες κτέ.*'

Haec omnia reputanti suspicio oboritur Apuleium, prius conscripta latrocinii narratione, graecae simili, postquam libro suo fabulam Cupidinis inserere consilium ceperit, nonnulla mutavisse idque necessario: nam cum asinus iam non deberet domo abesse — scilicet ut eam praesens auribus suis exciperet — non solum ipsum latrocinium expungendum erat, pro eo autem rei gestae narratio latronibus tribuenda (unde orta illa 'occultatas in quadam spelunca' = Λούκ. 22 in ipsius latrocinii narratione '*τὰ δὲ ἕτερα τῶν σκευῶν αὐτοῦ ἐν τῇ ὕλῃ ἔκρυψαν*' et 'ut aiebant', necessarium utrumque si subsequens hominum cum asino iter pariter supprimeretur, nunc ineptum utrumque), sed etiam ut haberet Charite cuius dorso aufugeret, iterum illi ad speluncam ablegandi erant asino relicto.

Digitized by Google

Complura in Metamorphoseon libris male concinnata esse [1]) nemo non novit, sed nihil magis mirandum quam primae cum Fotide peractae noctis descriptio (II 16) repetita III 20! Nam ea quibus haec concluduntur (21) 'Ad hunc modum transactis voluptarie paucis noctibus' nisi in primae noctis relatu ferri nullo modo possunt.

Met. VI 29 (p. 151, 18) 'quid agis? cur festinas ad Orcum? quid meis pedibus facere contendis? non enim te tantum, verum etiam me perditum ibis'.

i. e. 'cur festinas ad Orcum idque meis pedibus?' (cf. VIII 15 p. 188, 16 'et quidquid infirmo gradu fugam morabatur, nostris quoque pedibus ambulabat'), sed per singulas rogationes rem expedivit Apuleius. Qui fieri potuit ut haec tantopere vexarent viros doctos, ut alius '⟨*me*⟩ meis' (Bursian), alius '⟨*vim*⟩ facere' (Rohde) corrigeret?

Met. VII 11 (p. 163, 1) 'quid, si quo modo latrones ceteri persenserint? non rursum recurres ad asinum et rursum exitium mihi parabis? re vera ludis de alieno corio'.

Ad virginis fugam (VI 27 p. 149, 20) iterum tentandam haec interrogatio pertinere non potest: semel asinus aufugiens virginem dorso receperat volens, quae res quam male cesserit memor, habet nunc quod recuset, et ne 'exitii' ipse sui auctor fiat, cavere potest. Possis tollere interrogationem vel, quod eodem redit, scribere 'num rursum' (v. d. Vliet), ut oriatur recusantis praemonentisque oratio, sed obstabunt sequentia 'ludis de alieno corio', quae verba sunt exprobrantis; qui autem recusavit, ei non iam est quod exprobret, quia nihil iam quod timeat. Sed supplicium illud (VI 31 p. 153, 14) veretur asinus, quod licet dilatum pro tempore tamen usque

1) Haec res nonnumquam ad pravas emendationes viam munivit, velut VIII 16 (p. 189, 20) 'ceteros ⟨*asinos et*⟩ equos' supplevit v. d. Vliet ob 23 (p. 195, 5) 'equi atque alii asini'. Sed Λούκ. 34 unus tantum asinus inducitur: *'ὁ δὲ νομεὺς τῶν ἵππων κἀμὲ παραλαβὼν [καὶ] πάνυ' ὅσα δυνατὸς ἦν συλλαβὼν ἐπικατέδησέ μοι καὶ ταῖς ἵπποις*', ubi [καὶ] delevi: *ὁ νομεὺς ὁ παραλαβών* est ille (27 fin.) cui asinum *παρέδωκε* pater puellae = 'qui me curandum susceperat' (M. VIII 15). — 'Ceteros equos' graecismus est (*τοὺς ἄλλους ἵππους*), qualis III 8 (p. 57, 17) 'quaedam mulier — parvulum quendam sinu tolerans — ne pone eam anus alia'.

Digitized by Google

impendet (9 p. 161, 5 'cum — liceat rursus ad asinum redire'), quamobrem, nisi si quis (quod factum nolim) 'recurres' interpretetur 'recides', corrigendum erit 'recurr*ent*'.

Met. VII 20 (p. 169, 18) 'et arridens addidit: 'quo usque ergo frustra pascemus [in]ignitum (traditur 'Inigninum') istum?''

Quod in margine traditur apographi 'igninum' minime videtur spernendum: cavillatur puer ('arridens') sive vero sive ficto nomine dei unius ex eorum numero qui vulgari opinione quotidianis hominum usibus prospiciunt, quales sunt deus Argentinus, Iugatinus, alii aliae. Cf. Augustin. C. D. IV 21 'ideo patrem Argentini Aesculanum posuerunt, quia prius aerea pecunia in usu esse coepit, post argentea. Miror autem, quod Argentinus non genuit Aurinum, quia et aurea subsecuta est'. Si finxit nomen puer, fecit quod et Augustinus.

Met. VIII 5 (p. 180, 12) 'percito atque plagosa crura [vulnera] contegenti suumque auxilium miseriter roganti per femus dexterum dimisit lanceam'.

Helmius, virorum doctorum coniecturis ut breviter ita dilucide refutatis recteque servato 'plagosa crura' (cf. IX 12 p. 212, 3 'dorsum plagosum'), an minus probabiliter cum vulgatis deleverit [vulnera], non correxerit, per mihi dubium est cum hoc ipso loco desideretur nomen aliquod quo indicetur quo tegimento usus sit iuvenis saucius armis destitutus, itaque ne id quidem quod Walter (Philol. Wochenschr. 36 Jahrg. 1916) proposuit '⟨*per*⟩ pl. crura' satisfacit. Vidi nuperrime taurarium Hispanum photographice depictum: vulneratum femur habebat: humi sedebat dicam an iacebat: is, cum a sinistra infestis cornibus ingrueret taurus, motu naturali et spontaneo magis quam salutifero porrecta manu quasi scuto se ab hoste tutabatur. Simile si quid video fecit Tlepolemus: victus dolore sedebat contractis pedibus — ita solum fieri potuit ut ab equite, id est desuper, per femus letale vulnus ei infligeretur, inguinibus scilicet qua, ut ait Ovid. M. VIII 399, est via proxima leto — et plagosa crura *ulna* protegebat, utraque vicissim prout a dextra vel a sinistra fiebat ferae impetus.

Met. VIII 10 (p. 185, 13) 'Promissioni fallaciosae mulieris

Digitized by Google

oppressus succubuit Thrasyllus et prolixe consentit de furtivo concubitu —'.

Qui coniecerat 'Promissione', ei verbum hic addere liceat: ardentissimo cupitori prorsus non erat succumbendum promissioni rei optatae, sed haec promissio effecit ut succumberet necessitati nuptiarum differendarum. Conferatur Helmius ad V 6 (p. 108, 4).

Met. VIII 18 (p. 191, 6) 'quas praedas munitis ('vultis' Helm), quae damna vindicatis?'

Undecim praeter hunc locis e Metam. libris allatis, quibus 'munire' usurpat Apuleius (ut sit pro 'defendere, tueri' vel certe eiusmodi significatu qui inde manet, ut X 31 'illam duo pueri muniebant' = eius latera tegebant, XI 14 'velamento me muniveram' = tegeram) confitetur Novák (Quaest. Apuleianae p. 56) de sua se coniectura 'quam praedam cupitis' dubitare et traditam lectionem ita interpretatur 'quas praedas, nobis infestandis, vobis adseritis' = 'quibus praedis, nobis oppressis, vos potituros esse creditis?' quae interpretatio magis ad damnatam illam coniecturam 'cupitis' contorta esse videtur, scilicet ut verba quae sequuntur vs. 12 'at nos non vestrorum spoliorum cupidine latrocinamur' haberent quo respicerent, quam ipsius verbi convenire usui. Sed interpretandum potius est 'quas res, quasi nostram praedam futuram — nullas enim praedas agimus — defenditis (protegitis, tuemini)?' [1]) Nullum enim illi viatores latrocinium metuunt aut possunt metuere ab eis quos villae colonos esse sciunt (c. 17), sed ab his metuuntur ipsi ut latrones (ibidem), neque alio tendunt eorum interrogationes quam ut commiserationen moveant et rusticorum animos exempto latrocinii metu placent. Neque ea quae e cupressu audita sunt verba 'at nos eqs.' ad crimen purgandum pertinent, sed ad falsam suspicionem praevertendam.

Met. VIII 21 (p. 193, 15) 'qua re cognita et cum pastoris sermone conlata, qui ⟨s⟩aevum prorsus hunc illum nec alium

1) Si per Apulei sermonem liceret, posses interpretari 'quas praedationes propellitis?' coll. Gell. XII 4, 1 'ad muniendas vitae molestias'.

Digitized by Google

locorum inquilinum praeminabatur, pestilenti deserta regione velociori se fuga proripiunt'.

Eyssenhardt qui 'saevum' restituit — voluit etiam '[illum nec] anguem' — locum ita intellexit, quasi a dracone (quem genium loci esse putabat Oudendorp) cavendum esse monuisset opilio (p. 192, 3). Sed obscura sunt nonnulla in hac historiola: cur enim opilio, qui placide oviculas suas pascebat, subito conversus longe recessit? Perterritus scilicet, sed unde? Viderat aliquid, sed quid? Si draconem, cur eum non viderunt viatores, neque 'alius' ille 'senex' (p. 192, 9)? Et hic cur nusquam comparuit (p. 193, 15) post atrox factum nec potius ad viatores confugit? Nonne videtur idem esse draco ille et 'miserinus senex' mentito dolore fictisque verbis homines decipiens, hic esse quem viderat opilio appropinquantem, hic cum quo mox colloquuntur viatores nondum in draconem converso? Ipsa etiam hominis descriptio (p. 192, 9) 'magnus ille quidem, gravatus annis, totus in baculum pronus et lassum trahens vestigium' huic interpretationi ansam praebet, ad quam si quis accedat, corrigat 'qui ⟨*aequ*⟩aevum'. Apol. 14 p. 16, 21 'equeva', Flor. 18 p. 36, 5 'aequaevus'.

Met. VIII 25 (p. 196, 23) 'at te — Bellona et mater Idaea ⟨*et*⟩ cum suo Adone Venus domina caecum reddant'.

Plura interciderunt quam 'et' quod vulgo additur: 'Bellona et mater Idaea cum ⟨*suo Attide et cum*⟩ suo Adone Venus —'.

Met. IX 36 (p. 230, 19) 'canes pastoricios villaticos feros atque immanes'.

'pastoricios' ut interpretamentum delendum putat Helm, cui assentiendum est nisi mavis supplere 'pastoricios, villaticos ⟨*illos*⟩ feros', coll. p. 89, 10 'canes venaticos auritos illos et horricomes', p. 160, 1 'calceis femineis albis illis et tenuibus'.

Met. IX 8 (p. 208, 9) 'sors haec erat:

ideo coniuncti terram proscindunt boves,
ut in futurum laeta germinent sata.

tum si qui matrimonium forte coaptantes interrogarent, rem ipsam responderi aiebant: iungendos conubio et satis liberum

Digitized by Google

procreandis; si possessiones praestinaturus quaereret, merito boves ut et iugum et arva sementis florentia pronuntiari; si qui de profectione sollicitus divinum caperet auspicium, iunctos iam paratosque quadripedum cunctorum mansuetissimos et lucrum promitti de glebae germine; si proelium capessiturus vel latronum factionem persecuturus, utiles necne processus, sciscitaretur, addictam victoriam forti praesagio contendebant, quippe cervices hostium iugo subactum iri et praedam de rapinis uberrimam fructuosamque captum iri'.

Male Leo ('bov*um ei* iugum') quae divisa esse debent in unum conflavit. Interpretandum est 'ut (merito) etiam iugum'. Tamen cum in sortis verbis ad consulentium studia adaptandis res cupitas cum utroque singillatim versu concinere demonstrent sacerdotes, quod in ceteris omnibus exemplis ita indicatur ut per 'et' ad alterius versus congruentiam transeatur, est quod suspicemur 'merito boves [ut] et iugum ⟨*ut*⟩ et arva'. 'Iugum' ad prioris versus 'coniuncti' spectat.

Met. IX 32 (p. 227, 12) 'ad hoc matutino lutum nimis frigidum gelusque praeacuta frusta nudis invadens pedibus enitebar'.

Collato p. 58, 6 'evitasse iuvenes' — ubi tamen 'evitare' proprio significatu est 'vita privare' — pro 'enitabar' quod tradit F 'evitabar' dubitanter coniecit Helm. Mihi reputanti quam similes sint litterae *c* et *t* in scriptura longobardica (cf. Praef. p. XLIII) verum videtur 'enicabar'.

Met. IX 41 (p. 235, 6) 'tunc magistratus et damno *et* ⟨add. Pricaeus⟩ praesidis nomine cognito veniunt ad deversori nostri fores'.

Quamquam fieri potest ut 'praesidis' tamquam ἀπὸ κοίνου positum acceperit Pricaeus, cuius usus exempla apud Apuleium inveniuntur, tamen sicut 'damnum praesidis cognovisse' recte dicuntur magistratus (p. 76, 8 'tanto damno cognito', p. 202, 3 'quo damno cognito'), ita non recte 'nomen' eius 'cognovisse' pro 'audivisse': cognoscere enim id solemus quod latebat ante: et quis credat magistratibus incognitum fuisse praesidis nomen? Latinitati et rebus ipsis congruent haec: 'et damno praesidis ⟨*et hominis* sc. familiaris⟩ nomine cognito'.

Digitized by Google

Met. X 2 (p. 237, 14) 'sed mulier illa, quamdiu primis elementis Cupido parvulus nutriebatur, inbecillis adhuc eius viribus facile ruborem tenuem deprimens silentio resistebat'.

Primis elementis amoris 'fervorem' (ita Seyffert, quod recepit Helm) vel etiam 'ardorem' (v. Lennep) tribuere nimium videtur. Conferatur VIII 2 (p. 178, 6) 'quidni, cum flamma saevi amoris parva quidem primo vapore delectet, sed fomentis consuetudinis exaestuans immodicis ardoribus totos amburat homines' et restituatur 'vaporem'. Non error librarii est 'ruborem', sed temeraria coniectura: invenerat 'pavorem' (vel 'paborem'), quod suo Marte emendavit. Cf. XI 7 (p. 271, 21) 'aviculae prolectatae verno vapore', ubi a prima manu scriptum erat 'favore' aut 'pavore'.

Met. X 7 (p. 242, 22) 'haec eximia enim ad veritatis imagine verberone illo simulatum trepidatione perferente finitum est iudicium' (ita F).

Varie haec emendaverunt viri docti sicut varie senserunt: sed hoc mirum, quod servum illum mendacia sua trepidantem protulisse nonnulli putaverunt, qui paulo ante 'nec tantillum deterritus' fuerat quemque tum demum cum rebus ipsis coarguitur 'ingens corripit trepidatio' (c. 10), quem locum respiciens v. d. Vliet 'sine ulla tum trepidatione' edidit: sed praeposterum est 'tum', ut iam nunc quodammodo suspicionem movens instaurandi iudicii, quod minime debuit: ipsa enim servi inconcussa pertinacia verbaque veri speciem praebentia ita moverunt iudices ut etiam a tormentis abstinerent finiretur-que iudicium. Quamobrem 'enim' adservo, in parenthesi scilicet ut fecit v. d. Vliet, et lego: 'haec — eximia enim ad veritatis imagine*m* — verberone illo si*c* *nulla* cum trepidatione perferente (cf. p. 243, 10), finitum est iudicium'. Cf. p. 70, 3 'summa cum trepidatione'. — 'sic' = sic temere, οὕτως, p. 171, 10 'tam bellum asinum sic enecare'. Verba 'ad veritatis imaginem' cum 'simulata' iungentes plerique emendatores necessario 'eximie' scripserunt, sed interpretanda sunt: 'ad (= πρὸς) veritatis speciem', cf. VII 21 (p. 170, 7) 'imaginem savii' et Helm ad X 27 (p. 258, 13) 'fidei supprimens faciem, praetendens imaginem'.

Digitized by Google

Met. X 16 (p. 248, 30) 'novitate spectaculi laetus dominus aedium duci me iussit'.

Editor in adnotatione '*in*duci' proponit et certe requiritur aliquid huiusmodi, cf. Λούκ. c. 47 'κελεύει με εἴσω ἄγεσθαι ἐς τὸ ἐκείνου συμπόσιον'. Ipse mihi in margine notavi '⟨*intus*⟩ aedium', coll. p. 200, 28 'intus aedium', cum insuper quare 'dominus aedium', licet recte (cf. p. 237, 3), hic primum dicatur is qui tota hac fabella ubique 'dominus', idonea causa non reperiatur.

Met. X 21 (p. 252, 17) 'de stagneo vasculo multo sese perungit oleo balsam⟨*in*⟩o meque indidem largissime perfricat, sed multo tanta impensius [cura]; etiam nares perfundit meas'.

Quod ultima verba ab antecedentibus distinctione(;) divisit editor, in adnotatione autem, sed dubitanter, proposuit 'murra (pro 'cura') etiam nares perfundit meas' collato Λούκ. c. 51, utrumque iniuria factum videtur cum neque lateat causa cur impensius nares asini quam ceterum corpus curet mulier concubitura, et lateat, cur alio unguento corpus alio nares; recte autem sicut in graeca historiola unum unguentum, μύρον, memoratur (l.l. 'καὶ μύρον ἔκ τινος ἀλαβάστρου προχεαμένη τούτῳ ἀλείφεται. κἀμὲ δὲ μυρίζει ἔνθεν· μάλιστα τὴν ῥῖνά μου μύρῳ ἐνέπλησεν'), ita in latina unum, balsamum. Sed, puto, tuta sunt omnia si intacta relinquimus quae traduntur 'multo tanta impensius cura etiam nares perfundit meas', cf. Ovid. Met. VI 314 'cultuque impensius omnes | magna gemelliparae venerantur numina divae'. Neque in 'oleo balsamo' quicquam mutaverim: unguenti nomini — p. 32, 5 'balsama rorans', p. 273, 5 'balsamo' — nomen generale 'oleum' adiectum non magis offendit quam (p. 125, 8) 'avis gavia' aut (Flor. p. 16, 20) 'psittacus avis'.

Met. X 27 (p. 258, 8) 'Nec ill*e* (F: illa) tamen iuvenis diutius vitam tenuerat'.

Vulgata 'ille' quam in textum recepit editor magis probanda videtur quam 'illo' quod idem coniecit in apparatu: amat enim Apuleius τὸ δεικτικὸν 'ille' substantivo adiungere, sensu admodum attenuato ut fere sit pro graeco articulo. Sed utut est,

Digitized by Google

certe vitiatae lectionis origo est in 'tamen', sicut saepissime est in verbo vel sequenti vel praecedenti sive proximo sive intervallo interposito: p. 138, 10 'paludes et pauca' pro 'rauca', p. 141, 21 'direpto (pro 'directo') perges', p. 199, 10 'clamosa conf[l]icto', Apol. p. 108, 13 'plane quidem si [p]uerum': quam rem quamvis notissimam — etiam libri impressi hoc patiuntur, in ipsa Metamorphoseon qua nunc utimur editione p. 138, 8 'montis artui' pro 'ardui', p. 290, 12 'mel (pro 'vel') minus' dedit typotheta — fugisse interdum viros etiam κριτικωτάτους mireris, velut VI 4 (p. 131, 6) 'sive tu Sami — tenes vetusta delubra, sive celsae Carthaginis — beatas sedes frequentas, seu[es] prope ripas Inachi — Argivorum praesides moenibus' frustra 'seu es — praesidens' emendabat Rohde itemque VI 13 (p. 137, 22) '[c]illa cessavit' Traube '⟨*illa an*⟩cilla'. Nec non in simili genere erroris, haplographiis scilicet et dittographiis, est ubi peccent emendatorum ingenia: sic IV 22 (p. 91, 17) manebit in desperatorum locorum numero quamdiu non intellectum erit, quod solus quantum scio intellexit apographi auctor ab omnibus neglectus, 'esserim' ortum esse e sequenti 'rimatus', neque in 'esse' certe quicquam esse novandum.

Met. X 30 (p. 261, 13) 'et inter comas eius aureae pinnulae cognatione simili sociatae prominebant'.

An 'coniugatione'? Flor. 18 (p. 35, 2) 'coniugatione quadam mellis et fellis'.

Met. X 34 (p. 265, 5) 'montem illum ligneum terrae vorago recepit'.

Traditur '*d*ecepit', propter clausulam vindicandum, in cuius verbi significatu (= καθεῖλε) transitio agnosci potest ad audaciorem illum usum quem tetigit Löfstedt, Spätl. Studien p. 72. Dubito an hinc corrigendum sit molestissimum illud 'despiciunt' (VI 11 p. 136, 17 sqq.), quod 'contemnunt' interpretatur Bluemner, parum verisimili translatione in rigida locorum demonstratione, certe hic quidem ἀμουσοτάτῃ:

'Videsne illud nemus, quod fluvio praeterluenti ripisque longis attenditur, cuius imi gurgites vicinum fontem despiciunt?'

Digitized by Google

Nam cetera, 'imi gurgites' (cf. Virg. Aen. III 421 'imo gurgite') et 'vicinum fontem', sana sunt: sicut hic depressorum locorum atrocitatem demonstrat Venus, ita mox (c. 13), in simili locorum situ, excelsorum: 'videsne — montis ardui verticem, de quo fontis atri defluunt undae proximaeque conceptaculo vallis inclusae Stygias irrigant paludes?'

Cf. p. 62, 10 'suspicio' pro 'suscipio'.

Apol. 54 (p. 61, 24 Helm ed. 2a) 'dies me deficiet, si omnia velim persequi, quorum rationem similiter calumniator flagitabit. praesertim quod conditum cumque, quod obsignatum, quod inclusum domi adservatur, id omne eodem argumento magicum dicetur aut e cella promptaria in forum atque in iudicium proferetur'.

'et' pro 'aut' substitui voluit v. d. Vliet; sed indignatur Apuleius si quaecumque domi recondita adserventur, quasi e cella promptuaria proferant accusatores, i. e. '&ut' = et ut.

Apol. 56 (p. 63, 21) 'atque ego scio nonnullos et cum primis Aemilianum istum facetiae sibi habere res divinas deridere. nam, ut audio partem Oeensium qui istum novere, nulli deo ad hoc aevi supplicavit, nullum templum frequentavit, si fanum aliquod praetereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere. iste vero nec dis rurationis, qui eum pascunt ac vestiunt, segetis ullas aut vitis aut gregis primitias impertit; nullum in villa eius delubrum situm, nullus locus aut lucus consecratus. ecquid ego de luco et delubro loquor? negant vidisse se qui fuere unum saltem in finibus eius aut lapidem unctum aut ramum coronatum'.

Revocandum est quod traditur 'isti' (= istic) sc. Oeae (cf. Met. p. 84, 21 'isti-illi-alibi', Flor. p. 25, 24 H. 'hesternum illi (sc. in theatro) imbrem lacrimas auspicasse'), mente repetendum etiam in eis quae sequuntur 'negant vidisse se qui fuere'; cave enim repetas 'in villa', ne supervacua reddantur 'in finibus eius'.

Apol. 61 (p. 70, 2) 'qui mihi factum volebat'.

Post Casauboni adnotationem (edit. Oudend. II p. 532) non

Digitized by Google

sine aliqua admiratione leges quae in apparatu editionis Helmianae posita sunt.

Quos locos ille e Symmacho attulit, hi hodie sunt I 66 et I 77 (Seeck), Terentii est Adelph. 919, Apulei sunt Ap. 98 p. 108, 7 H et de Platone II 14 p. 117, 12 Thomas. Conferatur etiam Gell. VI 3, 25 'cum vellent regi esse factum' et I. F. Gronovius ad hunc locum, qui ex Apul. de Plat. citat etiam II 24 (p. 128, 12 Th.). His adde Symm. I 27 et 60 (Seeck).

Apol. 79 (p. 88, 16) ''sed' inquit 'animi ⟨*furens*⟩ fuit, efflictim te amabat'.'

Praetulerim '⟨*vecors*⟩ animi', cum huc respiciant (84 p. 92, 20) 'mulier obcantata, v e c o r s, amens, a m a n s', 'furens animi' autem dicatur Venus i r a furens Met. VI 2 p. 129, 22, contra Pamphile amore percita 'vecors animi' Met. III 17 p. 64, 26, item Lucius artis magicae noscendae cupidus Met. II 6 p. 29, 19.

Apol. 91 (p. 101, 13) 'modicam dotem neque eam datam, sed tantummodo *creditam*⟩'.

Ita supplet editor coll. Cic. Verr. II 5, 14, 35 'honorem non solum datum, sed etiam creditum et commissum' (praef. p. XXVII), loco verbis ('datum' 'creditum') simili, sententia contrario ('tantummodo' — 'etiam'); malim '⟨*dictam*⟩' coll. huius ipsius Apologiae c. 102 (p. 112, 21) 'uti dotem mihi m o d i c a m potius quam amplam d i c e r e t' et Nep. Eum. 2 'hoc tempore d a t a est Eumeni Cappadocia, sive potius d i c t a'. Excidit fortasse ante adverbium, cf. Flor. p. 30, 6 'vel nominari tantummodo'.

Apol. 96 (p. 106, 8) 'puta me acta apud Avitum, non litteras ipsius legisse. quid posses vel † quas quis † in isto negotio accusare?'

Sententiae convenire videtur 'quid posses vel a b s q u e i s in isto negotio accusare?' cf. 55 (p. 62, 24) 'absque omnibus profanis', de Plat. II 23 (p. 127, 6 Th.) 'absque hac (sc. virtute)'. De 'is' = 'iis' cf. Met. p. 234, 24 H, Apol. p. 60, 4 H.

Digitized by Google

Apol. 103 (p. 114, 12) 'si philosophiae honorem, qui mihi salute mea antiquior est, nusquam minui, immo contra ubique si cum septem pennis eum tenui'.

In his non tantum ludorum gladiatoriorum memor fuit Apuleius (quod demonstravit Rutgers apud Oud. II p. 603), sed etiam Virgilii (Aen. V 229 'partum indignantur honorem | Ni teneant').

Flor. 7 (p. 8, 17 Helm) 'noluit (Alexander) a multis artificibus vulgo contaminari, sed edixit universo orbi suo, ne quis effigiem regis temere adsimularet aere, colore, caelamine, *cum* saepe solus eam Polycletus aere duceret, solus Apelles coloribus deliniaret, solus Pyrgoteles caelamine excuderet —'.

Quod Leo coniecerat ('cum saepe' pro 'quin saepe') recepit Helm, ita tamen ut in apparatu ad 'quin saepe' adnotaret 'supplendumne 'edixit'?' Sed cur hoc solum, non etiam illud saepe ediceret Alexander? Annon 'quin' = 'contra'? (Met. p. 290, 17; 161, 10). Certe 'cum' non erat recipiendum: est enim haec secunda pars edicti, ad quam respiciunt quae mox sequuntur 'quod utinam pari exemplo philosophiae edictum valeret, ne qui (corrigendum videtur 'quis') imaginem eius temere adsimularet, uti pauci boni artifices — omnifariam sapientiae studium contemplarent'. Quod ad 'saepe' pertinet nonnullis suspectum: non una Polycleti (vel potius Lysippi) imagine, una Apellis, una Pyrgotelis contentus erat Alexander; his quotquot vellent imagines elaborarent concessit, unde factum est ut solus Alexander (p. 9, 2) 'ubique imaginum sim⟨*illim*⟩us esset, utique omnibus statuis et tabulis et toreumatis idem vigor — cerneretur', ubi recte pro 'simus' Floridus mihi videtur 'similis' restituisse, siquidem hac in re gradus positivi constans usus est: Juv. II 6 'si quis Aristotelem similem vel Pittacon emit'; plura suppeditant lexica i. v. 'similis'. — 'ubique imaginum' = in omnibus imaginibus: Met. p. 22, 1 'itineris ubique', Apol. p. 41, 3 'ubique litorum'. — De pluribus Lysippi imaginibus conferatur Plut. Mor. 335 B *διὸ καὶ μόνον Ἀλέξανδρος ἐκέλευε Λύσιππον εἰκόνας αὐτοῦ δημιουργεῖν*'.

Flor. 9 (p. 14, 7) 'atque ego me dilectorem tum profiteor,

Digitized by Google

nulla tibi privatim, sed omni publicitus gratia obstrictus. nihil quippe a te impetravi, quia nec postulavi. sed philosophia me docuit non tantum beneficium amare, sed etiam maleficium ⟨*negare*⟩ magisque iudicio impertire quam commodo inservire et quod in commune expediat malle quam quod mihi'.

Primus extitit Helmius qui huic loco medendum esse perspiceret; nam frustra sunt qui suspicantur his verbis subesse aliquam Apulei offensiunculam quasi fecerit aliquid proconsul sibi minus commodum; a totius enim loci indole panegyrica remotissima esse debet omnis vel tecta maleficii significatio, quin etiam ipsius nominis pronuntiati rusticitas ferri nequit, quam ob rem ne Helmii quidem supplementum mediciñam attulisse videtur: nam cum ad proconsulem solum verba faciat Apuleius, quomodo ille non ad se pertinere putet illud 'maleficium'? Quid senserit Apuleius et ex his et ex iis quae sequuntur manifestum est: se non tantum beneficium amare, sed etiam beneficii auctorem propter exemplum. Quid igitur? Librarius, quod in exemplari suo legerat 'philosophia me docuit non tantum beneficium amare, sed etiam b e n e f i c i u m' ad suam philosophiam reformavit et correxit 'm a l e f i c i u m', cum deberet corrigere 'benefic[i]um'.

Flor. 16 (p. 25, 3) 'postridie igitur maximo studio ingens hominum frequentia convenere; sese quisque exadversum quam proxime collocat; serus adveniens amicis adnuit, locum sessui impertiant: extimus quisque excuneati [1]) q u e r u n t u r; farto toto theatro ingens stipatio, occipiunt inter se q u e r i; qui non adfuerant percontari ante dicta, qui adfuerant recordari audita, cunctisque iam prioribus gnaris sequentia expectare'.

'occipiunt inter se c o l l o q u i' vel simile quid recte desideravit v. d. Vliet; non enim excuneati illi iterum expostulare (queri) incipiunt, neque est cur quisquam nunc demum incipiat, neque — si quis 'queri' nunc altero illo usitatiore significatu

1) i. e. tamquam cuneo extrusi: „ceux qui sont aux bouts des bancs se plaignent, qu'on les pousse hors des gradins" (Vallette). Conferatur Plato Charmid. 155 B—C *ἦκε γὰρ καὶ ἐποίησε γέλωτα πολύν· ἕκαστος γὰρ ἡμῶν τῶν καθημένων συγχωρῶν τὸν πλησίον ὤθει σπουδῇ, ἵνα παρ' αὐτῷ καθέζοιτο, ἕως τῶν ἐπ' ἐσχάτῳ καθημένων τὸν μὲν ἀνεστήσαμεν, τὸν δὲ πλάγιον κατεβάλομεν*'.

Digitized by Google

interpretandum putet — moleste ferunt homines quod cesset Philemon, cuius tarditatem post demum 'murmurantur' quidam. Sed auditorii descriptio, quamvis per varia momenta deinceps procedens, tota tamen bipartita est: primum cuiusque studium est locum occupandi, tum ad auditionem ipsam se praeparant, quod verbo 'occipiunt' indicatur. Itaque post 'stipatio' media distinctio (;) ponenda erit, quae sequuntur sic fere emendanda: 'occipiunt inter se qui *h*eri [qui] non adfuerant —' vel '[q]*h*eri qui non adfuerant —' (heri = pridie, sicut vs. 24 'hesternum' = pridianum, Met. II 26 (p. 46, 11) 'cum hesternis (= pridianis) testibus').

Flor. 19 (p. 40, 1) 'certe quidem iacenti homini ac prope deposito fatum attulit (Asclepiades medicus). iam miseri illius membra omnia aromatis perspersa, iam os ipsius unguine odoro delibutum, iam eum pollinctum, iam paene ⟨*rogum*⟩ paratum contemplatus enim, diligentissime quibusdam signis animadversis, etiam atque etiam pertrectavit corpus hominis et invenit in illo vitam latentem'.

Perpende an verba 'homini fatum attulit', multum vexata, interpretari liceat 'homini attulit quod ei in fatis erat' [1]), coll. Met. XI 12 (p. 275, 15) 'Et ecce praesentissimi numinis promissa nobis accedunt beneficia et fata salutemque ipsam meam gerens sacerdos adpropinquat'. Nam si quis contra dicere velit non recte sic felicem rei eventum antecapi, cum ex audientium animis adhuc expectatione suspensis tollatur intentio, reminiscatur admirandum medicae artis exemplum hic prodi (c. 19 init.), itaque de eventu illos dubios esse iam non posse. Recte autem 'miser' et 'pęnę (i. e. poenae = tormento) [2]) paratus' dicitur qui — absque medico esset — in eo erat ut vivus exureretur, reiciendumque est Helmii 'paene ⟨*rogum*⟩ paratum' vel Bosschae 'cenae paratum (= silicernii apparatum)', cum in corpore, non in rogo vel aliquo apparatu signa quaedam vitae latentis medicus invenerit neque non 'paene' (cf.

1) Effectu idem atque '*salutem* attulit', quod edidit v. d. Vliet.

2) Met. IX 14 p. 213, 11 'deterrimam sortitus coniugam poenas extremas sustinebat', ibid. IV 34 p. 101, 18.

Digitized by Google

etiam Novákii coniecturam '⟨*igni*⟩ paene paratum') ineptum sit. Quod ad 'enim' pertinet, causativum esse cum participio coniunctum Helmio adsentior, coniungo autem cum 'diligenter — animadversis': ob hoc enim, non quia corpus erat contemplatus, iterum atque iterum pertrectavit medicus. Quid mirum, si 'enim' quod in enuntiato saepius primo loco ponit Apuleius, etiam ablativo absoluto adiunxit?

De deo Socr. III (p. 10, 8 Thomas) 'quamquam plerique se incuria verae disciplinae ita omnibus erroribus — deprava-verint, eqs.'

Traditur 'velle' vel 'bellae disciplinae', i. e. ut videtur 'ullae' (= ullius, cf. M. p. 235, 11 'illae').

De deo Socr. XV (p. 24, 5) 'qui vero ob adversa vitae merita nullis [bonis] sedibus incerta vagatione ceu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterum malis noxium, id genus plerique Larvas perhibent'.

[bonis] ut e 'bonis hominibus' repetitum seclusit Markland: fortasse recte factum, tamen collatum velim Apol. 43 (p. 50, 15 H) 'ut in eo divina potestas quasi bonis aedibus digne diversetur'.

De deo Socr. XVII (p. 27, 8) 'quis igitur tali in tempore me⟨*dius*⟩ ad dicendum exor[ta]tus est?'

Feliciter supplevit editor, sed dubium an potius supplendum sit 'me⟨*diator*⟩, cf. Met. IX 36 (p. 230, 7 H) 'adseverat parvi se pendere tot mediatorum praesentiam'.

Repeto et subiungo quae inter scribendum subsederunt:

Met. I 15 (p. 11, 1) '„quid? tu", inquit, „ignoras latronibus infestari vias, qui hoc noctis iter incipis? nam etsi tu alicuius facinoris tibi conscius scilicet mori cupis, nos cucurbitae caput non habemus, ut pro te moriamur"'.

Verba 'nam — moriamur' non ad comitem aut servum esse referenda neque Apuleius errasse ut Helmio ita mihi videtur — aliud enim est errare, aliud delirare — sed revera ianitoris esse, sibi suisque metuentis ne semel aperto ostio latrones irrumpant hospitium: sed nihil hoc quidem curat Aristomenes,

Digitized by Google

neque ad id respondet. Talis latronum audaciae exempla ipsi Metamorphoseon libri suppeditant.

Met. III 10 (p. 59, 11) 'Tunc ille quorundam astu paulisper cohibitus risus libere iam exarsit in plebem. hi gaudii nimietate gratulari, illi dolorem ventris manuum compressione sedare'.

Ubi ventris dolor memoratur, exspectatur et alter ille quem aeque experimur omnes in risu effuso: maxillarum. Itaque non alienum videtur 'ora *luxa*ri'. Substantivo 'luxu' utitur Apuleius Flor. 16 (p. 26, 12).

Met. III 12 (p. 61, 2) ''quam vellem', inquam, 'parens, iussis tuis obsequium commodare eqs'.

Iure haec intacta reliquit editor: ita respondet Lucius famulo, dominae suae verborum gerulo, quasi Byrrhaenae ipsi praesenti respondeat, sicut paulo ante magistratibus, publici decreti gerulis 'tibi quidem eqs'.

Met. VII 7 (p. 159, 8) 'nocte promota tabernulam quandam litori navique proximam, ⟨*quam*⟩ vitatis maris fluctibus incubabant, invadimus et diripimus omnia'.

Si non casu quodam accidit ut quam tabernam adgrederentur latrones, in ea tunc pernoctaret procurator, sed ob id ipsum, ut ratio postulat, adgressi sunt, inepte tabernulam quandam invasisse dicuntur, itaque non inserendum esse videtur ⟨*quam*⟩, sed ex 'qua[nda]m' eliciendum. Sunt fortasse qui malint verba 'tabernulam — incubabant' in parenthesi legere, quibus non obloquar.

Met. VII 17 (p. 167, 10) 'fustium quoque crebris ictibus per*dite* dedolabar'.

Retineo 'perclive' sed remoto errore palaeographico: '*pro*clive' (= superne). Conferatur iocus Plautinus, Capt. 336 'Tam hoc quidem tibi in proclivist quam imber est quando pluit'. De adverbio non est opus monere (p. 263, 14 'suave mulcere' et plura huiusmodi alias).

Met. VII 27 (p. 175, 19) 'certe dorso receptum auferres

Digitized by Google

protinus et infesti latronis cruentis manibus eriperes, postremum deserto deiectoque illo conservo — non solus aufugeres'.

'derelicto' quod ad 'deiectoque' in margine additum est — cf. Plaut. Most. 201 'reliquit deseruitque me' —, sprevit editor (praef. XXXVIII) quia 'anus culpam asini exaggerare studet' (cf. Koziol, Stil d. A p. 85 adn.): sed quomodo 'deiectus' potest dici qui ne receptus quidem dorso esse fingitur? Et quomodo non maior culpa, quo minus opitulandi studium?

Met. VIII 8 (p. 183, 11) 'Mi coniux, quod tibi prorsus ab alio dici non licebit: etsi pectori tuo iam permarcet nostri memoria vel acerbae mortis meae casus foedus caritatis intercidit, — quovis alio felicius maritare, modo ne in Thrasylli manum sacrilegam convenias neve sermonem conferas nec mensam accumbas nec toro [1]) adquiescas. fuge mei percussoris cruentam dexteram'.

A falsa ut mihi videtur interpretatione profecti ad varias emendandi rationes confugerunt viri docti: nam verba 'quod — non licebit' ita acceperunt quasi idem valerent atque 'quo nomine te ab alio vocari non licebit', cum potius ad sequens monitum de Thrasyllo spectent — patefacit umbra mariti quod ab eo solo, quia solus scit, poterit Charite audire — valeantque idem quod iuvenis illius vox (II 30 p. 49, 20) 'quod prorsus alius nemo cognoverit indicabo'. Sed monito suo Tlepolemus praevertit votum 'et si (εἴτε) iam permanet (vulg.) nostri memoria vel (ἤ) mors mea foedus caritatis intercidit, quovis alio felicius maritare', quo voto interposito factum est ut huic subiungerentur sequentia per 'modo ne'. Nihil in his invenio quod possit offendere praeter 'iam' — expectes '*et*iam' (Leo) = 'etiamnunc', vel '*tamen*' —, conferatur tamen XI 22 p. 284, 9 'quid iam nunc (= etiamnunc) stas otiosus?'

Met. IX 1 (p. 203, 3) 'nec pauca rerum adparatus cibarii, mensas etiam genus ('genialis' Helm) impetu meo collido atque disturbo'.

1) 'torum' Kirchhoff; sed mente supplendum est 'cum eo', cf. V 17 (p. 116, 18).

Digitized by Google

'mensas etiam et id genus' vel 'mensas et id genus' (— hoc, ut per appositionem positum, praefero propter Λούκ. c. 40 *ἀνατρέπω πάντα τῷ σκιρτήματι, καὶ λυχνίαν καὶ τραπέζας*' —) quod e veteribus editionibus citat Oudendorp, ideo fortasse praeterierunt plerique editores quod inusitate dictum videretur pro 'id genus alia'. Sed comparo Apol. 82 (p. 91, 8) 'haec et id genus ea quam merito tunc dici potuerunt; ipse ordo epistulae ostendat', ubi sive 'potuerunt' retinere malis (— iniuria, quia 'quam merito' significat 'quam meritissimo potest', non 'meritissimo' —) sive cum vulgatis 'potuerint' restituere, certe 'ea' (Fulvius 'alia', Ellis 'cetera'), quo pronomine 'haec et id genus' repetuntur, Apulei stilo congruum est.

Met. IX 3 (p. 204, 17) 'Iamque clara die mollitie cubiculi (sequitur rasura) refota lassitudine vegetus exurgo'.

Pudet fateri! Quotienscumque haec legi (et ut mihi videbar perattente) turpiter dormitavi: non vidi verum servavisse Φ apographum, tantummodo dittographiam esse tollendam: 'cubi[cu]lis'. (p. 267, 27 'in eodem illo cubili', et p. 228, 14 'cubili', ubi deteriorum unus 'cubiculi' secundum Colvium).

Met. IX 17 (p. 215, 26) 'mortem denique violentam defamem comminatus'.

Ambigitur utrum 'defamem' vindicandum sit, an 'de fame' (Colvius) restituendum. Sed quid servo cum fama?

Met. X 15 (p. 248, 2) 'neque asinum — talibus cibis adfici posse'.

Si quid esset mutandum, probabilius fortasse videretur 'adlici' quam 'pasci' (Leo), nisi graecum *προσπάσχειν τινί* (cf. *πάθος* = adfectus) latine vertisset Apuleius.

Apol. 84 (p. 92, 20) '*Ἐγὼ οὔτε μεμάγευμαι οὔ[τε]τ' ἐρῶ. τὴν εἱμαρμένην ἐκφ.*'

Quid tradatur, ex editionibus non satis liquet. Helm in apparatu 'OVTCTЄPΩ' exhibet, in textu quod vides, v. d. Vliet in textu '*οὔτ' ἐρῶ*', in apparatu 'OTTCЄPΩ', quem olim secutus (Class. Rev. XVIII, 9) conieceram '*οὔτ' ἐρῶ τὴν εἱμαρμένην*

Digitized by Google

ἐκΦ⟨εύγουσα⟩' ('neque praeter fatum amo') collato Plat. Gorg. 512 E. Quam quidem coniecturam etsi hodie improbo, tamen in argumentandi ratione persto: non enim, ut Helmio videtur, praestat post ἐρῶ graviter interpungere, ut destricte negetur illud μεμάγευμαι καὶ ἐρῶ (90, 12; 91, 16), cum non utrumque districte neget Pudentilla, siquidem secundum ipsius Apulei interpretationem magiam quidem destricte negat ('sanitatem suam — vindicat'), 'fato' autem adscribit 'nubendi seu rationem seu necessitatem' (ita enim ei libuit vertere 'ἐρῶ' quod simul cum 'μεμάγευμαι', ipsa adversariorum verba, cum irrisione repetivit illa in epistula sua). Accedit quod, si praeter magiam etiam 'amor' destricte negatur, quas partes hic agat fatum non perspicitur, quod 'velut violentissimus torrens neque retineri potest neque impelli'. Revera non patefacit Pudentilla utrum utilitati cedat (rationi) an naturae (necessitati), itaque ut matronae verba cum verbis mariti concinant, exspectes: 'οὔτ' εἰ ἐρῶ, τὴν εἱμαρμένην ἐκΦ⟨εύγω⟩.

Flor. 16 (p. 27, 11) 'duplam igitur vobis gratiam debeo, immo enimvero multiiugam quam ubique equidem et semper praedicabo. Sed nunc inpraesentiarum — —: libro isto ad hunc honorem mihi conscripto publice protestabor:'

Sic locum interpungo. Post 'inpraesentiarum' subito supprimitur oratio (repraesentandus est lectoris animo vultus et gestus Apulei tamquam desperantis), continuanda post longiorem denique parenthesin p. 28, 10: 'nam nunc inpraesentiarum laetitia facundiae obstrepit eqs.' — Non probo Rohdii coniecturam 'iusto': vivae voci quam praesens gaudium praepedit opponitur liber scriptus grati animi testis futurus, ita 'liber' non patitur ullum attributum; quidquid additur nominis vim infringit et (senties si recitabis) pondus perdit. Num forte 'ist*am*'?

Digitized by Google

DE BACCHYLIDIS CARMINE XVIII.

SCRIPSIT

W. E. J. KUIPER.

Bacchylidis dithyrambus, qui inscribitur Io, alius generis difficultates lectori praebet atque quartum decimum carmen, de quo ante aliquos annos tractavimus [1]). Ibi enim ad carminis initium papyrus mutilata est: strophae versus igitur secundum antistrophae metra supplentur. Carminis vero duodevicesimi, quod unius est triadis, initium integrum servatur; damna traxerunt antistrophae versus ultimi totusque epodus. Cuius numeri quoniam non repetuntur, in lacunis supplendis ad probabilem eventum pervenire editori non licet. Sed quae restant horum versuum non tam exigua sunt, ut nihil doceant. Tenorem totius finis perspicimus. Nihil dubium, quin Ionis in Aegyptum adventu memorato per decem fere versus Epaphi propago ad Dionysum usque perducatur. Nam in poematis versu paenultimo eius dei nomen exstat. Cum igitur, ut marginalis perhibet annotatio, Ἀθηναίοις scriptum sit hoc carmen, certo certius dithyrambum habemus, Dionysiis Atheniensibus destinatum, qui Ionis historia narranda Dionysi gloriam augere conabatur.

Historia ipsa autem parum concinne narrari videtur. Tota antistropha in Argo, Ionis custode, versatur, de morte eius dubia quaedam profert; tum poeta — omissis virginis erroribus — in Aegyptum Nilique regionem subito transilit, Epaphi ortum refert genusque eius enumerat. Stropham vero prooemii locum maximam partem occupare censendum est. Itaque, quamquam lacunis non impedimur, quin narrationis cursum perspiciamus, ipsa tamen poematis forma talis est, ut poetae finis ac

1) Mnem. LIII, 4.

Digitized by Google

propositum satis obscurum nobis maneat. Ad quae accedunt interpretationis et interpunctionis difficultates.

Et primum quidem haeremus in vs. 15, ubi verba τί ἦν explicationem probabilem habere et Jebb et alii confidenter negarunt, ideoque in τῖεν [1]) vel ἦεν vel talequid mutanda esse censuerunt. Haeremus deinde in totius antistrophae interpunctione, quae quid sibi velit in singulis editionibus tunc demum intelligitur, cum vernaculam carminis versionem habent adiectam. Versiones autem et Jurenkae et Jebbii haec credere nos volunt, ut videtur: „Ionem ex Argis fugisse eo tempore, quo omnia cernentem Argum Hera iusserat eam custodire neque Mercurius latere eum poterat". Quod invitos scripsisse interpretes illos iudicandum est. Nam Inachi filiae tunc tandem ut effugeret contigisse, postquam Argus morte abreptus est, non tantum omnium scriptorum auctoritate sed etiam ex ipsa rerum verisimilitudine nobis constat.

De huius antistrophae interpunctione et interpretatione diiudicari posse non arbitror, nisi perspexerimus, quae sit ratio versus strophae quinti decimi. Primum igitur de hoc versu, deinde de antistropha, postremo de totius carminis compositione et fine agendum est.

Jebbio, quod verba τί ἦν abiceret, nulla erat causa nisi interpretandi difficultas. Proprietas metrica enim non cogebat. Respondet sane pedi iambico τί ἦν vox trochaica Ἄργον in antistropha (vs. 33), sed haec in versu phalaeceo neque illicita neque insueta est varietas. Catulliani phalaecei enim „mĕās esse aliquid putare nugas", quem ipse attulit Jebb, Graeca exempla non desunt, ut Sophocleus ille ex Philocteta fabula [2]) versus: στέγειν ἢ τί λέγειν πρὸς ἄνδρ' ὑπόπταν. Attamen, quae ad ea verba explicanda proposuerunt viri docti, Jebbio parum placuisse, non est quod miremur. Jurenka enim, collata Platonis Charmidae pagina 154 D (τί σοι φαίνεται ὁ νεανίσκος) cum τί ἦν iungenda esse statuerat verba Ἰνάχου ῥοδοδάκτυλος κόρα, et

1) Ita Marindin, infinitivum Doricum cum praecedentibus coniungens: „quae rem eximiam celebrandam acceperis". Sed neque γέρας res est eximia et male incipit narratio a medio versu; praeterea coniunctionis ὅτε in versu 19 iteratio ab omni elegantia aliena est.

2) vs. 136.

Digitized by Google

duas illas sententiae partes, tribus versibus decem vocibus disiunctas, sic interpretatus erat: quam misera erat Io![1]) Christ hanc interpretationem proposuerat: τί; ἦν Ἄργος ὅθ' e. q. s.: „quid? tempus erat, cum...." Quod suo iure „intolerably jerky" censebat Jebb. Alii[2]) sollemnem praeludendi formulam esse putabant verba τί ἦν, ut Homericum illud ἔσπετε νῦν Μοῦσαι, sed huius formulae nullum usquam exstat vestigium.

Contra perfacile τί ἦν in ἦεν mutari posse cum Headlamo Jebb iudicabat. Et habebat auctorem huius opinionis ipsum Bacchylidis editorem principem, Kenyonem dico, qui ad hunc locum annotaverat TI et H inter se simillima esse in hoc manuscripto. Cui iudicio diffidere arrogantis est, tametsi mea opinione nequaquam insignis est ea similitudo. Sed hoc attendas oportet, non ex huius papyri scriptura tales mutationes explicandas fuisse, sed ex eo manuscripto, quo huius papyri scriba exemplo utebatur; de quo nihil noscere licet. Papyri scriba quin nostro loco τί ἦν scripserit, non est quod dubitemus. Litterae tam perspicuae sunt, ut clariores cupere non possis. Archetypi ignoti autem scriba quid scripserit quid non scripserit, sciscitari otiosum est.

Neque opus est talia moliri. Lectio τί ἦν nihil molesti habet, dummodo, cuius nomine haec verba dicantur, intellegas. Quantum video, adhuc omnes interpretes poetam iis verbis se ipsum quodammodo alloquentem fecerunt. Postquam — sic fere ratiocinantur — primis versibus asseveravit, Musarum deliciis omnem cantationis viam patere, versu octavo, *semet ipsum* monet, ut novum aliquid et inauditum ordiatur (ὕφαινέ τι καινόν), tunc vs. 15 e quaestione τί ἦν initium facit Ionis historiae enarrandae. Ego vero totam hanc stropham, quae duodeviginti est versuum, non suo ipsius nomine poetam locutum esse suspicor, sed choricae personae tribuisse. Fac chorum in duas partes distributum fuisse, quale ex carmine XVI omnes notum habemus.

1) Cf. quoque Plut. Otho 3. Verba legens eo modo coniuncta Ionem bubulcam fuisse opineris, quae pulchram vaccam misere amisisset.

2) Sic Süss ad l. collato 14, 47 Μοῦσα, τίς πρῶτος λόγων ἦρχεν δικαίων, quod nullius pretii est exemplum.

Digitized by Google

Chori altera pars, postquam blandis verbis Pieridum vatis benevolentiam captavit, novo carmine eum Athenas ditare iubet — talem poetam enim eximiam cantationis viam ingredi decere — deinde quaestione thema carminis subicit hoc modo: *τί ἦν, Ἄργος ὃθ' ἵππιον λιποῦσα Φεῦγε... Ἰνάχου ῥοδοδάκτυλος κόρα;*.

Ad haec poeta cum altera chori parte respondet, et ita respondendi initium facit, quasi totam Ionis historiam, si non ab ovo, attamen cum errorum aerumnis et omni casuum varietate narraturus sit. Quis enim non longam exspectaverit et accuratam huius fabulae explicationem, cum ita poeta orditur: *Ὅτ' Ἄργον ὄμμασιν βλέποντα | πάντοθεν ἀκαμάτοις | μεγιστοάνασσα κέλευσε | χρυσόπεπλος Ἥρα | ἄκοιτον ἄϋπνον ἐόν- | τα καλλικέραν δάμαλιν | φυλάσσεν, οὐδὲ Μαίας | υἱὸς δύνατ' οὔτε κατ' εὐ- | φεγγέας ἀμέρας λαθεῖν νιν | οὔτε νύκτας ἀγνάς.* His verbis decem ex duodeviginti antistrophae versibus explentur. Tum quomodo morti occubuerit Argus, poeta narrare aggreditur, sed nihil certi profert, nimirum quia de ea re tunc temporis omnino non constabat. Satius esse igitur poeta iudicavit varias de morte Argi traditiones enumerare quam unam ex iis eligere vel revera, chori monitis obsequentem, aliquid novi proferre. Postquam hac enumeratione antistropha absoluta est, subito erroribus Ionis praetermissis in Epaphi ortu moratur, postremo Cadmo Agenoris filio Semelaque memoratis ad Bacchi laudem se convertit. Prorsus inopinato ad finem pervenimus, neque negari posse puto poetam Athenienses egregie ludificatum esse, qui, cum Ionem cantandam ei mandavissent, rem et dubiae traditionis et multarum ambagum, acceperunt dithyrambum, qui quarto decimo excepto omnium est brevissimus. Nam eos, qui ludis faciendis praefecti erant, certa themata singulis poetis subiecisse, quamquam nihil de iis rebus constat, valde probabile esse mihi videtur. Varietate enim non minus deos quam homines delectari consentaneum est. Quae in carminibus uni et eidem deo destinatis vix assequenda erat, nisi poetis, qui ut deum celebrarent invitabantur, variae materiae tractandae mandarentur. Tale mandatum Bacchylides in stropha huius carminis refert, ut poeta poeticis usus vocabulis. Itaque non ipse se verbis *εὐκίνετε Κηΐκ μέριμνα* alloquitur, non ipse se a

Digitized by Google

Calliopa eximium donum accepisse dicit Gratiasque hymnos suos omni decore redimisse, sed Athienses eas laudes proferentes facit. Ii etiam a poeta postulant, ut novum aliquid amoenae urbi suae texat.

Haud recte igitur versu nono pro τι καινόν a nonnullis τι κλεινόν editum esse existimo. „E litteram supra αι adscripsit A^3, sed nil praeterea correctum videtur", ita Blass, Kenyonem secutus, qui correctorem κλεινόν efficere voluisse putabat. Origines huius scripturae explanare conatus est Jurenka, qui primam manum κλινόν scripsisse suspicatur, deinde A^2 ε superposito κλινόν in κλεινόν correxisse, postremo A^3, nil curantem ε superscriptum, λ in α mutavisse. Praeterea lectionem κλεινόν hac re commendari arbitrantur, quod καινόν nisi apud Atticos vix exstat.

Jurenkae explanatio, ut est ingeniosa, ita simplicitate, quod veri est sigillum, carere mihi videtur. Atque etiam gravior obstat molestia: ε superscriptum, si fides est exemplari phototypico, nullum omnino est. Lineola leviter curvata tantum discernitur, qua librarium puncta super ι litteram perperam appicta delevisse suspicor. Ideo καινόν Bacchylidem et voluisse et scripsisse censeo. Quid autem rectius scriberet quam Atticam illam vocem, quippe cum Athenienses, semper novae alicuius rei cupidos, loquentes induceret?

Digitized by Google

LIVIANA V.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

(Continuantur ex Mnemos. Vol. LV p. 286).

De Numae Pompilii ratione civitatis administrandae Livius nonnulla refert velut:

I 21, 1 ad haec consultanda procurandaque multitudine omni a vi et armis conversa et animi aliquid agendo occupati erant, et deorum assidua insidens cura, cum interesse rebus humanis caeleste numen videretur, ea pietate omnium pectora imbuerat, ut fides ac iusiurandum *proximo* legum ac poenarum metu civitatem regerent.

Proximo lectione prava optimorum codicum spreta Madvig edidit *pro obnoxio* (vel *anxio*), at Walters coniecit *pro nimio*. Vix est dubium quin noster dicat: Numae magis interfuisse cives religione quam vel maximo poenarum metu imbui. Quocirca revoco: pro ⟨*ma*⟩*ximo* legum ac poenarum metu.

De eodem rege paulo infra legimus:

I 21, 3 Camenis eum lucum sacravit, quod earum ibi concilia cum coniuge sua Egeria essent. § 4 et *soli* Fidei sollemne instituit.

Soli ortum ex vocabulo *sollemne* genuinam vocem extrusit, quam suspicor fuisse *simul*, praesertim cum in editione Oxoniensi [1]) commemoretur *soliū* (i. e. *solium*) in fragmento Einsiedlensi erasum esse.

1) Titi Livi ab urbe condita. Recognoverunt et adnotatione critica instruxerunt R. S. Conway et C. F. Walters. Tomus I. Oxonii 1914; Tomus II 1919.

Digitized by Google

II 14, 4 ea deinde, ne populo immisso diriperentur hostiliter, venisse bonaque Porsinnae appellata, gratiam muneris magis significante titulo quam auctionem fortunae regiae, quae ne *in potestatem* quidem populi Romani esset.

Scribendum esse *in potestatem.... esset* iam docui ad XXIV 1, 13 [1]). Ad exempla a me ante allata addo:

Liv. XXXII 8, 14 et principium et finem *in potestatem* ipsorum.... esse;

Cic. Philipp. V 19 adesse *in senatum* iussit;

Propert. III 9, 60 quod ferar *in partes* ipse fuisse tuas.

II 21, 4 tanti errores *implicant temporum*, aliter apud alios ordinatis magistratibus e. q. s.

Hic Livius queritur de difficultate muneris historici, ubi fontes discrepant aut interdum propter vetustatem rerum tacent. Facile ergo subaudias *rerum scriptorem*, at Mauritius Mueller ausus est edere *temporum* ⟨*rationem*⟩ admittens clausulam heroam, quamquam optima clausula *implicant temporum* (duo cretici) revincit quodlibet additamentum.

Romani milites clivos a Volscis occupatos non sine magno labore aggrediuntur. Noster haec tradit:

II 65, 4—5 Volscus effusis ad primum impetum missilibus telis saxa obiacentia pedibus ingerit in subeuntes turbatosque ictibus crebris urget ex superiore loco. sic prope oneratum est sinistrum Romanis cornu, ni referentibus iam gradum consul increpando simul temeritatem simul ignaviam pudore metum excussisset. § 5 restitere primo obstinatis animis; deinde, ut obtinentes locum vires *ferebant*, audent ultro gradum inferre et clamore renovato commovent aciem.

Weissenbornio praeeunte et Hermannus Mueller et Mauritius edidit *refecerant*, at Conway et Walters scripserunt *vim* ⟨*pro vi*⟩ *referebant*. Loci sententia nimirum haec est. Romani intellexerunt, si obtinerent modo locum neque se moverent, hostium telis se obrutum aut certe vires suas sensim paulatimque tritum consumptumque iri. Lenissima igitur adhibita medicina revoco: *vires terebant*.

2) Vide Mnemos. vol. LIII (1925) p. 363; Schmalz L. G. p. 413.

Digitized by Google

III 11, 12 „ecquid sentitis iam vos, Quirites, Caesonem simul civem et legem, quam cupitis, habere non posse? *quamquam quid ego legem loquor?*

Similia sunt Ciceronis verba In Cat. I 22 *quamquam quid loquor?*

Cum initio eiusdem orationis Tullianae componenda sunt Livii verba VI 18, 5 quo usque tandem ignorabitis vires vestras? [1])

Vehementer M. Horatius Barbatus in decemviros legibus scribundis, qui tamquam decem Tarquinios se praebent, invehitur incipiens sic:

III 39, 4 nec nominis homines tum pertaesum esse, quippe quo Iovem appellari fas sit, quo Romulum, conditorem urbis, deincepsque reges, quod sacris etiam ut sollemne retentum sit; superbiam violentiamque tum perosos regis. § 5 quae si in rege, *tum... eodem*, aut in filio regis ferenda non fuerint, quem laturum in tot privatis?

Verba *tum.... eodem* sine ullo negotio ducunt ad veram lectionem *tumido eodem*: nempe alluditur ad cognomen Superbi.

De proelio commisso inter A. Cornelium Cossum et Tolumnium Lartem Veiorum legimus haec:

IV 19, 2—4 is cum ad impetum Tolumni, quacumque se intendisset, trepidantes Romanos videret turmas *insignemque* eum regio habitu volitantem tota acie cognosset, „*hicine est*", inquit, „ruptor foederis humani violatorque gentium iuris? *iam ego hanc* mactatam *victimam*, si modo sancti quicquam in terris esse dii volunt, legatorum *manibus dabo.*" *calcaribus subditis infesta* cuspide in unum fertur hostem; quem cum ictum equo deiecisset, confestim et ipse hasta innixus se in pedes excepit.

Ad hoc exemplar Livius, quippe qui saepissime imitator sui sit, describit, quomodo ad locum Trasumennum C. Flaminius consul interfectus sit a Ducario, ita ut complura verba repetantur; conferas quaeso:

1) Cf. Herod. VIII 84 μέχρι κόσου ἔτι πρύμνην ἀνακρούσεσθε;

Digitized by Google

XXII 6, 3—4 *insignemque* armis et hostes summa vi petebant et tuebantur cives, donec Insuber eques — Ducario nomen erat — facie quoque noscitans consulem „en", inquit, „*hic est*", popularibus suis, „qui legiones nostras cecidit agrosque et urbem est depopulatus! *iam ego hanc victimam manibus* peremptorum foede civium *dabo*". *subditisque calcaribus* equo per confertissimam hostium turbam impetum facit, obtruncatoque prius armigero, qui se *infesto* venienti obviam obiecerat, consulem transfixit; spoliare cupientem triarii obiectis scutis arcuere.

Primum Livius narrat tres tribunos militum consulari potestate Veios esse profectos, tum sic pergit:

IV 31, 2 documentoque fuere, quam plurium imperium bello inutile esset. tendendo ad sua quisque consilia, cum aliud alii videretur, aperuerunt *ad occasionem locum* hosti.

Haec verba, quae sanissima in editione Oxoniensi integra sunt recepta, in Teubneriana misere habita sunt: Mauritius enim Mueller edidit a° 1902 *aperuerunt occasionem ad bene rem gerendam* [locum] *hosti*, at Hermannus lacunam statuit post *ad* transpositum: *occasionem ad... locum hosti.* Itaque hi duo editores videntur nescire, quantopere Liviani libri scateant pleonasmis [1]). Ceterum Batave optime vertere possumus: zij boden den vijand de schoonste gelegenheid zijn slag te slaan.

Valde memorabile est incipiendi verbum circumlocutioni inserviens:

IV 49, 15 *incipite* deinde *mirari*, cur pauci iam vestram suscipiant causam.

Incipite mirari cum emphasi positum est pro *miramini* [2]).

---

1) Pauca e permultis exempla commemorabo I 25, 2 itaque ergo; III 54, 9 prima initia incohastis libertatis; V 41, 9 ab eo initium caedis ortum; VIII 4, 6 si quando umquam (= VIII 6, 14); XXI 22, 9 pergeret porro ire; XXX 32, 11 postremam aciem clausit; XXXII 21, 31 enim videlicet; XXXIII 43, 1—2 patres censuerunt.... placere consules provincias aut comparare inter se aut sortiri; XLV 39, 10 principia exorsi a dis sunt.

2) Schmalz L. G. p. 463 tantummodo observat *incipere* in posteriore Latinitate vicibus fungi verbi *μέλλειν*, sed p. 486 enarrat *coepisse ἀοριστικῶς* usurpari solere. Cf. praeterea Schmalz ad Sallust. Cat. 51, 29; Löfstedt Peregrin. p. 210.

Digitized by Google

Senatus Veientibus bellum indici cupit, quod puberes aegre ferunt, noster autem haec exponit:

IV 58, 9 quod ubi primo promulgatum est, fremere iuventus nondum debellatum cum Volscis esse; modo duo praesidia occidione occisa, ⟨*sua*⟩ et cum periculo retineri.

Inserui *sua*, quod post *occisa* facile intercidere potuit, sententia certe non minus apta est, quam si Schenkelio auctore *cetera* substituissem voci *et*. Mauritio Mueller placuit edere: et cum periculo retineri ⟨*unum castellum*⟩.

Ap. Claudius tribunus militum consulari potestate relictus a collegis ad tribunicias seditiones comprimendas verba faciens ad populum cum alia dicit tum haec:

V 3, 6 sic hercule tamquam artifices improbi opus quaerunt *qui et* semper aegri aliquid esse in republica volunt, ut sit ad cuius curationem a vobis adhibeantur.

Mauritius Mueller edidit: opus quaerunt ⟨*inquieti*⟩; at Hermannus *quippe* semper e. q. s., Conway denique *qui* [et] semper e. q. s. Equidem una littera addita auctori reddo: *quin* [1]) et semper aegri aliquid e. q. s.

In epilogo eiusdem orationis legimus:

V 6, 15 adeo quidquid tribunus plebi loquitur, etsi prodendae patriae dissolvendaeque reipublicae est, adsuestis *qui* audire et dulcedine potestatis eius capti quaelubet sub ea scelera latere sinitis.

Pro *qui* Gulielmus requisivit *Quirites*, Rhenanus *aequi*, Welz *quieti*: has lectiones exhibent deinceps Oxoniensis, Weidmanniana, Teubneriana. Equidem expectaverim adverbium, ad quod referatur enuntiatum concessivum: *etsi prodendae patriae dissolvendaeque reipublicae est*, quare repono: *utique* audire e. q. s.

Batave verto: zoozeer zijt gij gewoon, wat ook maar een volkstribuun zegt, moge het al de strekking hebben het vaderland te verraden en den staat te ontredderen, *in elk geval* aan te hooren en verleid door de bekoring, welke van die

1) Saepissime Livius utitur adverbio *quin* e. g. II 29, 8; VI 28, 9; *quin potius* XXVI 19, 8; *quin contra* XXXV 26, 10 cet. Cf. et Schmalz L. G. p. 595.

Digitized by Google

macht uitgaat, gedoogt gij, dat alle denkbare misdaden onder haar vleugelen verborgen zitten.

De die atro sive Alliensi haec discimus:

VI 1, 11 tum de diebus religiosis agitari coeptum, diemque a. d. XV Kal. Sextiles, duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii caesi, quo deinde ad Alliam cum exitio urbis foede pugnatum, a posteriore clade Alliensem appellarunt, insignemque ⟨*vi*⟩ rei nullius publice privatimque agendae fecerunt.

Inserui *vi*, quoniam noster docet senatum interdixisse, ne quis tunc ulla faceret negotia; diei igitur ipsi quasi *vis* prohibendi ascribi poterat.

Aliquatenus comparari possunt Ovid. Fast.

I 45 ne tamen ignores variorum *iura* dierum
non habet *officii* Lucifer omnis idem;

et ibid. 133 (de Iano) *vis* mea narrata est. Causam nunc disce figurae.

Quoniam Livius tantopere indulget pleonasmis, non miramur multos genetivos qui dicuntur inhaerentiae [1]) in eius libris inveniri. Occasione oblata mihi libet plerasque enumerare:

VII 25, 4 oraque litoris [2]); cf. XXVII 8, 17 litorum.... orae; XXXVIII 18, 12 alterius orae litora.

1) Cf. Schmalz L. G. p. 362 Adnot. 2.

2) Hic imitatur noster Verg. Georg. II 44 lege litoris oram.

Etiam in prima decade saepe Vergilius Livio fuit exemplo e. g.

V 54, 3 iniuriae vestrae..... meminisse iuvat; Aen. I 203 et haec olim meminisse iuvabit.

VII 25, 13 rapto vivere (= XXII 39, 14 cet.); Aen. VII 749 vivere rapto.

VII 32, 17 nunc quod instat....; Aen. IV 115 nunc qua ratione quod instat.....

IX 26, 4 bis captos; Aen. IX 599 bis capti Phryges.

IX 29, 11 memor deum ira; Aen. I 4 memorem Iunonis ob iram.

X 27, 9 Martius lupus; Aen. IX 566 Martius a stabulis rapuit lupus.

Rariores sunt similitudines inter Livium et Ovidium aequales fere neque tamen omnino desunt IX 4, 3 fortunam fateri scirent; Ovid. Heroid. IX 126 fortunam..... fassa..... suam.

Contra posteriores scriptores Livium imitantur e. g. VIII 7, 11 fata implerent; Apul. Florid. 16 (Helm 26, 17) potius implere fata quam fanda;

X 17, 5 spes gerere (cf. X 25, 4); Amm. Marcell. XV 8, 7 gero spem cet.

Digitized by Google

II 44, 5 tribuniciae potestatis vires.
V 15, 12 sortes oraculi Pythici; V 16, 8 sortem oraculi.
XXIV 48, 6 robore virium; cf. XXXIV 4, 4 cet.
XXVII 8, 9 consuetudinis usu.
XXX 16, 14 mora temporis.
XXXIV 57, 11 societatis foedus.
XXXIX 34, 3 subolem stirpis.

VII 38, 7 an aequum esse dediticios suos illa fertilitate atque amoenitate perfrui, se militando fessos in pestilenti atque arido circa urbem solo luctari aut in urbe insidentem *labem* crescentis in dies fenoris pati?

Labem ediderunt Luterbacher et Conway cum plerisque et optimis codicibus, *tabem* recepit Rossbach.

Labes interdum significat pestilentiam [1]), velut apud Silium Italicum Livii sectatorem:

Pun. XIV 596 tum serpere *labes*
Tartarea atque haustis populari castra maniplis.

Frequentius autem valet idem atque pernicies: Cic. de domo § 53, idcirco tu ad illam *labem* atque eluviem civitatis sine summa vi pervenire potuisti?

Denique *labes* nonnumquam induit vim turpitudinis e. g. pro Balb. § 15 est enim haec saeculi quaedam macula atque *labes* virtuti invidere, velle ipsum florem dignitatis infringere.

Nostro loco cum Livius notiones pestis et infamiae manifesto coniungere voluerit, recipiendum est *labem*.

VIII 31, 7 etenim invidiam tamquam ignem summa petere.

Primum conferenda sunt Livii ipsius verba XLV 35, 5 intacta invidia media sunt: *ad summa ferme tendit*; deinde Horat. C. II 10, 11 feriuntque summos fulgura montes; Senec. Agam. 96 feriunt celsos fulmina colles [2]).

Nolo silentio praeterire pulchras allitterationes, quas in uno capite VIII 38 offendimus:

---

1) Cf. Ammian. Marcell. XIX 14, 6 (Clark I p. 162) cum talis incesserit *labes*.
2) Cf. Miscella mea (1912) p. 46 et 56, ubi complures locos contuli.

Digitized by Google

§ 11 sine respiratione ac respectu pugnabunt;
12 iam viris vires, iam ferro sua vis, iam consilia ducibus deerant;
13 sese praeda praepediant;
14 haerent impediti impedimentis nostris.

IX 4, 16 pareatur necessitati, quam ne di quidem superant. Interpretes debebant componere Simonidis sententiam: *ἀνάγκῃ δ' οὐδὲ θεοὶ μάχονται* (vid. Plat. Protagor. 345 D).

Papirium Cursorem Livius dignum putat, qui cum Alexandro Magno conferatur. In depingendis autem Alexandri moribus et comparando hoc rege Macedonum cum consule illo noster videtur generatim atque universe suos cives defendere contra Timagenem, Augusti inimicum eundemque scriptorem Graecum Romanis periniquum. Qua de re quae capita agunt, ea prae se ferunt elocutionem satis elegantem et colorem poeticum, quod paucis liceat ostendere.

IX 16, 19 nemo unus erat vir quo magis innixa res Romana staret.

Nonne haec dicta sunt ad exemplar Enniani illius:

moribus antiquis res stat Romana virisque?

Quaesitae sunt allitterationes hae:

IX 17, 13 praecipue pedum pernicitas,
13 virium vi,
16 dorsum demulceatis.

Praeter allitterationes attendantur venusta verba:

IX 17, 1.... varietatibusque distinguendo opere et legentibus velut deverticula amoena et requiem animo meo quaererem; *tamen tanti* regis ac ducis mentio, quibus saepe tacitus cogitationibus volutavi animum [1]), eas evocat in medium, ut quaerere libeat quinam eventus *Romanis rebus*, si cum Alexandro foret bellatum, *futurus fuerit*.

IX 18, 1 et loquimur de Alexandro nondum *merso secundis rebus*, quarum nemo intolerantior fuit.

Hanc dictionem esse poeticam declarat comparatio cum:

---

1) Cf. Verg. Aen. IV 285 atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc
in partesque rapit varias perque omnia versat.

Digitized by Google

Lucan. I 158 suberant sed publica belli
semina, quae populos semper *mersere* potentis.
Iuvenal. X 56 quosdam praecipitat subiecta potentia magnae
invidiae, *mergit* longa atque insignis honorum
pagina.
Verg. Aen. XI 27.... Pallas, quem non virtutis egentem
abstulit atra dies et funere *mersit* acerbo.

Quasi prooemium narrationi de certamine inter Ap. Claudium et tribunos plebis Livius haec praemittit:

IX 33, 3 permulti anni iam erant, cum inter patricios magistratus tribunosque nulla certamina fuerant, cum ex ea familia, quae velut fatalis ⟨*arena*⟩ cum tribunis ac plebe erat, certamen oritur.

Addita voce *arena* (quam fortasse non intellectam omisit librarius) mihi videor locum corruptum sanasse. Nuper F. Walter proposuit: familia quae velut fatales ⟨*lites*⟩ cum tribunis ac plebe ⟨*ser*⟩*ebat.* [1])

X 7, 1 Certatum tamen suadenda dissuadendaque lege *inter* Ap. Claudium maxime ferunt et *inter* P. Decium Murem.

Et Horatius bis praepositionem *inter* repetit [2]), nempe
Epist. II 1, 11 Nestor componere lites
inter Peliden festinat et *inter* Atriden
et Sat. I 7, 11 *inter*
Hectora Priamiden animosum atque *inter* Achillem
ira fuit capitalis.

De ancipiti contra Samnites pugna primum noster refert haec:

X 14, 10 Fabius ubi nulla ex parte hostem loco moveri vidit, Maximum filium et M. Valerium tribunos militum, cum quibus ad primam aciem procurrerat, ire ad equites iubet et adhortari ut, si quando unquam equestri ope adiutam rempublicam meminerint, illo die adnitantur ut ordinis eius gloriam invictam praestent.....

deinde paulo infra sic pergit:

1) Cf. Berl. phil. Woch. Kal. Novemb. 1919.

2) Et Cicero aliquotiens *inter* iterat: Lael. 95 cet. (cf. Kühner-Stegmann I § 112 p. 580.

Digitized by Google

§ 13 ceterum quando [1]) *ne* ea quoque temptata vis proficeret ⟨*fieri poterat*⟩, consilio grassandum, si nihil vires iuvarent, ratus, Scipionem legatum hastatos primae legiones subtrahere ex acie et ad montes proximos quam posset occultissime circumducere iubet.

Fieri poterat videtur excidisse post *proficeret*. *Ne* autem interdum positum est pro *ut non* post *incidere* [2]) taliaque verba, velut I 46, 5 forte ita inciderat, *ne* duo violenta ingenia matrimonio coniungerentur cet.

Batave verto: aangezien de mogelijkheid bestond, dat ook die krachtproef niet baten zou en hij van meening was, dat, wanneer met geweld niets te bereiken viel, er met list moest opgetreden worden, beval hij aan Scipio enz.

XXI 52, 1 iam ambo consules et quidquid Romanarum virium erat Hannibali oppositum aut illis copiis defendi posse Romanum imperium ant spem nullam aliam esse satis declarabat. § 2 tamen consul alter equestri proelio uno *et* vulnere suo *et*⟨*iam*⟩ minutus trahi rem malebat.

Editores aut illud *et* (§ 2) delent aut Heerwageno auctore scribunt: ⟨*aeger*⟩ *et minutus*. Ego non dubitavi post praecedens *et* addere *etiam* motus XXVI 12, 17 productus primo satis constanter ignorare se mulierem simulabat; paulatim dein convictus veris, cum tormenta posci et parari videret, fassus id ita esse, litteraeque prolatae, *et* additum *etiam* indicio, quod celabatur, et alios specie transfugarum Numidas vagari in castris Romanis. [3])

---

1) *Quando* nimirum idem est atque *quandoquidem* cf. XXXVII 36, 9; 57, 15 cet.

2) Cf. Kühner-Stegmann II § 187 e; p. 239 auffallend werden diese Verben vereinzelt auch mit *ne* (*ut ne*) verbunden. Cf. Schmalz § 336; § 340 adn.

3) Multa alia exempla afferunt partim Liviana partim Ciceroniana Kühner-Stegmann II § 151, 8 p. 7.

Digitized by Google

TACITUS QUAE DE ASTROLOGIA IUDICAVERIT.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I.f.

Iure mirari possis Augustum Romanae religionis restitutorem credidisse fata hominum stellis destinari eaque ab astrologis computari posse. Idem princeps horoscopum suum vulgavit Capricornumque sub quo zodiaci signo [1]) natus erat in nummis suis insculpendum curavit. Temporibus Augusti Manilius inchoavit carmen suum didascalicum c. t. Astronomica, quod absolvit imperante Tiberio. Hunc quondam Rhodi degentem docuit Thrasyllus re vera astrologus clarissimus. Thrasylli filius, cui nomen erat Balbillus [2]), aliquamdiu doctrina sua Neroni praesto fuit, at Vespasianus Seleuci haud ignobilis mathematici consiliis utebatur [3]). Imperatorum exemplum primores cives secuti sunt, imprimis mulieres, quarum plurimae nullum suscepisset negotium nisi Petosiride consulto vel Thrasylli enchiridio [4]), nempe permultae totas se conferebant ad studium astrologiae. Quin mox libertini quoque cultum orientalem amplexi sunt, Trimalchio quidem probe sciebat, quae genitura sua portenderet [5]). Sic facile intellegitur Plinium asseverare totum vul-

1) Erat autem Luna in Capricorno a. d. IX Kal. Oct. 63 a. C. n., quo Augustus natus est. Haec ratio thematis indicandi diversa erat a Graecorum disciplina secundum quam Libra Augusti astrum fuit (cf. V. Wageningen Comment. in M. Manilii Astron. II 507—509).

2) Vocabatur et Barbillus (cf. Cichorius Römische Studien p. 396). Idem erat princeps legatorum, qui anno 41 Alexandria ad imperatorem Claudium missi sunt (cf. Rhein. Mus. 76 (1927) p. 102 sqq.).

3) Tac. Hist. II 78.

4) Iuvenal. Sat. VI 572—581.

5) Petron. Sat. 39, 76, 77.

Digitized by Google

gus et eruditum et rude festinasse, ut ad novam religionem se converteret [1]). Quae cum ita sint, fieri non potest quin vestigia illius mutatae universae opinionis de dis et rebus sacris inveniantur in libris eius rerum scriptoris, qui historiam primi saeculi tractat, i. e. Taciti.

Robertus Pöhlmann anno 1910 disputationem edidit doctissimam, quae inscribitur „die Weltanschauung des Tacitus" [2]), in qua auctor examinat, quae Tacitus de casu, de fortuna, de fato, praesertim autem de eorum vi in hominum vita atque rebus publicis censuerit. Pöhlmann ostendit Tacitum parum sibi constare summaque eius argumenti haec est: Was man so gewöhnlich die „Weltanschauung des Tacitus" nennt, ist ein Chaos von unabgeklärten und unausgereiften Meinungen, ein Sammelsurium von Widersprüchen zwischen denen eine Ausgleichung unmöglich ist [3]). Alibi exprobratur „törichte Halbheit" [4]) historico Romano, qui etiam „den Bankerott seiner Kritik erklärt" [5]).

Tamen hac aspera censura nisi oblique astrologia non perstringitur. Ceterum non omisit Pöhlmann de industria inquirere quae Tacitus de illa disciplina iudicaret: hac quoque in re ei inconstantiam obiecit. Nam statuit sicut omnes fere eruditos ita etiam Tacitum censuisse hominum sortem astris regi et statim cuiusque ortu ventura destinari, nihilominus (sed praestat ipsius iudicis verba laudare) wird es, inquit, einmal von ihm in den Historien als purer Aberglaube behandelt. [6])

Haec verba spectant ad Tac. Hist. II 78: post Muciani orationem ceteri audentius circumsistere, hortari (sc. Vespasianum), responsa vatum et siderum motus referre. nec erat intactus tali superstitione, ut qui mox rerum dominus Seleucum quendam mathematicum rectorem et praescium palam habuerit.

Sane qui sic scribit se ipsum eiusmodi superstitione existimat intactum itaque constat Tacitum quo tempore tali modo

---

1) Plin. Nat. Hist. II 7, 23.

2) Sitzungsberichte der Bayerischen Akademie der Wissenschaften München 1910. I. Tribus annis post (1913) seorsum altera editio prodiit aucta et emendata. München. Franzscher Verlag.

3) Pöhlmann, die Weltanschauung des Tacitus p. 63.

4) Ibid. p. 40. 5) Ibid. p. 38. 6) Ibid. p. 24.

Digitized by Google

mores novi imperatoris depinxit, astrologiam nondum coluisse. Hac in re quoniam nemo Pöhlmanno obloqui potest, praecipua argumenta eius viri docti afferenda sunt, quibus Taciti inconstantiam legentibus probare conatur. [1])

Primum provocat [2]) ad Hist. I 22 genus hominum (i. e. mathematicorum) potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur.

Hic et alibi Pöhlmann non bene distinguit inter doctrinam ipsam et astrologos: nam hoc loco auctor de disciplina ipsa tacet, sed tantummodo hariolos notat. Deinde ille censor nos relegat ad Ann. VI 20, ubi legimus Tiberium scientia Chaldaeorum artis Galbae praedixisse aliquando eum fore imperatorem. Si usquam hic certe, inquit Pöhlmann, Tacito videtur persuasum esse astrologiam verum vaticinium dare posse, quippe qui mox eam celebret disciplinam, cuius clara documenta et antiqua aetas et nostra tulerit [3]). Quod ille rerum scriptor commemoret oraculum Thrasylli filii de Nerone principe futuro confirmatum esse, id eius rationi simile esse, qui ausus non sit sententiam pronuntiare de ave miranda Regii Lepidi, quae priusquam Otho manus sibi intulisset, non avolaret [4]). Tacitum denique pro certo habere mathematicos, cum Tiberius anno 26 Capreas recederet, e sideribus cognosse Romam imperatorem numquam reversurum esse [5]). Also (ut iterum Pöhlmanni verba laudem) bis zu einem gewissen Grad war in diesem Fall auch nach Tacitus eine Kenntnis möglich und tatsächlich vorhanden [6]). Et paulo infra sic pergit: „Die Faktoren, die das Menschenschicksal bestimmen sollen, wechseln bei ihm wie Wandelbilder, und das unsichere *Halbdunkel*, in das sie mitunter wie geflissentlich gehüllt sind — man denke an die Berichte über die *Astrologie* — entspricht nur zu sehr der Unsicherheit der ganzen Grundanschauung" [7]).

Illud sublustre oportet ut nos vertamus in claram lucem!

In quattuor capitibus Historiarum, sed in tredecim Annalium librorum Tacitus loquitur aut de astrologia ipsa aut de

1) Ibid. p. 50—52. 2) Ibid. p. 50. 3) Ann. VI 22.
4) Hist. II 50. 5) Ann. IV 58. 6) Pöhlm. p. 52.
7) Ibid. p. 53.

Digitized by Google

mathematicis [1]), quorum locorum quidam Pöhlmannum fugerunt.

Meminimus Tacitum, ubi agit de Vespasiano imperatore constituendo [2]), contendere novum principem superstitione pollutum esse, utpote qui putet astrologiam hominum fata explorare posse. Unde colligendum est auctorem ipsum etiam tum eam sive artem sive religionem sprevisse. Nunc vero attendamus locum (a Pöhlmanno praetermissum!), qui docet, cur Iudaei septimo quoque die sabbata celebrent. Exscribenda sunt haec tantum verba:

alii (sc. ferunt) honorem eum Saturno haberi, seu principia religionis tradentibus Idaeis, quos cum Saturno pulsos et conditores gentis accepimus, seu quod de septem sideribus, *quis mortales reguntur*, altissimo orbe et praecipua potentia stella Saturni feratur. [3])

Non sine causa additur enuntiatum relativum *quis mortales reguntur*, quod insertum in orationem obliquam tamen indicativum requirit. Id salva sententia poterat omitti, suffecisset dici: *seu quod de septem sideribus altissimo orbe et praecipua potentia stella Saturni feratur*, quoniam *potentia* terminus technicus est. Merito Heraeus observat: *praecipua potentia* bezeichnet den mächtigen Einflusz auf die Nativität, der von den Astrologen dem Saturn zugeschrieben wurde [4]). Itaque Tacitus etsi aliter breviloquentiam affectat, hic sententia relativa adicienda occasionem videtur consulto quaerere suae opinionis pandendae, quamobrem indicativus *reguntur* necessarius est [5]).

1) Sunt autem hi loci Hist. I 22; II 62; II 78; V 4. Ann. II 27; 32; III 22; (IV 20); IV 58; VI 20, 21, 22; (VI 46); XII 52; XII 68; XIV 9; XVI 14. Iniuria Pöhlmann (p. 50 adnot. 1) affert Hist. II 4.

2) Hist. II 78. 3) Hist. V 4.

4) Cf. Tacitus Historien 2 (Buch 3—5). Teubner 1921; p, 182.

5) Quamquam apud Tacitum in oratione obliqua indicativus et coniunctivus variari possunt (cf. Ann. I 10 (Andresen); Hist. I 33 Wolff, Heraeus cet.), tamen hoc non cadit in locum, de quo agimus, nisi forte quis sumit Tacitum legentes ambiguitate in errorem voluisse inducere.

Eiusmodi indicativi praeclarum praebet exemplum Liv. IV 51, 5 aptissimum tempus fuerat vindicatis seditionibus delenimentum animis Bolani agri divisionem obici, quo facto minuissent desiderium agrariae legis, quae possesso per iniuriam agro publico patres *pellebat*.

Mauritius Müller adnotat: *Der Indikativ pellebat*, welcher den Relativsatz als Ansicht des Livius bezeichnet u. s. w.

Digitized by Google

Facile apparet Tacitum prorsus verecunde (quod non alienum est ab eius moribus) enuntiato relativo novam religionem suam fiduciamque potentiae planetarum, „quis mortales reguntur", palam fecisse!

Restat ut indagemus, num haec conclusio affirmetur ceteris huius historici interpretationibus. Post V 4 in Historiis non iam de astrologia mentio fit — id est autem paene ultimum caput eius operis, cuius initium modo aetatem tulit. Evolvendi ergo nobis sunt Annales. In his libris illa disciplina nusquam in deterius trahitur. Legimus quidem primores civitatis ope Chaldaeorum inquisivisse in domum Caesaris [1]) et ob eam rem exsilio multatos esse. Etiam mathematicos ipsos quater refert [2]) noster ex Italia pulsos esse, cum viros ambitiosos ad falsam spem adduxissent aliisve fraudibus usos essent. Verum haec nihil ad astrologiam ipsam! Qui circulatores gravi poena afficiendos censet, ideo non Aesculapii artem salutarem condemnat! Ex quattuor locis huc pertinentibus maximi momenti est Ann. II 32, e quo discimus Tiberium decrevisse Chaldaeis Italia interdicere. Hic princeps ipse haud ignobilis mathematicus prudentibus consiliis motus est tum, cum astrologos arte sua potentes et gratiosos, sed venales et mendaces expulit Italia. Persuade tibi Tacitum nisi iam pridem ad hanc religionem se convertisset, Tiberio studium eius disciplinae exprobraturum fuisse, sicut ob multa et alia eum culpavit. Sed nunc festivissime narrat, quemadmodum ille gener idemque Augusti privignus Rhodi commorans Thrasyllum expertus sit et quantopere imperator factus sagacissimum illum artificem honoribus affecerit [3]). Hic sacerdos cultus siderum etiam Tacito venerandus videbatur; sicut Posidonius a philosophia Platonica profectus evasit astrologus multiplici variaque doctrina. Adhuc complures tituli eius operum ad omnes artes pertinentium noti sunt [4]). Huius filius quoque mathematicus insignis et honestus fuit. Ad eum eiusque vaticinium de Nerone eventu compro-

1) Cf. Ann. III 22; XII 52; addi potest causa Libonis II 27.

2) Ann. II 32; XII 52; XVI 14 (de Pammene); iam Hist. II 62 leguntur haec verba; *pulsi Italia mathematici.*

3) Ann. VI 20—21.

4) Cf. Müller Fragment. Histor. Graec. p. 501 et Cichorius Röm. Stud. p. 392.

Digitized by Google

batum Tacitus provocat, ubi mentione facta de Epicureorum ratione et de Stoicorum doctrina hanc quasi ex imo pectore vocem emittit: ceterum plurimis mortalium non eximitur, quin primo cuiusque ortu ventura destinentur, sed quaedam secus quam dicta sint cadere fallaciis ignara dicentium. ita corrumpi fidem artis, cuius clara documenta et antiqua aetas et nostra tulerit. quippe a filio eiusdem Thrasylli praedictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim (VI 22) [1]).

Nusquam alibi Tacitus tam fuse de astrologia agit quam hic: ratiocinando pervenit eo quo iudicium facere potuit longam viam emensus. Eum vidimus adversarium huius disciplinae, quo tempore Vespasianum superstitionis accusat (Hist. II 78); non ita multo post sabbata Iudaeorum referens ad Saturnum, unum ex planetis, „quis mortales reguntur", conversionem suam profitetur (Hist. V 4). Inde ab hoc tempore quasi in dies certior eius persuasio facta est, nam credidit mathematicos e stellis compertum habuisse Tiberium non iam Capreis reversurum [2]), credidit et ipsum Tiberium Galbae regnum praedixisse [3]). Dubitationes iam dudum evanuerant omnes [4]): sic progressus sibi fecit iudicium omnibus numeris absolutum (VI 22) fretus argumentis vetustis et recentibus.

Supervacaneum est dicere quam parum accurata vel potius quam falsa sit ratio Pöhlmanni, quem fugit V 4 neque is perspexit, quibus gradibus noster ad fastigium perveniret. Idem vir doctus iniuria vituperat, quod Tacitus vaticinio de Nerone principe futuro eventu comprobato nitatur: hoc non plus valere historia fabulosa de ave Regii Lepidi, quae non avolaret neque coetu hominum territa neque alitum circumvolantium, priusquam Otho sibi mortem conscivisset. Impugnat autem Pöhlmann Taciti verba: *vulgatis traditisque demere fidem non ausim* [5]) scribens: dasz er auf die Kritik des Wunders verzichtet [6]).

---

1) Vulgo putant Tacitum verbis *in tempore memorabitur* alludere ad Ann. XIV 9. Cichorius tamen (Röm. Stud. p. 392) eam mentionem eenset cum Lib. VII—XI periisse. 2) Ann. IV 28. 3) Ann. VI 20.

4) Non dubitat Tacitus (Ann. IV 20) de siderum potentia, dubitat modo possintne consilia nostra aliquid conferre ad principum favorem conciliandum.

5) Hist. II 50. 6) Pöhlmann l.l. p. 51.

Digitized by Google

Noster autem non esse officii sui existimabat ea quae aequales dictitabant et fortasse testibus confisi confirmabant, prorsus infitiari.

Sed ad graviorem quaestionem iam accessimus: quando hic historicus se convertit? Ex Epistulis a Plinio ad Tacitum amicum suum datis colligi potest Historias inter annos 104 et 109 compositas esse. Quattuordecim illi libri, e quibus olim hoc opus constabat, fasciatim editi sunt. Lib. I et II unum constituisse fasciculum apparet ex Hist. II 101, quod caput epilogus est ducendus argumenti horum librorum. Itaque verisimile est hunc fasciculum anno 104 editum esse, ergo etiam tum Tacitus adversarius erat astrologiae, quam Hist. II 78 pro superstitione habet. Lib. IV et V continent historiam initii fere Vespasiani regni et Batavorum seditionis: ii quoque una editi [1]) sunt, fortasse iam anno 105. Quoniam V 4 nos docuit Tacitum agnoscere planetis mortalium res regi, sequitur ut ille 105 i. e. quinquaginta fere annos natus [2]) ad astrologiam se converterit.

Ex Ann. II 61, ubi mare rubrum fines dicuntur imperii Romani, discimus hoc caput scriptum esse principio fere anni 117, cum Hadrianus Mesopotamiam anno ante demum a Traiano subactam mense Augusto omitteret. Annales igitur decem ferme annis post Historias conditas esse patet. Hoc opus maturissimum inchoavit Tacitus sexagenarius fere, quae res explicat indolem contemplativam horum librorum, qui magna ex parte Hadriano imperatore scripti sunt. In his auctor magis videtur Posidonii doctrina imbutus fuisse quam in Historiis, quae sunt quasi pictura magnifica et vividissima. Fortasse et quod Hadrianus totum se religioni orientali dederat, nostrum movit, ut identidem in Annalibus de astrologia mentionem faceret, quacum res magnas omnes coniungere solet. Legimus quidem Agrippinam Chaldaeos iussisse diem computare prosperum et aptum, quo Nero imperator consalutaretur [3]). At Tacitus postquam exposuit, quomodo Nero matrem occidendam curaret,

1) Lib. III satis prolixus aut separatim aut coniunctus cum Lib. IV et V prodiit.

2) Tacitus anno fere 55. natus est.

3) Ann. XII 68.

Digitized by Google

observat Agrippinam multo ante a Chaldaeis praemonitam esse talem suum finem fore. [1])

Noster quo grandior natu factus erat, eo certior eius persuasio de astrologia fiebat. Nihilominus in Annalibus non desinit enumerare prodigia; memoriae prodit e. g. quae portenta post mortem Agrippinae nuntiata sint [2]), querens autem addit: quae adeo sine cura deum eveniebant, ut multos post annos Nero imperium et scelera continuaverit. Quae qui considerat e re astrologica non potest non improbare. Idem cadit in dolentem „aequitate deum erga bona malaque documenta" [3]). Nimirum qui credit stellas caelestem vim habere eum oportet sibi persuadere omnia ab illis ignibus sidereis gubernari eaque re acquiescere. Vera demum pietas est, cum exsistit harmonia inter microcosmon i. e. hominem et macrocosmon i. e. mundum. Sed Tacitus sciscitatus non est, quae ratio inter deos et siderum potentiam intercederet quodve tum illorum officium esset. Itaque traditum genus dicendi secutus est: loquitur enim de ira deum, ubi commemorat Neronem in gravem morbum incidisse, cum in fonte aquae Marciae natasset [4]). Narratio autem de insidiis Agrippinae, Neronis matri, structis sic incipit: noctem sideribus illustrem et placido mari quietam quasi convincendum ad scelus dii praebuere. [5])

Sic rebus enarrandis hic et alibi concedendum est nostrum sibi non constare, quod tamen facile explicari potest. Nam auctor in disserendo deos adhibens tamquam personas primariarum partium descriptioni impertit, ut ita dicam, vim dramaticam. Quo facto inconstantia illa imprimis invenitur, ubi noster tragoedias, sed oratione soluta, pangit. Hoc nomen sine scrupulo indiderit quispiam narrationibus illis de morte Agrippinae, de aerumnis Octaviae cet. Praeclarum est dictum Anatolii France: L'histoire n'est pas une science, c'est un art. Hoc valet in Tacito: primum erat poeta, vel potius tragicus, tum demum historicus.

Hodie in ore atque sermone omnium est vox Weltreligion: atqui astrologia fuit per multa saecula religio universa, quippe

1) Ann. XIV 9. 2) Ann. XIV 12. 3) Ann. XVI 33.
4) Ann. XIV 22. 5) Ann. XIV 5.

Digitized by Google

quae in Asia Seres, Indos, Persas, in Africa Aegyptos, in Europa Graecos, Romanos, Celtos haberet confessores. Quin etiam omnes astronomi inde ab Hipparcho usque ad Kepplerum, id est ab anno 150 fere a. C. n. usque ad annum Domini 1600 idem fuerunt astrologi fideles. Sic intellegitur principem historicorum Romanorum et ipsum astrologiam existimasse suam religionem.

Suevi — Saevi.

Lectiones prorsus ineptas, quin etiam ridiculas lenta vivacitate haud raro frui antea saepe expertus sum et nuper rursus me docuit locus qui est in Carminibus quae dicuntur Buranis (ed. J. A. Schmeller a. 1904). In carmine 52 pag. 146 iuvenis 'pastorellam' pulcherrimam expetit,

quae respondit verbo brevi:
„ludos viri non assuevi,
„sunt parentes mihi Suevi;
„mater longioris aevi
„irascetur pro re levi.
„parce nunc in hora!"

Minime, hercle, in re tali rettulisse credo, utrum parentes Suevi fuerint an alia ex gente oriundi. Poeta nimirum scripsit:

sunt parentes mihi s a e v i.

P. H. D.

Digitized by Google

ITERVM DE VIRGINIBVS VESTALIBVS.

SCRIPSIT

H. I. ROSE.

Cum non ita pridem apud *Mnemosynen* de uirginibus Vestalibus disputarem atque demonstrare conarer non matris familias uice sed filiarum potius eas functas esse [1]), fugit me nescio quo pacto argumentum, ut nunc quidem censeo, ualidissimum, quo constat unam saltem rem eas assidue factitasse quam matronis facere antiquitus non liceret.

Scimus enim antiquitus uetitas fuisse matronas Romanas et coquere et pinsere: huius rei testis extat Plutarchus, quem credibile est quaè dicat aut a rege Iuba aut a Verrio Flacco uel hercule ab ambobus petiuisse; uide *quaestiones Romanas*, LXXXV, et quae adnotaui, *Roman Questions of Plutarch*, p. 204; tota res optime illustratur apud Crawley-Besterman, *Mystic Rose*^{2}, I, cap. VII. ergo si aut coquebant aut pinsebant fruges uirgines Vestales, ueri simile est eas non matronarum partes egisse. sane omnino necesse erat in familiis Romanorum antiquissimis ut aliquis ea negotia obiret; serui autem aut perpauci aut nulli antiquitus erant, filii, ut iam antea dixi, nisi admodum parui, cum patribus plerumque uersabantur; quis igitur reliquos erat qui frumentum ad cotidianos usus expromeret torreret pinseret coqueret, negotium necessarium, non adeo laboriosum, matri familias illicitum? mane fortasse uiri aliquantum frumenti pinsebant; cetera crediderim filias perfecisse, quae quidem iam habiles ad ea negotia fuerint necdum tamen nubiles, eamque ob causam magica illa potentia uacuas quam habere mulieres credebant homines simplices atque credunt.

1) *Mnemos.* 54 (1926), p. 440 sqq.

Digitized by Google

Restat igitur ut monstrem uirgines talibus muneribus functas esse, nec longo sermone ad ea demonstranda opus erit. ut uel panem uel pultem facias, primum aliquod genus frumenti oportet ut habeas; scimus Vestales farris spicas mense Maio messuisse [1]). tum salem adhibeas necesse est; notum est eas muriem confecisse condidisse prompsisse serra farrea secuisse ad sacra adhibuisse [2]). iam misceas salem cum frumento uel pinso uel molito oportet; scimus eas molam salsam fecisse, quae nihil aliud est quam far tunsum ac sale mixtum [3]). ergo quae ad cibum parandum summa sunt, ea omnia factitabant Vestales; ergo, mea quidem sententia, non matris sed filiarum obibant munera.

1) Seruius auctus ad Verg., *Bucol.*, VIII, 82.
2) Fabius Pictor et Varro apud Nonium, p. 223, 17 M., 330 Lindsay
3) Seruius auctus *ibid.*

Digitized by Google

DE ANTIPHONTIS ORATIONE PRIMA.

SCRIPSIT

J. H. THIEL.

II.

Divide ut regnes.

II. *De orationis compositione.* Orationis nostrae compositionem plane fuseque disputare non mihi est in animo; res enim praeclaras Wilamowitzio [1]) atque Keilio [2]) argutissime notatas uberrimeque tractatas repetere haud meum puto. Consulto orationem ita esse compositam, ut argumentationis debilitas quam diligentissime dissimuletur, probare conabor; id tantum mihi proposui. Antiphontem in orationibus componendis regulas rhetoricas a posterioribus conceptas saepe non esse secutum facillime intelligitur [3]); tamen, quamvis in Antiphontis oratione eaque veterrima res normae rhetoricae repugnantes expectes, ex propriis eas causae necessitatibus intelligere quam artis rhetoricae rudi atque procaci pueritiae soli imputare praestat. Itaque causam ipsam eiusque difficultates solas adhibebo ad enormem sane orationis compositionem explicandam; cetera attingere vel ideo libenter supersedeo, quod artis rhetoricae Graecae minus me esse peritum fatendum est.

Proöemium (1—4) argumentatio excipit (5—13); argumentationem narratio (14—20), hanc amplificatio quaedam (21—27) sequitur. Priusquam ad hunc tam mirum ordinem disputandum accedamus, argumentatio ipsa per se consideranda est. Quae

1) *L. l.* p. 198 sq.

2) *Jahrb. f. class. Phil.* (Fleckeisen) XXXIII (1887), p. 89 sq.

3) Wilam. *l. l.: sie ist ein Erzeugniss der Jugendzeit, wo die Beredsamkeit noch nicht in die spanischen Stiefel der Rhetorik eingezwängt war.*

Digitized by Google

uno solo argumento tota nititur atque occupatur; accusator enim ream iam antea saepius marito medicamentum amatorium dare conatam esse asseverat; qua de re adversariorum servos testimonium reddere posse contendit; quod novercae filii servos illos in quaestionem dare recusaverunt, id in conscientiam ducendo suspicionem movere studet. Immerito eiusmodi detrectationem in conscientiam duci solitam supra iam demonstravimus [1]); accedit autem quod de prioribus tantum novercae machinationibus servi testimonium reddere poterant, non de ipso scelere; qua re argumentatio per se debilissima debili fit debilior. Itaque id ante omnia accusatori agendum erat, ut lubricam istam rem quam maxime obscuraret; divisit igitur argumentationem atque iteravit [2]). Primo (5—7) quaestionis repulsam universe atque ambigue disputat: matrem sceleris expertem se certo scire ne dicat frater; quibus enim rebus certior fieri potuit, tormentis scilicet, iis rem comperire noluit. Quis iudex talia audiens servos (si omnino quid noverant) de prioribus tantum conatibus testimonium reddere posse, de ipso vero scelere nil scire suspicari potuit? Postea demum, ubi rem dilatat et singula persequitur (8 sq.), in transitu id significat. Vide quam callide locum ancipitem (9) abstruserit in longam illam atque tortuosam periodum, qua hoc ante omnia clarissima in luce ponere studeat, quam aequum atque moderatum servos in quaestionem deposcendo se ipse praestiterit [3]). Omne mendacium evitans tamen argumentationis iteratione efficit, ut iudices de rerum veritate fallantur.

Sed et ipsa argumentatio maiorem vim quam res, quae ei fundamento sunt, non habet: novercam iam antea maritum necare conatam esse accusator non demonstravit neque omnino id demonstrare potuit, quoniam servos, qui soli conscii erant, torquere non potuerat. Hoc tantum pro argumento afferre

1) *Mnem.* LV, p. 330—'31.

2) Wilamowitzium sequor (*l. l.* p. 200 sq.).

3) Gernettium (in Antiphontis editione) periodi sensum non intellexisse in transitu annoto: perperam enim verba τῇ δικαιοτάτῃ βασάνῳ χρήσασθαι (8) vertit: *recourir au plus juste des moyens, la torture* et verba ὀρθῶς καὶ δικαίως (10): *à bon droit et justement*; immo *aequissima quaestionis ratione uti* et *ratione aequa ac iusta*.

Digitized by Google

potuit, adversarios ideo quaestionem detrectavisse, quod culpae sibi conscii essent. Quod diligenter obscurare studet, dum alio loco (proöemii § 3) verbis fiduciae plenis se et veteres istas machinationes et ipsum veneficium demonstraturum esse affirmat [1]). Tam fortiter argumenta pollicetur, ut Gernettius [2]) lacunam suspicetur, ubi argumenta illa exciderint. Quod vel ideo vix credibile, quoniam praeter servos testes non praesto erant, de servis autem quaestionem habere scilicet non potuerat; plus argumentorum afferre quam in paragraphis 5—13 attulit omnino non potuit. Immo et haec asseveratio callidum artificium continet, quo aures memoriamque iudicum in errorem inducat: quod meram umbram argumentationis postea allaturus erat, ob id ipsum se reae culpam demonstraturum esse initio orationis tanta gravitate asseveravit, id videlicet agens, ut iudices haec verba gravia imprimis memoria tenerent, per ambages contra argumentationis tortuosae se sequi non possent obque id ipsum, quod argumenta promisisset, rerum veritatem argumentationi subesse confiderent. Quae verba argumentationi ipsi scilicet non adiunxit, sed diligenter ab ea separavit, ne discrepantia statim appareret. Hic quoque id studuit ut dividendo iudicibus imponeret.

Narrationem (14—20) summa arte oratoria esse compositam supra demonstravimus [3]); sed quamvis ad iudicum animos permovendos apta videatur, res hic enarratas maximam partem plane fictas esse neque veritate niti non obliviscendum est; de novercae servaeque colloquio accusator nosse nil potuit, de cena tantum a patre certior factus videtur [4]). Itaque testes ad narrationem confirmandam non profert neque omnino proferre potuit; non enim fuerant [5]).

Ea pars orationis, quae narrationem excipit (21—27), argumentationis amplificatio quaedam iure appelletur, quamvis narratione interposita ab argumentatione, qua nititur, seiuncta sit.

1) Δέομαι δ' ὑμῶν, ὦ ἄνδρες, ἐὰν ἀποδείξω κτλ. Hic quoque data opera conatus veteres ipsumque scelus coniunxit, etsi servi de illis tantum testimonium reddere poterant, v. s. 2) *L. l.* p. 36. 3) *L. l.* p. 333.

4) De servae testimonio v. s. *l. l.* p. 327 sq.

5) In oratione sexta nostrae multis in rebus comparanda reus testes praebet, qui narrationem confirment (6, 15).

Digitized by Google

Iudicum hic animos permovere tantummodo studet accusator, ut argumentationi res imprimis spectanti vim addat: accusatoris patrem ulciscentis iustissima causa fratrum patrem prodentium matremque parricidam defendentium impietati opponitur; rea, quae ipsa mariti non sit miserita, misericordia non digna est, immo mortem meruit. Sed quamquam amplificatio ad argumentationem corroborandam addita est, re hac sola nititur ipsa. In paragraphis 21—27 nullum iam argumentum additur ad novercam culpae coarguendam; culpam argumentatione (5—13) se demonstrasse ponit accusator, ubi tamen nihilo magis quicquam demonstratum esse supra vidimus. Itaque pars orationis, quae paragraphis 21—27 continetur, nisi quod ad iudices fallendos apta sane est, nullius est pretii neque ullam demonstrandi vim habet. Verba qualia §§ 21 sq. invenimus: "causa mea iustior est quam fratris; namque ego patrem mortuum ulciscor, ille vero matrem parricidam vindicat", omni fundamento orba sunt, quoniam novercam revera scelus admisisse nondum demonstratum est.

Reliquum est ut ipsum, ut ita dicam, cardinem compositionis disputemus: quid Antiphontem adduxit ut narrationem non, ut moris erat, ante argumentationem, verum inter hanc atque amplificationem quamvis ea nitentem collocaret? Quam quaestiunculam solvere non iam difficile videtur. Nam primum id accusatori agendum erat ut amplificationem ab argumentatione divideret, quamquam — immo quoniam haec illi fundamento esset: in amplificatione id argumentatione demonstratum ponit, quod revera haudquaquam demonstratum est; quodsi argumentationi amplificationem subiunxisset, iudices rerum fundamento hanc carere statim sensissent; nunc vero narratio gravis atque speciosa intercedit ad argumentorum debilitatem obscurandam. Accedit quod amplificatio, quae sensus tantummodo iudicum implorat animosque eorum permovere studet, multo melius narrationi adiungitur, quae et ipsa tragicum spiret, quam argumentationi mentem scilicet praecipue appellanti. Narratio contra minime apta erat quae initio orationis statim post proöemium collocaretur. Res enim magna ex parte fictas continet, quas ad demonstrandas neque testes neque argumenta afferri possunt. Audax sane inceptum fuisset, si

Digitized by Google

haec initio statim orationis iudicibus animos acriter adhuc attendentibus enarravisset. Itaque iter tutissimum ingressus est: primo argumentis e quaestione recusata desumptis iudices in adversarios accendere suspicionemque movere studuit [1]); tum demum narrationem fundamentis testibusque carentem adiunxit. Tali ordine orationem componendo effecit orator ut argumentatio atque amplificatio narrationem, haec illas corroboraret: narratio tragica, cui amplificatio sensus iudicum et ipsa appellans optime adiungitur, hanc ab argumentatione dividit atque ita efficit ut amplificationem debilissima argumentatione niti iudices praetereat; argumentatio contra iudices in suspicionem atque iram adducendo narrationem testibus orbam secum abripit. Unde factum est ut narratio et ipsa velut pars argumentationis videatur [2]); iam locum obtinet, qui pro gravi atque tragica indole ei debetur: et centrum et fastigium totius orationis est.

Iam eas paragraphos inspiciamus, quae amplificationem excipiunt (28—30); nam callidae dividendi rationis supra iam significatae optimum exemplum praebent. Testes accusator praebere non potest; quod quamvis molestum tacere non debuit, quippe quod ab adversariis dilatatum iri exspectaret. Itaque locum lubricum disputavit quidem, ita tamen ut rei invidiam in fratrem avertere astute conaretur. Testes proferri non posse concedit quidem, sed adversariorum in damnum id vertere studet: frater periurus est, nam matrem innocentem esse se certo scire iuravit; quod, cum testes desint, certo scire omnino non potest. Non huius loci, verum argumentationis id esse nemo non videt; quid tamen eum adduxerit ut hic disputaret vitaretque argumentationi narrationique interponere, facile perspicimus [3]). Ipsum nempe argumentatione nil demonstrasse

1) Quamvis debile tale argumentum nobis videatur, ex eo quod oratores Graeci saepius locum illum dilatant, iudices Graecos vim quandam iis rebus tribuisse apparet. Quod ipse servos deposcendo tam moderatum se praestiterat (9—10) neque tamen fratres servos dediderant, id vel maxime efficere debuit ut adversarii iudicibus suspicioni essent. 2) Keil *l. l.* p. 100.

3) Wilam. *l. l.* p. 209: *wohl gehörte dieser Theil zur βεβαίωσις, also nach der sonstigen Anlage dieser Rede vor die Erzählung. Aber dann geriethen das dicht nebeneinander, was sich gegenseitig widerspricht. Die natürliche Ordnung musste also verlassen werden.*

Digitized by Google

quae in Asia Seres, Indos, Persas, in Africa Aegyptos, in Europa Graecos, Romanos, Celtos haberet confessores. Quin etiam omnes astronomi inde ab Hipparcho usque ad Kepplerum, id est ab anno 150 fere a. C. n. usque ad annum Domini 1600 idem fuerunt astrologi fideles. Sic intellegitur principem historicorum Romanorum et ipsum astrologiam existimasse suam religionem.

Suevi — Saevi.

Lectiones prorsus ineptas, quin etiam ridiculas lenta vivacitate haud raro frui antea saepe expertus sum et nuper rursus me docuit locus qui est in Carminibus quae dicuntur Buranis (ed. J. A. Schmeller a. 1904). In carmine 52 pag. 146 iuvenis 'pastorellam' pulcherrimam expetit,

quae respondit verbo brevi:
„ludos viri non assuevi,
„sunt parentes mihi Suevi;
„mater longioris aevi
„irascetur pro re levi.
„parce nunc in hora!"

Minime, hercle, in re tali rettulisse credo, utrum parentes Suevi fuerint an alia ex gente oriundi. Poeta nimirum scripsit:

sunt parentes mihi s a e v i.

P. H. D.

Digitized by Google

ITERVM DE VIRGINIBVS VESTALIBVS.

SCRIPSIT

H. I. ROSE.

Cum non ita pridem apud *Mnemosynen* de uirginibus Vestalibus disputarem atque demonstrare conarer non matris familias uice sed filiarum potius eas functas esse [1]), fugit me nescio quo pacto argumentum, ut nunc quidem censeo, ualidissimum, quo constat unam saltem rem eas assidue factitasse quam matronis facere antiquitus non liceret.

Scimus enim antiquitus uetitas fuisse matronas Romanas et coquere et pinsere: huius rei testis extat Plutarchus, quem credibile est quaè dicat aut a rege Iuba aut a Verrio Flacco uel hercule ab ambobus petiuisse; uide *quaestiones Romanas*, LXXXV, et quae adnotaui, *Roman Questions of Plutarch*, p. 204; tota res optime illustratur apud Crawley-Besterman, *Mystic Rose*^{2}, I, cap. VII. ergo si aut coquebant aut pinsebant fruges uirgines Vestales, ueri simile est eas non matronarum partes egisse. sane omnino necesse erat in familiis Romanorum antiquissimis ut aliquis ea negotia obiret; serui autem aut perpauci aut nulli antiquitus erant, filii, ut iam antea dixi, nisi admodum parui, cum patribus plerumque uersabantur; quis igitur reliquos erat qui frumentum ad cotidianos usus expromeret torreret pinseret coqueret, negotium necessarium, non adeo laboriosum, matri familias illicitum? mane fortasse uiri aliquantum frumenti pinsebant; cetera crediderim filias perfecisse, quae quidem iam habiles ad ea negotia fuerint necdum tamen nubiles, eamque ob causam magica illa potentia uacuas quam habere mulieres credebant homines simplices atque credunt.

1) *Mnemos.* 54 (1926), p. 440 sqq.

Digitized by Google

Restat igitur ut monstrem uirgines talibus muneribus functas esse, nec longo sermone ad ea demonstranda opus erit. ut uel panem uel pultem facias, primum aliquod genus frumenti oportet ut habeas; scimus Vestales farris spicas mense Maio messuisse [1]). tum salem adhibeas necesse est; notum est eas muriem confecisse condidisse prompsisse serra farrea secuisse ad sacra adhibuisse [2]). iam misceas salem cum frumento uel pinso uel molito oportet; scimus eas molam salsam fecisse, quae nihil aliud est quam far tunsum ac sale mixtum [3]). ergo quae ad cibum parandum summa sunt, ea omnia factitabant Vestales; ergo, mea quidem sententia, non matris sed filiarum obibant munera.

1) Seruius auctus ad Verg., *Bucol.*, VIII, 82.
2) Fabius Pictor et Varro apud Nonium, p. 223, 17 M., 330 Lindsay
3) Seruius auctus *ibid.*

Digitized by Google

DE ANTIPHONTIS ORATIONE PRIMA.

SCRIPSIT

J. H. THIEL.

II.

Divide ut regnes.

II. *De orationis compositione.* Orationis nostrae compositionem plane fuseque disputare non mihi est in animo; res enim praeclaras Wilamowitzio [1]) atque Keilio [2]) argutissime notatas uberrimeque tractatas repetere haud meum puto. Consulto orationem ita esse compositam, ut argumentationis debilitas quam diligentissime dissimuletur, probare conabor; id tantum mihi proposui. Antiphontem in orationibus componendis regulas rhetoricas a posterioribus conceptas saepe non esse secutum facillime intelligitur [3]); tamen, quamvis in Antiphontis oratione eaque veterrima res normae rhetoricae repugnantes expectes, ex propriis eas causae necessitatibus intelligere quam artis rhetoricae rudi atque procaci pueritiae soli imputare praestat. Itaque causam ipsam eiusque difficultates solas adhibebo ad enormem sane orationis compositionem explicandam; cetera attingere vel ideo libenter supersedeo, quod artis rhetoricae Graecae minus me esse peritum fatendum est.

Proöemium (1—4) argumentatio excipit (5—13); argumentationem narratio (14—20), hanc amplificatio quaedam (21—27) sequitur. Priusquam ad hunc tam mirum ordinem disputandum accedamus, argumentatio ipsa per se consideranda est. Quae

1) *L. l.* p. 198 sq.

2) *Jahrb. f. class. Phil.* (Fleckeisen) XXXIII (1887), p. 89 sq.

3) Wilam. *l. l.: sie ist ein Erzeugniss der Jugendzeit, wo die Beredsamkeit noch nicht in die spanischen Stiefel der Rhetorik eingezwängt war.*

Digitized by Google

uno solo argumento tota nititur atque occupatur; accusator enim ream iam antea saepius marito medicamentum amatorium dare conatam esse asseverat; qua de re adversariorum servos testimonium reddere posse contendit; quod novercae filii servos illos in quaestionem dare recusaverunt, id in conscientiam ducendo suspicionem movere studet. Immerito eiusmodi detrectationem in conscientiam duci solitam supra iam demonstravimus [1]); accedit autem quod de prioribus tantum novercae machinationibus servi testimonium reddere poterant, non de ipso scelere; qua re argumentatio per se debilissima debili fit debilior. Itaque id ante omnia accusatori agendum erat, ut lubricam istam rem quam maxime obscuraret; divisit igitur argumentationem atque iteravit [2]). Primo (5—7) quaestionis repulsam universe atque ambigue disputat: matrem sceleris expertem se certo scire ne dicat frater; quibus enim rebus certior fieri potuit, tormentis scilicet, iis rem comperire noluit. Quis iudex talia audiens servos (si omnino quid noverant) de prioribus tantum conatibus testimonium reddere posse, de ipso vero scelere nil scire suspicari potuit? Postea demum, ubi rem dilatat et singula persequitur (8 sq.), in transitu id significat. Vide quam callide locum ancipitem (9) abstruserit in longam illam atque tortuosam periodum, qua hoc ante omnia clarissima in luce ponere studeat, quam aequum atque moderatum servos in quaestionem deposcendo se ipse praestiterit [3]). Omne mendacium evitans tamen argumentationis iteratione efficit, ut iudices de rerum veritate fallantur.

Sed et ipsa argumentatio maiorem vim quam res, quae ei fundamento sunt, non habet: novercam iam antea maritum necare conatam esse accusator non demonstravit neque omnino id demonstrare potuit, quoniam servos, qui soli conscii erant, torquere non potuerat. Hoc tantum pro argumento afferre

1) *Mnem.* LV, p. 330—'31.

2) Wilamowitzium sequor (*l. l.* p. 200 sq.).

3) Gernettium (in Antiphontis editione) periodi sensum non intellexisse in transitu annoto: perperam enim verba τῇ δικαιοτάτῃ βασάνῳ χρήσασθαι (8) vertit: *recourir au plus juste des moyens, la torture* et verba ὀρθῶς καὶ δικαίως (10): *à bon droit et justement*; immo *aequissima quaestionis ratione uti* et *ratione aequa ac iusta*.

Digitized by Google

potuit, adversarios ideo quaestionem detrectavisse, quod culpae sibi conscii essent. Quod diligenter obscurare studet, dum alio loco (proöemii § 3) verbis fiduciae plenis se et veteres istas machinationes et ipsum veneficium demonstraturum esse affirmat [1]). Tam fortiter argumenta pollicetur, ut Gernettius [2]) lacunam suspicetur, ubi argumenta illa exciderint. Quod vel ideo vix credibile, quoniam praeter servos testes non praesto erant, de servis autem quaestionem habere scilicet non potuerat; plus argumentorum afferre quam in paragraphis 5—13 attulit omnino non potuit. Immo et haec asseveratio callidum artificium continet, quo aures memoriamque iudicum in errorem inducat: quod meram umbram argumentationis postea allaturus erat, ob id ipsum se reae culpam demonstraturum esse initio orationis tanta gravitate asseveravit, id videlicet agens, ut iudices haec verba gravia imprimis memoria tenerent, per ambages contra argumentationis tortuosae se sequi non possent obque id ipsum, quod argumenta promisisset, rerum veritatem argumentationi subesse confiderent. Quae verba argumentationi ipsi scilicet non adiunxit, sed diligenter ab ea separavit, ne discrepantia statim appareret. Hic quoque id studuit ut dividendo iudicibus imponeret.

Narrationem (14—20) summa arte oratoria esse compositam supra demonstravimus [3]); sed quamvis ad iudicum animos permovendos apta videatur, res hic enarratas maximam partem plane fictas esse neque veritate niti non obliviscendum est; de novercae servaeque colloquio accusator nosse nil potuit, de cena tantum a patre certior factus videtur [4]). Itaque testes ad narrationem confirmandam non profert neque omnino proferre potuit; non enim fuerant [5]).

Ea pars orationis, quae narrationem excipit (21—27), argumentationis amplificatio quaedam iure appelletur, quamvis narratione interposita ab argumentatione, qua nititur, seiuncta sit.

1) Δέομαι δ' ὑμῶν, ὦ ἄνδρες, ἐὰν ἀποδείξω κτλ. Hic quoque data opera conatus veteres ipsumque scelus coniunxit, etsi servi de illis tantum testimonium reddere poterant, v. s. 2) *L. l.* p. 36. 3) *L. l.* p. 333.

4) De servae testimonio v. s. *l. l.* p. 327 sq.

5) In oratione sexta nostrae multis in rebus comparanda reus testes praebet, qui narrationem confirment (6, 15).

Digitized by Google

Iudicum hic animos permovere tantummodo studet accusator, ut argumentationi res imprimis spectanti vim addat: accusatoris patrem ulciscentis iustissima causa fratrum patrem prodentium matremque parricidam defendentium impietati opponitur; rea, quae ipsa mariti non sit miserita, misericordia non digna est, immo mortem meruit. Sed quamquam amplificatio ad argumentationem corroborandam addita est, re hac sola nititur ipsa. In paragraphis 21—27 nullum iam argumentum additur ad novercam culpae coarguendam; culpam argumentatione (5—13) se demonstrasse ponit accusator, ubi tamen nihilo magis quicquam demonstratum esse supra vidimus. Itaque pars orationis, quae paragraphis 21—27 continetur, nisi quod ad iudices fallendos apta sane est, nullius est pretii neque ullam demonstrandi vim habet. Verba qualia §§ 21 sq. invenimus: "causa mea iustior est quam fratris; namque ego patrem mortuum ulciscor, ille vero matrem parricidam vindicat", omni fundamento orba sunt, quoniam novercam revera scelus admisisse nondum demonstratum est.

Reliquum est ut ipsum, ut ita dicam, cardinem compositionis disputemus: quid Antiphontem adduxit ut narrationem non, ut moris erat, ante argumentationem, verum inter hanc atque amplificationem quamvis ea nitentem collocaret? Quam quaestiunculam solvere non iam difficile videtur. Nam primum id accusatori agendum erat ut amplificationem ab argumentatione divideret, quamquam — immo quoniam haec illi fundamento esset: in amplificatione id argumentatione demonstratum ponit, quod revera haudquaquam demonstratum est; quodsi argumentationi amplificationem subiunxisset, iudices rerum fundamento hanc carere statim sensissent; nunc vero narratio gravis atque speciosa intercedit ad argumentorum debilitatem obscurandam. Accedit quod amplificatio, quae sensus tantummodo iudicum implorat animosque eorum permovere studet, multo melius narrationi adiungitur, quae et ipsa tragicum spiret, quam argumentationi mentem scilicet praecipue appellanti. Narratio contra minime apta erat quae initio orationis statim post proöemium collocaretur. Res enim magna ex parte fictas continet, quas ad demonstrandas neque testes neque argumenta afferri possunt. Audax sane inceptum fuisset, si

Digitized by Google

haec initio statim orationis iudicibus animos acriter adhuc attendentibus enarravisset. Itaque iter tutissimum ingressus est: primo argumentis e quaestione recusata desumptis iudices in adversarios accendere suspicionemque movere studuit [1]); tum demum narrationem fundamentis testibusque carentem adiunxit. Tali ordine orationem componendo effecit orator ut argumentatio atque amplificatio narrationem, haec illas corroboraret: narratio tragica, cui amplificatio sensus iudicum et ipsa appellans optime adiungitur, hanc ab argumentatione dividit atque ita efficit ut amplificationem debilissima argumentatione niti iudices praetereat; argumentatio contra iudices in suspicionem atque iram adducendo narrationem testibus orbam secum abripit. Unde factum est ut narratio et ipsa velut pars argumentationis videatur [2]); iam locum obtinet, qui pro gravi atque tragica indole ei debetur: et centrum et fastigium totius orationis est.

Iam eas paragraphos inspiciamus, quae amplificationem excipiunt (28—30); nam callidae dividendi rationis supra iam significatae optimum exemplum praebent. Testes accusator praebere non potest; quod quamvis molestum tacere non debuit, quippe quod ab adversariis dilatatum iri exspectaret. Itaque locum lubricum disputavit quidem, ita tamen ut rei invidiam in fratrem avertere astute conaretur. Testes proferri non posse concedit quidem, sed adversariorum in damnum id vertere studet: frater periurus est, nam matrem innocentem esse se certo scire iuravit; quod, cum testes desint, certo scire omnino non potest. Non huius loci, verum argumentationis id esse nemo non videt; quid tamen eum adduxerit ut hic disputaret vitaretque argumentationi narrationique interponere, facile perspicimus [3]). Ipsum nempe argumentatione nil demonstrasse

1) Quamvis debile tale argumentum nobis videatur, ex eo quod oratores Graeci saepius locum illum dilatant, iudices Graecos vim quandam iis rebus tribuisse apparet. Quod ipse servos deposcendo tam moderatum se praestiterat (9—10) neque tamen fratres servos dediderant, id vel maxime efficere debuit ut adversarii iudicibus suspicioni essent. 2) Keil *l. l.* p. 100.

3) Wilam. *l. l.* p. 209: *wohl gehörte dieser Theil zur* βεβαίωσις, *also nach der sonstigen Anlage dieser Rede vor die Erzählung. Aber dann gerieth das dicht nebeneinander, was sich gegenseitig widerspricht. Die natürliche Ordnung musste also verlassen werden.*

Digitized by Google

narrationemque prorsus finxisse iudices statim sensissent; ipse enim nihilo magis quam frater testes adhibuerat. Nam verba *πῶς γὰρ ἄν τις εὖ εἰδείη οἷς μὴ παρεγένετο αὐτός* (28), quae in fratrem intendit, in ipso ideo multo magis valent, quod demonstrandi officium ad *accusatorem*, non ad *reum* pertinet. Accedit quod de testibus in orationis fine disputando perorationem gravem atque pietatis plenam optime adiungere potuit: testes non praesto sunt, itaque ego solus rem compertam habeo, me enim solum pater moriens de sceleris auctore certiorem fecit utque ulciscerer mandavit; homo moriens divino quodam instinctu auctorem caedis mentis oculis videt et propinquis indicat. Tragica *ἐπισκήψεως* appellatio, quamvis et ipsa re invalida, praecedenti de testibus disputationi egregie adiungitur.

Summam orationis iam respicientibus dilucide apparet, quam egregie Antiphon orationem composuerit; quae artis rhetoricae tironis inertiae imputari solent, ea callidae potius argutiae existimanda sunt, quibus causa per se debilissima valida videatur. Hoc modo cogitatione fingamus, quid, si causam sine fallaciis nudavisset, de oratione factum esset. Si in proöemio se reae culpam demonstraturum non asseverasset, si proöemio narrationem subiunxisset addito nil posse demonstrari, quoniam testes praesto non essent, si narrationem argumentatio sine iteratione excepisset, ita ut servos de prioribus tantum conatibus testimonium reddere posse plane apparuisset, si denique argumentationi inani amplificationem multo magis inanem addidisset, num, rogo, se iudicibus persuasurum esse ullam spem habere potuisset? Et iam taceo de patris eiusque amici haud sane integris moribus diligenter dissimulatis, de servae testimonio callide in umbram represso aliisque rebus supra iam disputatis. Non est quod orationem Antiphonte indignam iudicemus, immo admirationem ei debemus, non profecto ob morum integritatem — sed quid hisce in rebus de Lysia, Demosthene, Cicerone, hodiernis eorum imitatoribus facias —, verum ob ingenii acumen atque sollertiam in oratione componenda ostentatam.

III. *De delicti obiecti indole.* *Οὗτος ὁ νόμος καὶ πρότερον ἦν καὶ ὡς καλῶς ἔχων καὶ νῦν ἐστι, καὶ χρῆσθε αὐτῷ, τὸν βουλεύσαντα ἐν τῷ αὐτῷ ἐνέχεσθαι καὶ τὸν τῇ χειρὶ ἐργασάμενον* (Andoc. 1,

Digitized by Google

94). Instigare, provocare ad scelus iure Attico prorsus idem est atque scelus ipsum perpetrare, neque delictum proprium existimatur; qui instigando, provocando, mandando [1]) sceleris auctor est, is perinde postulatur atque punitur ac si manu facinus perpetrasset. Quod non ex loco Andocidis solum supra laudato, sed etiam ex aliis compluribus locis, quibus nostra quoque oratio annumeranda est, concludere licet: novercam paelicem ad scelus instigasse neque ipsam perpetrasse ipse accusator affirmat; tamen *φόνου ἑκουσίου*, non instigationis [2]) accusatur, quin eo usque instigationem ipsi facinori assimulando accusator progreditur, ut novercam *τὴν χειρουργήσασαν* appellet [3]). Itaque noverca simul *βουλεύσασα* sive *αἰτία* [4]) est, simul *χειρουργήσασα*; quae res quoniam iure Attico non distinguuntur, *φόνου ἑκουσίου* accusatur vel (v. i.) *φαρμάκων ἑκουσίων*. Quod [5]) confirmatur lege Draconis quae dicitur, qua *ὁ φόνου αἴτιος* ei, qui homicidam sua manu interfecerit, prorsus assimulatur (Dem. 23, 37; Dittenb. I^3, 111, v. 26 sq.); idem ferme apud Platonem invenies (*Leg.* 9, 872 *a*).

In nece involuntaria veneficioque non ex intentione commisso [6]) vindicandis eadem valuisse ex Antiphontis oratione sexta apparet. Reus, qui choragi munus susceperat, administris suis mandavisse arguitur, ut chori puero potionem vocis causa ministrarent; puero ex potione mortuo *φόνου ἀκουσίου* accusatur [7]). Utrum ipse puero medicamentum dederit an aliis mandaverit, id nihil ad rem; se sontem fore, si dare mandavisset, reus

---

1) Quae omnia verbum *βουλεύειν* complectitur, cf. Maschke, *die Willenslehre im Griech. Recht* p. 87.

2) Vide e. g. 5 *τῆς ἑκουσίως ἐκ προνοίας ἀποκτεινάσης*, 10 *τὸν φονέα τοῦ πατρός*, 26 *ἡ μὲν ἑκουσίως καὶ βουλεύσασα ἀπέκτεινεν*, etc.

3) § 20; quod iuri Attico haud repugnans coniectura non vitiandum est; quamquam nostro quoque iure, si causa omnino ad iudicium perveniret, *φόνου* noverca accusaretur: serva accusatoris iudicio nil nisi manus ministra est (*ὑπηρέτημα* § 15).

4) Quae prorsus idem valent, cf. Plato *Leg.* 9, 872 a et Dem. 23, 37.

5) Cf. Lipsius, *das Att. Recht und Rechtsverfahren* p. 124 sq. et Treston, *Poine* p. 223 sq.

6) Athenienses veneficium involuntarium a veneficio dolo malo commisso non distinxisse haud iure suo contendit Maschke, cf. Arist. *Ἀθ. πολ.* 57, 3 et *Magn. Mor.* 1, 16, 1188 *b*.

7) Apud nos *dood door schuld*, cf. Maschke p. 74 sq.

Digitized by Google

ipse concedit (15 et 17); ex accusatorum quoque verbis a reo laudatis *αἰτιῶνται δὲ οὗτοι μὲν ἐκ τούτων, ὡς αἴτιος ὃς ἐκέλευσε πιεῖν τὸν παῖδα τὸ φάρμακον ἢ ἠνάγκασεν ἢ ἔδωκεν* (17) dilucide apparet eos mandatum (*ἐκέλευσε*) non ab ipso facinore distinxisse: quod ad ius attinet, nihil intererat inter *τὸ κελεύειν* et *τὸ διδόναι*. Itaque talibus in causis verbum *βουλεύειν* non sceleris instigationem significat (abest enim dolus malus), verum ad eum pertinet, qui ministris mandando casus tristis inscius auctor fiat [1]); quod tamen delictum proprium non existimatur: *φόνου* reus postulatus est (9). Prorsus idem apud Platonem invenimus (*Leg.* 9, 865 *b*): *ἐὰν δὲ αὐτόχειρ μέν, ἄκων δὲ ἀποκτείνῃ τις ἕτερος ἕτερον.... αὐτὸς τῷ ἑαυτοῦ σώματι ἢ δι' ἑτέρων σωμάτων, πάντως ἔστω μὲν ὡς αὐτοχειρ κτλ.* Is, qui facinus mandavit, non distinguitur ab eo, qui sua manu perpetravit. Itaque non dicendum, ut moris est, novercam *βουλεύσεως φόνου ἑκουσίου* et choragum orationis sextae *βουλεύσεως φόνου ἀκουσίου* accusari: quoniam de delicto proprio non agitur, proprio delicti nomini nihilo magis locus est; quamvis *βουλεύσαντες* sint, *φόνου* postulantur neque *βουλεύσεως*, quippe quae vox terminus technicus fuisset ad delictum proprium significandum usurpatus. Neque ab Antiphonte ceterisve oratoribus vox *βουλεύσεως* tali sensu adhibetur, quamvis crebro verbo *βουλεύειν* hisce in rebus utantur; Plato quoque, ubi de necis instigatore loquitur (*Leg.* 9, 872 *a*), iuxta verba hisce in rebus usitata (*βουλεύειν θάνατον* et *αἴτιος*) vocem *βουλεύσεως* non adhibet, verum dicit *τῇ βουλήσει τε καὶ ἐπιβουλεύσει ἀποκτείνας*. Ideo, opinor, consulto vocem *βουλεύσεως* fugit, quoniam terminus technicus erat stricto sensu adhibitus ad aliud delictum significandum [2]).

---

1) Verbum *βουλεύειν* de nece involuntaria usurpatum contradictio in terminis multis videtur, quoniam hoc verbo actio voluntaria et cogitata significatur. Verum ita me iudice res se habet: ubi de scelere involuntario agitur, verbum *βουλεύειν* pertinet ad *mandandi* actionem, quae voluntaria et meditata sane est, cum tamen facinoris auctor, quid mali ex mandato sit proventurum, sibi conscius non sit, cf. Maschke p. 77 et 89. Itaque verba *ἀποκτεῖναί με Διόδοτον βουλεύσαντα τὸν θάνατον* (16) haec ferme significant: *me id ministris mandando Diodotum interfecisse, quod mortis haud meditatae causa fieret.* Prorsus idem habes in tetralogia tertia *γ* 4 *βουλευτὴν τοῦ θανάτου*, cf. Lipsius *l. l.* p. 612.

2) Infra rem fusius tractabimus.

Digitized by Google

Tamen multi saepe et nostram orationem et sextam in *βουλεύσεως* causis habitas existimaverunt, Aristotelis testimonio [1]) adducti utramque Palladio assignantes [2]). Quod vel ideo vix credibile, quoniam ex ipsis orationis nostrae verbis (§ 22 *ὑμεῖς δ' οὐ τῶν ἀποκτεινάντων ἐστὲ βοηθοί, ἀλλὰ τῶν ἐκ προνοίας ἀποθνησκόντων, καὶ ταῦτα ὑφ' ὧν ἥκιστα αὐτοὺς ἐχρῆν ἀποθνήσκειν* et cf. § 3) in Areopago eam esse habitam [3]) neque *βουλεύσεως*, verum *φόνου* novercam accusatam fuisse apparet [4]). Quin *ὁ βασιλεὺς* novercae filiis scelus prorsus negantibus facere omnino non potuit quin causam ad Areopagum revocaret [5]). Sexta vero oratio habita quidem est in Palladio, non autem quo de *βουλεύσεως* causa ageretur, sed quod *φόνου ἀκουσίου* choragus accusatus erat [6]).

Itaque sic me quidem iudice res se habet: in *βουλεύσεως* causis ab Aristotele Palladio soli assignatis de alio quodam delicto a causa nostra diligenter distinguendo agitur neque voce *βουλεύσεως* delictum propria indole, quippe quod necis crimini assimuletur, omnino carens ambigue significatur. Quod delictum *irritum necandi conatum* fuisse mihi quidem persuasum est [7]). Necandi conatus partim ad effectum perductus, ita ut vulnus tantum infligeretur [8]), Areopago addictus erat; itaque necis conatum ne vulnere quidem illato prorsus ad irritum

1) *Ἀθ. πολ.* 57, 3 *τῶν δ' ἀκουσίων καὶ βουλεύσεως..... οἱ ἐπὶ Παλλαδίῳ.*

2) Sandys in Arist. editione ad locum, Maschke p. 84.

3) Keil p. 100 sq., Wilam. p. 200[1].

4) Oratori verbis *ὦ ἄνδρες* Areopagitas alloqui non licuisse, itaque orationem in Areopago non esse habitam (id quod nonnulli asseverant) redarguere vix opus videtur.

5) Cf. Calhoun, *Athenian magistrates and special pleas*, *Class. Philol.* XIV (1919), p. 338 sq.

6) Lipsius (p. 126) causam nostram Areopago quidem addicit, sed postea omnes „*βουλεύσεως*" causas Palladio assignatas suspicatur. Quod Dinarchi testimonio ab Harpocratione (*s. v. βουλεύσεως*) laudato si non redarguitur, at veri fit dissimillimum. De Harpocrationis loco vide infra.

7) Cf. Treston *l. l.* p. 225, Vinogradoff, *the Jurisprudence of the Greek city* p. 184, Maschke *l. l.* p. 89: *.....so erscheint diese Auslegung als möglich, mit der selbstverständlicher Einschränkung, dasz der Mordplan nach auszen hin einen irgendwie sichtbaren Ausdruck besonders in einem Angriff auf das Opfer gefunden haben musz: das Cornelische Gesetz de siccariis et veneficis..... bestrafte schon das anhulare cum telo.....*

8) *τραῦμα ἐκ προνοίας*, Arist. *Ἀθ. πολ.* 57, 3.

Digitized by Google

redactum minus graviter puniri solitum, ergo Palladio assignatum fuisse veri non est dissimile; τραῦμα enim ἐκ προνοίας et ipsum minus severe vindicabatur [1]) quam nex perpetrata. Cui coniecturae verbi βουλεύειν sensus varius atque multiplex repugnare non videtur. Τὸν βουλεύσαντα opponi τῷ χειρὶ ἐργασαμένῳ (Ant. 6, 16) iam vidimus; itaque hoc statuo:

1°. Necandi conatu ad effectum perducto ὁ βουλεύσας instigator est, opponitur igitur ei, qui facinus sua manu perpetravit. Tamen hic de βουλεύσεως crimine non agitur, quoniam *iure* instigator ab eo, qui scelus perfecit, non distinguitur planeque quasi ipse commisisset punitur.

2°. Conatu ad irritum revoluto is, qui sua manu scelus perficere conatus est, ipse βουλευτὴς evadit; τὸ βουλεύειν enim iam *facto prohibito* opponitur. Quod quoniam pro delicto proprio habetur (τραῦμα enim ἐκ προνοίας quoque ab ipsa nece perpetrata separatur), vocem βουλεύσεως pro termino technico ad tales causas significandas stricto sensu adhiberi solitam iure suspicari mihi videor.

Cavendum igitur ut vocem βουλεύσεως a verbo βουλεύειν diligenter distinguamus: verbum vario sensu passim adhibitum ad instigationem, mandatum, conatum, alia similia significanda; substantivum stricto sensu obque id ipsum rarissimo adhibetur ad irritum necandi conatum significandum. Neque enim in Antiphontis orationibus verbi βουλεύειν exemplis scatentibus vocem βουλεύσεως invenies et Plato quam diligenter eam vocem de necis instigatore disputans fugerit supra iam demonstravimus. Quas res Harpocratio, quem multi viri docti hodierni secuti sunt, confudisse videtur; dicit enim (*s. v.* βουλεύσεως): ἐγκλήματος ὄνομα ἐπὶ δυοῖν ταττόμενον πραγμάτων. τὸ μὲν γάρ ἐστιν, ὅταν ἐξ ἐπιβουλῆς τίς τινι κατασκευάσῃ θάνατον, ἐάν τε ἀποθάνῃ ὁ ἐπιβουλευθείς, ἐάν τε μή. τὸ δ' ἕτερον [2]), ὅταν ἐγγεγραμμένος ὡς ὀφείλων τῷ δημοσίῳ αὐτὸς δικάζηταί τινι, ὡς οὐ δικαίως αὐτὸν ἐγγεγραφότι. τοῦ μὲν οὖν προτέρου μάρτυς Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Εὐκλείδην, ἐπὶ Παλλαδίῳ λέγων εἶναι τὰς δίκας· Δείναρχος δὲ ἐν

1) Cf. Lys. 3, 42: exilium perpetuum ei rei constitutum erat.

2) Δίκην et γραφὴν βουλεύσεως ad res pecuniarias neque ad causam nostram pertinentes praetermitto ad Maschkium lectorem revocans (p. 101 sq.).

Digitized by Google

τῷ κατὰ Πιστίου, ἐν Ἀρείῳ πάγῳ· Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ τῷ Ἰσαίῳ συμφωνεῖ. περὶ δὲ τοῦ ἑτέρου ἐγκλήματος Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστογείτονος πρώτῳ, Ὑπερίδης δ' ἐν τῷ κατ' Ἀθηνογένους πρώτῳ ἐπὶ ἐνέδρας καὶ ἐπιβουλῆς τῆς εἰς τὰ χρήματα ἰδίως κέχρηται τῷ ὀνόματι. Verbis ἐάν τε μή irritum necandi conatum significat, cuius vocem βουλεύσεως propriam fuisse supra (2⁰) coniecimus. Verbis contra ἐάν τε ἀποθάνῃ ὁ ἐπιβουλευθεὶς causas quoque, qualis nostra fuit, crimini βουλεύσεως immerito, si quid mei est iudicii, addicit (v. s. sub 1⁰). Multis verbi βουλεύειν exemplis in orationibus eiusmodi causas tractantibus obviis in errorem inductus has quoque perperam βουλεύσεως causas existimavit, cum revera φόνος, sive ἑκούσιος sive ἀκούσιος, in iudicium veniret. Dinarchum rem Areopago assignantem talem φόνου causam, Isaeum contra, ut Aristoteles (57, 3), veram βουλεύσεως causam significasse suspicari licet.

Itaque, ut ad Antiphontem redeamus, noverca non βουλεύσεως φόνου ἑκουσίου vel βουλεύσεως φαρμάκων ἑκουσίων accusata est, sed φόνου ἑκουσίου vel φαρμάκων ἑκουσίων. Restat iam ut inquiramus necemne an veneficium ei obiecerit accusator. Quae quaestiuncula solvi non potest neque, utrum veneficii an homicidii postulata sit, omnino quicquam referre putaverim; quid Maschkius [1]) et Keilius [2]) veneficium distinguendo ab homicidio prorsusque aliud iure Attico fuisse delictum censendo sibi velint, equidem capere non possum. Olim sane interfuerat inter φάρμακα et φόνον, sed Antiphontis aetate mea quidem sententia non iam re distinguebantur. Iis enim temporibus, quibus leges de homicidio factae litterisque mandatae sunt, φόνος nil nisi caedes cruenta ictu perpetrata etiamtum erat; ex stirpe enim eadem atque verbum θείνειν originem trahit [3]). Itaque iuxta homicidium veneficium quoque in legis praescriptis [4]) commemorandum fuit, ne veneficus impunitus di-

1) *L. l.* p. 93 et 100.

2) *L. l.* p. 100: *Doch von allen sophistischen Kunststückchen bleibt das tollste, dasz eine δίκη φαρμακείας zu einer δίκη φόνου βιαίου μετὰ προνοίας gemacht wird.*

3) Cf. Muller, *Grieksch Woordenboek s. v.* φ(έ)ν(ω).

4) Arist. Ἀθ. πολ. 57, 3 εἰσὶ δὲ φόνου δίκαι καὶ τραύματος, ἂν μὲν ἐκ προνοίας ἀποκτείνῃ ἢ τρώσῃ, ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, καὶ φαρμάκων, ἐὰν ἀποκτείνῃ δούς, καὶ πυρκαϊᾶς.

Digitized by Google

mitteretur. Cum vox *Φόνου* postea eandem vim universam assumpsisset atque nostra vox *moord* [1]) veneficiumque iam complecteretur, verba legis obsoleta mutata non sunt, quamvis veneficium ab homicidio re non iam distingueretur. Antiphontis temporibus vocem *Φόνου* vim illam universam iam habuisse ex ipsa oratione nostra apparet: noverca *Φονεὺς* nominatur (3 et passim), quin etiam mortis poculum pro tragica narrationis indole *Φονεὺς* dicitur (20). Utrum igitur noverca *Φόνου* an *Φαρμάκων* postulata sit, nil refert; quod ad me autem attinet, *Φόνον* ei obiectum fuisse puto, quoniam accusator *Φονέα* identidem eam appellet. Id tantum iure Attico interfuit inter homicidium et veneficium, quod veneficii conatus *τραύματι ἐκ προνοίας* comparandus non vindicabatur [2]).

---

1) Veneficium iure nostro proprium non est delictum, verum nex (*moord*) veneficium comprehendit.

2) Arist. *l. l.* *ἐὰν ἀποκτείνῃ δούς*. Haud recte Lipsius *l. l.* p. 608: *War aber der tödliche Erfolg nicht eingetreten, so wird an den Areopag eine der Klage τραύματος ἐκ προνοίας analoge und mit gleicher Wirkung verbundene Klage gegangen sein.*

Digitized by Google

QUO TEMPORE LYCOPHRON ALEXANDRAM COMPOSUERIT?

SCRIPSIT

WM. ROLLO.

Multa jam scripta sunt de Lycophronis Alexandra et varia et, ut nobis videtur, dubia praesertim cum commentatores quidam nostrae aetatis ad nonnullos versus male intellectos explicandos alterum poetam ejusdem nominis adhibeant. Post Tzetzem [1]), qui scholia in Alexandram scripsit, ab omnibus dehinc commentatoribus usque ad hoc temporis acriter certatum est neque dubitari potest quin tenebris ambagibusque Alexandrinis tam caris significatio vera lateat ac nos semel atque iterum fallat; neque igitur inveniuntur qui inter se consentiant. Scientiam autem nostram literarum Alexandrinarum ac poetarum qui Ptolemaeis primis regibus vivebant incertam esse nec satis dispositam bene meminerimus quippe quae ex obscuris ambiguisque verbis poetarum ipsorum ad historiam illius temporis spectantibus saepius repetenda sit. Nihilominus errat qui unum carmen tempestati Alexandrinae vi ereptum posteriori poetae ascribat, quod sibi non contigerit ut versus quosdam sine dubio explicatu difficillimos interpretaretur. Alexandra quidem Lycophronis tota et re metrica et materia et lingua generi literarum illi Alexandrinis tam proprio ita convenit ut qui versus illos σκοτεινοὺς interpretari nequeat ac ideo carmen totum Lycophroni alteri ducentis annis postea viventi subditicium ascribat, non nisi ex libidine hoc faciat.

1) Vide Scheer, II, vers. 1226.

Digitized by Google

Hic scholia, Suidas, memoria antiquissima, manifesta et perspicua similitudo carminum Alexandrinorum, quorum de auctoritate non dubitatur; illic septuaginta quinque versus carminis ipsius qui scriptoribus quibusdam explicari posse non videntur nisi poetae multo postea viventi ascripti. Quorum [1]) in numero est Beloch qui duos Lycophrones fuisse atque Suidam [2]) carmen poetae nostro perperam ascripsisse credit; sub nomine Lycophronis enim patrem poetae nostri Soclem esse, sub nomine Lyci autem Lycum patrem esse hic affirmat. Sed quid obstat quominus quod dicit Suidas Lycophron Soclis filius idemque Lyci per adoptionem fuerit? Beloch autem dum rem ita se habere posse concedit, rogat cur nulla historiae Lybicae a Lyco scriptae vestigia apud filium adoptivum inveniantur. At primo scholiastes [3]) Lycum fontem Lycophronis semel nominat; secundo Corssen [4]) optimo libello fragmentum Lyci quo casus Diomedis comitumque eodem modo narrantur atque apud poetam nostrum [5]) ad nos pervenisse demonstravit. Itaque hoc argumentum, quod jam ipsum nobis nullius momenti videtur, satis spernendum esse apparet. Argumentis autem tam incertis in medio relictis testimonia antiquorum praesertimque poetae nostri ipsius audiamus.

A. Argumenta aliunde deducenda.
   1). De Lycophronis vita quae scimus?
   2). Poetae ejusdem posterioris-que aetatis quae ad Alexandram pertinentia dicunt?

B. Argumenta de poeta nostro deducenda.
   1). Totius carminis schema.
   2). Genus scribendi verborumque copia.
   3). Qui eventus ac personae tecte designantur?

1) Niebuhr, Sudhaus, Beloch, Skutsch.

2) Apud Suidam s. v. Λυκόφρων:
Ἔγραψε καὶ τὴν καλουμένην Ἀλεξάνδραν τὸ σκοτεινὸν ποίημα.
Λυκόφρων, Χαλκιδεὺς ἀπὸ Εὐβοίας, υἱὸς Σωκλέους, θέσει δὲ Λύκου.

3) Vide Scheer II, vers. 615.

4) Fragmenta Lyci — Antig. cap. 172.

5) Vide Alex. 594—609.

Digitized by Google

ad A. 1). Lycophron Chalcide [1]) in insula Euboea natus Athenis educatus esse dicitur, ubi Menedemum [2]) philosophum, cui maxime placebat, audiit. Fabulae ex philosopho nominatae et hoc tempore compositae apud antiquos mentio facta est atque de Menedemo his verbis Diogenes Laertius loquitur:

ἠσπάζετο δὲ καὶ Ἄρατον καὶ Λυκόφρονα, τὸν τῆς τραγῳδίας ποιητήν, καὶ Ῥόδιον Ἀνταγόραν, μάλιστα δὲ Ὁμήρῳ προσεῖχεν.

Quibus verbis poetam nostrum inter Aratum, Antagoram, Homerum enumerat Diogenes Laertius. Circa annum 283 a. C. n. a Ptolemaeo Philadelpho ad partem bibliothecae Thaliae consecratam disponendam accitus [3]) Alexandriae usque ad annum 276 [4]) a. C. n. mansisse videtur ubi inter alia magnum in comoediam commentarium scripsit. Postea Ovidius [5]) solus eum sagitta necatum esse nuntiat neque loci neque temporis mentione ulla facta. Ex hoc capite nobis concludendum est:

a). Lycophronem anno 283 a. C. n. ad triginta annos habuisse cum procul dubio jam praeclarus scriptor fuerit antequam Alexandriam arcesseretur.

b). Vitam Lycophronis in duas partes dividi — prae-Alexandrinam ac Alexandrinam; rogari igitur posse num Alexandram Athenis ante annum 283 a. C. n. scripserit an postea vel Alexandriae vel alibi.

c). Lycophronem officio bibliothecarii fungentem permultos annos vivere potuisse.

ad A. 2). Nunc vero e die in noctem transimus — omnia enim hujus capitis tam incerta ac opinioni lectoris quasi propria sunt ut, quamvis speciosa, argumenta pleraque abjicienda sint. Wilamowitz [6]) enim scriptoresque alii testimoniis Aristophanis Byzantii, Callimachi, Euphorionis usi demonstrare conantur Alexandram antea scriptam esse quam opera quaedam quae aut mentionem Alexandrae faciunt aut lectori, qui carmini Lycophronis bene studuit memoriam illius carminis nonnum-

1) Scheer II, p. 4. *γένος Λυκόφρονος*. Suidas sub nomine Lycophron.
2) Vide Diog. Laert. II, 133.
3) Cf. Tzetzes; Proleg. in Aristophanem ed. van Leeuwen p. 198 *β*.
4) Vide Holzinger, p. 10.
5) Cf. Ovidius, Ibis, vers. 529.
6) Vide Wilamowitz, p. 3 et 12; Holzinger, p. 45—50.

Digitized by Google

quam uno versu afferunt. Testimonia Aristophanis Byzantii et Callimachi perscrutemur. Apud Aristophanem sub voce *ἄμναμοι* [1]) nomen Lycophronis occurrit. Cum autem apud Suidam undeviginti tragoedias poetam nostrum scripsisse inveniamus neque Alexandram nomine significet Aristophanes, maxime dubium est, num hic de Alexandra agatur. Quid enim obstat quominus Alexandra multo postea composita verba Aristophanis ad aliud carmen Lycophronis nobis interim perditum spectent?

Deinde Wilamowitz in libello „De Lycophronis Alexandra" Callimachum fragmento 13 errorem Lycophronis de oppido Lybico nomine Asbysta emendare voluisse putat:

Call. frg. [2]) 13. *οἵη τε Τρίτωνος ἐφ' ὕδασιν Ἀσβύσταο.*
Alex. 576. *Αἰγυπτίου Τρίτωνος ἕλκοντες πότον.*
Alex. 848. *ἐπόψεται δὲ τοὺς θερειπότους γύας*
καὶ ῥεῖθρον Ἀσβύσταο.

Quibus de versibus Wilamowitz „Graviter", inquit „igitur de Asbysta erravit Lycophron sed Callimachus non tulit patienter errorem quem Antimachi admirator in Cyrenaeo flumine commiserat exagitavitque pro docta Alexandrinae poeseos arte. Ergo cum Aitia componeret, legerat Alexandram". Quem errorem commisit poeta ille noster? De Nilo, cui apud antiquos nomen Triton [3]) erat, canit Lycophron qui synecdoche usus Nilum nomine *ῥεῖθρον Ἀσβύσταο* [4]) designat eodem modo quo terras totas a fluviis aut montibus appellat. Ipse quidem scholiastes ad illos versus adnotat Lycophronem de Nilo loqui neque Wilamowitzii libello excepto mentionem erroris ullam invenimus. Sed Callimachus omnino non de Nilo loquitur sed de lacu Libyae cui idem nomen *Τρίτων* erat. Itaque tantum abest ut colligere possimus Callimachum cum Aitia componeret jam Alexandram legisse ut contrarium aeque verum esse possit [5]).

At quis neget nobis Callimachi versus [6]) legentibus saepe surgere genus dicendi vel imaginem quandam Lycophronis.

1) Vide Fresenius, *λέξεις* p. 123.
2) „ "Callimachea" — Schneider II, p. 123.
3) „ Scholia, Apoll. Rhod. IV, 269.
4) „ Schneider, Call. II, frag. 14.
5) „ Holzinger, p. 46/7.
6) Cf. e. g. versus ultimi Alexandrae ac *εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος.*

Digitized by Google

Nisi autem ex aliis capitibus Alexandram ante Callimachi carmen [1]) scriptam esse apparebit, eis argumentis uti non poterimus; qua de causa plus dicere non possumus quam Callimachum certum terminum ante quem non dare.

Ad B. 1). Itaque sola restant argumenta carminis ipsius interiora neque facile est ita carmen explicare ut difficultates omnes expediamus. Wilamowitz enim „quaerimus", inquit „quando Lycophron Alexandram iambum neque a suavitate neque ab elegantia commendatum sed rerum verborumque pondere sanequam insignem composuerit". Quibus verbis paucis quidem sed iustis carmen totum descripsit, quia cum rebus mythologicis abundat, tum nomina paulo longius repetita, etymologiam eruditam, plures voces continet quae aut ἅπαξ λεγόμενα aut τὸ πρῶτον λεγόμενα sunt. Poeta noster Cassandram vel Alexandram Priami filiam eandemque sororem Paridis vel Alexandri vaticinantem inducit dum naves fratris ex Troia per undas fugientes alto de loco oculis sequitur. Versus 1—30 a ministro quodam qui Priamum de Cassandrae obscuris oraculis certiorem facit dicuntur; versus 30—1461 vaticinium Cassandrae continent; accedit epilogus brevis quo minister idem Cassandram in gunaeceum fugisse nuntiat.

31—364	Quae ante excidium Troiae facta sunt multaque de excidio ipso.
365—591	De naufragio malisque quae Graecis ad regiones orientales acciderunt.
592—1089	De Graecis qui ad vesperum abierunt.
1090—1188	De Graecis qui in Graeciam redierunt.
1189—1225	De honoribus Hectori, Hecubae, aliis mortuis tributis.
1226—1280	De gloria Troiae apud Romanos ex sanguine Teucri ortos rediviva.
1281—1282	ad Herodotum [2]) spectant. Quomodo ius fatumque se ulciscatur.

1) Nescimus quando Callimachus Aitia composuerit.
2) Vide Herod. VIII, 13.

Digitized by Google

1283—1434 Certamen inter Asiam et Europam. **Causae** altius repetitae. Io ac Europa raptae, **adventus** Teucri, expeditio Argonautarum, Hercules, **Paris**, Agamemnon, Orestes. Postremo incursio **Xerxis** in Graeciam.

1435—1450 Obscuris verbis res Lycophrone vivo **gestae** tecte designantur.

1451—1460 Cassandra fortunam suam commiseratur **ut cui** numquam credatur.

Ex hoc breviario carminis totius manifestum est Lycophronem certamen Asiae cum Europa, quas inter se nihil commune habere versu 1283 [1]) dicit, canere voluisse. Sunt qui [2]) Lycophronem Alexandrae auctorem esse credant, tamen versus 1226—1280 et 1435—1450 ab alio scriptore posteriore compositos esse putent quod a toto carmine maxime alieni sint. Nobis autem Alexandram totam perscrutantibus praesertim hi versus aptissime [3]) dicti visi sunt, cum, quamvis obscuris verbis nobisque nonnumquam ambiguis scripti, et argumento carminis totius et generi sermonis Lycophroneo maxime conveniant. Qui hos de carmine demovet, totum id δραματικὸν quod nos tenet adimit ita ut tragoedia in compendium mythologicum sine ullo discrimine abeat. Caveamus enim ne obliviscamur Cassandram Dardaniam in litore stantem naves Paridis cum Helena ex Graecia rapta paulo antea profecti oculis prosequi ac vaticinari multa mala Troianis et Graecis (id est Asiae et Europae) imminere. Praeterea si hi versus postea inserti sunt, non possumus non rogare cur de auctoritate versuum 801—804 adhuc controversia nulla sit quibus Heraclis mors commemoratur quae poetae nostri aetate accidit. Ergo si Lycophron compendium mythologicum solum scripsisset ac ideo versus 1226—1284 et

1) τί γὰρ ταλαίνῃ μητρὶ τῇ Προμηθέως
ξυνὸν πέφυκε καὶ τροφῷ Σαρπηδόνος.

2) Fox, Welcker, Schmidt.

3) 1226 γένους δὲ πάππων τῶν ἐμῶν αὖθις κλέος
1227 μέγιστον αὐξήσουσιν ἄμναμοί ποτε
1228 αἰχμαῖς τὸ πρωτόλειον ἄραντες στέφος
1229 γῆς καὶ θαλάσσης σκῆπτρα καὶ μοναρχίαν λαβόντες.
1445 καὶ σκῆπτρ' ὀρέξαι τῆς πάλαι μοναρχίας.

Digitized by Google

1435—1450 delendi essent, cur versibus 801—804 de Heracle anno 309 a. C. n. necato loquitur? Itaque manifestum est Lycophronem certamen Asiae et Europae ab initio per saecula usque ad suam aetatem canere voluisse ubi discrimen versibus 1435—1450 descriptum, quod res aetate poetae ipsius gestas tecte designat, finem certamini pervetusto facit. Sane carmen rebus mythologicis abundat, sed hoc studium praesertim Alexandrinum [1]) argumento esse potest poetam nostrum Alexandram composuisse, postquam libros in bibliotheca magna Alexandriae accedere potuit.

Ad B. 2). De genere dicendi verborumque copia quid dicamus? Iam antiqui Alexandram *τὸ σκοτεινὸν ποίημα* appellare solebant ob voces raras ambagesque dicendi caecas. Wilamowitz [2]) „Quamquam", inquit, „Lycophro in rararum vocum aucupio iambicos lyricos tragicos poetas naviter perlustravit, comoediae tamen sive Atticae sive Siculae nullum studium apparet. Atqui eum qui in admittendis obsoletis et plebeis vocabulis tam non castus fuit ut Hipponactea admitteret non est probabile Aristophanea consulto sprevisse. Credideris igitur Alexandram ante comica Lycophronis studia compositam esse". Quae verba nos ad A. 1). reducunt ubi quaeritur num Lycophron Alexandram composuerit ante studia sua comica Athenis an postea Alexandriae vel alibi. Nobis quidem totum carmen perlegentibus vox *κάνθων* [3]) quae apud Aristophanem invenitur, in memoria haeserat ac postea commentaria perlustrantes varia apud Holzinger [4]) circa quinquaginta voces et fabulas raras collectas incidimus quae sanequam tragicae non appellentur ut iam verba „nullum comoediae studium" parum apta videantur. Itaque si quid ex genere dicendi verborumque copia concludamus, Lycophronem Alexandram post studia comica composuisse dicamus. Sub hoc capite Alexandram integram a Lycophrone scriptam esse argumento praevalido est quod versus 1226—1280 et 1435—1450 tot voces raras ac obsoletas continent quot aliis temere electis partibus carminis

1) Cf. Callimachus, Dosias, Simias, Euphorion.
2) Vide Wilamowitz, p. 4.
3) Vide Alex. vers. 817.
4) p. 32.

Digitized by Google

occurrunt [1]). Ad hoc genus dicendi horum versuum toti carmini ita convenit ut vix poeta ille posterior poetam nostrum etiam in rebus minutissimis sine ullo manus alienae vestigio imitari potuerit.

Ad B. 3). Nunc transeamus ad postrema eademque maxima et difficillima: versus 1435—1450 quomodo explicemus? Spectant sane ad res Lycophrone vivo gestas sed quae res spectentur vix dici potest. Ita enim canit poeta noster: „multae luctationes ac interea nex regna evertent, luctationes pugnarum terra marique, dum leo rufus ex Aeaco Dardanoque ortus et Thesprotius et Chalastrius bellum luctuosum finit, postquam gentem fratrum sibi cedere coegit, principes Persarum coget se demittere, lupo Galadrae exercitus duci blandiri, sceptrum regni antiqui tradere. Quocum post sex genera consanguineus meus, pugnator quidam, postquam contra eum vires hastae expertus est ac in reconciliationem terra marique venit honestissime apud amicos laudabitur ac parte praedae hasta captae potietur". Ecce aenigma historicum! Ex sententia Scholiastae [2]) ad Alexandrum Magnum haec verba obscura pertinent atque hac in re consentiunt Commentatores dehinc fere omnes [3]), quamvis inter se de interpretatione dissentiant. Alexander Magnus enim et Thesprotius et Chalastrius ortu est: cum Aeacides, tum Dardanides est. Adhuc nihil impedimenti aut ambagum est, sed quem lupus Galadrae exercitus dux designat? Nobis quidem Wilamowitz [4]) bene dixisse videtur Alexandrum Magnum denuo designari, quod sic Alexander Magnus primum genus fratrum, i. e. Graecos, sibi cedere cogit, deinde principes Persarum lupo Galadrae, i. e. sibi ipsi Alexandro blandiri cogit, tum sceptro antiquo Trojae Graecis et Persis erepto potitur. Quae re vera accidisse quis nescit? nec ab Alexandrino genere dicendi abhorret haec interpretatio. Deinde autem Cassandra „quocum", inquit, „post sex genera..... etc.", hoc est „cum successore Alexandri sex generationibus elapsis....

1) Vide Scheer I, Index Verborum.
2) Vide Scheer II, p. 392 ad versum 1439.
3) Praeter Holzinger.
4) Vide Wilamowitz, p. 9—10.

Digitized by Google

etc.". Quis fuit successor ille Alexandri cui eadem studia fuerunt?

Alexander Magnus mortuus est 323 a. C. n.
Philippus Arrhidaeus „ „ 317 „
Cassander „ „ 297 „
Tres filii Cassandri 297—295.
Demetrius Poliorcetes 294—288.
Pyrrhus [1]) rex Macedoniae appellatus anno 287 a. C. n.

Itaque videmus Pyrrhum sextum regem Macedoniae post Alexandrum Magnum fuisse. Sed quis est consanguineus meus [2]) — ne obliviscaris Cassandram Dardaniam loqui — idemque pugnator quidam? Nobis quidem his verbis Fabricius designari videtur qui ipse Romanus, i. e. progenies Trojanorum ac sic consanguineus Cassandrae, anno 275 a. C. n. Pyrrhum, i. e. Graecos hostes antiquos Trojanorum, coegit foedus icere antequam Italiam relinqueret. Cum igitur sceptrum antiquum Trojanis a Graecis ereptum ac postremo Romanis, Trojanorum progeniei, redditum Lycophroni finis certaminis tot saeculorum videretur, non multo post a. 275 [3]) a. C. n. Alexandra tota a poeta nostro Alexandriae vel alibi composita est.

Cf. Lycophronis Alexandra, ed. Scheer.
» » » von Holzinger.
De ea, quae inter Timaeum et Lycophronem intercedit ratione, Guenther, Lipsiae 1889.
Niebuhr, Kl. Schr. I, 438 ff.
Sudhaus, Rh. Mus. 63 (1908), 481 ff.
Beloch, Griech. Gesch. III, 2, 478 ff.
Corssen, Rh. Mus., 1913, 321 ff.

---

1) Vide Corssen. 2) Vide vers. 1446.
3) Vide Justin. XXVIII, 2; Liv. Perioch. XIV.

Digitized by Google

ΤΗΧΙΠΠΟΣ.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

In nonnullis titulis aetatis alexandrinae in insula dorica cui nomen est Calymna repertis legitur nomen viri Τάχιππος [1]). Hoc Bechtelius in magno suo opere cui inscribitur „Historische Personennamen", p. 419 collocat sub ταχα-, ταχυ-, iuxta nomina virorum qualia sunt Ταχα-κλῆς, Ταχύ-βουλος, Ταχύ-δημος. Praeterea etiam simile nomen Τήχιππος innotuit ex diariis peregrinationum Ulrichsii et L. Stephani. Quod cum primum enotatum esset e titulo Eretriae:

ὁ δῆμος ὁ Ἐρετριέων Τήχιππον Φιλίππου κτλ. [2]),

tantam doctis admirationem praebuit, ut L. Dindorfius in Thesauro linguae graecae [3]) contenderet non graecum esse et ab initio non recte lectum esse videri. Postea tamen alii tituli eretrici accesserunt, quibus lectio nominis abunde comprobata est. Namque et in stela marmorea III^{i} a. C. n. saeculi [4]) et in pila calcaria saeculi II^{i} legitur [5]) nomen Τηχιππίδης, et in inscriptione saeculo II° a. C. n. exeunti tribuenda commemoratur ἐπιστάτης Φίλιππος Τηχίππου [6]), Τηχίππῳ illi Φιλίππου procul dubio cognatus. Quo factum est ut dubitatio de genuina forma nominis obmutesceret quidem; sed non simul conticuit, imo tunc demum latius serpere coepit quaestio de nominis originatione.

---

1) V. S. G. D. I. IV, p. 569. 2) I. G. XII, 9, 278.
3) VII, p. 2155. 4) I. G. XII, 9, 245, 15. 5) Ibid. 631, 2.
6) Ibid. 236, 71 sq.

Digitized by Google

Etenim simillima nomina Τάχιππος et Τήχιππος unius eiusdemque nominis esse formas paululum inter se distantes omnes viros doctos persuasum habuisse consentaneum est; quibus astipulari ego quoque minime dubito. Hinc igitur profectus Bechtelius in libro quo titulos ionicos comprehendit a. 1905 legentes haec admonuit: „Die Inschrift ist darum aufgenommen, weil sie in Τήχιππος die einzige bisher bekannt gewordene Spur der Wortform τῆχος bietet, die sich zu τάχος verhält wie πένθος zu πάθος" [1]). Neque ad breve tempus vir eximius hanc cogitationem fovit, sed diu in ea immoratus a. 1917 in libro cui nomen „Historische Personennamen", p. 426 ita censuit:

„Τηχο- zu einem mit τάχος ablautenden Nomen.
Τήχιππος",

deinde a. 1924 demum, cum de eadem re ageret in libro de dialecto ionica, copiosius sententiam suam tempore maturatam aperuit hisce verbis:

„Dass neben τάχος eine starke Form τῆχος bestanden hat, deren Vocalisation sich mit der von μᾶκος vergleichen lässt, lernt man aus den eretrischen Namen Τήχιππος, Τηχιππίδης... Das Erscheinen einer starken Form τῆχος ist mit der bisher herrschenden Anschauung nicht zu vereinigen, dass die Ionier einen mit att. θᾶττων identischen Comparativ θάσσων besessen haben, der sich mit ihm in der Grundform θάγχjων zusammenschliesst (so Joh. Schmidt K Z 25. 156); eine Anschauung, für die man sich auf einen Zusammenhang von griech. ταχύς mit lit. *dangìnti* (wandern, ziehen, streben) berufen zu können glaubte (Bezzenberger Beitr. XII 241). Aber der ionische Comparativ θάσσων hat nicht existiert. Der homerische Vers

ἀσσον ἴθ', ὥς κεν θασσον ὀλέθρου πείρηθ' ἵκηαι Z 143 = Υ 429

beweist, worauf ich in Roberts Studien zur Ilias 265 aufmerksam gemacht habe, dass für seinen Dichter ἀσσον und θασσον gleiche Vocalquantität gehabt haben, da es in seiner Absicht lag die Begriffe, auf deren Hervorhebung es ihm

1) S. G. D. I. 5138. Cf. Gaertchen et Hoffmann, Sprache der ionischen Inschriften, S. G. D. I. IV, p. 853; 905: „η im Ablaut zu ᾰ: Τήχιππος, Τηχιππίδης.

Digitized by Google

ankam, durch den Reim ins Gehör zu bringen. Da nun für ἀσσον die Kürze durch die Ueberlieferung gesichert ist, so muss auch das α von θασσον als kurz betrachtet werden. An diese Feststellung hat Wackernagel Gött. Nachr. 1914. 125 angeknüpft und die Folgerung gezogen, dass die Attiker mit der Länge in θᾶττων ebenso allein stehn wie mit der in κρείττων und μείζων erscheinenden. Damit wird der Ansatz einer gemeingriechischen Grundform θάγχjων hinfällig, und es steht nichts mehr der Ansicht im Wege, dass α in τάχος und ταχύς die Verkürzung der Länge darstelle, die durch die eretrischen Namen Τήχιππος, Τηχιππίδης geboten wird." [1])

Haec omnia Antonius Meillet, cum de opere Bechtelii iudicium ferret, iure ac merito non pro certis argumentis habuit nec tamen ea quae ille de nomine Τήχιππος in medium protulerat pro nihilo putavit. Ipsius verba afferre mihi liceat: „Bien que l'ingénieux argument invoqué pour prouver la brévité de l'α de θάσσων soit trop frêle pour convaincre, les remarques présentées p. 126 à propos de Τήχιππος sont d'un vif intérêt. Mais de quel droit supposer le neutre *τῆχος qui n'est attesté nulle part?" [2])

O benignam viri sapientis sententiam! cui equidem, quamvis cavillari oderim, insuper nihil addere nequeo. Iusto enim, ut verum fatear, fundamento omnino carere mihi videntur ea quae Bechtelius elucubravit. Aliam etymologiam nominum Τάχιππος, Τήχιππος amplectendam esse arbitror, qua totius ratiocinationis Bechtelii quasi ipsa radix praecidatur.

Nomen enim Τᾶχ-ιππος sive Τήχ-ιππος ductum esse apparet a voce quae est θᾶγειν sive θήγειν, quae quidem ad verbum significat *acuere*, *exacuere* [3]), per translationem autem *stimulare*, *instigare*, *incitare*. Componendum igitur est cum nominibus virorum qualia sunt Ἐλάσιππος Σοΐξιππος Σπεύσιππος Κυνέγειρος. Verbum θήγειν eiusque composita ἐπιθήγειν παραθήγειν συνθήγειν

1) Bechtel, Die griechischen Dialekte, III, p. 126. Cf. Boisacq, Dictionnaire étymologique de la langue grecque, s. v. ταχύς.

2) Bulletin de la Société de Linguistique, XXV, 2, 1925, p. 73.

3) Apud poetas scilicet θήγειν pro ἀκονᾶν usurpatur, in sermone pedestri nullum huius usus exemplum invenias. Soli Arcades veterem morem servabant; cf. Bekker, Anecd. p. 1095: ποῖαι γλῶσσαι κατὰ πόλεις.. Ἀρκάδων... θήγει· ἀκονᾷ.

Digitized by Google

sensu excitandi usurpari non minus quam synonyma *ἀκονᾶν ἐξύνειν παροξύνειν* quodvis lexicon linguae graecae docebit. Apud nostrates Krelingius Herwerdeni quondam discipulus animum ad hanc rem attendit [1]). Paucis exemplis defungar:

Eur. Hipp. 689: *ὀργῇ συντεθηγμένος Φρένας.*

Aesch. Sept. 715:

τεθηγμένον τοί μ' οὐκ ἀπαμβλυνεῖς λόγῳ.

Prom. 311: *τραχεῖς καὶ τεθηγμένους λόγους.*

Hisce e poetarum operibus petitis duo eaque notissima accedant e Xenophonte unumque e Luciano delibatum. Xen. Cyrop. I, 2, 10: *καὶ τὴν ψυχὴν δὲ πολλάκις ἀνάγκη θήγεσθαι.* I, 6, 41: *εὖ δὲ αἱ ψυχαὶ τεθηγμέναι.* Luc. Gall. 23: *οἱ πόνοι σε παραθήγοντες οὐκ εὐκαταφρόνητον ἀνταγωνιστὴν ἀποφαίνουσι.* Cf. Suid.: *ἐπιθήξας· παρορμήσας, ἐρεθίσας· τὸν λουόμενον ἀπέκτεινεν ἐπιθήξας οἱ τῶν δορυφόρων τοὺς ἀφειδεστάτους.*

Unum me paentitet quod, cum Romani dixerint: *equum acuere* [2]), locutio *θήγειν ἵππον*, unde nomen *Τήχιππος* fluxit, nusquam, quod sciam, apud scriptores graecos occurrit. Sed hoc argumentationi meae officere negaverim. Ecquis dubitat quid significet nomen *Σπεύσιππος*? et tamen *σπεύδειν ἵππον* nusquam, credo, legitur. Inprimis autem magno ad persuadendum momento est mihi Pindari Ol. X vs. 20, ubi poeta participio *θάξαις* usus est de viro qui puerum in pugillatu deficientem acri affatu pupugerat ita ut novas vires adeptus victoria potiretur [3]). Quo loco scholiasta *θάξαις* reddidit per *παροξύνας* [4]). Atque illud quoque hac in re pondus habet, quod vocabulum quod est *θηγάνη*, quod quidem plerumque cotem designat, apud Aeschylum etiam sensu stimuli [5]) occurrit.

---

1) Kreling, De usu poeticornm et didacticorum vocabulorum apud scriptores Graecos seriores, diss. Ultrai. 1886, p. 33.

2) Cf. Stat. Silv. V, 2, 25: (equum) acuunt plausus; Mart. Cap. IX, 925: tubas non solum sonipedes atque bella, sed agonas acuere certamenque membrorum nunc quoque conpertum.

3) Cf. Wilamowitz, Pindaros, p. 220. — Steph. Byz. s. v. *Παμφυλία*: *Θηγυλίς, ἐπίθετον Ἀθηνᾶς.*

4) Cf. Aristot. Hist. anim. VI, 24, p. 577, b, 31 sq.: mulus aetate provectus et honesta missione libertati redditus tamen non quiescebat et *συναμπρεύων καὶ παρακορευόμενος παρώξυνε τὰ ζεύγη πρὸς τὸ ἔργον.*

5) *Θηγάνην* hoc loco recte Weil per aculeum, Mazon per „aiguillon" reddidit.

Digitized by Google

Eumen. 859 sqq.:

σὺ δ' ἐν τόποισι τοῖς ἐμοῖσι μὴ βάλῃς
μηθ' αἱματηρὰς θηγάνας, σπλάγχνων βλάβας
νέων. . . [1])

Hinc enim, etiamsi cetera testimonia deessent, efficere liceret θήγειν significatum stimulandi habuisse.

1) Cf. Aesch. Agam. 1535; Mnemos. 1920, p. 376.

TITULUS (I. G. III, 893) RESTITUTUS.

Chaeroneae in aedicula titulus est inventus, qui a Dittenbergero editus est (I. G. VII, 3430). Laudatur Charopina, Dianae sacerdos, hisce verbis:

Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος Χαιρωνέων τὴν ἱέρ[ει]αν τῆς Ἀρτέμιδος Χαροπεῖναν Τ(ι)β(ερίου) Κλαυδίου Διδύμου θυγατέρα ἀρετῆς ἕνεκεν καὶ τῆς περὶ τὴν θεὸν θρησκείας.

Eadem, ut videtur, Charopina est quae honoratur titulo a Dittenbergero, supplementis editoris Angli Hicksii adhibitis, edito I. G. III, 893:

[Ὁ δῆμος? τὴν ἱέρειαν τ]ῆς Ἀρτέ[μιδο]ς Χαροπείν[ην] Κλαυδίου Διδ[ύμ]ου θυγατέρα [ἀρε]τῆς ἕνεκεν [καὶ] τῆς περὶ τὴν [θεὸν θ]ρησκε[ίας].

Quoniam verba, quoad servata sunt, eadem sunt atque alterius tituli, persuasum habeo etiam huius initium hoc modo esse legendum:

[Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος Χαιρωνέων τὴν ἱέρειαν τ]ῆς Ἀρτέ[μιδος Χαροπεῖν[αν Τ(ι)β(ερίου)] Κλαυδίου Διδ[ύμ]ου θυγατέρα κτλ.

De huius tituli origine nihil constare videtur; nunc inter Elginiana in Museo Britannico est. Num vere Atticus sit hanc ob rem dubium est.

P. I. Koets.

Digitized by Google

GALENUS CORRECTUS.

Editur apud Galenum Vol. IX. p. 703 Kühn: *ὥστ' εἴ τι κἀντεῦθεν ἐγχωρεῖ περὶ Φαρμάκων δυνάμεως τεκμαίρεσθαι, προσκείσθω τῷ λόγῳ κάλλιστον μέν, ὡς εἴρηταί τε καὶ λέλεκται πολλάκις.* Non ferendum est *λέλεκται*. Sententiae nulla vis additur neque numerosius sic cadit oratio neque ad aures accidit gratior. Lege quod *ὁ λόγος αἱρεῖ „ὡς εἴρηταί τε καὶ λελέΞΕται πολλάκις"*. Saepissime Galenus futuro perfecti *λελέξομαι* usus est ut Vol. III. p. 244: *ἀλλὰ περὶ μὲν τῶν νεύρων αὖθις ἰδίᾳ λελέξεται*. p. 319. 402. 842. Vol. IV. p. 117: *ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἐπὶ πλέον ἐν τῷ περὶ τῶν ἀγγείων ἁπάντων λόγῳ κοινῷ λελέξεται*. Vol. V. p. 194: *λελέξεται δ' ὑπὲρ ἐκείνων ὀλίγον ὕστερον*. Vol. VII. p. 821: *ὃ δέ μοι δοκεῖ λείπειν ἔτι πρὸς τὸ τυμπληρῶσαι τοῦτον τὸν πρῶτον λόγον, ἤδη λελέξεται*. Vol. IX. p. 506: *ἀλλὰ περὶ μὲν τοῦ δορκαδίζοντος ἐν τῇ τελευτῇ τοῦ λόγου δεδήλωται· περὶ δὲ τοῦ σκωληκίζοντος ἄρτι λελέξεται*. Vol. X. p. 239: *οὕτω δὲ κἀπὶ τῶν ἐπιρρεόντων τοῖς ἡλκωμένοις μέρεσι μοχθηρῶν χυμῶν ἡμῖν ὡς ἡλκωμένων ἴασις ἐν τῷδε λελέξεται*. et p. 444 Vol. XV: *ἀλλὰ περὶ μὲν τούτου καὶ αὖθις εἰρήσεται*. et p. 12: *ἐν δὲ τοῖς ἑξῆς εἰρησομένοις φαίνεται τὸ δεύτερον ὑπὸ τοῦ συγγραφέως*.

Ch. Ch. Charitonides.

Ad inscriptionem Atticam, Mnem. LIII, 1925, p. 415 sq.

In Supplemento Epigraphico Graeco, vol. III[1] a. 1927 p. 46 vidimus I. Hondium Hilleri lectionem (I. G. I², 463) tueri. Argumentum quod Klaffenbachio auctore in fine vs. 1 littera N satis certa est et initio [*τό*]*ν* magis lacunae convenit, libenter

Digitized by Google

accipimus. Itaque legendum est: *τὸν δρόμον ἐνίκησαν*. Eadem locutio legitur Pind. Ol. IV, 34: *ἐν ἕντεσι νικῶν δρόμον*. XIII, 41 sq.: *σταδίου νικῶν δρόμον*.

Quam vero ob rem Hilleri lectio *πρῶτοι ἀνέθεσαν* utique tenenda sit, intellegere non possumus; nam *ἀνατιθέναι δρόμων* absonum est. Ipse Hillerus confitetur: „*δρόμος* qui et ubi fuerit ignoramus". Accedit quod hoc modo difficultas quae inest in vocabulo quod est *πρῶτοι* explicando non superatur, quam quidem Kirchhoffius iam agnovit (I. G. I, suppl. 373[230]). Quid sibi velit Klaffenbachii sententia: „veri dissimilius tituli initium inversum exaratum esse quam finem", haud facile perspectu est. Utinam revocetur in memoriam vir doctus verborum nostrorum: „veri simile est versum superiorem postea adscriptum esse, cum in textu non memoratum esset, quo in certamine dedicatores victoriam adepti essent".

E. H. S. et P. M.

CORRIGENDUM.

Voluminis LV[1] paginae 419 versu 13[0] legendum est: tunc demum vox „confiteri" terminus technicus facta est.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE AD PAPYROS IURIDICAE.

SCRIPSIT

J. C. NABER.

(Continuantur ex vol. LV pag. 238).

§ 19. ΠΕΡΙ ΔΙΑΓΡΑΦΩΝ.

(Rescripta).

Πτωμάτων materiei quasi iniuncta est διαγραφῶν materies ideo, quia antiqua πτώματα habere solent clausulam κατὰ διαγραφὴν τελώνου, quod supra [1]) vertimus *mandatum*, itidem versuri P. Amh. 31, 2; *BGU* 992 I 3 (= *Sammelb.* 4512, 3); P. Elephant. 15, 4; Lond. 1200, 4; Oxy. 1573, 15; *Soc. ital.* 383, 9; Zoid. I 3, 6, quorum locorum ubiubi aliter verti non potest [2]). Sane non ubique ea versio convenit, veluti perperam adhibetur ab Ulrico Wilcken [3]) ad P. Taur. 1 VI 2 (διαγραφὴν = (IX 6) χρηματισμόν), ubi significatur pactum conventum vel conventionis instrumentum [4]) perinde ut P. Paris. 15, 51; quo potest nomine comprehendi etiam lex operis, sicut in inscriptione vetere Halicarnasensi [5]), quam cum versione edidit aliquando Dareste [6]). Etenim lex operis quoque ex conventione

1) § 1.

2) Cf. Gradenwitz, *Mél. Nicole* (1905) p. 208 (ad *BGU* 992): „*da, (wo) gemäss d(e)r διαγραφὴ Zahlung stattgefunden hat,..... muss sie eine Anweisung (gewesen) sein*". Dissentit Wilcken ad *UPZ* I p. 532 (ad lin. 10—32), itaque vertere cogitur (p. 525) „*Zahlungsbegründung*", quod sane novum.

3) *Actenstücke* (1886) p. 30.

4) Mitteis, *Ztschr. der Sav.-St.* XIX (1898) p. 216²: „*Urkunde schlechthin*".

5) Michel 595 (saec. III (med.) ante Chr.).

6) *Bull. hell.* IV (1880) p. 341: *οἱ δὲ ἐπιμεληταὶ δότωσαν τοῖς ἐργώναις κατὰ τὰς διαγραφάς.* Vertit *conventions.*

Digitized by Google

valet, quum quis secundum legem opus redemerit. Quamobrem frequens est συγγραφὴν [1]) vel συγγραφὸν [2]) appellari eam. Docent etiam lexicographi [3]) διαγραφὴν et συνθήκην idem esse. Itaque potest quis κατὰ διαγραφὴν ὀφείλειν [4]) vel δανείσασθαι [5]) vel ἀπέχειν [6]) vel ἐωνῆσθαι [7]) et ex diverso δεδανεικέναι [8]) vel εὐχρηστῆσαι [9]) vel τάξασθαι [10]) vel χρηματίσαι [11]) vel ἀποδόσθαι [12]) vel denique ἀκολούθως τ(ινὶ) διαγραφῇ μετιέναι τ(ινὰ) [13]), sive (περὶ) διαγραφ(ῆς) ἐπί τινα ἐπέρχεσθαι [14]), quo sermonis genere plerumque significatur τραπέζης διαγραφὴ [15]) sive διεκβολὴ [16]) sive σύμβολον [17]) sive πιττάκιον [18]) sive διαστολή [19]), id est, coram

---

1) Michel 579, 2. 95; 589, 16. 18. 52. 88; Demosth. XVIII § 122.

2) Michel 585, 40. 53.

3) Etymol. magn. v. διαγραφή; Hesych. v. διαγραφαί.

4) *BGU* 44, 8/9; 281, 13/6; 415, 11/2; P. Cattaoui Ro. I 20 (*Archiv* III p. 57); Flor. 25, 18; 86, 12/5; Giss. 32, 4; Lond. 332, 19 (II p. 210); 907, 9/10 (III p. 170); 1168, 34/6 (pag. 137); CPR I 13, 2; P. Tebt. 395, 7/8, Cf. Mitteis, *Ztschr.* cit. XIX (1898) p. 216, 229 sq.

5) *BGU* 1144, 4/5; P. Hamb. 1, 9/10; Lond. 196, 38 (II p. 154).

6) CPR I 1, 13 (Mitteis, *Ztschr.* cit. XIX p. 247); P. Lond. 317, 9/10 (II p. 209); 1164 (b), 7 (III p. 157). Cf. P. Argentor. 34, 14/5 (διὰ .... διαγραφῆς). — Διαγραφὴν = apochen habet etiam P. Oxy. 99, 13; ἀντιδιαγραφὴν = antapochen P. *Soc. ital.* 571, 4. 7) *Sammelb.* 4512, 66.

8) *Inscr. jur. gr.* IV lin. 52; *BGU* 1132, 7/8; P. Cattaoui Ro. II (I) lin. 14/5 (*Archiv* III p. 58); Lond. 1164 (b), 7/8 (III p. 157).

9) P. Oxy. 241, 30—32. Cf. *Archiv* III p. 242 (ad P. Lond. 357, 3).

10) P. Oxy. 242, 31/4; 243, 46/7.

11) P. *Stud. zur P. u. P.* XXII 3, 4; 4 II 5; 4 III 5.

12) Exemplum nondum suppeditat.

13) P. Cattaoui Ro. I 21 (*Archiv* III p. 57).

14) *BGU* 1160, 4—6.

15) *BGU* 44, 9; 281, 13—17; 415, 11/2 (lin. 26 habet ἔδωκαν pro ὤφειλαν); 1132, 8 (habet hic P. et *BGU* 1144 et Lond. 317 et Hamb. 1: κατὰ διαγραφὴν διὰ τῆς δεῖνα τραπέζης); 1144, 5; P. Flor. 25, 18; 86, 15; Giss. 32, 4; Hamb. 1, 11; Lond. 196, 38—40 (II p. 154); 317, 11 (p. 209); 332, 19 sq. (p. 210); 907, 9/10 (III p. 170); 1164 (b), 7. 8 (p. 157); 1168, 36/7 (p. 137); Oxy. 241, 32/3, CPR I 1, 13 (Mitteis, *Ztschr.* cit. XIX p. 222, 229 sq., 247); 13, 2; Tebt. 395, 7/8.

16) Διεκβολὴν = διαγραφὴν ter indagavit Grenfell ad P. Tebt. 389, 3. Interim accesserunt P. Giss. 32, 2 (Preisigke, *Girowesen* p. 235); Ryl. 174, 12.

17) P. Argentor. inv. 2067 (Preislgke, *Girowesen* p. 39). Cf. praeterea Wilcken, *Archiv* III p. 524 (ad P. Rein. 7, 13), cui iniuria non paret Preisigke, *Girowesen* p. 227.

18) *BGU* 1167 I 4/5. Quid sit ψιλὸν, dicemus infra (p. 120, 4).

19) Si recte suppletum est P. *Soc. ital.* 715, 1.

Digitized by Google

trapezita scripta ἀντὶ συμβολαί(ου) [1]) cautio; poterat enim [2]), quod primus docuit Sayce [3]), tum plenius exsecutus est Mitteis [4]), sicut apud magistratum ita διὰ τραπέζης, etiam ἰδιωτικῆς [5]), èt negotium contrahi [6]) èt contractum rursus distrahi [7]), quod nulla erat necessitate coniunctum cum ipsius pecuniae διὰ τραπέζης numeratione vel perscriptione [8]). Quamquam necessario [9]) coniuncta haec esse putat Gradenwitz [10]), proinde διὰ τραπέζης contrahi distrahive non potuisse, nisi διὰ τραπέζης pecunia numeraretur vel certe perscriberetur, quam sententiam èt refellit *BGU* 88, ubi consensu contrahitur, èt P. Flor. 24, 6/7, ubi similiter distrahitur [11]) èt P. Lond. 1168 (III pag. 136/8), 49—61, ubi fit περίλυσις διὰ τραπέζης post solutionem (lin. 34) διὰ χειρός, èt P. Tebt. 398, ubi similiter διὰ τῆς Μέλανος τραπέζης remissio fit τῷ Πασίωνι, ὧν διέγραψεν ὁ Πασίων ὥς φησιν ἐπὶ τὴν δημόσιαν τράπεζαν [12]). Ergo, qui move-

1) Cf. *BGU* 1047 II 3 (Mitteis, *Grundzüge* p. 69 not. 4).

2) Utique iam sub Augusto nec posse desierat sub Diocletiano. Ante Chr. saeculo altero vestigium est ex coniectura P. Rein. 7, 13 (*Archiv* III p. 524).

3) (Petrie) Hawara (1889) § 49 (pag. 36): „*the bankers were public notaries, and deeds seem to have been deposited with them*".

4) *Ztschr. der Sav.-St.* XIX (1898) p. 220 sqq. (*Mitwirkung des Bankiers bei Rechtsgeschäften*).

5) P. Lond. 1168, 21 (III p. 137); 890, 2 (p. 168); Oxy. 1639, 30/1 (ia. lin. 5); Ryl. 173, 1. Cf. P. Oxy. 305 (*description*); 1473, 6/7 (ia. lin. 26); Tebt. 398, 4 (ia. lin. 12).

6) Dedit ex Plutarcho locum (Moral. 533 (non 539) B) Mitteis, *Ztschr.* cit. XIX p. 229. Laudabimus nos P. Oxy. 104, 21. 30 (ὀφειλομένων..... κατὰ ἀσφάλειαν διὰ τραπέζης).

7) P. Oxy. 98, 20/1 (καθ' ἣν ἐξεδόμην σοι διὰ.... τραπέζης ἀποχήν).

8) Obiter observabimus, in Papyris aut raro aut numquam numerationem vel perscriptionem pecuniae διαγραφὴν appellari, etsi diversum putat Preisigke, *Girowesen* (1910) p. 238. Semel omnino (*BGU* 1062, 15) διαγραφὴ est = τὸ διαγεγραμμένον διάφορον, id est, summa numerata vel perscripta. Ad P. Oxy. 264; 267; 269 (Preisigke, op. cit. p. 232/3) dicetur infra (p. 119, 3—6).

9) Remissius agit Preisigke, *Girowesen* (1910) p. 362 (§ 73): „*es gilt als Regel* etc..... *Von dieser Regel gibt es indessen Ausnahmen*". Cf. Schwarz, *Abhandl. (sächs. Akad.)* XXXI 3 (1920) p. 71.

10) *Bullett. dell' istit. di dir. rom.* IX (1896) p. 104; *Einf.* I (1900) p. 139 (cf. ibid. p. 124/5). Etiam restrictius Mitteis, *Grundzüge* (1912) p. 70[1], dum nominatim perscriptionem („*Gutschrift*") excludit.

11) De utroque papyro vid. paulo infra (p. 112 ima).

12) Ad utrumque hunc papyrum digitum intendit Preisigke, *Girowesen* (1910) p. 362/3.

Digitized by Google

tur nummus, ne hic quidem διὰ τῆς τραπέζης τῆς τὴν διαγραφὴν ἐκδούσης. Et sunt, quod observavit Preisigke [1]), in quibus nummus omnino moveatur nullus praeterquam εἰς λόγον δαπανῶν ipsius διαγραφῆς perpaucae [2]) drachmae: P. Lond. 932 (III p. 148/50); 1164 (k) (p. 166/7). Ex diverso, qui movent Udalricum Wilcken [3]), P. Fay. 96, Fridericum Preisigke [4]), P. Tebt. 395, movere non debent, quia non est, ut illi putant [5]), res improbabilis amphorarum olei διὰ τραπέζης adsignatio [6]). Ergo non, qui κατὰ διαγραφὴν τραπέζης ἀπέχει, is utique [7]) διὰ τραπέζης ἀπέχει, potest enim nihilominus διὰ χειρὸς ἐξ οἴκου numeratio intervenisse, potest etiam imaginaria esse solutio. Ne is quidem, qui διὰ τραπέζης numerat vel solvit, utique κατὰ διαγραφήν [8]), potest enim vel sic κατὰ χειρόγραφον [9]). Illud potest videri dubium, utrum omne omnino negotium διὰ τραπέζης recte contrahi distrahive possit. Et observabat Mitteis [10]), cui tunc nondum copia erat P. Flor. 24 etc., unum exemplum esse emptionis venditionisque ultro citroque per trapezitam contractae (*BGU* 88), ceteras omnes διαγραφὰς causam conti-

---

1) *Girowesen* p. 363/8.

2) Modo octo, modo duodecim.

3) *Archiv* I p. 553. Cf. praeterea Preisigke, *Girowesen* p. 223.

4) *Girowesen* p. 225.

5) Dissentit Mitteis, *Grundzüge* p. 71 summa.

6) Solvebantur ἐπὶ τράπεζαν interdum ζεύγη, id est, gemini panes (Ostr. *Sammelb.* 1094), indidem ἀντανῃροῦντο πυροῦ ἀρταβαί (P. Tebt. 394), quod tamen utrumque testimonium evertere studet Preisigke (*Girowesen* p. 224; *Sammelb.* 1094). Ex diverso P. Oxy. 267, 2—7 non est necesse statuere, quemadmodum statuit Mitteis, *Archiv* I p. 349[1], quem hactenus sequitur Ruggiero, *Bull. dell' ist. di dir. rom.* XV (1902) p. 210, nisi fictio subsit, ἐνώτια et ἱμάτιον adsignata esse διὰ τραπέζης. Ergo certius de argento et mundo testimonium est Iustiniani Nov. 136 c. 3. — Cf. praeterea Eisele, *Compensation* (1876) p. 35/6 (Partsch, *GGA* 172 (1910) p. 737), qui remittit ad l. 6 pr. Dig. 2, 13, ut demonstret, „*dass die Argentarier den Grosshandel mit Produkten vermittelten*", idem sine dubio dicturus de mancipiis, si inspexisset Apuleium, de magia c. 17 (i. f.), ubi emuntur duo pueri *in foro de mensa*.

7) Saepe fit, veluti P. Amh. 95 II; Flor. 1 (B); Lond. 1168 (III pag. 136/7); Oxy. 264; 267; 269.

8) *BGU* 1163, 9 (iis. lin. 4—6) eo quodammodo nititur.

9) P. Oxy. 98, 11/2; 1132, 15/7: ἐδάνεισά σοι κατὰ χειρόγραφον..... διὰ τραπέζης.

10) *Ztschr.* cit. XIX p. 226.

Digitized by Google

nere obligationis liberationisve μονομεροῦς [1]), proinde potius rebatur fuisse trapezitis solemne se interponere cautionibus, quibus ab uno latere obligatio vel liberatio contingeret. Sed, postquam accessit divortii exemplum per trapezitam facti [2]), iam non potest dubitari, quin trapezita ceteris quoque negotiis, in quibus aut neuter obligatur aut uterque, intervenire potuerit, fortasse etiam testamentis. De praediorum quidem et mancipiorum [3]) et navium et σιτήσεων [4]) alienationibus et hypothecis separata quaestio est. Atqui tollunt omnem dubitationem species haud ita paucae, ubi aperte κατὰ διαγραφὴν τραπέζης vel venit praedium [5]) vel navis [6]) vel eius hypotheca constituitur [7]) vel venisse [8]) vel hypotheca eius contracta [9]) contrahendave [10]) similiter commemoratur. Quocirca mirari non debemus, cur interveniat pactum de abstinendo se hereditate quum futura matris tum praesenti patris [11]). Quod autem dictum est supra (p. 111): apud Aegyptium trapezitam, sicut apud magistratum, ita potuisse contrahi, ab eo diversum ius fuit Athenis, licet ibi quoque contractus apud mensam deponerentur [12]), iidem ἐναντίον τοῦ τραπεζίτου tollerentur [13]); non enim ut apud magistratum, sed ut apud privatum [14]), deponebantur tollebantur. Etenim iure Attico contractum deposuisse sufficiebat apud

1) „*Schuldverschreibungen und Zahlungen*". Numquam ab hac sententia totus recessit.

2) P. Flor. 24, 6: ἡ δεῖνα μετὰ κυρίου [τῷ δεῖνι· συνῆρθαι αὐτοῖς τὴν πρὸς ἀλλήλους συμβίωσιν, ἥτις αὐτοῖς] συνειστήκει ἀγράφως καὶ ἐξεῖναι ἑκ[ατέρῳ γαμεῖσθαι ᾧ ἂν βουληθῇ]. Supplementa sunt fere editoris, sed perperam, ut mihi quidem videtur, ante συνῆρθαι inseruit: ἔχειν αὐτὸν.... καί. Cf. praeterea P. Oxy. 1473, 6/7. 3) P. Genev. 22.

4) P. Lond. 1164 (i) (III pag. 165/6).

5) P. Lips. 3 I (cf. II 8—10); Flor. 380; Lond. 1158 (III pag. 151); Rain. 2078/9 (*Stud. z. P. u. P.* XX 74; *Ztschr. f. vergl. Rechtsw.* XL p. 198), quorum partibus B respondet P. Amh. 96. Accedunt sine parte B: P. Lond. 1298 (III pag. 153); 1164 (c), (e), (f), (k) (pag. 157—167); Ryl. 165.

6) P. Lond. 1164 (h) (III p. 163/5). 7) P. Flor. 28 lin. 13 (et lin. 5).

8) P. Argentor. 34, 5; Lond. 941, 4 (III pag. 119); 942, 6 (p. 119); 945, 11 (p. 120); 1164 (c), 7/8 (p. 158); 1164 (e), 6 (p. 160).

9) P. Flor. 56, 12; 318, 10; Giss. 32, 6/7; Lips. 8, 7 (= 9, 15/8); Lond. 1164 (g), 15 (III pag. 163).

10) P. Ryl. 120, 15/6. 11) P. Lond. 932 (III pag. 148/9).

12) Demosth. XXXIV § 6; *Sitzungsber. (Berlin)* 1898 p. 782 n° 26 (ὅρος).

13) Demosth. LVI § 15 (Gneist, *form. Vertr.* (1845) p. 452).

14) Haec non, quantum res postulat, separat Mitteis, *Ztschr.* cit. XIX p. 229.

Digitized by Google

quemlibet [1]), ipsa denique testamenta *παρὰ τῇ ἀρχῇ* potuisse [2]) nec tamen debuisse [3]) deponi constat. *Τραπεζῶν διαγραφαὶ* primum comparent Deli medio secundo ante Christum saeculo hac forma [4]): [*Ἀπὸ τῆς* [5]) *τραπέ*]*ζης τῆς ἐν Δήλῳ κεχειροτονημένου ἐπ' αὐτὴν Θεοδώρου τοῦ Στράτωνος Μαραθωνίου. Ἐπὶ Ἀνδρέου ἄρχοντος μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος τετράδι Παραμόνῳ καὶ Εὐμήλῳ τοῖς κεχειροτονημένοις ἐπὶ τὴν φυλακὴν τῶν ἱερῶν χρημάτων καὶ τὰς ἄλλας προσόδους ὥστε εἰς τὸ ἱερὸν* [6]) *κατέβαλεν Διόφαντος παρ' Ἀλεξίωνος στεφανηφόρου δραχμὰς τετρακισχιλίας πεντακοσίας.* Nam per Aegyptum post solitariam et eam incertam anno ante Chr. 141 commemorationem [7]) *διαγραφαὶ* ab Augusto [8]) ad Diocletianum [9]) passim exstant [10]), quin immo *διαγραφῶν τεύχη* [11]), quorum omnium iam sequuntur fasti.

---

1) Revillont, *Précis de droit égyptien* (1903) p. 747: „*le premier venu*", p. 1337: „*le plus souvent un banquier, mais ce pouvait être tout autre*". — Cf. *Inscr. jur. gr.* VIII (*ὅροι*) 50; 62; 63; 65; 66; Hyperid. V § 9; Aesch. I § 163, 165; Isocr. XVII § 34 (*παρ' ἀνθρώπῳ ξένῳ*) et, quos praeterea collegit locos Gneist, *form. Vertr.* p. 442, 450.

2) Isae. I § 25 (ia. § 15); *Inscr. jur. gr.* VIII n⁰ 24. Cf. Bruck, *Habilitationsschrift* (1909) p. 128—137. Occurrere hic observat (p. 131) *ἀναγεγραμμένην..... ὅσων* in testamento Epicuri § 1 (Bruns, *Kl. Schr.* II p. 232).

3) Isae. VI § 7, § 27; VIII § 1; IX § 5 sq., § 18, § 22; Theophr. testam. § 5 (Bruns, *Kl. Schr.* II p. 214). Quin immo apud Lysiam XXXII § 7 ipsum testamentum (*ἀντίγραφα σεσημασμένα*) domi retinet quis, deponit (§ 5) exemplar (*διαθήκην*). 4) Inscr. *BCH* 34 (1910) p. 181 (Deli inv. 217) lin. 9—15.

5) *Ἀπὸ τῆς* saepe redit *BCH* VI (1882) p. 6—18 (inscr. Deli sine no.), sed reliqua differunt. 6) *Τὸ ἱερὸν* suppletum est ad lin. 7.

7) P. Rein. 7, 13 (*Archiv* III p. 524). Non modo supplementum est incertum, sed potest intelligi *προσφώνησις*, qualem servat P. Eitrem 5 (*Sammelb.* 6016).

8) *BGU* 1194 (27 ante Chr.); P. Lond. 890 (III p. 168) (6 ante Chr.). Praeterea commemorantur ante Chr. 23: *BGU* 1152, 12—14, ante Chr. 17: *BGU* 1154, 19/20, ante Chr. 16: *BGU* 1132, 8, ante Chr. 13: *BGU* 1144, 5, ante Chr. 12: *BGU* 1167 I 4/5, ante Chr. 11/0: *BGU* 1168, 12/3.

9) Sunt quidem novissimae *διαγραφαὶ* P. Lond. 1298 (III pag. 153) anni 260, Ryl. 165 anni 266, P. Rain. 2078/9 (*Studien z. P. u. P.* XX 74) anni 276, sed habet P. Lips. 5 anni 293 locum *διαγραφῇ* destinatum ante aut subscriptionem accipientis aut instrumentum secutorium, ut P. Flor. 48 (*Archiv* IV p. 433) = P. Giss. 33 anni 222.

10) Connumeramus, ubi aut accipientis subscriptio superest, aut instrumentum secutorium: P. Genev. 22 (*Archiv* III p. 390); Amh. 96; Flor. 46, 2 sqq.; 48 (*Archiv* IV p. 433) = P. Giss. 33; Lips. 5. Non connumero P. Eitrem 5 (*Sammelb.* 6016), quia non est *διαγραφή*, sed *προσφώνησις*.

11) P. Flor. 24; 25; Lond. 1164 (III p. 156—167), cuius accessio Flor. 318; P. Hawara 116 Vo. (*Archiv* V p. 385/6); Gizeh 10526 (Preis. 31).

Digitized by Google

Διαγραφαὶ τραπέζης.

Num.	*Annus*	*Instrumentum (P.)*
	ante Chr.	
1	27	*BGU* 1194
2	6	Lond. 890 (III p. 168)
3	inc.	Oxy. 1639
	post Chr.	
4	20	Oxy. 305
5	34	Ryl. 173
6	35	Oxy. 323
7	36	Oxy. 267
8	37/8	Genev. 22
9	44	Lond. 1168, 21—31 (III pag. 137)
10	44	Lond. 1168, 49—61 (pag. 138)
11	54	Oxy. 264
12	57	Oxy. 269
13	57	Hamb. 1
14	79	*BGU* 981 II 22—29
15	92	Grenf. II 43
16	92	*Soc. ital.* 715
17	94	Tebt. 483
18	97	*BGU* 1065
19	102	Hawara 223
20	105	Argentor. 19
21	106?	*BGU* 415 (*Berichtigungsl.* pag. 44).
22	108	*BGU* 982
23	109	Amh. 95 II
24	109	Hawara 303
25	99/117	*BGU* 281
26	131	*BGU* 70
27	134	Lond. 907 (III p. 170)
28	136	Fay. 155
29	117/38	*BGU* 986
30	137/8	CPR I 230
31	138	CPR I 17
32	139/40	Gizeh 10526 (Preis. 31) (*τεῦχος*)
33	139/40	*BGU* 645
34	140	*BGU* 697
35	140	*Soc. ital.* 204, 20 sqq.
36	141	Bas. 4.
37	141	*BGU* 472 II
38	141	Tebt. 389

Digitized by Google

Num.	*Annus*	*Instrumentum (P.)*
	post Chr.	
39	142	Tebt. 398
40	143	Fay. 96
41	143	Grenf. II 51
42	147	*BGU* 88
43	149	CPR I 15
44	150	*BGU* 468
45	150	Tebt. 395
46	151	Argentor. 52 II
47	151	*BGU* 702
48	151	*Soc. ital.* 159
49	153	Flor. 1 (B)
50	156	Lond. 317 (II p. 209)
51	157/8	Lond. 320 (II p. 198)
52	158	Flor. 44
53	159	*BGU* 427
54	138/60	Hawara 116 Vo. (τεῦχος)
55	161	*Soc. ital.* 714
56	163	*BGU* 607
57	163	CPR I 16
58	166	Lond. 333 (II p. 199)
59	166	Lond. 332 (II p. 210)
60	166	CPR I 14
61	167	Lond. 336 (II p. 221)
62	179	Flor. 28 (a)
63	188	Giss. 32 (*Berichtigungsl.* p. 169)
64	189	Flor. 46, 2 sqq.
65	100/200	*Stud z. P. u. P.* XXII 76
66	100/200	Flor. 24 (τεῦχος)
67	100/200	Flor. 25 (τεῦχος)
68	203/4	Flor. 380 (A)
69	201/11	Ryl. 176
70	211	Lond. 932 (III p. 148/9)
71	212	Lond. 1164 (III p, 156—167) + Flor. 318 (τεῦχος)
72	213	Amh. 96
73	222	Flor. 48 = Giss. 33 (τόπος)
74	226/7	Lond. 1158 (III p. 151)
75	256	Lips. 3 I
76	260	Lond. 1298 (III p. 153)
77	266	Ryl. 165
78	276	Rain. 2078/9 (*Stud. z. P. u. P.* XX 74)
79	293	Lips. 5 (τόπος)

Digitized by Google

ELENCHUS FONTIUM (HORUM FASTORUM).

	Num.
PAPYRI.	
Amh.	
95 II	23
96	72
Argentor.	
19	20
52 II	46
Bas.	
4	36
BGU	
70	26
88	42
281	25
415	21
427	53
468	44
472 II	37
607	56
645	33
697	34
702	47
981 II 21—29	14
982	22
986	29
1065	18
1194	1
Fay.	
96	40
155	28
Flor.	
1 (B)	49
24	66
25	67
28 (a)	62
44	52
46, 2 sqq.	64
48 = Giss. 33	
318 = Lond. 1164	
380 (A)	68
Genev.	
22	8
Giss.	
32	63
33	73
Gizeh	
10526 (Preis. 31)	32
Grenf. II	
43	15
51	41
Hamb.	
1	13
Hawara (*Archiv* V)	
116 Vo.	54
223	19
303	24
Lips.	
3 I	75
5	79
Lond.	
317	50.
320	51
332	59
333	58
336	61
890	2
907	27
932	70
1158	74
1164	71
1168, 21—31	9
1168, 49—61	10
1298	76
Mél. Nic.	
p. 193 = Flor. 380	
Oxy.	
264	11
267	7
269	12
305	4
323	6
1639	3
CPR	
14	60

Digitized by Google

	Num.		Num.
CPR (cont.)		*Soc. ital.* (cont.)	
15	43	714	55
16	57	715	16
17	31	*Stud. z. P. u. P.* XX	
230	30	74 = Rain. 2078/9	
Rain. extrav.		*Stud. z. P. u. P.* XXII	
2078/9	78	76	65
Ryl.		172 = CPR I 14	
165	77	Tebt.	
173	5	389	38
176	69	395	45
Soc. ital.		398	39
159	48	483	17
204, 20—24	35		

Τεύχη deponi solebant ἐπὶ τῶν τόπων [1]) apud τοὺς τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοφύλακας [2]), dicebanturque illorum contemplatione singulae diagraphae ἐκδόσιμα [3]) vel ἀντίγραφα, quocirca non debent turbare διαγραφῶν ἀντίγραφα ἐφ' ὑπογραφῆς sive τοῦ τραπεζίτου [4]) sive rei [5]) sive testium [6]). Et sunt singulae diagraphae forma aut communi [7]) aut propria aut hybrida [8]). Forma communis haec est: (P. Lond. 1164 (*k*) [III p. 166/7]) ..... διὰ τῆς δεῖνα τραπέζης· Φιλαντίνοος..... Ἑρμίᾳ..... ὁμολογεῖ διὰ τῆσδε τῆς διαγραφῆς παρακεχωρηκέναι..... μέρος οἰκίας κτέ. [9]) vel: (*BGU* 88) διὰ τῆς δεῖνα τραπέζης· Χαιρήμων.....

1) Cf. *BGU* 1038, 26 (διαγραφὰς εὑρὴ οὔσας ἐν καταχωρισμῷ ἐπὶ τῶν τόπων).

2) P. Lips. 9, 21/2 (cf. *Archiv* IV p. 462/3; Lewald, *Beitr. z. Kenntniss des röm.-aegypt. Grundbuchrechts* (1909) p. 12 not. 7). Exstat volumen inscriptum βιβλιοφύλαξιν ἐγκτήσεων (P. Flor. 24).

3) P. Lond. 1164 (*b*), 15 (III pag. 157); 1164 (*e*), 19 (pag. 160); 1164 (*g*), 15 (pag. 163). Similiter P. *Soc. ital.* 904; 907, alterius generis instrumenta, quum se appellant (lin. 1) ἐκδόσιμα, tum habent subscriptiones authenticas.

4) P. Argentor. 34, 15/6.

5) *BGU* 415; 1065; P. Lond. 1168, 21—31 (III pag. 137); 890 (pag. 168); Ryl. 173; Tebt. 395. Similiter occurrit ὁμολογίας ἀντίγραφον cum subscriptionibus ipsorum P. Hamb. 15 (ia. 16, 19).

6) P. Lips. 3 I (ia. II 13). Cf. Mitteis, *Grundzüge* p. 64[1].

7) Quas definivit Gradenwitz, *Einf.* I p. 129: „*Bankurkunde(n), aber formell keine*". Huius generis est etiam Deliaca, quam exscripsimus (p. 114).

8) Veluti, quum transitur a forma propria ad communem (*BGU* 697, 16; 986, 13; 1065, 12) versaque vice (P. Lond. 1164 (*k*), 13: καὶ μὴ ἐπελεύσεσθαι τὸν Ἑ.).

9) Esse similis credebatur P. Lond. 320 (II pag. 198) (Lewald, *Beitr.* cit. p. 32 not. 5), sed cf. Mitteis ad Chrestom. II 177, 6.

Digitized by Google

πέπρακεν [1]) Ἰσιδώρᾳ .... κάμηλον .... τιμῆς δραχμῶν τοσούτων [2]) vel post pactum conventum [3]) σημείωσις [4]), id est [5]), authentica subscriptio: διὰ τῆς δεῖνα τραπέζης γέγονεν ἡ διαγραφή [6]). Propriam [7]) — veluti: (P. Fay. 96) διὰ [8]) τῆς δεῖνα τραπέζης. Σύρος Νεμεσᾶτι [9])· ἀπέχειν τὸν Νεμεσᾶτα [10]) παρὰ τοῦ Σύρου φόρον τοῦ διεληλυθότος ἕκτου ἔτους — ita illustravit Gradenwitz [11]), ut sim ridiculus, si iterum enarrare velim. Novi quid mox quidem attulit Mitteis [12]): διαγραφὰς duas [13]) — interim factae sunt complures [14]) — subscriptionem habere numerantis vel pro numerante, quum alias contrahentium aut nulla sit subscriptio aut accipientis dumtaxat.

---

1) In papyro est πεπρακ˜, quo portendi credebat editor πέπρακα, Wilcken πεπρακέναι. Quod tolerari posse demonstrabimus infra (§ 23). Praestat tamen πέπρακεν. Cf. P. Lond. 473 (ante P. Tebt. 350); Hawara 298, 2 (*Archiv* V p. 392).

2) Privatae similes sunt cautiones *BGU* 413 et P. Hawara cit. (298).

3) Appellatur χείρ (P. Oxy. 264, 12; 269 I 12), χειρόγραφον (269 II 7).

4) Oxy. 269 I 30. Σημείωσιν ipsam διαγραφὴν esse docet Mitteis ante Chrestom. II 266.

5) Meo quidem iudicio. Alio rem deducit Preisigke, *Girowesen* p. 232/3.

6) P. Oxy. 264; 267; 269; 305; 1639.

7) Non ita quidem propriam, quin sint similes privatae cautiones P. *Stud. z. P. u. P.* XXII 47: Ὧρος .... Κλαυδί(ῳ) Τιβερί(ῳ) Διδύμ(ῳ) αὐλητ(ῇ)· ἔχειν αὐτὸν παρὰ τοῦ Ὧρου ἀρραβῶνα, P. Oxy. 919: ἐκ λόγου κλη(ρονόμων) Ἰουλίου Σαραπίωνος Καλλέᾳ κυβερνήτῃ, ... ὧν λόγον δώσει· δραχμὰς ρξ'. Hinc descendit item privatarum cautionum corrupta forma: (*BGU* 911) ἐδάνεισεν ὁ δεῖνα τῷ δεῖνι· ἔχειν, inde corruptiores: (P. Ryl. 160 (*c*) II) ἐδάνεισεν ὁ δεῖνα ὁ δεῖνα ἔχω; (*BGU* 713) ἐδάνεισεν ὁ δεῖνα οἱ δεῖνες ὁμολογοῦμεν ἔχειν.

8) Interdum fit ἀπὸ: *BGU* 70; 468; 645; CPR I 14; P. Lond. 907 (III pag. 107), ut Deli (hic p. 114). Similiter alternatur *BGU* 415, 1; P. Grenf. II 43, 1. — P. Tebt. 389, 3 fit: κατὰ διεκβολήν.

9) Arsinoiticis hic inseri accipientis εἰκονισμὸν docet Gradenwitz, *Mél. Nic.* (1905) p. 201[1]. Cf. *Einf.* I pag. 129; Mitteis, *Grundzüge* p. 75[7].

10) Sic fere perpetuo denuntiatur factum adversarii, sed P. Tebt. 398 proprium. Fit similiter in privatis cautionibus P. Grenf. II 7,1 (I 5: οἱ δεῖνες Μαριανῷ· ἀποσυνεστηκέναι αὐτόν), si verum vidit Mitteis (ante Chrestom. II 190); P. Lond. 277, 4 sqq.; 1273 (ὁ δεῖνα· ἔχειν τὸ δάνειον παρὰ τοῦ δεῖνος).

11) *Berl. philol. Wochenschr.* XVI (1896) p. 1065, 1067/8; *Bull. dell' instit. di dir. rom.* IX p. 102—104; *Einf.* I (1900) § 18.

12) *Ztschr. der Sav.-St.* XIX (1898) p. 227[1].

13) CPR I 14 (lin. 22/3); *BGU* 427. Decessit interim CPR I 14 (*Studien z. P. u. P.* XXII 172).

14) Accesserunt *BGU* 697; P. Lond. 1164 (*b*)—(*k*) (III pag. 157—167); Rain. 2078, 2079 (*Studien zur P. u. P.* XX 74; *Ztschr. f. vergl. Rechtsw.* 40 p. 198). Nam P. Lips. 3 I 17; Flor. 380, 22 subscriptio numerantis potest pertinere ad instrumentum secutorium.

Digitized by Google

Harum vero uni [1]) eundem subscribere pro numerante et pro accipiente observatum est alibi [2]). Et esse quidem videtur numerantis subscriptio supervacanea, accipientis vero quum desit, ipsa διαγραφὴ imperfecta [3]) vel *nuda* [4]). Etsi vel sic fuisse ratas ab accipiente non subscriptas διαγραφάς, eo demonstratur, quod nonnumquam cancellatae sunt [5]) vel solvendo recuperatae [6]). Ex novis autem documentis haec didicimus. Praescribitur interdum [7]) ex abundanti Διαγραφή (ergo fit Διαγραφὴ [8]) vel Ἀντίγραφον διαγραφῆς (= Ἀντίγραφον) διὰ τῆς δεῖνα τραπέζης = Διὰ τῆς δεῖνα τραπέζης). Simili sermonis redundantia aliquando legitur [9]) contractum κατὰ διαγραφὴν διὰ τῆς δεῖνα τραπέζης = κατὰ διαγραφὴν τῆς δεῖνα τραπέζης). Ex ipso praeterea corpore τῆς διαγραφῆς interdum [10]) tollitur nomen et verbum (ergo fit: ὁ δεῖνα τῷ δεῖνι· ἀργυρίου κεφάλαιον δραχμὰς

1) *BGU* 427. Idem factum videtur P. Lond. 1164 (*h*) (III pag. 165).

2) *Archiv* II p. 36.

3) Gradenwitz, *Einf.* I p. 141: *„die Urkunde (ist) als eine imperfekte zu erachten"*.

4) Ergo sic interpretor *BGU* 1167 I 4/5: ψιλ(ὸν) πιττάκιον ἀπὸ (vel διὰ) τῆς Ἑρμοῦ τραπέζης, id est, ab accipiente non subscriptum.

5) Veluti P. Lond. 336 (II pag. 221); *BGU* 645 (Gradenwitz, *Archiv* II p. 111).

6) *BGU* 1167 I 3/7.

7) P. Amh. 95 II; Argentor. 19; 52 II; *BGU* 981 II 21; 982; 1065; 1194; P. Flor. 1 (*B*); 28 (*a*) (*Archiv* III p. 529, 533); 380; Grenf. II 43; Hamb. 1; Lips. 3 I; Lond. 1168, 21 (III pag. 137); 1158 (pag. 151); 1298 (pag. 153); Rain. 2078, 2079 (*Studien zur P. u. P.* XX 74); PR. *Stud.* cit. XXII 76; Ryl. 165, 4; *Soc. ital.* 159; Tebt. 483.

8) P. Giss. 32 et P. Hawara 303 (*Archiv* V p. 392) atque fortasse Haw. 223 (ibid. p. 389) hic habent: Διεκβολή vel Ἀντίγραφον διεκβολῆς; Lond. 333 (II p. 199) argumenti ratione: Ἀντίγραφον πράσεως, Lond. 1168, 49 (III p. 138): περιλύσεως.

9) *BGU* 1132, 8; 1144, 5; P. Hamb. 1, 10/1; Lond. 317, 11 (II pag. 209); Ryl. 120, 15/6. In P. Lond. 1168, 36/7 (III pag. 137) et lin. 53/4 (pag. 138) fit κατὰ διαγραφὴν μισθώσεως ἀγορανομείου διὰ τῆς δεῖνα τραπέζης, id est, κατὰ διαγραφὴν ἀκολούθως μισθώσει τῇ διὰ τοῦ ἀγορανομείου διὰ τῆς δεῖνα τραπέζης γεγενημένην.

10) P. Amh. 95 II; Argentor. 19; 52 II; *BGU* 1194; P. Flor. 1 (*B*); Giss. 32; Hamb. 1; Lond. 1168, 21—25 (III pag. 137). Fit similiter *BGU* 986 et P. Hawara 223; 303 (*Archiv* V p. 389, 392) et CPR I 17 II (cf. P. Lips. I pag. 6 not. 1). Accedit privata cautio P. Oxy. 919. Nam de P. Flor. 28 adfirmari potest nihil. Cf. praeterea P. Lond. 1168, 49—61 (III pag. 138), ubi per errorem non delevisse videtur verba καὶ λάμβ(ανε) λόγου (= ἀπὸ τοῦ ἐμοῦ λόγου), qui mandatum eradendo (cf. ad lin. 51) fecit διαγραφήν.

Digitized by Google

διακοσίας = ἔχειν αὐτὸν [1]) ἀργ. κεφ. δρ. διακ.) vel commutatur participio veluti [2]): ἡ δεῖνα τῇ δεῖνι πεπρακυίᾳ = πεπρακέναι αὐτήν. Et, propria forma τῶν διαγραφῶν licet scriptor usus sit, tamen additur interdum [3]), quemadmodum in communi forma notavimus (p. 119), authentica trapezitae subscriptio: ὁ δεῖνα (τραπεζίτης) σεσημείωμαι. Testium denique subscriptiones et παραναγνόντος additae sunt, sed raro [4]). Ponitur autem ἡ διαγραφή, quae quidem apochen contineat [5]), interdum sub instrumento principali, quod rescinditur [6]); fit saepius, maxime in venditionibus [7]), ut vice mutua fungantur instrumentum principale et ἡ διαγραφή, quemadmodum scriptura exterior et interior. In hac autem specie vel praescribitur ἡ διαγραφή, quo casu instrumentum principale fit secutorium [8]), vel subscribitur [9]) instrumento principali, quod sicut

1) Aliter explet Gradenwitz, *Mél. Nic.* p. 207: „ὁ δεῖνα hält zur Verfügung τῷ δεῖνι".

2) P. Rain. 2078/9 (*Stud. zur P. u. P.* XX 74; *Ztschr. f. vergl. Rechtsw.* 40 p. 198), 3.

3) P. Argentor. 52 II; Flor. 1 (*B*); 28 (*a*); 380 (*A*); Giss. 32 (*Berichtigungsliste* p. 169); Lips. 3 I; Lond. 932 (III p. 149); 1158 (p. 151); 1298 (p. 152). Cf. denique P. Argentor. 34, 15/6.

4) Habent testium subscriptiones P. Lond. 1164 (*b*), (*f*), (*g*), (*i*) et (*k*). Ἀναγνόντος vel παραναγνόντος praeter (*g*) iidem. Qui praeterea occurrit in privatis cautionibus Oasis maioris (P. Grenf. II 68—71).

5) Eodem modo privata apoche subscribitur P. Oxy. 267, 34/9 et P. Lond. 1168, 32—48 (III p. 137). Privata trapeziticave, non traditur, P. Oxy. 305 (*description*).

6) *BGU* 472; P. Oxy. 323. Ergo, quod hic secundae diagraphae subscribit trapezita περιλέλυται ἡ διαγραφή, id referendum est ad priorem.

7) Mitteis, *Privatr.* I p. 311/2. Attamen P. Flor. 1 et Argentor. 52 idem fit in mutui datione ἐφ' ὑποθήκῃ (Mitteis, l.l. not. 79) et P. Giss. 32 in solutione εἰς (ὑποθήκης) περίλυσιν et item P. Lond. 1168 (III p. 137/8) μισθώσει ἀντὶ τόκου et huius περιλύσει.

8) P. Flor. 28; 380; Giss. 32; Lips. 3 I; Lond. 932 (III p. 148/9); 1158 (p. 151/2); PR 2079/80 (*Stud. z. P. u. P.* XX 74; *Ztschr. f. vergl. Rechtsw.* 40 p. 198), si modo horum partes alterae sunt instrumenta secutoria, non merae ὑπογραφαί. Quod licet probabile reddat Gradenwitz, *Mél. Nic.* p. 199 (ante notam 1), tamen de singulis dubitationem inicit P. Lips. 5 II, quae sine dubio est ὑπογραφή. Est eadem quaestio de P. Amh. 96 et Flor. 48 (= Giss. 33); 46, 2 sqq., similis (*Archiv* V p. 205[3]; Mitteis, *Grundzüge* p. 64 not. 2) de papyris *BGU* 174; 189; 989 (Chrestom. II 136); Fay. 89 (Chrestom. II 166); Rain. 1577 (= *Stud. z. P. u. P.* XX 16).

9) P. Amh. 95 II; Argentor. 52 II; Flor. 1 (*B*); Genev. 22 (*Archiv.* III p. 390); Lond. 1168, 21—31 (III p. 137) et 49—61 (p. 138). Fit secus P. Lips. 3 I (*Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 382).

Digitized by Google

exterior scriptura [1]) èt prius [2]) scribitur èt enucleatius èt accuratius [3]) èt solum transscribitur εἰς τὴν χωρικὴν βιβλιοθήκην [4]) vel certe solum inde ἐκλαμβάνεται [5]), si quando opus est. Fungitur in talibus instrumentis ἡ διαγραφὴ charagmatis vel authenticae subscriptionis vice, quocirca post χάραγμα vel post authenticam subscriptionem [6]) sive trapezitae [7]) sive cuiuslibet συγχρηματίζοντος erit supervacanea. Quod autem diximus: τὴν διαγραφὴν postea scribi, ei non est contrarium, quod P. Flor. 1 (*B*) διαγραφὴ subscribitur τῇ ἀνενεχθησομένῃ διὰ ἀγορανομείου ὑποθήκῃ (= *A*), nam hoc ipsum scripturus fuit, qui non explevit P. Lips. 5 (cf. ibi II 8/9 et P. Flor. cit. lin. 30), instrumento principali iam perfecto. Ergo, quemadmodum in conductionibus, ubi merces statuitur non universaliter et quasi per aversionem, sed ἑκάστης ἀρούρας, nihil interest, utrum statuatur ἑκάστης ἀρούρας τῆς ἐκ γεωμετρίας φανείσης [8]) an φανησο-

1) Wilcken, *Archiv* III p. 530, 523. Est praeterea, qua de re conferendus est Partsch, *Festschr. für* Lenel (1921) p. 158/9, quum *BGU* 994 et 995 tum P. Lond. 879 interior scriptura aliquo posteriore mense vel die data quam exterior, ex his *BGU* 995 die solutionis (P. Genev. 20 = P. *Sammelb.* 5865). Initio quidem interior scriptura enucleatius scribebatur vel certe accuratius (Schönbauer, *Ztschr.* cit. XXXIX (1918) p. 234), sed paulisper cedere coepit exteriori (Wilcken, *Archiv* VI p. 388: „*wie die Zenonpapyri von neuem zeigen*"). In lignis idem observavit Mommsen, *Ges. Schr.* III p. 237 („*hie und da eine nachlässigere Behandlung früher des äusseren, später des inneren Exemplars*").

2) P. Giss. 32 habet διαγραφὴν quarto, instrumentum secutorium tertio mense datum; P. Lond. 1158 (III p. 151/2) διαγραφὴν datam quinto, instrumentum secutorium quarto mense (Eger, *zum aeg. Grundbuchw.* p. 120 not. 5); P. Lips. 3 I διαγραφὴν diei 26, instrumentum secutorium eiusdem mensis diei 22 vel prioris (Mitteis, *Grundzüge* p. 183), si modo sunt haec instrumenta secutoria, non merae ὑπογραφαί. Praeterea P. Lips. 5 habet solum instrumentum principale, τῇ διαγραφῇ locus relictus est et huic subscriptum, quod similiter factum (sed in causa συγγραφῆς) P. *Soc. ital.* 907; 908; 910—918; *Griech. Texte* 2. Etiam P. Flor. 48 (= Giss. 33) post locum vacuum διαγραφῇ relictum aut subscriptio legitur aut instrumentum principale. — Non esse contrarium P. Flor. 1 (*B*) demonstrabitur statim.

3) Gradenwitz, *Mél. Nic.* p. 206/7.

4) Mitteis ante Chrestom. II 185: „*wohl identisch mit β. ἐγκτήσεων*". Sentit idem Preisigke, *Girowesen* p. 291[4].

5) P. Flor. 46, 1.

6) Post authenticam subscriptionem habent διαγραφὴν P. Argent. 52; Flor. 1; Lond. 1168, 1—17. 21—31 (III pag. 136/7).

7) Cf. Gradenwitz, *Mél. Nic.* p. 207/8.

8) P. Ryl. 168, 6/7.

Digitized by Google

μένης [1]), itidem nihil interest, utrum scribatur ἀκολούθως τῇ ἀνενεχθησομένῃ [2]) an ἀναφερομένῃ [3]) an ἀνεννηνεγμένῃ [4]) an γενομένῃ [5]) vel ᾗ πεποίηται ὁ δεῖνα [6]) δι' ἀγορανομείου [7]) vel διὰ γραφείου [8]) vel δι' ἀρχείου [9]) vel διὰ βιβλιοθήκης [10]) vel διὰ κριτηρίου [11]) vel ἐξαμαρτύρῳ [12]) ὑποθήκῃ [13]) sive ὑπαλλαγῇ [14]) sive ὁμολογίᾳ πράσεως [15]) sive ὠνῇ [16]) sive μισθώσει [17]) sive ἀποχῇ [18]) sive λύσει [19]), quam quae habeat clausulam διαγραφή, instituerunt eam viri docti accessoriam („*unselbständige*") appellare, sive in sua charta scripta sit, sive sub instrumento principali. Apparet praeterea ex iis, quae de natura διαγραφῶν disputavimus, quae sunt instrumenta per trapezitam facta nec praeterea quidquam, quantum aberraverit olim Dareste [20]), quum διαγραφὴν τραπέζης esse definiret mandatum solvendi ad trapezitam datum („*chèque sur un banquier*"). Extant eiusmodi mandata [21]), sed manifestum est διαγραφὴν τραπέζης diversum esse, quae non

---

1) P. Ryl. 171, 17/9.
2) P. Argentor. 52 II; Flor. 1 (*B*); Lips. 5 II 8/9.
3) P. Amh. 95 II; Argentor. 19.
4) P. Genev. 22; Hamb. 1 (*Berichtigungsl.* p. 193); Lond. 1168, 23/4 (III pag. 137).
5) P. Lond. 1164 (*i*) (III pag. 165).
6) P. Hawara 303 (*Archiv* V p. 392/3); Tebt. 389, 16/8.
7) P. Argentor. 19; Flor. 1 (*B*); Genev. 22; Lond. 1168, 23/4.
8) P. Amh. 95 II; Argentor. 52 II; Lips. 5 II.
9) P. Lond. 1164 (*i*).
10) P. Tebt. 389. Diximus supra (Mnemos. LV p. 211 post 5).
11) P. Hamb. 1.
12) P. Hawara 303.
13) P. Flor. 1 (*B*); Argentor. 52 II.
14) P. Tebt. 389.
15) P. Amh. 95 II; Argentor. 19; Lips. 5 II; Lond. 1164 (*i*).
16) P. Genev. 22.
17) P. Lond. 1168, 23/4.
18) P. Hawara 303.
19) P. Hamb. 1. Cf. Schwarz, *Abhandl. (sächs. Ak.)* XXXI 3 p. 69[1].
20) *Nouv. rev. histor.* XVIII (1894) p. 690.
21) P. Fay. 100; *BGU* 156; 813 (Wilcken, *Archiv* I p. 553); 981 II 8—14 (cf. *Berichtigungsliste* p. 442); P. Hawara 44; 68 (*Archiv* V p. 381, 382); Tebt. 168 (pag. 182/3); Oxy. 1499; 1500; *Griech. Texte* 6, 13—19, *Stud. z. P. u. P.* XXII 3; 4 II; 4 III. — Accedunt *BGU* 1063, si recte habet τραπεζίτῃ et item *BGU* 1064 (*Archiv* IV p. 560), nisi obstat vocabulum μεταβαλών (obstare putat Mitteis, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 388), prior denique textus P. Lond. 1168, 50 sqq. (adnot.). Alterius generis mandatum esse videtur P. Lond. 1168, 18—20 (pag. 137): τῷ δεῖνι τραπεζίτῃ· περίλυσιν (= περίλυσον) τὴν ὑποκειμένην διαγραφήν.

Digitized by Google

ad trapezitam detur sed per trapezitam fiat. Resuscitavit errorem Rudolphi Dareste Otto Gradenwitz [1]), qui praeterea suo Marte errat, quum doceat [2]) imperfectam διαγραφήν, id est, quae subscriptione accipientis pecuniam destituatur, esse revera denuntiationem trapezitae, qua certiorem is faciat pecuniam accepturum de mandato ad se dato. Dubitat tantummodo, utrum eiusmodi προσφώνησις trapezitam obliget [3]) et utrum venundari possit [4]). Equidem, possitne venumdari nescio, sed obligari trapezitam non διαγραφῇ quidem sed, quod idem esse ille putat, προσφωνήσει, accepturo pecuniam quae missa sit, quam Preisigke: „*Giromeldung*", idem datori missam cuius exemplum supervixit [5]): „*Giroquittung*", certum dabo testimonium [6]). Ergo προσφωνήσεως vice [7]) τὴν διαγραφήν a trapezita dari vel transmitti putat Gradenwitz pecuniam accepturo, deinde vero, quum

---

1) *Mél. Nic.* (1905) p. 208/9: „*die διαγραφαὶ von* Hermupolis *und* Arsinoe *sind zweifellos Anweisungen*". Cf. Mitteis, P. Lips. I pag. 6: „*es ist sicher, dass dies(e) Urkunden .... eigentlich .... Zahlungsanweisungen .... darstellen*".

2) *Philol. Wochenschr.* XXII (1902) p. 653; *Archiv* II p. 106 sqq.; *Festschr. f. Koch* (1903) p. 258 sqq.; *Mél. Nic.* (1905) p. 198, p. 207. Adstipulatur Mitteis, *Grundzüge* (1912) p. 68: „*die διαγραφαὶ sind .... Noten .... über .... erfolgte Anweisung*".

3) *Archiv* II p. 108: „*die Frage bleibt offen, ob die Bank durch Zusendung der Notiz de(ren) Empfänger gegenüber zur Zahlung verpflichtet wurde*". Valde dubitat Rabel, *Abh. der Ges. der W. zu Gött.* XVI 3 (Pap. Basil.) pag. 28/30.

4) *Festschr. f. Koch* p. 262: „*ob denn ein solches Papier nicht auch zirkulieren konnte*".

5) P. Eitrem 5 (*Sammelb.* 6016): ἀπὸ τῆς δεῖνα τραπέζης τοῖς δεῖνα. Αὐτοὶ (= ἡμεῖς, non, quemadmodum docet Preisigke, *Sitzungsber.* pag. 14: ὑμεῖς) ἔχειν Εὐδαιμονίδι τιμὴν δούλου τοῦ καταγεγραμμένου ὑμῖν ὑπ' αὐτῆς. Unde colligitur partibus mutatis scriptum iri ad eosdem: Αὐτοὶ ἔχειν παρ' Εὐδαιμονίδος τιμὴν δούλου τοῦ καταγεγραμμένου ὑφ' ὑμῶν αὐτῇ. Potest sane una litera utrumque factum comprehendi veluti sic: Αὐτοὶ ἔχειν παρὰ τῶν δεῖνα Εὐδαιμονίδι vel τοῖς δεῖνα παρὰ Εὐδαιμονίδος, quod genus servat subscriptio CPR I 3 (*Ztschr. der Sav.-St.* XIX p. 251): μετεβλήθησαν δι' ἐμοῦ αἱ τοῦ ἀργυρίου δραχμαὶ δισχιλίαι, ὡς πρόκειται.

6) P. Oxy. 513, 36/40: ὁμολογῶ κατὰ προσφώνησιν Ἐπιμάχου ἀσχολουμένου ὠνὴν τῆς δεῖνα τραπέζης ἀπεσχηκέναι με παρὰ σοῦ .... δραχμὰς τοσαύτας.

7) Preisigke, *Girowesen* (1910) p. 211 lin. 4: „*(an) Stelle einer Giromeldung*". Tantum dubitat (p. 317), utrum sic tradatur pecuniam accepturo διαγραφῆς exemplar („*(es) ist wahrscheinlich*"); hoc adfirmat: pecuniae datori exemplar dari apochae vice futurum (p. 211 lin. 3: „*(an) Stelle einer Giroquittung*"). Docet idem (p. 213), huic tradendam perfectam apoche διαγραφήν. Hoc quo, si iam habet, quod apochae instar est? Nodum solvere cupit Rabel, *Abhandl.* cit. p. 30.

Digitized by Google

is pecuniam ferre voluerit, ab hoc subscriptam reddendam [1]), vel certe ipsam reddendam et exemplari subscribendum esse; ideo exemplari, quia extant διαγραφαὶ sine subscriptione, quibus nullum spatium vacet, proinde subscribi iis ne potuit quidem [2]). Quod excogitavit, credendum sibi ne esset [3]), utpote veri dissimile: ipsa mandata futuro debitori vel desituro creditori tradi solita, quibus exhibitis pecuniam hic auferret. Atqui inspecto P. Fay. 100, qui papyrus eius habet apochen [4]), cui ut solvatur eo ipso papyro praecipitur, ibi se errasse fateatur necesse est, ubi docebat, mandata eorum in manus, quibus esset solvendum, numquam esse tradita [5]). Etenim non traditum sibi subsignare quis potest? Monumentis publicandum offerre quis? Quod tamen fieri videmus de epistalmate ipsi tradito [6]) a pecuniam accepturo P. *Griech. Texte* 6, et observat recte acuteque editor [7]): quum publicandum offerat, utique constare debere traditum ei esse. Explicandum, cur tot exstent διαγραφαὶ imperfectae, hoc modo potius est: quum omne genus instrumenta sine subscriptione passim inveniantur [8]), mirum non esse, si circa diagraphas quoque secura de subscriptione antiquitas plerumque egerit. Nam vel sic fuisse ratas constat [9]). Videndum porro, quid significetur verbis his: ἀπέχειν κατὰ χειρόγραφον καὶ κατὰ διαγραφὴν.... τραπέζης [10]) similibusve [11]),

1) Deliacas diagraphas, de quibus dictum est supra (p. 114), et constat, quod est contra Fridericum Preisigke, numerantibus vice apocharum non traditas, quandoquidem vasorum cum pecunia indiculi vice fungebantur, et (quarum quidem de genere est inscr. *BCH* XXXIV p. 181 (inv. 217) lin. 9—15), quod est pro Ottone, pecuniam accepturis (τοῖς.... ἐπὶ.... τὰς.... προσόδους) esse traditas, et, quod contra Ottonem est, ab his non esse redditas.

2) *Archiv* II p. 108. 3) *Archiv* II p. 102/3, p. 106 (§ 3).

4) Forma communi (ὁ δεῖνα.... ἀνήρημαι). Ergo fallit Gradenwitz, *Festschr. für* Koch (1903) p. 263: „*für diese Quittung wählte man.... die Form der* διαγραφή".

5) *Archiv* II p. 103 lin. 3/6.

6) Lin. 11; προειμένου μοι. 7) *Griech. Texte* (1916) pag. 38.

8) Exempla dabimus § 23. 9) Argumentum dedimus supra (p. 120).

10) CPR I 1, 13; P. Oxy. 241, 31/3.

11) P. Lond. 1168, 34/6 (κατὰ μίσθωσιν διὰ τοῦ.... ἀγορανομείου καὶ κατὰ διαγραφὴν.... τραπέζης); *BGU* 1132, 7/8; 1144, 5 (κατὰ μνημονικὴν συγγραφὴν καὶ κατὰ διαγραφὴν.... τραπέζης); P. Hamb. 1, 10/1 (κατὰ συγχώρησιν καὶ διαγραφὴν.... τραπέζης); Ryl. 174, 11/2 (κατὰ δάνειον τελειωθὲν διὰ.... γραφείου καὶ διεκβολὴν.... τραπέζης). Similiter expletur (ad P. Tebt. 389, 3) *BGU* 445, 7/8. Sed cf. *Berichtigungsliste* p. 46.

Digitized by Google

videntur enim sibi esse contraria. Docet igitur Mitteis [1]) διαγραφὴν hic esse ipsam solutionem (*Zahlung*), χειρόγραφον iussum solvendi (*Anweisung*) ad trapezitam ante datum, eodem fortasse modo interpretaturus in similibus speciebus èt συγγραφὴν [2]) èt συγχώρησιν [3]), sed haesurus in δανείου [4]), in μισθώσεως [5]). Non video equidem, quidni hic quoque sit διαγραφὴ instrumentum coram trapezita factum, proinde χειρόγραφον privatim scripta cautio. Ergo κατὰ χειρόγραφον καὶ κατὰ διαγραφὴν τραπέζης ἀπέχει, quum qui de parte debiti privatam, de residuo trapeziticam apochen subscripserit [6]), tum qui de universo debito privatam prius, deinde trapeziticam [7]). Quod fieri videmus *BGU* 415, 20—22, exstat enim [8]) ἡ ἑτέρα ἀποχὴ [9]) et est χειρόγραφον; est praeterea, ubi scribatur διαγραφὴ ἀκολούθως..... ἐξαμαρτυρῷ ἀποχῇ [10]). Quin habet in una charta P. Lond. 1168 eiusdem pecuniae privatam apochen (lin. 32—48), mox trapeziticam (lin. 49—61). Sed hoc eo pertinet, quod supra (p. 121) diximus: instrumentis omne genus subscribi praescribive diagraphen pari vice functuram, cuius moris alterum exemplum in eodem papyro exstat [11]) et respicitur [12]). Quocirca iam nihil stupemus apocharum quarundam clausulam: εἶναι ἀκύρους τὰς δηλουμένας συγχωρήσεις σὺν ταῖς γενηθείσαις πρὸς ἑκάστην αὐτῶν διαγραφαῖς [13]). –

---

1) *Ztschr. der Sav.-St.* XIX p. 247/8.

2) *BGU* 1132, 7/8; 1144, 5. 3) P. Hamb. 1, 10.

4) P. Ryl. 174, 11/2. 5) Lond. 1168, 34/6.

6) Similiter διά τε χειρὸς καὶ διὰ τραπέζης (*BGU* 1156, 8/9) ἀπέχει, cui pars nummorum traditi sunt διὰ χειρός, pars a mensa, sed διά τε χειρὸς ἐξ οἴκου καὶ κατὰ διαγραφὴν (P. Frib. 8, 6/7) potius, cui omnes ἐξ οἴκου. Non enim, ut dictum est supra (p. 112), qui κατὰ διαγραφὴν ἀπέχει, is utique διὰ τραπέζης. Cf. praeterea P. Eitrem 5 (*Sammelb.* 6016), 28/30 (ὥστε ἀπέχειν αὐτὴν τὰς ὕλας,.... σὺν αἷς ἔχει διὰ χειρὸς τοσαύτας, post solutionem reliqui pretii διὰ τραπέζης); Hamb. 1, 13/4 (ἐσχ(ηκέναι) διὰ χιρὸς ἀργυρίου δραχμὰς τοσαύτας, τὰς λοιπὰς ἀκολούθως τῇ..... διὰ τοῦ κριτηρίου λύσει).

7) *Archiv* II (1903) p. 36. Inter Teutonos primus verum vidit Lewald, *Beitr. zur Kenntniss* etc. (1909) p. 66[3]. 8) *BGU* 44.

9) Gradenwitz, *Einf.* I p. 139: „*die Interimsquittung*".

10) P. Hawara 303.

11) Lin. 1—18 et lin. 21—31. 12) Lin. 34—36.

13) *Archiv* V p. 73[3]. Occurrit clausula *BGU* 1152, 10—12; 1154, 17—20; 1167 II 24—27 (sed ibi superscriptum est: σὺν τῇ κατὰ τὴν ἠκυρωμένην ἑτέρα... συγχωρήσει); 1168, 11/2. Similiter cavetur *BGU* 1169, 23/7: εἶναι ἄκυρον (τὴν) συγχώρησιν καὶ ὰς ἂν ὑστέρας ἔξωσιν αὐτοῦ ἀσφαλείας.

Digitized by Google

Tandem aliquando a trapeziticis diagraphis redeamus ad genus, quo contineri diximus conventiones qualesquales. Quocirca, quia nullus est contractus, *qu(i) non habeat in se conventionem* [1]), etiam emtio est διαγραφή [2]) et ἐκ βασιλικοῦ διαγραφῆ [3]) emtio [4]) a rege, qualem habere titulum ideo expedit, quia tutus est ab evictione. Ἄ μὲν γὰρ τὸ δημόσιον πέπρακεν, querelam non admittunt legislatores [5]), ὡς ἀδίκως οὐ προσήκοντα πέπρακεν [6]). Unde fiebat, ut, qui metueret evictionem, suas ipsius res ab aerario emeret [7]), quemadmodum fieri videmus *Actenstücke*

1) Pedius in l. 1 § 3 Dig. 2. 14.

2) P. Paris. 15, 51 (ia. lin. 50). Cf. P. Taur. 1 VI 2: μήτε διαγραφὴν μητ' ἄλλην κτῆσιν.

3) P. Grenf. I 11 II 29 (Mitteis, *Ztschr. der Sav.-St.* XIX p. 216 not. 2); *Actenst.* (Wilcken) 1 I 4; 1 II 6; 2, 6; P. Genev. 20, 6—9; *Sammelb.* 5865; P. Tebt. 88, 7—10. Intelligit Wilcken, *Actenst.* pag. 30, (et item Meyer, *Festschr. für* Hirschfeld (1903) p. 134) etiam P. Taur. 1 VI 2 mandatum ad trapezitam, quasi hoc ematur (P. Grenf. I 11 II 29) vel per hoc (P. Tebt. 88, 7—10). Putat quoque Schwarz, *Abhandl. (sächs. Akad.)* XXXI 3 (1920) p. 163, ἐκ βασιλικοῦ διαγραφὴν mandatum esse.

4) P. Petrie III 57 (*b*) 16: ὠνή. Exemplum est *Sammelb.* 4512, 1—33 (iis. lin. 66/8) = *BGU* 992. Alterum praestabant iuncti P. Zoid. quatuor (supersunt duo). In speciem non sunt mandata, sed apochae secundum mandatum (τέτακται, vel πέπτωκεν, κατὰ διαγραφήν). Cf. Schwarz, *Abhandl. (sächs. Akad.)* XXXI 3 (1920) p. 165.

5) Graeci.

6) Demosth. XXXVII § 19 (Lipsius, *das attische Recht* II (1912) p. 667 not. 110). Cf. Revillout, *Précis* (1903) p. 609; Mitteis, *röm. Privatr.* I (1908) p. 184[40], eo qui pertinere putat P. Tebt. 5 lin. 99 sq. Sed ibi potius recipi videtur, ne ipse fiscus venditionem rescindat, sicut apud Michel 471, 25/8. 44/8, ergo quidni adversus hoc periculum ibid. 460, 32 sqq. intervenire συμπωλοῦντες (cf. Partsch, *Festschr. für* Lenel (1921) p. 97; *Bürgschaft* (1909) p. 358 not. 1)? Ex diverso, ne dominii iure quis evincat, diserte recipitur apud Michel 1383 C lin. 1—6. His consequens esse recte contendit adversus decessores suos Lipsius (op. cit. p. 722) populum βεβαίωσιν, id est, auctoritatem („*Eviktionsleistung*") non debere, quia, quod respublica vendidit, evinci id non potest. Dicta transfert ad denuntiationis vigorem standique necessitatem Van Meurs (*Rechtsgedingen* etc., Diss. Utr. 1914 p. 54/5) et carpit. Sed adnotare debuerat Lipsius, apud Pollucem VIII 99 (πρυτανεύει δ' ἐξ αὐτῶν (= τῶν πωλητῶν) εἷς, ὃς τὰ πωλούμενα βεβαιοῖ) verbum βεβαιοῦν tantundem valere, quantum κυροῦν, id est, addicere (cf. op. cit. p. 748 not. 264). Delere denique debuerat in priore opere (*Prozess*) p. 838 (post notam 195): *confiscirt und.*

7) Valde ea res torsit acutissimum virum, cuius nomen invenire est apud Ulricum Wilcken, *Actenst.* p. 31. Ne Revillout quidem (*Précis* p. 785/6) hunc nodum solvere potuit. Ad rem pertinet (Cf. Rostowzew, *zur Gesch. des röm. Kolonates* (1910) p. 19), quod (*Actenst.* 2) lin. 18 potest suppleri: οὐθενὸς δ[ιαφω-νοῦντο]ς vel δ[ιαμφισβητοῦντο]ς τῷ ἀ[γορασμῷ].

Digitized by Google

(Wilcken) 2 lin. 3 sqq. Quamquam aliquando èt illic èt *Actenst.* 1; 3; 4 et in P. Zoid., quorum quodammodo indivisa causa est, quia in his omnibus legitur clausula ἅμα τοῖς ἄλλοις [1]) ἐγγαίοις, conductionem [2]) potius intelligendam esse censebat Wilcken [3]) nec esse impedimento vocem πρᾶσιν eo, quod Graeci μίσθωσιν et πρᾶσιν promiscue adhibeant. Quod num sit verum, vehementer dubito; docebat utique Böckh [4]), solas vectigalium, adde ἔργων [5]), μισθώσεις etiam πράσεις appellari solitas [6]). Solitarium autem exemplum, quod indagavit Wilcken [7]), πράσεως εἰς ἐνιαυτὸν ἕνα [8]), non magnopere me commovet. In re proposita quidem argumentis utitur his: I quod praediorum, de quibus agitur [9]), ἐκφόρια post addictionem salva esse iubeantur [10]), sint autem τὰ ἐκφόρια agri conducti mercedes, non, qui cuiusque proprius sit, tributa eius; II quod lex dicta: ἐὰν διὰ (τοῦ ἀγοραστοῦ) μείονα τὰ.... ἐκφόρια γένηται, ἐπαναπραθήσεται [11]), multo melius conveniat conductioni, ut auferatur mercede non soluta, quam venditioni, ut rescindatur, quum emptor in tributo solvendo cessaverit; III quod *Actenst.* 2 perhibeatur

---

1) Additur *Actenst.* 1: τοῖς ἐγδιοικησίμοις, 2: τοῖς ἐπιδοθεῖσιν ἡμῖν, 4: τοῖς ἐπιδοθεῖσιν ἡμῖν ἐγδιοικησίμοις.

2) Olim temporariam, postea (ante Chrestom. I 340) perpetuam. Nunc quidem (*UPZ* I p. 525) conductionem totam abiecit non propter argumenta mea, sed quia decrevit Partsch, *Abhandl.* (*sächs. Ak.*) XXXII (1920) p. 647, „*dass an Pacht nicht gedacht werden kann*".

3) Ostr. I p. 523[3]. Adstipulatus est Meyer, *Festschr. für* Hirschfeld (1903) p. 134; indidem progressus Rubensohn (ante P. Elephant. 14).

4) *Staatshaushaltung* I p. 143 (158). Nihil adnotat Fraenkel. Adstipulatur Lipsius, *Att. Recht* II (1912) p. 752, et laudat Aristot., Resp. Athen. 47 § 2.

5) Michel 337, 45 sqq.; P. Gizeh Zenon. 54 (*Sammelb.* 6760) (*a*), 9/10.

6) Deterret praeterea Plato, Resp. II 12 (371 E): τὴν τιμὴν ταύτην μισθὸν καλοῦ(μεν). 7) *Archiv* IV p. 549.

8) P. Lond. 842 (III p. 141), 9—12.

9) Non horum instrumentorum ubivis, sed *Actenst.* 3; 4, atque fortasse 1.

10) Lege dicta: ἐὰν διὰ (τοῦ ἀγοραστοῦ) μείονα τὰ προγεγραμμένα ἐκφόρια..... γένηται, ἐπαναπραθήσεται. Convenit lex praediatoria, quam servavit P. Elephant. 14, 1—4: οἱ ἀγοράσαντες διορθώσονται..... τὰ ἐπιγεγραμμένα ἐκφόρια. Sic denique fit *BGU* 992 II 5—7 (= *Sammelb.* 4512, 17):..... κυριεύσει.... καὶ οἱ ἀρχαῖοι κύριοι ἐκέκτηντο, εὐτακτῶν (ἀπευτακτεῖν = χορηγεῖν habet P. Paris. 26 I 15) εἰς τὸ βασιλικὸν τὰ ἐπιγεγραμμένα ἐκφόρια (cf. *BGU* 992 cit. I 7 = *Sammelb.* cit. lin. 7). Similiter sub Iustiniano vel non multo secus venit (P. Rain. 10006 (*Studien zur P. und P.* XX 143), 5) σωζομένου τοῦ κάνονος.

11) Cf. Lyons, *Cadastral survey of Egypt* (1908) p. 63 (*decree* 22. IX. 1865).

Digitized by Google

licitator etiamnunc κρατεῖν, quocirca iam olim is sibi visus sit [1]) conductionis iure possedisse, cui rei sit conveniens, liceri eum de renovanda conductione; IV quod in P. Zoid. κυρωθῇ Zoidi εἰς ἔτη τέσσαρα, quod de adiudicatione dominii intelligi nequeat. Respondemus: ad IV, in P. Zoid. non posse intelligi μίσθωσιν, quia credibile non est pignus datum esse tanti, ut ex unius lustri mercede ipsa sors conficeretur [2]), quum praesertim videamus [3]), antequam addiceretur, ea lege Zoida pro addictione [4]) voluisse debitum suscipere [5]), ut quanto minus praedium εὕρ(σι), id a matre dissolveretur [6]), quae cautio valde fuisset supervacanea, si bis terve tanti esset praedium, quantum deberetur. Proinde εἰς ἔτη τέσσαρα, sicut hactenus consuevit fieri, vertendum est [7]): *quatuor pensionibus annuis* [8]), quasi scriptum esset ἐν ἔτεσι τέσσαρσιν [9]) vel τεσσάρων ἐτέων [10]), et

1) „*ich folgerte schon damals in der Publication S. 31, dass eine Pacht damals abgelaufen sei*".

2) Debebantur talenta undecim, redacta sunt ex venditione decem bes.

3) Lin. 22—24.

4) Τοῦ εὑρίσκοντος, id est, τῆς ἀξίας (Wessely, P. *Wien. Kais.* p. 21: „*nicht zu einem Schleuderpreis*"), nec mutat, quod apud Aesch. I § 96 haec separantur. Recurrit mentio P. Paris. 62 VI 9 (*αἱ ὧναὶ ἐπαναπραθήσονται τοῦ εὑρίσκοντος*); *Soc. ital.* 403, 10; *Sammelb.* 4512, 15 = *BGU* 992 II 4. Cf. Cobet, Misc. crit. (1876) p. 246/7.

5) Προσβαλέσθαι αὐτῇ = τῇ ἐγγύῃ (Peyron), nisi praestat scribere προσβαλέσθαι αὐτῇ (τὴν ἐγγύην). Ceterum nec hoc nec illud bene iungitur cum τοῦ εὑρίσκοντος, sicut ne συμπεπεικέναι quidem cum ἠξίου (Wilcken, *UPZ* I p. 534). Videtur mens scriptoris sicut Benedicti Frese (*aus dem graeco-aeg. Rechtsleben* (1909) not. 64), qui temere auctorem laudat Iosephum Partsch, aberravisse a susceptione debiti ad comparationem praedii, cui perinde convenit vocabulum προσβολή (Frese, not. 64 i. f.).

6) ἐφ' ᾧ τὸ ἀπολεῖπον ἐκτείσει. Itaque factum est a matre.

7) Vertendum esse iam concedit Wilcken, *Archiv* V p. 214.

8) Ita venire solebat sub hasta (P. Elephant. 14, 7: ἐν ἔτεσιν τρισίν = 14, 18/9: παραχρῆμα τὸ τέταρτον μέρος, τὸ δὲ λοιπὸν ἐν ἔτεσιν τρίσιν = 17, 26—34; 20, 11—25: τὰς λοιπὰς ἀναφορὰς τρεῖς.... ἐν ἔτεσιν τρίσιν = 24, 11; 25, 9/10: ἐν ἔτεσιν τέσσαρσι, sed P. Petrie III 57 (*b*), 11/2: ἐφ' ᾧ τάξεται παραχρῆμα). Athenis quidem publica pignora ea lege venibant, ut aedificiorum pretia ἐν πέντε ἔτεσιν, agrorum ἐν δέκα inferrentur (Aristot., resp. Ath. 47 § 3, cf. Demosth. XXV ὑποθ. § 3).

9) Versa vice *Inscr. jur. gr.* XIII quater (B § 1) μισθοῦται τις ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ (= εἰς τὸν αὐτὸν χρόνον). Habent idem vitium *Rev. Laws* 8, 6 et ex Latinis c. 16 Cod. 4. 65.

10) Ita habet Michel 531, 32.

Digitized by Google

scriptum post pretii declarationem; ad III, licitatorem, quo de agatur *Actenst.* 2, nullo modo conductionis iure a fisco possedisse, sed (*κατ'*) *Αἰγυπτίας συγγραφὰς ἐγχωρίοις γράμμασιν*; ad II, nihil esse mirum, si ob cessationem tributorum praedia veneant [1]); ad I, *ἐκφόρια* intelligenda quidem agri conducti mercedes et eas *σιτικάς* [2]), sed non posse simplicem videri conductionem, quae *τιμὴν*, id est, pretium habeat. Habent autem certe *τιμὴν Actenst.* 1—4 (sicut *BGU* 992 I 5 (= *Sammelb.* 4512, 5) et ipsa lex praediatoria, quam servavit P. Elephant. 14, 5), quocirca non possunt esse simplices conductiones [3]). Sed habent etiam *ἐκφόρια* (praeter *Actenst.* 2), quocirca non possunt esse simplices venditiones. Venit [4]) scilicet ius in agro vectigali, quod a proprietate non multum distat [5]), quamobrem nec dubitat in perpetuum conducta Graecus possessor intendere *εἶναι ἐμά* [6]), nec Aegyptius, *βασιλικὴν γῆν* [7]) vel *ἱερὰν* sibi *ὑπάρχειν* [8]) *κυρίως* [9]), licet *ἐπ' ἐκφορίοις* [10]), nihil renuente fisco quin immo *περὶ τῆς κυρείας.... γράμματα* [11]) ultro porrigente. Videmus enim ipsa lege praediatoria [12]) et instrumento secutorio uno [13]), ita proprietatem adsignari [14]), ut salva tamen sint *τὰ ἐκφόρια* [15]), quin immo P. Grenf. I 11 II 5, quo quis iudicio

1) L. 52 pr. Dig. 19. 1; l. 5 § 2 Dig. 50. 15 (*iure pignoris*); c. 1 Cod. 7. 39; c. 2 Cod. 4. 46. Cf. Lyons, *Cadastral survey of Egypt* (1908) p. 353 lin. 22/3.

2) Grenf. ad P. Tebt. 377, 23—27 (*roman period*). Cf. P. Eleph. 14, 3/4.

3) Licet perpetuas.

4) Non constituendi sed transferendi causa. Quam distinctionem si cogitasset Wilcken, nec scripsisset (ante Chrestom. I 340), iure se negasse de venditione nec *τιμήν* vertisset „*Erbstandsgeld*".

5) Iustin. Nov. 7 c. 1: *τὴν εἰς τὸ διηνεκὲς.... ἐμφύτευσιν, ἥγε οὐδὲ πόρρω καθέστηκεν ἐκποιήσεως.* 6) Michel 1359, 10.

7) P. Tebt. 42, 10/1; 50, 4/5; Giss. univ. bibl. 8, 11/2.

8) P. Tebt. 88, 37. 54. 58. 61 (cf. lin. 3); *BGU* 301, 9/10 (cf. lin. 13); Wilcken ad Chrestom. I 329, 4.

9) Locus statim dabitur (P. Grenf. I 11 II 28).

10) P. Lond. 163, 10 (II pag. 183). Legitur editoris vel scribae vitio: *ἐν ἐκφορίοις*.

11) *BGU* 1123, 6. 12) P. Elephant. 14, 22/3.

13) *BGU* 992 II 5/6 = *Sammelb.* 4512, 15/6.

14) Vv. *κυριεύσουσιν* (*BGU*: *κυριεύσει*).... *καθὰ καὶ οἱ πρῶτον* (*BGU*: *οἱ ἀρχαῖοι*) *κύριοι ἐκέκτηντο*.

15) P. Eleph. lin. 1—4; *BGU* II lin. 6/7; *Sammelb.* lin. 17. — Similiter in P. (membr. potius) *Journ. hell. stud.* 35 (1915) p. 28/30 (*Jur. Pap.* 36) alienatur fundus vectigalis ea lege, ut praestet emptor *κατ' ἐνιαυτὸν.... τὰ γεγραμμένα ἐν τῇ παλαιᾷ συγγραφῇ* (I A lin. 17/8).

Digitized by Google

se probasset [1]) κυρίως ἔχειν τὴν γῆν, eo stari postulantem, ut possit ἀπροφράστως εἰς τὸ βασιλικὸν τὰ ἐκφόρια ἀπομετρῆσαι [2]). Ergo multum aberrat Mitteis, quum scribit [3]), venditionem revera non esse, quae fiat ἐπ' ἐκφορίοις, sed ne illud quidem recte: conductionem perpetuam appellari ἀνήν [4]). Conductio enim perpetua, si pretium non habet, sed mercedem tantum [5]), μίσθωσις audit [6]). Veneunt autem praedia ἐκ τοῦ βασιλικοῦ non semper ἐπ' ἐκφορίοις, sed, ubi veneunt βασιλικά [7]), δημόσια, ἱερά. Ergo non sine causa quum *Actenst.* 2 tum quoque in P. Zoid. omittitur clausula, quae salva faciat τὰ ἐκφόρια, quia venit in utraque specie ἰδιόκτητον, nec mutat, quod post venditionem et solutionem interdum ἐρί(ζεται) [8]) προσόδου τινός [9]), quocirca èt illi fallunt, qui, ubicumque veneat ἐκ τοῦ βασιλικοῦ, ibi venire docent ἐπ' ἐκφορίοις [10]), èt in edicto temporis causa [11]) proposito Tiberius Alexander, quum usque doceat [12]) ἄδικον (εἶναι) τοὺς ὠνησαμένους [13]) κτήματα καὶ τιμὰς αὐτῶν ἀποδόντας..... ἐκφόρια ἀπαιτεῖσθαι, quaenam enim, obsecro, est iuiuria, si ἐπ' ἐκφορίοις venierit? Dicitur autem ἡ ἐκ βασιλικοῦ διαγραφή, qua vel proprietas comparatur vel ius in agro vectigali, etiam ἡ

1) Ibi lin. 28/9. — Praecessisse iudicium demonstrabitur § 20.

2) Similem habet clausulam P. Tebt. 50, 43/5.

3) *Ztschr. der Sav.-St.* XXII p. 156 (ad P. Amh. 68 I): „*wahrer Kauf (ist) mit der Auflegung einer festen Abgabe unvereinbar*". Recte quidem contendit hoc modo quaeri ius in agro vectigali („*Erbpacht*").

4) Ibid.: „*dass (Erbpacht) Kauf genannt wird, ist ja naheliegend und auch in der römischen Praxis vorgekommen* (Gai. III 145)".

5) Vel mercedem et στέφανον (*BGU* 1123, 3) vel mercedem et ἐπίθεμα (P. Oxy. 500) tantum.

6) *BGU* 1123, 4; P. Tebt. 61 (*b*), 53/4 (ia. lin. 45); nam de P. Oxy. 500 dubitari potest (maxime propter lin. 27—20), sitne perpetua conductio. Cf. praeterea P. Tebt. 61 (*b*), 403/4; Oxy. 279); Flor. 18; *BGU* 640.

7) *BGU* 992 (= *Sammelb.* 4512). Venit (I 6) ἀν(α)λημφθ(εῖσα γῆ) εἰς τὸ βασιλικόν. Cf. *BGU* 462, 14. 8) Id est, ἀπογράφεται.

9) P. Lond. 164 (II pag. 116). Cf. Wilcken, *Archiv* I p. 147/9; *Grundzüge* p. 297 („*aber damit hatte der betreffende Beamte eben einen Fehler begangen, wie der Text sagt*").

10) Meyer, *Festschr. für* Hirschfeld (1903) p. 147/9 (ad *BGU* 156; 291; 462; P. Amh. 97; CPR I 1; P. Zoid.). Adderet nunc P. Oxy. 513; 721; 835. Cf. praeterea Wilcken, *Archiv* II p. 119/20 (ad P. Amh. 31).

11) Inter initia Galbae (Mnemos. 31 (1903) p. 218 not. 10). Cf. Wilcken, *Ztschr. der Sav.-St.* 42 (1921) p. 144/50.

12) CIG 4957 lin. 31/2 (*Archiv* I p. 149). 13) I. e., πριαμένους.

Digitized by Google

εἰθισμένη διαγραφὴ [1]) et ἐκδίδοσθαι [2]), quamobrem P. Petrie III 57 (b), 16, postquam praecessit ἐπεὶ οὖν πριάμενος ὁ δεῖνα διαγέγραφεν, proclive est supplere: [ἐκδιδόσθω [3]) αὐτῷ] ἡ ὠνὴ καθότι εἴθισται. Emerat autem τοῦ ὀφειλήματος, id est, tanti quantum deberetur [4]). In summa sciendum est, sicut, a privato qui praedia emit, interdum dicitur (ὠνεῖσθαι) συγγραφή(ν) [5]), secundum demoticorum contractuum clausulam, quam κατὰ τὸ δυνατὸν Graece reddunt: σαὶ δ' εἰσὶν αἱ γεγονυῖαι κατ' αὐτῶν [6]) συγγραφαὶ πᾶσαι [7]), quin immo, qui sub pignore credit praedii [8]) mancipiive [9]), εἰληφέ(ναι), quum tradantur ei auctoritatis instrumenta [10]), ἐν ὑπαλλάγματι, non corpora, sed ἀσφαλείας [11]), quumve tradatur ei vice auctoritatis instrumentorum ἀντίγραφον ἀπογραφῆς [12]), ἐν ὑπαλλάγματι similiter (λαμβάνειν), ἣν debitor ἔχει [λαβὼν ἐξ ἀγορανο]μείας [13]) ἀπογραφήν [14]), — ita eodem modo emptorem a rege dici (ὠνεῖσθαι) ἐκ τοῦ βασιλικοῦ διαγραφήν [15]), licet praedium utique emat [16]), non instrumentum.

(Continuabuntur).

---

1) P. Genev. 20, 8; *Sammelb.* 5865, 8. Τὴν καθήκουσαν διαγραφὴν habet P. Oxy. 1188, 26 (in causa ξύλων).

2) *Actenst.* 1 I 4; 2, 5; 3 I 5; 4 I 5. Cf. P. Oxy. 835 (ad P. 721, 14).

3) Supplet editor: βεβαιούσθω. 4) *Archiv* II p. 386.

5) P. Grenf. II 15. III 4 atque Ryl. 250, 2; 248, 3.

6) I. e., κατὰ τῶν πεπραμένων κτημάτων. Exempla dedi in Mnemos. 32 (1904) p. 845. 7) Spec. Wess. (6)6, 7; *BGU* 1002, 14.

8) *BGU* 1167 II 31/2. 9) *BGU* 1149, 24.

10) Erant in proposita mancipii specie ἀντίγραφόν τε συγχωρήσεως καὶ διαθήκ(ης).

11) Cf. Schwarz, *Hypothek und Hypallagma* (1911) p. 143, qui apposite laudat c. 2 Cod. 8. 16 (17).

12) Cf. *BGU* 1148, 28—35. Tradit alter debitor ἀντίγραφον ἀπογραφῆς propter pignus οἰκιδίου, altera ὠνὴν..... καὶ ἑτέρας συγγραφὰς προκτητικὰς κατὰ τῆς ὑπαρχούσης ἑαυτῇ οἰκίας ἐν τῇ αὐτῇ ἕδρᾳ.

13) Supplevi (Mnemos. 1915 p. 430[13]; 1927 p. 189 not. 2). Est de mancipio profitendum διὰ τῶν ἀγορανομ(ε)ίων (P. Hibeh 29, 2/3; Oxy. 73: ἐπ' ἀγορανόμων), indidem igitur antigraphon petendum. Ipsa ἀγορανομία occurrit P. Flor. 1, 16; Grenf. I 10, 7; Lips. 4, 30; Lond. 856 (Chrestom. I 274), 17; Oxy. 1185, 5; 1642, 4; CPR I 6, 3; P Rain. 723 (*Sammelb.* 5163); 1436 (*Studien z. P. u. P.* XX 26), 12. 18. 26. 40. 49; 1444 (*SB* 4370), 4; 1485 (*SB* 5164; 5274); 1802 (*SB* 5165).

14) *BGU* 1147, 24—26. Quas similiter *BGU* 1150, 11 pignori creditor accepisse dicitur ἀπαρχάς, eae fuerintne ἀπογραφαὶ an ἀποχαί, quaerendum est.

15) P. Grenf. I 11 II 29 (Mitteis, *Ztschr. der Sav.-St.* XIX p. 216 not. 2).

16) P. Tebt. 5, 99.

Digitized by Google

ELENCHUS FONTIUM § 19.

Numeri sunt paginarum et notarum vol. LVI.

I. Auctores Graeci.
Aeschines.
I 96 129[4]
I 163; 165 114[1]
Aristoteles
resp. Athen.
47 § 2 128[4]
47 § 3 129[8]
Demosthenes.
XVIII 122 110[1]
XXV argum. § 3 129[8]
XXXIV 6 113[12]
XXXVII 19 127[6]
LVI 15 113[13]
Etymol. magnum.
v. Διαγραφή 110[3]
Hesychius.
v. Διαγραφαί 110[3]
Hyperides.
V 9 114[1]
Isaeus.
I 15; 25 114[2]
VI 7; 27 114[3]
VIII 1 114[3]
IX 5 sq.; 18; 22 114[3]
Isocrates.
XVII 34 114[1]
Lysias.
XXXII 5; 7 114[3]
Plato.
Resp. II 12 (371 E) 128[6]
Plutarchus.
Moral. 533 B; 539 B 111[6]
Pollux.
VIII 99 127[6]
II. Testamenta philosophorum.
Epicuri § 1 114[2]
Theophr. § 5 114[3]
III. Inscriptiones Graecae.
Inscr. jurid.
IV 110[8]
VIII 24 113[7]
Inscr. jurid. (contin.)
VIII 50; 62; 63; 65; 66 114[1]
XIII quater 129[9]
Michel.
337 128[5]
460; 471 127[6]
531 129[10]
579 110[1]
585 110[2]
589 110[1]
595 109[5]
1359 130[6]
1383 C 127[6]
BCH
VI p. 6—18 (Deli) 114[5]; 125[1]
XXXIV p. 181 (Deli) 114[4]; 125[1]
CIG
4957 (Ed. Tib. Alex.) 131[12]
Berl. Sitzungsber.
1898 p. 782 (ὅρος) 113[12]
IV. Papyri Graeci.
Actenstücke.
1 127[3]; 128; 128[1]; 128[9]; 130; 132[2]
2 127[3]; 127[7]; 127/8; 128; 128[1]; 130; 130; 130; 131; 132[2]
3 128; 128[9]; 130; 132[2]
4 128; 128[1]; 128[9]; 130; 132[2]
Amh.
31 109; 131[10]
68 I 131[3]
95 II 112[7]; 117; 120[7]; 120[10]; 121[9]; 123[3]; 123[8]; 123[15]
96 113[5]; 114[10]; 117; 119[2]
97 131[10]
Argentor.
19 117; 120[7]; 120[10]; 123[3]; 123[7]; 123[15]
34 110[6]; 113[8]; 118[4]; 121[3]
52 (totus) 121[7]; 122[6]
52 II 117; 120[7]; 120[10]; 121[3]; 121[9]; 123[2]; 123[8]; 123[13]

Digitized by Google

Argentor. (contin.)
inv. 2067 110[17]
Bad.
3 = *Sammelb.* 5865
Basil.
4 117
BGU
44 110[4]; 110[15]; 126[8]
70 117; 119[8]
88 111; 112; 117; 118
114 = P. Cattaoui 1
156 123[21]; 131[10]
174; 189 121[8]
281 110[4]; 110[15]; 117
291 131[10]
301 130[8]
413 119[2]
415 110[4]; 110[15]; 117; 118[5]; 119[8]; 126
427 119[13]; 120[1]
445 125[11]
462 131[7]; 131[10]
468 117; 119[8]
472 117; 121[6]
607 117
640 131[6]
645 117; 119[8]; 120[5]
697 117; 118[8]; 119[14]
702 117
713 119[7]
813 123[21]
911 119[7]
981 II 117; 120[7]; 123[21]
982 117; 120[7]
986 117; 118[8]; 120[10]
989 121[8]
992 I 109; 127[4]; 128[10]; 130; 131[7]
992 II 127[4]; 128[10]; 129[4]; 130[13]; 130[15]
994; 995 122[1]
1002 132[7]
1038 118[1]
1047 II 111[1]
1062 111[8]
1063; 1064 123[21]
1065 117; 118[5]; 118[8]; 120[7]
1123 130[11]; 131[5]; 131[6]
BGU (contin.)
1132 110[8]; 110[15]; 114[8]; 120[9]; 125[11]; 126[2]
1144 110[5]; 110[15]; 114[8]; 120[9]; 125[11]; 126[2]
1147 132[14]
1148 132[12]
1149 132[9]
1150 132[14]
1152; 1154 114[8]; 126[13]
1156 126[6]
1160 110[14]
1163 112[8]
1167 I 110[18]; 114[8]; 120[4]; 120[6]
1167 II 126[13]; 132[8]
1168 114[8]; 126[13]
1169 126[13]
1194 114[8]; 117; 120[7]; 120[10]
Cattaoui 1 (Ro. = Chrestom. II 372)
I 110[4]; 110[13]
II (I) 110[8]
Eitrem
5 = *Sammelb.* 6016.
Eleph.
14 128[3]; 128[10]; 129[8]; 130; 130[2]; 130[12]; 130[15]
15 109
17; 20; 24; 25 129[8]
Fay.
89 121[8]
96 112; 117; 119
100 123[21]; 125
155 117
Flor.
1 (totus) 121[7]; 122[6]
1 (*A*) 122; 132[13]
1 (*B*) 112[7]; 117; 120[7]; 120[10]; 121[3]; 121[9]; 122; 122[2]; 123[2]; 123[7]; 123[13]
18 131[6]
24 111; 112; 113[2]; 114[11]; 117; 118[2]
25 110[4]; 110[15]; 114[11]; 117
28 113[7]; 117; 120[7]; 120[10]; 121[3]; 121[8]
44 117
46 114[10]; 117; 121[8]; 122[5]

Digitized by Google

Flor. (contin.)
48 114^{9}; 114^{10}; 117; 121^{8}; 122^{2}
56 113^{9}
86 110^{4}; 110^{15}
318 113^{9}; 114^{11}; 117
380 113^{5}; 117; 119^{14}; 120^{7}; 121^{3}; 121^{8}
Frib.
8 126^{6}
Genev.
20 122^{1}; 127^{3}; 132^{1}
22 113^{3}; 114^{10}; 117; 121^{9}; 123^{4}; 123^{7}; 123^{16}
Giss.
32 110^{4}; 110^{15}; 110^{16}; 113^{9}; 117; 120^{8}; 120^{10}; 121^{3}; 121^{7}; 121^{8}; 122^{2}
33 114^{9}; 114^{10}; 117; 121^{8}; 122^{2}
Giss. (*Univ.-Bibl.*)
8 . 130^{7}
Gizeh
10526 (Preis. 31) 114^{11}; 117
Gizeh Zenon.
54 = *Sammelb.* 6760
Grenf. I
10 132^{13}
11 II 127^{3}; 130; 130^{9}; 131^{1}; 132^{15}
Grenf. II
15 III 132^{5}
43 117; 119^{8}; 120^{7}
51 117
68; 69; 70 121^{4}
71 I . 114^{4}
71 II 121^{4}
Griech. Texte.
2 122^{2}
6 123^{21}; 125
Hamb.
1 110^{5}; 110^{15}; 117; 120^{7}; 120^{9}; 120^{10}; 123^{4}; 123^{11}; 123^{19}; 125^{11}; 126^{3}; 126^{6}
15; 16 118^{5}
Hawara (*Archiv* V).
44; 68 123^{21}
116 Vo. 114^{11}; 117
223 117; 120^{8}; 120^{10}
298 119^{1}; 119^{2}
Hawara (contin.)
303 117; 120^{8}; 120^{10}; 123^{6}; 123^{12}; 123^{18}; 126^{10}
Heidelb.
inv. 23 = *Sammelb.* 5865
Hibeh.
29 132^{13}
Journ. hell. studies XXXV
p. 28/30 (membr.) 130^{15}
Lips.
3 I 113^{5}; 117; 118^{6}; 119^{14}; 120^{7}; 121^{3}; 121^{8}; 121^{9}; 122^{2}.
3 II 113^{5}; 118^{6}
4 132^{13}
5 (totus) 114^{9}; 114^{10}; 117; 122; 122^{2}
5 II 113^{5}; 121^{8}; 122; 123^{2}; 123^{8}; 123^{15}
8 113^{9}
9 113^{9}; 118^{2}
Lond.
163 130^{10}
164 131^{9}
196 110^{5}; 110^{15}
277 114^{4}
317 110^{6}; 110^{15}; 117; 120^{9}
320 117; 118^{9}
332 110^{4}; 110^{15}; 117
333 117; 120^{8}
336 117; 120^{5}
357 110^{9}
473 119^{1}
842 128^{8}
856 132^{13}
879 122^{1}
890 111^{5}; 114^{8}; 117; 118^{5}
907 110^{4}; 110^{15}; 117; 119^{8}
932 112; 113^{11}; 117; 121^{3}; 121^{8}
941; 942; 945 113^{8}
1158 113^{5}; 117; 120^{7}; 121^{3}; 121^{8}; 122^{2}
1164 (totus) 114^{11}; 117
1164 (b) 110^{6}; 110^{8}; 110^{15}; 118^{3}; 119^{14}; 121^{4}
1164 (c) 113^{5}; 113^{8}; 119^{14}
1164 (d) 119^{14}

Digitized by Google

Lond. (contin.)
1164 (e) 113⁵; 113⁸; 118³; 119¹⁴
1164 (f) 113⁵; 119¹⁴; 121⁴
1164 (g) 113⁹; 118³; 119¹⁴; 121⁴
1164 (h) 113⁶; 119¹⁴; 120¹
1164 (i) 113⁴; 119¹⁴; 121⁴; 123⁵; 123⁹; 123¹⁵
1164 (k) 112; 113⁵; 118; 118⁸; 119¹⁴; 121⁴
1168 110⁴; 110¹⁵; 111; 111⁵; 112⁷; 117; 118⁵; 120⁷; 120⁸; 120⁹; 120¹⁰; 121⁵; 121⁷; 121⁹; 122⁶; 123⁴; 123⁷; 123¹⁷; 123²¹; 125¹¹; 126; 126⁵; 126¹¹; 126¹²
1200 109
1273 114⁴
1298 113⁵; 114⁹; 117; 120⁷; 121³
Mél. Nic. 193 = Flor. 380.
Oxy.
73 132¹³
98 111⁷; 112⁹
99 110⁶
104 111⁶
241 110⁹; 110¹⁵; 125¹⁰
242; 243 110¹⁰
264 111⁸; 112⁷; 117; 119³; 119⁶
267 111⁸; 112⁶; 112⁷; 117; 119⁶; 121⁵
269 111⁸; 112⁷; 117; 119³; 119⁴; 119⁶
279 131⁶
305 111⁵; 117; 119⁶; 121⁵
323 117; 121⁶
500 131⁵; 131⁶
513 124⁶; 131¹⁰
721; 835 131¹⁰; 132²
919 119⁷; 120¹⁰
1132 112⁹
1185 132¹³
1188 131¹
1473 111⁵; 113²
1499; 1500 123²¹
1573 109
1639 111⁵; 117; 119⁶
1642 132¹³
Paris.
15 109; 127²
26 I 128¹⁰
62 VI 129⁴
Petrie III.
57 (b) 127⁴; 129⁸; 132
CPR I.
1 110⁶; 110¹⁵; 125¹⁰; 131¹⁰
3 124⁵
6 132¹³
13 110⁴; 110¹⁵
14 117; 119⁸; 119¹³
15 118 (E. F.)
16 118 (E. F.)
17 118 (E. F.); 120¹⁰
230 118 (E. F.)
Rain. extrav.
723; 1436; 1444; 1485 132¹³
1577 121⁸
1802 132¹³
2078/9 113⁵; 114⁹; 118 (E. F.); 119¹⁴; 120⁷; 121²; 121⁸
10006 128¹⁰
Reinach.
7 110¹⁷; 111²; 114⁷
Rev. laws.
8 129⁹
Rylands.
120 113¹⁰; 120⁹
160 (c) II 119⁷
165 113⁵; 114⁹; 118 (E. F.); 120⁷
168 122⁸
171 123¹
173 111⁵; 118 (E. F.); 118⁵
174 110¹⁶; 125¹¹; 126⁴
176 118 (E. F.)
248; 250 132⁵
Sammelb.
1094 (ostr.) 112⁶
4298 = Flor. 380
4370 = Rain. 1444.
4512 109; 110⁷; 127⁴; 128¹⁰; 129⁴; 130; 130¹³; 130¹⁵; 131⁷.
5163; 5164; 5165 = Rain. 723; 1485; 1802
5274 = Rain. 1485.

Digitized by Google

Sammelb. (contin.)
5865 122[1]; 127[3]; 132[1]
6016 114[7]; 114[10]; 124[5]; 126[6]
6760 (a) 128[5]
Soc. Argentor.
inv. 277 = *Sammelb.* 4512.
Soc. ital.
159 118 (E. F.); 120[7]
204 118 (E. F.)
383 109
403 129[4]
571 110[6]
714 118 (E. F.)
715 110[19]; 118 (E. F.)
904 118[3]
907 118[3]; 122[2]
908; 910—918 122[2]
Stud. z. P. u. P. XX.
74 = Rain. 1078/9.
Stud. z. P. u. P. XXII.
3; 4 II; 4 III 110[11]; 123[21]
47 119[7]
76 118 (E. F.); 120[7]
174 = CPR I 14.
Taurin.
1 VI 109; 127[2]; 127[3]
1 IX 109
Tebt.
5, 99 sq. 127[6]; 132[16]
42 130[7]
50 130[7]; 131[2]
61 (b) 131[6]
88 127[3]; 130[8]
168 123[21]
350 119[1]
Tebt. (contin.)
377 130[2]
389 110[16]; 118 (E. F.); 119[8]; 123[6]; 123[10]; 123[14]; 125[11]
394 112[6]
395 110[4]; 110[15]; 112; 118 (E. F.); 118[5]
398 111; 111[5]; 118 (E. F.); 119[10]
483 118 (E. F.); 120[7]
Wess. Spec.
(6) 6 132[7]
Zoid. 109; 127[4]; 128; 129; 129[3]; 131; 131[10]
V. Testae Graecae.
10 *PSBA* 23 p. 215 = (Pap.) *Sammelb.* 1094.
VI. Auctores Latini.
Apuleius, de magia c. 17 112[6]
VII. Ius Romanum.
Gaius.
III § 145 131[4]
Digesta.
II 13, 6 pr. 112[6]
II 14, 1 § 3 127[1]
XIX 1, 52 pr. 130[1]
L 15, 5 § 2 130[1]
Codex.
IV 46, 2 130[1]
IV 65, 16 129[9]
VII 39, 1 130[1]
VIII 16, 2 132[11]
Novellae.
7 c. 1 130[5]
136 c. 3 112[6]

ADDENDA.

(ad vol. LIV p. 42 sqq.). In hac secunda mea *περὶ χαραγμάτων* cura, quae prodiit anni 1926 primo mense, adhiberi non potuit *UPZ* I fasc. 4, qui prodiit anno 1927 (ibi p. 643), ubi eandem ex parte materiem tractavit (p. 596—621) Wilcken. Adhibuit ille priorem curam meam et interdum *χλευάζει*, veluti p. 621 (ad P. 141), quod tunc (1901) nesciverim, quae ille nunc scit, ego in secunda cura (p. 48 not. 2) tacitus correxeram. Vitio praeterea vertit (p. 609 not. 2), quam ob rem laudatum iri me speraveram, quod Romani quoque aevi monumenta comprehendissem.

Digitized by Google

(ad vol. LIV p. 45[3]; 55; 59[2]; 66[6]; LV p. 225[7]). P. Petrie II 47 χάραγμα esse, nunc negat Wilcken, *UPZ* I p. 615/6.

(ad vol. LIV p. 57[8] et ad vol. XLIV p. 73 not. 3). Est τὸ χάραγμα tale: ἀναγέγραπται ἐπὶ (*UPZ*) τῇ ὑποκάτω Μέμφεως φυλακῇ, quod interpretatur Wilcken, *UPZ* I p. 590: ἐπὶ τῷ πρὸς τῇ ὑποκάτω Μέμφεως φυλακῇ γραφείῳ, quod si tam verum esset quam ingeniosum, scriptor, qui brevitati studeret, dicturus fuit ἐπὶ τῷ ὑποκάτω Μέμφεως γραφείῳ. Quis enim, nisi vult decipere, apud se gestum gestum dicit apud vicinum suum? Quo praeterea me vellicat: meum συγγραφοφυλακη nec pedem habere nec caput, considerato vir aequissimus φυλακὴ et φυλακεῖον valere tantundem; ergo, si recte habiturum est συγγραφοφυλακεῖον, quod negari non potest (cf. βιβλιοφυλακεῖον, γραμματοφυλακεῖον, χρεωφυλακεῖον), fieri non posse, quin recte habiturum sit συγγραφοφυλακη. Est quoque lepidum videre eundem demonstrantem (*UPZ* I p. 15) τὴν ἐν τῷ Ἀνουβιείῳ φυλακὴν adiunctum habuisse γραφεῖον proportione τῆς ὑποκάτω Μέμφεως φυλακῆς; („*zumal in* P. Leid. O, 36 die ἀναγραφὴ *bei einer* φυλακὴ *vollzogen wird, liegt die Annahme nahe, dass auch* τὸ ἐν Ἀνουβιείῳ γραφεῖον *in der* φυλακὴ" (verterat „*Gefängnis*"), „*resp. in der Gendarmeriestation untergebracht worden ist*"), deinde vero p. 593 (*zu Z.* 7) proportione τῆς ἐν τῷ Ἀνουβιείῳ φυλακῆς („*nach Analogie der des Anubieion-Bezirkes*") τὴν ὑποκάτω Μέμφεως. Quem ob id riderem, si fas esset Iovem a bove eoque batavo.

(ad vol. LV p. 224 not. 5 et 6). Accessit interim P. Oxy. 2134.

Digitized by Google

ANNAEANA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Optimum est pati, quod emendare non possis.
Seneca Ep. 107, 9.

Ad Epistulas Morales.

Quod ad Senecam reverti, id factum est, cum hoc decennio viris doctis velut Birtio [1]), Buschio [2]), Waltero [3]), quamquam multa eos nova invenisse deque aliis rebus recte iudicasse concedendum est, tamen nonnulla minus prospere cesserint. Itaque quae hic disputaturus sum, addenda sunt ad Annaeana a me antea edita [4]).

Iure interdum mirari possis clarissimos haesisse viros in locis, quorum emendatio in aperto ac propatulo est, quo in numero habendus est hic:

Ep. 20, 10 multum est non corrumpi divitiarum contubernio, magnus ille, qui in divitiis pauper est. § 11 „nescio" inquis „quomodo paupertatem iste laturus sit, si in illam inciderit." nec ego, Epicure, *angulus si* iste pauper contempturus sit divitias, si in illas inciderit.

Buecheler pro *angulus* voce manifesto corrupta proposuit *gulossi*, at Birt perversa interpunctione admissa coniecit *Epicuri*

1) Marginalien zu lateinischen Prosaikern Philol. 83 (1927) p. 31—54.

2) Zu Senecas Briefen an Lucilius (Phil. Wochenschr. 9 Sept. 1922; 19 Juli 1924; 16 Mai 1925 und 22 Oktober 1927).

3) Zu lateinischen Schriftstellern Philol. 80 (1924) p. 45. Zu Curtius, Seneca, Tacitus (Phil. Wochenschr. 17 Dezember 1927).

4) Ammianea et Annaeana (1909); Annaeana nova (1910); Ad Senec. Nat. Quaest. (Hermes 45 (1910) p. 37; Miscella Tertia 1917 (cap. I); ad Sen. Dial. X et ad Sonec. Agamemn. (Mnemos. 42 (1914) p. 389—398).

Digitized by Google

angelus! Apparet in *angulus* latere substantivum, quod opponatur verbis *magnus ille* et priori *iste*. Nimirum *an* particula est interrogativa, *gulus* autem corruptum ex *gerulus*. Scribendum igitur: nec ego [1]), Epicure, *an gerulus* [si] iste pauper contempturus sit divitias si in illas inciderit.

Apud ipsum Senecam legimus Nat. Quaest III 18, 2 mirabamur tantum illis inesse fastidium, ut nollent attingere nisi eodem die captum (sc. piscem), qui, ut aiunt, saperet ipsum mare: ideo cursu advehebatur, ideo *gerulis* cum anhelitu et clamore properantibus dabatur via.

Apul. Met. IX 39 (de Lucio asino) vix etiam paucos holerum maniculos de proximo hortulo solet anhelitu languido fatigatus subvehere, nedum ut rebus amplioribus idoneus videatur *gerulus*; ibid. XI 16 sacrorum *geruli*.... alacres ad fanum reditum capessunt. Horat. Ep. II 2, 72 festinat calidus mulis *gerulis*que redemptor.

Sidon. Apoll. Ep. VIII 13, 3 commendo Promotum *gerulum* litterarum cet.

Ep. 21, 9 eo libentius Epicuri egregia dicta commemoro, ut istis, qui ad illum confugiunt spe mala inducti, qui velamentum ipsos vitiorum suorum habituros existimant, probem quocumque ierint honeste esse vivendum. § 10, cum adieris eius hortulos et inscriptum *hortulis* „hospes, hic bene manebis, hic summum bonum voluptas est", paratus erit istius domicilii custos hospitalis, humanus, et te polenta excipiet et aquam quoque large ministrabit et dicet: „ecquid bene acceptus es?" „non inritant" inquit „hi hortuli famem sed extinguunt".

Emenda, quaeso, *portulis*, quod ut mutaretur in *hortulis* praecedens *hortulos* et sequens *hortuli* effecerunt; ceterum zeugmate *inscriptum* iungendum est cum *adieris*, quales structurae frequentissimae sunt in Epistulis.

Noster scribens *hic bene manebis* evidenter imitatus est Liv. V 55, 1 signifer statue signum, *hic manebimus optime*.

Colorem ironicum auctor toti loco appinxit non solum vocabulis *polenta* et *aqua*, sed praesertim deminutivis *hortulos portuli hortuli*.

1) Subaudiendum est *scio* ex *nescio* versus praecedentis.

Digitized by Google

Ep. 42, 4 sic tuto serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore: non desunt tunc illi venena, sed torpent. multorum crudelitas et ambitio et luxuria, ut paria pessimis audeat, fortunae favore deficitur. eadem velle, si *subaudis*, cognosces: da posse, quantum volunt.

Hic facile veram atque genuinam lectionem recuperabis, si mecum reposueris *subdubitas*. Verbum subdubitandi Tullianum est cf. ad Att. XIV 15, 1 o mirificum Dolabellam meum! iam enim dico: meum; antea, crede mihi, *subdubitabam*; ad fam. II 13, 2 haec eo pluribus scripsi, quod non nihil significabant tuae litterae *subdubitare*, qua essem erga illum voluntate.

Ep. 83. 26 fere vinolentiam crudelitas sequitur. vitiatur enim exasperaturque sanitas mentis. quemadmodum ⟨*importunos*⟩ difficilesque faciunt diutini morbi et ad minimam rabidos offensionem, ita ebrietates continuae efferant animos.

Ut supplerem *importunos*, suaserunt mihi comici, cf. Plaut. Asin. 62 (de uxore):

fateor eam esse *importunam* atque incommodam;

Terent. Heaut. 197 immo ille fuit senex *importunus* semper, cet. Hi poetae quales senes et uxores depingunt — pronos ad irascendum, duros ad ignoscendum — tales reddunt diutini morbo homines.

Initio epistulae 91. Seneca tradidit Lugdunum Gallorum vasto incendio deletum esse, tum sic pergit:

Ep. 91, 2 nulla res magna non aliquod habuit ruinae suae spatium: in hac una nox interfuit inter urbem maximam et nullam. denique diutius illam tibi perisse quam perit narro. § 3 haec omnia Liberalis nostri adfectum inclinant adversus *sua* firmum et erectum. nec sine causa concussus est. inexpectata plus adgravant; novitas adicit calamitatibus pondus, nec quisquam mortalium non magis quod etiam miratus est, doluit.

Walter locum sanare conatus est inserendo *tantum* post *inclinant*, sed vix sunt qui in suis modo asperis rebus constanter se gerant, sed alienis miseriis maiore afficiantur dolore. Qua de causa iam melior Buschii coniectura est *saeva* (pro *sua*). Equidem Senecam puto dicere voluisse Liberalis animum

Digitized by Google

alioquin fortem et patientem nunc fortunae pessimae atque sinistimae succubuisse, quocirca revocandum censeo: adversus *scaeva* firmum et erectum.

De valetudine minus commoda sapientium Seneca docet haec:

Ep. 92, 19 invenitur, qui dicat sapientem corpore parum prospero usum nec miserum esse nec beatum. hic quoque fallitur, exaequat enim fortuita virtutibus et tantundem tribuit honestis quantum honestate carentibus. quid autem foedius, quid indignius quam comparari veneranda contemptis? veneranda enim sunt iustitia, pietas, fides, fortitudo, prudentia: e contrario vilia sunt, quae saepe contingunt pleniora uilissimis, crus solidum et lacertus et dentes et *horum* sanitas firmitasque.

Vix ac ne vix quidem dubito quin *pulmonum* [1]) substituendum sit voci corruptae *horum*.

Ep. 92, 34 sed ut ex barba capilloque tonsa neglegimus, ita ille divinus animus egressurus hominem, quo receptaculum suum conferatur, ignis illud *excludat* an terra contegat an ferae distrahant, non magis ad se iudicat pertinere quam secundas ad editum infantem.

Omnes viri docti viderunt *excludat* corruptum esse, sed de medela inter eos non convenit. Mihi constat traditam scripturam dittographia ortam esse ex *excidat* cf. Verg. Aen. II 634 abnegat *excisa* vitam producere Troia;

Aen. XII 762 *excisuram* urbem minitans et saucius instat.

Vehementer noster cibos sumptuosos damnat:

Ep. 95, 28 „sciant protinus hi, qui iactationem ex istis peti et gloriam aiebant, non ostendi ista, sed conscientiae dari. pariter sint, quae disponi solent, uno iure perfusa. nihil intersit: ostrea, echini, spondyli, nulli perturbati concoctique ponantur".

Haec sunt verba gulosi cuiusdam, quibus philosophus respondet: § 29 non esset confusior vomentibus cibus. quomodo ista perplexa sunt, sic ex istis non singulares morbi nascuntur, sed inexplicabiles, diversi, multiformes, adversus quos et medi-

1) Singularis numerus, qui satis rarus est, occurrit Herc. Oct. 1221 *pulmonis* arentes fibras | distendit.

Digitized by Google

cina armare se coepit *multis generibus*, multis observationibus.

Recte Hense observat voce *generibus* genetivum flagitari, quoniam tamen eius supplementum *remediorum* minus placet, restituo: armare se coepit ⟨*diaetae*⟩ multis generibus.

Notum est Ciceronem et Senecam in Epistulis compluribus vocabulis usos esse Graecis, hic laudo tantum ad Attic. IV 3, 3 discessimus in vestibulum Tetti Damionis. Qui erant mecum, facile operas aditu prohibuerunt. Ipse occidi potuit, sed ego *diaeta* curare incipio, *chirurgiae* taedet.

Ep. 95, 46 vita sine proposito vaga est. quod si utique proponendum est, incipiunt necessaria esse decreta. illud, ut puto, concedes, nihil esse turpius dubio et incerto et timide pedem referente. hoc in omnibus rebus accidet nobis, nisi eximuntur, quae reprendunt animos et detinent et *preconarique* totos vetant.

Preconarique conflatum esse ex *porro ire* [1]) *conarique* mihi persuasi.

Simili contractione alterum vitium videtur natum esse, quod adhuc inquinat hunc locum:

Ep. 99, 24 oblivisci quidem suorum ac memoriam cum corporibus efferre et effusissime flere, meminisse parcissime, inhumani animi est. sic aves, sic ferae suos diligunt, quarum *contria* concitatus *actus* est amor et paene rabidus, sed cum amissis totus extinguitur.

Litterarum ductus me inducunt ut credam auctoris manum restitui posse scribendo: quarum *contractiore* concitatus *spatio* [2]) est amor. Cf. Cic. Parad. prooem. § 5 accipies igitur hoc parvum opusculum lucubratum his iam *contractioribus* noctibus cet.

Ep. 104, 15 peregrinatio notitiam dabit gentium, novas tibi montium formas ostendet, invisitata spatia camporum et inriguas perennibus aquis valles, alicuius fluminis sub observatione naturam, sive ut Nilus aestivo incremento tumet, sive ut Tigris

---

1) *Porro ire* maiorem emphasin habet quam *pergere*, quod Kronenberg coniecit; utique improbo *in opere esse*, quod proposui Misc. tert. p. 14.

2) Hic ablativus frequentissimus in latinitate argentea ne in optima quidem deest, cf. Kühner–Stegmann I § 79, 3 Anm. 12, p. 360.

Digitized by Google

eripitur ex oculis et acto per occulta cursu integrae magnitudini redditur e. q. s.

Busche post *naturam* inseruit *sistit*, quod carere possumus, nam et *spatia* et *valles* et *naturam* pertinet ad *ostendet; sub observatione ostendet* autem idem fere est atque *oculis subiciet*; praeterea optima clausula (observati)*óne nàtúram* omne additamentum refutat. Ergo Hense bene fecit, quod annotavit: teneo tradita.

Dc Socrate auctor haec narrat:

Ep. 104, 27 quibus ille domi exercitus est, sive uxorem eius reminiscimur moribus feram, lingua petulantem, sive liberos indociles et matri quam patri similiores, si vere ⟨*reare*⟩, aut in bello fuit aut in tyrannide aut in libertate bellis ac tyrannis saeviore.

Reare praetuli verbo *reputes* ab editore suppleto, quod illa vox et meliorem clausulam efficit et post *vere* potius excidere potuit.

Paulo infra de Catone Uticensi legimus haec:

Ep. 104, 29 cui (sc. fortunae) cum omnibus locis obstitisset, novissime et in morte, ostendit tamen virum fortem posse invita fortuna vivere, invita mori: tota illi aetas aut in armis est exacta civilibus aut *intacta* concipiente iam civile bellum.

Ipsa ἀντιθέτου figura, quam Seneca in deliciis habet, commendat lectionem: aut *in pace intuta* concipiente iam civile bellum. [1])

Ep. 115, 16 nulla enim avaritia sine poena est, quamvis satis sit ipsa poenarum. o quantum lacrimarum, quantum laborum exigit! quam misera desiderat *esse*, quam *miserae partis* est! adice cotidianas sollicitudines, quae pro modo habendi quemque discruciant.

Busche delevit *esse*, sed clausula heroa satis frequens est in Senecae epistulis, quin etiam in hac eadem paragrapho invenitur: (quan)*tum lacrimarum*! Iam vero *miserae partis* perversa scriptura est, quae sic extricanda videtur: *misera era partis.*

1) Non iam tueor, quod proposui Misc. tert. p. 14 *in civitate.*

Digitized by Google

Re vera avaritia opum partarum serva potius est quam domina. Hense tamen Buechelero obsecutus edidit: *misera e partis.*

Inconstantiam multorum Seneca luculenter perstringit sic: Ep. 120, 19 vero tenor permanet, falsa non durant. quidam alternis Vatinii, alternis Catones sunt, et modo, parum illis severus est Curius, parum pauper Fabricius, parum frugi et contentus vilibus Tubero, modo Licinium divitiis, Apicium cenis, Maecenatem deliciis provocant. § 20 maximum indicium est malae mentis fluctuatio et inter simulationem virtutum amoremque vitiorum adsidua iactatio. *is*

habebat saepe ducentos
saepe decem servos, modo reges atque tetrarchas,
omnia magna loquens, modo sit mihi mensa tripes et
concha salis puri, toga quae defendere frigus
quamvis crassa queat. (Hor. Sat. I 3, 11—15).

Voci *is* corruptae Busche[1]) substituere voluit parvulum enuntiatum velut: Tigellium nosti ex Horatio.

Equidem *is* reliquias duco verbi *scis* sumoque hoc vocabulo Senecam lectorem alloqui: meministi (Horatianum illud): habebat saepe ducentos e. q. s.

Ep. 122, 4 aves quae conviviis comparantur, ut immotae facile pinguescant, in obscuro continentur; ita sine ulla exercitatione iacentibus tumor pigrum corpus invadit et *superba* umbra iners sagina subscrescit.

Vix cuiquam Busche suam probavit coniecturam: *sub enervi umbra*, at vera lectio videtur esse *sub arta umbra*, sicut *tenebrae* dicuntur *artissimae* e. g. Sueton. Ner. 46 vidit per quietem navem sibi regenti extortum gubernaculum, trahique se ab Octavia uxore in *artissimas* tenebras; Apul. de deo Socrat. III (Thomas p. 9 sq.) cur ego nunc dicere exordiar.... intellectum huius dei, id quoque interdum, velut in *artissimis* tenebris rapidissimo coruscamine lumen candidum intermicare?

Festivissime Seneca hominem voluptates captantem sic describit:

1) Cf. Phil. Woch. 22 Oktob. 1927 col. 1308 sq.

Digitized by Google

Ep. 123, 10 virtus et philosophia et iustitia verborum inanium crepitus est. una felicitas est bene vitae facere... esse, bibere, frui patrimonio, hoc est vivere, hoc est se mortalem esse meminisse. fluunt dies et inreparabilis vita decurrit: dubitamus sapere? quid iuvat aetati non semper voluptates recepturae interim, dum potest, dum poscit, ingerere frugalitatem? eo mortem praecurre et quidquid illa ablatura est, iam *sibi interere.*

Qui perspexerit illud *quidquid* ante omnia significare: *aetatem, aevum,* facile agnoscet unice veram lectionem esse: *iam tibi tere.* Duplici scilicet dittographia nata est scriptura *ītērere* (i. e. *interere*). Batave verto ultima verba: wees daarom den dood voor, en wat hij u zal ontnemen, profiteer daarvan bij voorbaat! [1])

Ad Quaestiones Naturales.

N. Q. II 29 praeter haec natura aptus est aër ad voces: quidni, cum vox nihil aliud sit quam ictus aër? debent ergo nubes utrimque *inseri,* et cavae et intentae; vides enim, quanto vocaliora sint vacua quam plena, quanto intenta quam remissa.

Contextus docet (cf. etiam 30, 1) auctorem dicere, ut tonitrua fiant nubes cavas et intentas inter se collidi oportere, itaque nostro loco scribendum est: utrimque *in se teri.*

N. Q. II 35, 1 Quid ergo? expiationes procurationesque quo pertinent, si immutabilia sunt fata? permitte mihi illam rigidam sectam tueri eorum, qui *excipiunt* ista et nihil esse aliud quam aegrae mentis solatia existimant.

Fuit tempus cum putarem pro corrupta voce *excipiunt* legendum esse *excutiunt,* quod iam non mihi sufficit, nam vehementer illa secta in superstitionem invehitur, qua de causa restituo *extirpant* motus hoc loco Annaeano (de ira I 19, 2) si ita opus est, silens quietaque totas domus funditus tollit (sc. ratio) et familias reipublicae pestilentes cum coniugibus ac liberis perdit, tecta ipsa diruit et solo exaequat et inimica libertati nomina *extirpat.*

1) Ad verbum possis vertere: breng dat in uw eigen belang door; premendus est ille dativus commodi *tibi.*

Digitized by Google

N. Q. II 43, 2 discant hi, quicumque magnam inter homines adepti sunt potentiam, sine consilio ne fulmen quidem mitti: advocent, considerent multorum sententias, nociturum temperent, hoc sibi proponant, ubi aliquid percuti debet, ne Iovi quidem suum satis esse consilium.

Fieri non potest quin haec verba pertineant ad Neronem: fortasse auctor respicit eandem rem, quam Tacitus commemorat Annal. XIV 22 auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris. nam quia discumbentis Neronis apud Simbruina stagna in villa, cui Sublaqueum nomen est, ictae dapes mensaque disiecta erat c. q. s.

N. Q. II 59, 3 contemne mortem: et omnia, quae ad mortem ducunt, contempta sunt, sive illa bella sunt sive naufragia, seu morsus ferarum seu ruinarum subito lapsu procidentium pondera. numquid facere amplius possunt, quam ut corpus ab animo resolvant? hoc nulla diligentia evitat, nulla felicitas donat, nulla potentia evincit. alia varia *fortitudine* disponit: mors omnes aeque vocat.

Libri manuscripti variant inter *fortitudine* et *formidine*, sed sententia flagitat: *Fors Fortuna*, quod nomen librarius non intellectum misere videtur depravasse.

N. Q. II 59, 10 male scilicet actum erit tecum, si sensum mortis tuae celeritas infinita praeveniet, si mors tua procuratur, si ne tunc quidem, cum expiras, supervacuus sed alicuius magnae rei signum es. male scilicet tecum agitur, si cum fulmine conderis. § 11 sed pavescis ad caeli fragorem et ad inane nubilum trepidas et, quotiens aliquid effulsit, expiras, quid ergo? honestius putas *dilectione* perire quam fulmine?

Patet sententiam esse hanc: putasne generosius supremum diem obire generis morte abs te ipso electo, sive volnere sive morbo, quam mori tactum de caelo? Supplendum igitur: ⟨*leti*⟩ dilectione perire quam fulmine.

N. Q. IV^b 13, 1 „Quid istas", inquis, „ineptias, quibus litteratior est quisque, non melior, tam operose persequeris? quomodo fiant nives dicis, cum multo magis ad nos dici a te

Digitized by Google

pertineat, quare emendae non sint nives." iubes *mentem* cum luxuria litigare?

Semper et ubique Seneca luxuriam oppugnat, hic igitur quasi indignanter rogat: mene, laudatorem illum paupertatis hortaris, ut cum luxuria litigem? Quae cum ita sint, necesse erit scribere: iubes *memet* cum luxuria litigare?

Hanc formam pronominis praesertim in tragoediis inveniri consentaneum est, e. g. Troad. 267, Med. 546, 1018 (infesta, *memet* perime); Phaedra 1228

quae poena *memet* maneat et sedes scio.

Quod modo dixi de Seneca luxuriae inimico, bene illustratur illo loco, ubi describuntur „luxu corrupta praecordia":

N. Q. IV^b 13, 6 quae huius rei causa est nisi intestinum malum et luxu corrupta praecordia? quibus nullum intervallum umquam, quo interquiescerent, datum est, sed prandia cenis usque in lucem perductis ingesta sunt et distentos copia ferculorum ac varietate comessatio altius mersit; deinde numquam intermissa intemperantia quicquid animi *decoxerat* efferavit et in desiderium semper novi rigoris accendit.

Quis credere possit *decorum erat*, quod ex Pernicii coniectura Gercke in textum recepit, olim abiisse in *decoxerat* vel *coxerat* vel *decoquerat*, quas scripturas libri manuscripti exhibent? Lectio difficilior nimirum mutata est! Fuit autem nisi omnia me fallunt genuina scriptura: quicquid animi *defaecatum* erat, cf. Macrobius in Somn. Scip. I 8, 8 (ubi agitur de virtutum generibus) hae sunt otiosorum, quia rerum publicarum actibus se sequestrant. harum quid singulae velint, superius expressimus, cum de virtutibus philosophantium diceremus, quas solas quidem aestimaverunt esse virtutes. § 9 tertiae sunt *purgati iam defaecatique animi*, et ab omni mundi huius aspergine presse pureque detersi; Ambros. in psalm. 118, serm. 8 *defaecatissimum* lumen gratiae cet.

Ad Dialogos.

Dial. I (de prov.) 5, 9 „quare tamen deus tam iniquus in distributione fati fuit, ut bonis viris paupertatem et vulnera et acerba funera ascriberet?" non potest artifex mutare ma-

Digitized by Google

teriam: ⟨*numquam*⟩ hoc passa est. quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent, individua sunt. languida ingenia et in somnum itura aut in vigiliam somno simillimam inertibus nectuntur elementis; ut efficiatur vir *cum cura dicendus*, fortiore fato opus est.

Addidi *numquam* ut auctor sibi constaret.

Cum locutione *vir cum cura dicendus* conferuntur haec verba Annaeana (de benef. IV 1, 1): ex omnibus, quae tractavimus, Aebuti Liberalis, potest videri nihil tam necessarium aut magis, ut ait Sallustius, *cum cura dicendum* [1]), quam quod in manibus est e. q s.

Dial. IV (de ira II) 11, 4 non est ergo quare concupiscat quisquam sapiens timeri, nec ideo iram magnum quiddam putet, quia formidini est, quoniamquidem etiam contemptissima timentur ut venena et *ossa* pestifera et morsus.

Verisimillimum est auctoris verba fuisse: venena et *lues* pestifera et morsus, cf. Thyest. 87 (ubi Tantali umbra loquitur):

mittor ut dirus vapor
tellure rupta vel gravem populis *luem*
sparsura pestis e. q. s.

IV (de ira II) 20, 4 umidioribus siccioribusque et frigidis non est ab ira periculum, sed ignaviora vitia metuenda sunt, pavor et difficultas et desperatio et suspiciones. extollenda itaque fovendaque talia ingenia et in laetitiam evocanda sunt, et quia aliis contra iram, aliis contra tristitiam remediis utendum est nec dissimillimis tantum ista, sed contrariis curanda sunt, *semper ei* occurremus quod increverit.

Qui attento animo locum perleget, facile emendationem inveniet: semper ⟨*pro tempore*⟩ ei occurremus, quod increverit, i. e. pro re nata medicinam adhibebimus contra id malum, quod corroboratum erit.

Haec coniectura simul originem vitii declarat.

Dial. VI (ad Marc. de cons.) 11, 3 quid est homo? quolibet

1) Conferatur Hosius ad l.l. qui etiam comparat Sall. Iug. 54, 1 cui addi potest Liv. XXII 42, 5.

Digitized by Google

quassu vas et quolibet fragile iactatu; non tempestate magna, ut dissiperis opus est: ubicumque arietaveris, solveris, quid est homo? imbecillum corpus et fragile, nudum, suapte natura inerme, alienae opis indigens, ad omnis fortunae contumelias proiectum, cuiuslibet victima, ex infirmis fluidisque contextum et lineamentis exterioribus nitidum, frigoris aestus, laboris impatiens, ipso rursus situ et otio iturum in tabem, alimenta metuens sua, quorum modo inopia ⟨*deficit, modo copia*⟩ rumpitur, anxiae sollicitaeque tutelae, precarii spiritus et male haerentis, § 4 *qua parum* repentinum *audiet* ex improviso sonus auribus gravis excutit, sollicitudinis semper sibi nutrimentum, vitiosum et inutile.

Ingeniose Paulus Thomas paragraphum tertiam egregio supplemento sanavit, correctionem autem quartae inchoavit Lipsius *pavorem* revocando pro *parum*; ut locus in integrum restituatur, scribamus: *quoi pavorem* repentinum *auditus* ex improviso sonus auribus gravis excutit e. q. s.

Quoi forma dativi legitima occurrit infra Dial. VII 23, 2; X 10, 3; *aliquoi* X 3, 4 cet.; cf. etiam Cic. ad fam. (Sjögren) II 13, 2 cet.

Dial. VI (ad Marc. de cons.) 15, 4 videsne quanta copia virorum maximorum sit, quos non excepit hic omnia prosternens casus, et quos tot omnia bona, tot ornamenta publice privatimque *congesta erant.*

Parum eleganter Hermes proposuit: *congesta honestaverant*, scribe potius *congesta* ⟨*fastigav*⟩*erant*; cf. Sidon. Apoll. VII 9, 14 natalibus turget, dignitatum *fastigatur* insignibus; ibid. Carm. II Panegyr. vs. 1

> auspicio et numero fasces, Auguste, secundos
> erige et effulgens trabealis mole metalli
> annum pande novum consul verus ac sine fastu
> scribere bis fastis; quamquam diademate crinem
> *fastigatus* eas e. q. s.

Ubi Seneca voluntariam mortem defendit, cum alia legimus tum haec:

Dial. (ad Marc. de cons.) VI 20, 3 video istic cruces non

Digitized by Google

unius quidem generis sed aliter ab aliis fabricatas: capite quidam conversos in terram suspendere, alii per obscena stipitem egerunt, alii brachia patibulo explicuerunt; video fidiculas, video verbera, et membris singulis articulis ⟨*artifices*⟩ singula docuerunt machinamenta.

Desideratur subiectum verbi *docuerunt*, quare inserui *artifices*, quae vox haud raro in malam partem accipienda est e. g. Troad. 750 o machinator fraudis et scelerum *artifex*; Agam. 983 etiam monebit sceleris infandi artifex cet.

Nostro loco *artifices* dicuntur inventores tormentorum, carnifices vel simile quid.

Dial. VII (de vita beata) 25, 2 muta stragula mea; nihilo miserius ero, si lassa cervix mea in maniculo faeni adquiescet, si super Circense tomentum per sarturas veteris lintei effluens incubabo. quid ergo est? malo, quid mihi animi sit, ostendere praetextatus et *causiatus* [1]) quam nudis scapulis aut *sententis*.

Nudis oppositum sibi requirit i. e. *tectis*; restitue ergo, ut emendatio sit omnibus numeris absoluta: quam nudis scapulis aut *centone tectis*.

Dial. IX (de tranq. animi) 8, 9—9, 1 optimus pecuniae modus est, qui nec in paupertatem cadit, nec procul a paupertate discedit. (9, 1) placebit autem haec nobis mensura, si prius parsimonia placuerit, sine qua nec ullae opes sufficiunt, nec ullae *non satis* patent e. q. s.

Birt post *ullae* addidit *sortes* deleta particula negativa, quod probari nequit. Qui sine parsimonia vivit, saepe vix habet, quod minimis sufficiat desideriis, vel minimae necessitates ei nimis magnae sunt. Itaque ne dubita mecum corrigere: nec ullae ⟨*necessitates*⟩ non satis patent.

Dial. IX (de tranq. animi) 11, 7 totiens in vicinia mea conclamatum est; totiens praeter limen immaturas exequias fax cereusque praecessit; saepe a latere ruentis aedificii fragor sonuit; multos ex iis, quos forum, curia, sermo mecum con-

1) Sic iam pridem scripsi pro tradita memoria *causatus*, vide Annaeana nova, p. 8 sq., ubi tamen minus recte conieci *sentis* pro *sententis*.

Digitized by Google

traxerat, nox abstulit et *iunctas* sodalium manus copulatas interscidit.

Quandoquidem auctor loquitur de arte coniunctis amicis, necesse est emendare: *iunctius* sodalium manus copulatas interscidit.

Dial. X (de brevit. vitae) 9, 1 potestne quicquam ⟨*sanare*⟩ sensus hominum eorum dico, qui prudentiam iactant? operosius occupati sunt, ut melius possint vivere, inpendio vitae vitam instruunt!

Ipsa descriptio eiusmodi hominum, quos non male semiphilosophos vocare possis, meum commendat supplementum: putidissimum illud genus insanabile est!

Dial. XI 11, 1 cotidie praeter oculos nostros transeunt notorum ignotorumque funera, nos tamen aliud agimus et subitum id putamus esse, quod nobis tota vita denuntiatur futurum, non est itaque ista fatorum iniquitas, sed mentis humanae pravitas insatiabilis rerum omnium, quae indignatur inde *eximere*, quo admissa est precario.

Gertzio praeeunte Hermes pro corrupta voce *eximere* edidit *excidere*. Equidem puto in archetypo exaratum fuisse *meare* et supra hoc verbum additum *exire*, postea autem contaminatione quadam ortam esse scripturam *eximere*.

Ad libros de beneficiis et de clementia.

de benef. III 29, 5 tolle radicem: nemora non surgent, nec tanti montes vestientur. innituntur fundamentis suis templa *et illa* urbis; tamen, quae in firmamentum totius operis facta sunt, latent.

Hosius de suo edidit *excelsa* pro scriptura *et illa*, Birt nuper proposuit *tot illa*. Mihi unice vera lectio videtur *et pilae*, nam praeter templa porticus sane dignae erant, quae commemorarentur.

de clementia I 5, 1 parcendum itaque est etiam improbandis civibus non aliter quam membris languentibus, et, si quando misso sanguine opus est, *sustinenda* est *manus*, ne ultra, quam necesse sit, incidat.

Digitized by Google

Haasio auctore Hosius edidit *sustinenda est manus*, cum in codicibus exstet *sustinenda est*; ego quoque vocabulum excidisse puto nempe Graecum: *smila* (cf. supra ad Epist. 95, 28–29).

de clementia I 22, 3 constituit bonos mores civitati princeps et vitia *eius*, si patiens eorum est, non tamquam probet, sed tamquam invitus et cum magno tormento ad castigandum veniat. Rectissime cum Gertzio Hosius revocavit verbum *eluit*, sed cur *eius* delendum sit, non intellego; insuper clausula commendat lectionem: et vitia *eius* ⟨*eluit*⟩.

Ad tragoedias.

Postquam Talthybius exposuit Achillis umbram a Graecis postulasse, ut Polyxenam sibi mactarent tamquam debitas inferias, orationi his verbis finem facit:

Troad. 197 haec fatus alta nocte *divisit* [1]) diem
repetensque Ditem mersus ingentem specum
coeunte terra iunxit.

Quomodo corrupta scriptura *divisit* nata est? Equidem credo e genuina lectione *clusit* ortam esse vocem *divisit*, nam persaepe litterae *cl* et *d* confusae sunt. Restituendum ergo censeo:

haec fatus alta nocte *iam clusit* diem,

cf. Horat. C. II 4, 24 *claudere* lustrum. Formam *clusit* legimus paulo supra vs. 186; *cludit* revocavi Epist. 12, 6 quod Hense recepit.

Vehementissime Pyrrhus Agamemnonem corripit:

Troad. 301 o tumide, rerum dum secundarum status
extollit animos, timide cum increpuit metus,
regum tyranne! iamne flammatum geris
amore *subito* pectus ac veneris novae?

Pro *subito* lectio iunioris Italae est *solito*, Richter recepit Bentlei coniecturam *amoris aestu*, Leo suspicatus est *amoris igne*. Emenda *subido*, cf. Gell. N. A. XIX 9, 11 (Aeditui versus):

1) Correctiones iam pridem factas brevitatis studio non commemoro. Leonis editionem sequor, Richter interdum officio textus constituendi licentius mea quidem sententia functus est e. g. hoc ipso loco.

Digitized by Google

dicere cum conor curam tibi, Pamphila, cordis,
quid mi abs te quaeram, verba labris abeunt,
per pectus manat subito ⟨*subido*⟩ mihi sudor;
sic tacitus, *subidus*, dum pudeo, pereo.

Ulixes minatur Andromachae, ubi Astyanax sit indicare recusanti:

Troad. 578 verberibus igni *morte* cruciatu eloqui
quodcumque celas adiget invitam dolor
et pectore imo condita arcana eruet.

Pro *morte*, quod verbum hic stultissimum est, Leo coniecit *omnique*, at Peiper *nocte*; corrigendum est *rite* cf. Oedip. 226

et pias numen precatus *rite* summisi manus;

cf. Thyest. 690 cet.

Chorus Troadum captivarum in quam partem Graeciae brevi ducantur rogat (cf. vs. 814): quae vocat sedes habitanda captas? Enumerantur multae urbes et insulae scilicet casu nominativo enuntiatae usque ad vs. 843, deinde legimus:

844 numquid Aiacis Salamina *veri* [1])
aut fera notam Calydona saeva?

Accusativi *Salamina* et *Calydona* declarant sub *veri* latere formam verbi: lege *vertar* (sensu nimirum passivo).

Troad. 1100 ac, dum verba fatidici et preces
concipit Ulixes vatis et saevos ciet
ad sacra superos, sponte desiluit sua
in media Priami regna.

Operae pretium est laudare quae de hac Astyanactis voluntaria morte observat Martha (Les moralistes sous l'Empire Romain (1865) p. 118): Dans Sénèque le tragique, par exemple, Astyanax, sans attendre la mort, et après avoir tourné de tous côtés des yeux farouches, se précipite lui-même du haut

1) Nihil obstat quod pluralis adhibetur *captas* (814) et *miseras* (851); meminimus legi Carm. Saecul. vs. 3 data quae *precamur*, sed etiam 73 sqq.

haec Iovem sentire deosque cunctos
spem bonam certamque domum *reporto*
doctus et Phoebi chorus et Dianae
dicere laudes.

Digitized by Google

de la tour, invention ridicule qu'un homme d'esprit n'eût pas hasardée dans une tragédie, s'il n'avait été sûr, que le public applaudirait le suicide d'un petit stoicien.

Phaedrae falsa narratio sic incipit:

888 te, te, creator caelitum, testem invoco
et te, coruscum lucis aetheriae iubar,
ex *cuius ortu* nostra dependet domus.

Forma *cuius* effecit, ut hodie quoque vs. 890 correctorem suum quaereret; orta est nimirum ex scriptura *quis* (= *quibus*). Itaque scribendo:

e quis ⟨*ab*⟩ ortu noster dependet domus

poetae manum mihi restituisse videor.

Creo refert Oedipodi quae umbra Laii ex inferis evocata minata est:

Oedip. 642 te, te cruenta sceptra qui dextra geris
te pater inultus urbe cum tota petam
et mecum Erinyn pronubam traham:
traham sonantes verbera, incestam domum
vertam et penates impio Marte obteram.

Profecto tria illa futura: *traham*, *vertam*, *obteram* sufficiunt, ergo mihi constat vs. 645 *traham* veram lectionem detrusisse.

Laius sine dubio minatus est se cum catervis Furiarum venturum, qua de causa edendum censeo:

645 *manus* sonantes verbera, incestam domum e. q. s.

Similis corruptela obtinet versus sequentes:

Thyest. 690 (chor.) Quis manum *ferro admovet*?
(nunt.) ipse est sacerdos, ipse funesta prece
letale carmen ore violento canit,
stat ipse ad aras, ipse devotos neci
contrectat et componit et *ferro admovet*.

Equidem verisimile duco poetam scripsisse:

contrectat et componit et ferro *immolat*,

cf. Verg. Aen. XII 948 Pallas te hoc vulnere, Pallas *immolat*.

Digitized by Google

Deianira queritur Herculem ubicumque gentium amores quaerere (cf. vs. 419) sic incipiens:

Herc. Oet. 410 hic quem per urbes ire praeclarum vides
et fulva tergo spolia gestantem ferae,
qui regna miseris donat et celsis rapit,
vasta gravatus horridam clava manum,
cuius triumphos ultimi Seres canunt
et quisquis alius orbe *concepto* iacet,
levis est nec illum gloria stimulat decor.

Ratio palaeographica mihi suadet, ut legam *orbe nunc capto*, nam $\overline{nc}$ *capto* et $\bar{c}$*cepto* non multum inter se differunt.

Paulo infra haec Deianira narrat:

Herc. Oet. 490 illic amoris pignus Herculei latet.
altrix, fatebor; auctor est Nessus mali
quem gravida Nephele Thessalo genuit duci,
qua *trepidus* astris inserit Pindus caput.

Hic quin poeta cogitet de motibus terrarum, vix ac ne vix quidem dubito, quocirca restitue:

qua *tremulus* astris inserit Pindus caput.

Ex Hylli narratione discimus Herculem palla Nessi sanguine illita indutum frustra conatum esse fatale vestimentum exuere, nam

Herc. Oet. 830 corporis palla horridi
pars est et *ipsam vestis immiscet cutem.*

Genuina scriptura mihi videtur fuisse:

pars est et *ipsa veste commiscet cutis.*

Ex ipsius Herculis querela haec sunt:

Herc. Oet. 1173 pro mundi arbiter
superique quondam dexterae testes meae
pro cuncta tellus, Herculem vestrum placet
morte ferire?

Supersedeo virorum doctorum tentamina enumerare. Supra ad Troad. 578 egi de confusione *rite* et *morte*, cuius memor hic scribo:

non rite obire[1]).

1) Leo coniecit: *inertem obire.*

Digitized by Google

Ad Octaviam.

Inveniuntur qui Senecam pro auctore habeant fabulae praetextae, cui titulus Octavia, verum ea omnino infra dignitatem est illius poetae, summi artificis atque philosophi, qui egregie motus ac perturbationes animi intellegebat distinguebatque. Fieri non potest quin Octavia opus sit vix mediocris poetae, qui Annaeanum genus dicendi imitari conatus est et paulo post Neronis mortem poema suum evulgavit. Ecquis credere potest Senecam panxisse de Poppaea Sabina versus hosce:

Octav. 769 petet (sc. Tonans) amplexus, Poppaea, tuos,
quos et Ledae praeferre potest
et tibi, quondam cui miranti
fulvo, Danae, fluxit in auro?

Ceterum non solum Seneca auctori fabulae Octaviae exemplo fuit, sed et Sophocles, nam persona, quae in dramate Latino primarias partes agit, ter prodit in scaenam, sicut πρωταγωνιστής in tragoedia Antigona; praeterea utraque a custodibus regiis ad postremum ex oculis spectatorum abripitur. [1])

Octav. 288 nos quoque nostri sunt immemores
post fata ducis, cuius stirpem
prodimus *euo* suadente metu.

Valde miror nondum propositum esse quod mihi unice verum videtur:

prodimus *uno* suadente metu,

i. e. metus tantum, nihil aliud, nobis suadet, ut Claudii filiam deseramus.

Poeta Neronem et Senecam sic inducit colloquentes:

Octav. 459 (Ner.) iussisque nostris pareant. (Sen.) iusta impera.
(Ner.) statuam ipse. (Sen.) quae consensus efficiat rata.
(Ner.) *despectus* ensis faciet. (Sen.) hoc absit nefas.

---

1) Utor editione ab Hosio curata („Kleine Texte" N° 147), qua meliorem habemus nullam, instructam duobus fere milibus locorum similium.

Cum Octav. vs. 129 saevior *pelagi fretis*

comparari potest Ambrosii hymni celeberrimi (Aeterni rerum conditor) vs. 14 *pontique* mitescunt *freta*. (Kleine Texte 47—49; pag. 7).

Digitized by Google

Non *despectus* genuina lectio esse potest, sed *adspectus*, unde facile perversa illa scriptura nasci potuit. Ceterum poeta alludere videtur ad verba illius Octaviani centurionis, qui gladio monstrato senatoribus respondit: hic eum (sc. consulem) faciet, si vos non feceritis. [1])

Cum auctor fabulae praetextae sectator habendus sit Senecae, commendatur coniectura mea hisce exemplis Annaeanis: Dial. X (de brevit. vitae) 2, 4 *adspice* illos, ad quorum felicitatem concurritur: bonis suis offocantur; de benefic. III 29, 4 *adspice* Rhenum, *adspice* Euphraten, omnes dénique amnes: quid sunt, si illos illic, unde effluunt, aestimes? quicquid est, quo timentur, quo nominantur, in processu paraverunt. § 5 *adspice* trabes, sive proceritatem aestimes, altissimas e. q. s.

---

1) Antea (cf. Annaeana nova (1910), p. 4 sq.) ut hiatus vitaretur proposui: Octav. 516 tristes Philippi, *pressit* (codd. *hausit*) et Siculum mare, quod etiam nunc defendo.

Ex Hosii apparatu critico didici Ussani in eandem suspicionem incidisse.

Digitized by Google

DE VERBORUM QUAE VULGO DICUNTUR IMITATIVA NATURA ET ORIGINE.

SCRIPSIT

J. D. MEERWALDT.

I.

Apud Brugmann-Thumb, Gr. Gr. § 373—7 haec leguntur: „*ιδ-μώ = -ιζω, das in Verben wie ἐλπίζω (ἐλπίς), λῃΐζομαι (λῃΐς) zu Haus war, verbreitete sich ebenfalls sehr weit. Z. B. κινίζομαι (κίνος), δειπνίζω (δεῖπνον)..... Eine eigne Klasse bildeten die Imitativa wie δωρίζω, ἑλληνίζω, φιλιππίζω". — Praeter haec nihil; unde enim sit explicandus peculiaris hic locus semanticus alterorum, id neque indicatur neque adeo quaeritur. Atqui eo magis in promptu erat quaerere, quia eadem haec familia non modo, quantum ad sensum attinet, verum etiam a generis *activi* usu *intransitivo* singularem inter similiter desinentia locum obtinet. Accedit autem, quod alterum illud et aeque a personarum nominibus ductum verborum genus in -ευω (v. c. τυρκαν-ευω) iampridem relatum est ad sua archetypa βασιλευ-ω, νομευ-ω, similia; cf. Kühner-Blass, *El. u. Form.* II § 328. 3; Br.-Th. op. l. § 370, § 373. 4; Meillet-Vendryes, *Tr. de Gr. Comp.* § 368 β. — Sed quamquam alterius huius generis ratio explorata ad alterius quoque originem indagandam incitare potuerat viros doctos, non tamen mirum est hucusque omissam esse hanc de 'imitativorum' historia quaestionem; stetit enim per ipsum illud nomen ut tralaticium ita ab universa rei natura omnino alienum [1]),

1) Quatenus valeat *usus recentissimus et 'imitaticus'*, infra exponemus, ubi de semantica historia agemus.

Digitized by Google

quominus ἑλληνίζω et similia una cum aliis et cognatis suae ad gentis societatem referrentur; velut apud Kühner-Blass, *Elem. u. Form.* II § 328. 4 nil nisi farraginem quandam invenies ad obscurandum quam ad illustrandum rerum connexum aptiorem. Quos autem velim cognatos aut gentis ambitum, quove nomine communem omnium naturam a ceteris in -ιζω distinguere liceat, ex hac exemplorum serie, quam toti disputationi praemittendam putavi, cognoscetur.

Verba in -ιζω notiva.

παίζω; κουρίζω [1]), κο(υ)ρίζομαι; νεανίζω; ἀνδρίζω [2]), -ομαι; γυναικίζω, -ομαι; ἀδελφίζω [2]), -ομαι; πατρίζω; πολιτίζω; βασιλίζω; -ομαι; ἀνθρωπίζω, -ομαι; βατραχίζω; ἀλωπεκίζω; κυνίζω; ἑλληνίζω [1]); βαρβαρίζω; ἀττικίζω; λακωνίζω; Φιλιππίζω; πλατωνίζω; εὐριπιδίζω.

Quid ex collatione eorum in -ιζω, quae ad ἐλπίζω, ἐρίζω, λῃΐζομαι archetypa redeunt, cuncta haec in commune habeant, manifestum est. Primum enim illa cum ducantur a nominibus *rerum*, haec ad *animata* omnia pertinent, partim cum subsint angustiorum latiorumve generum appellationes, partim nomina vel gentium vel hominum propria. Hoc ergo primum. Deinceps autem — id quod breviter iam memoravimus — in eo quoque a multo copiosiore ceterorum gente differunt, quod illic omnia, sive sunt *factitiva sive affectiva*, plane continuant vim et usum archetyporum illorum *realium* et in -ις desinentium [3]), hic vero usus obtinet *intransitivus* et ex realibus illis omnino non explicandus. [4])

Ex duabus his causis consequitur, ut in ipso *personalium*

1) Etiam factitive; qua de re vid. adn. 4.

2) In textibus traditis factitive *tantum*; casu nimirum.

3) Scil. ἐλπίζω propr. 'spem facere'; λῃΐζομαι 'praedam sibi-facere'. Hinc v. c. πλουτίζω; τειχίζω; αἱματίζω; ἀθερίζω; similia.

4) *Res* enim natura in sententia obiecti fere sunt loco, *personae* subiecti. Cf. francog. 'le fils' < filius ∪ 'rien' < rem; germ. 'der Bote' ∪ der Schade(n) notissima huius rei in ipsa morphologia vestigia. — Consentaneum autem est personalia et notiva haec verba tum, cum persona *obiectum* cogitetur, non secus atque realia illa factitiva esse posse; cum κουρίζω 'iuvenem facere (alqm)' cf. *francog.* 'enfanter' (*parere*), *angl.* 'to child'. *Neerl.* 'kinderen' et *germ.* 'kindern' et intrans. et factitive inveniuntur.

Digitized by Google

hoc genere universae tamquam gentis auctores quaerendi sint: quorum unus est certissimus *παίζω*.

Quantum ad morphologiam attinet, proficiscendum est nobis a forma vetustiore **παϊ̈δ-ι̯ω*, ex qua per **παΐ̈ζω* — quod Homeri aetate adhuc viguisse suspicor — factum est *παίζω*, *lac.* *παίδδω*, *lesb.* *παίσδω*. Trisyllabum etiamtum fuisse apparet, cum analoga prima orerentur; ex quibus et forma et sensu proximum fuit *κουρ-ιζω* illud, de quo infra seorsum agemus. — Proportio, quae dici solet, haec fuit:

παΐ̈ς: *κοῦρος* = **παΐ̈ζω*: *κουρίζω*.

Grassante deinceps, ut fit, analogia partim sensu similia partim contraria alia plura accesserunt, dum confectus est orbis fere, quem supra descripsimus. Eadem ergo hic valuit vis gignendi et propagandi, quam supra notavimus in *βασιλευ-ω*, *τυραννευω*, *δουλευω*, similibus. — Iuxta **παΐ̈ζω* autem *ἑλληνίζω*, *δωρίζω*, *ἰωνίζω* ita ipsa archetypa sunt habenda, si non valuit ratio *κοῦρος*: *Ἕλλην* = *κουρ-ιζω*: *ἑλλην-ιζω*, verum *ab ipso initio* subfuerunt abstracta illa *ἡ ἑλληνίς* (fere 'ratio graeca') e. q. s.; id quod non necessario utique consequitur ex eo, quod aliquando *ἡ ἰάς* genuit *ἰάζω* < *ἰαδ-ι̯ω*.

De ipsa morphologia hactenus; iam videamus de ratione semantica. Atque primum agendum videtur de communi ea omnium horum natura, quam novo 'notivorum' nomine significavimus. — Utilissima hic quoque nobis videtur comparatio eorum, quae terminantur in *-ευω*. Etenim haec quoque facta sunt a personarum appellationibus, verum longe maiore ex parte prorsus alium obtinent significandi orbem; quo collato clarius eminebit, quid alterorum sit proprium.

Plurimis ex exemplis ut pauca afferam, ad *βασιλεύω* et similium exemplum a personarum nominibus ducta sunt: *βουλεύω*, *θηρεύω*, *οἰνοχοεύω*, *κηρυκεύω*, *πολιτεύω*, *-ομαι*, *ῥητορεύω*, *μαντεύομαι*. Pertinent haec ad solita ea negotia, in quibus singulorum hominum vita varie occupatur; quamobrem 'negotiativorum' vel 'provincialium' nomine cuncta comprehendere licet. Eorum vero, de quibus quaerimus, verborum alia est ratio: distinguuntur enim *οἱ δειν-ίζοντες* ex peculiaribus quibusdam agendi, sentiendi, loquendi denique proprietatibus, quae hinc singularum aetatum, sexuum, rationum familiarium, illinc

Digitized by Google

variarum et personarum et gentium et animalium tamquam ipsam *notam* praebeant contemplanti; quod cum ita sit — ipsis exemplis infra hoc confirmabitur — universum hoc genus suo 'notivorum' nomine significandum putavimus, reiecto 'imitativorum' illo, quod ne in eam quidem partem, cuius gratia factum est, convenit. — Ita autem cum suum utraque orbem obtineant denominativa ea in *-ευω* et *-ιζω* quae volumus, est tamen ubi inter se secant hi orbes et quasi confinium quoddam synonymorum efficiunt; id quod ibi notatur, ubi illa in *-ευω* (praesertim *-ευομαι*) pariter atque altera — quorum id ipsum est proprium — vim habent adiectivalem, velut eodem sensu dicuntur *νεανιεύομαι* et *νεανίζω* ('*νεανικόν* se praebere'), *ἀνθρωπεύομαι* et *ἀνθρωπίζω*, *-ομαι* ('*ἀνθρωπικόν* se praebere'), *πολιτεύω*, *-ομαι* et *πολιτίζω* ('⟨*ἄνδρα*⟩ *πολιτικόν* se praebere'). Sed haec, ut dixi, in confinio; medium si utrumque orbem inspicimus, omnino diversa notamus; velut hinc *βασιλεύω*, '*βασιλέως* munere fungi', illinc vero *βασιλίζω*, *-ομαι*, '*βασιλικόν* se praebere'; quod quibus modis varie accipi possit, infra videbimus, ubi eo disputationis ventum erit.

His praemissis ad ipsa exempla nos convertamus antiquissima, quorum praesertim a capite 'notivi' huius generis ratio semantica originem duxit, *παίζω* dico et *κουρίζω*.

1. *παίζω*.

Sensum priscum et nativum fuisse patet: 'plane púerum esse', 'notam prae se ferre puerilem'; pro re ac pro tempore scilicet cum de ipsis pueris, tum de adultis hominibus. Hinc quae ortae sunt significationes angustiores et speciales 'ludere', 'saltare', 'iocari', similia tantopere in textibus traditis inde ab ipso Homero praevalent, plane ut desiderentur in lexicis nostris sensus illius prisci et nativi aut exempla aut vestigia. Notatu autem dignum videtur nulla non aetate Graecos memores fuisse denominativae et notivae huius originis. Antiquissimum huius rei documentum nobis praebet Heraclitus, ubi scribit: *αἰὼν παῖς ἐστι παίζων πεττεύων· παιδὸς ἡ βασιληίη* (fr. 52 Diels); quo de loco paucis disputandum hic erit, quia hucusque fugisse videtur viros doctos, quid sibi velint duo haec participia asyndeta. — Quantum ad totius loci voluntatem attinet, recte

Digitized by Google

iampridem intellectum est puerum hic cogitari ipsum secum calculis ludentem nullaque alia lege nisi suo arbitrio ac libidine ponentem, moventem, dementem; pariter atque puer ille Homeri (O 336), in litore ludens qui vicissim exstruat et demoliatur harenae tumulos. Omnino iure conferri solent eiusdem Heracliti verba: *ὥσπερ σάρμα εἰκῇ κεχυμένον ὁ κάλλιστος κόσμος* (fr. 124 ibid.). Ab hac autem interpretatione, quae Dielsio quoque probatur, plane abhorret, quod l. l. ea de quibus agimus verba sic distinguuntur: '*παίζων, πεττεύων*'; quasi vero hoc posterius epexegeticum sit, itaque priori illi subiciatur ut species generi. Enimvero: 1° cum ex interpretatione supra relata et extrinsecus a viris doctis parta — coll. scil. Hom. O 366 et Heracl. fr. 124 —, tum ex triplici illo *παῖς* et *παίζων* et *παιδός* loci ipsius plane apparet *παίζειν* hic non generatim valere 'ludere', verum speciatim et praegnanter '*pueriliter* ludere'; 2° *πεττεύειν*, '*calculis* (digerendis) ludere' apud Graecos fere exemplo est summae cuiusdam ordine disponendi artis: omnino cogitari solet de mente, ratione, consilio ad Palamedeum hoc genus ludendi necessario et a rudibus *παιδός* annis alieno. Quae cum ita sint, haud dubium nobis videtur, quin *per antithesin coniuncta* haec voluerit ipse Heraclitus; ita dico, ut '*παίζων πεττεύων*' idem valeat atque *παιδικῶς* (i. e. *εἰκῇ*) *πεττεύων* (i. e. *διακοσμῶν*); id quod universa quoque et huius fragmenti — *αἰὼν ⟨ὁ⟩ παῖς; παῖς ⟨ὁ⟩ βασιλεύς* — et ceterorum plurimorum ratione antithetica confirmatur, cf. v. c. *παρεόντας ἀπεῖναι* (fr. 34); *συνάψιες.... συμφερόμενον διαφερόμενον, συνᾷδον διᾷδον*, κ. τ. λ. (fr. 10); *ὁδὸς ἄνω κάτω μία καὶ ὠυτή* (fr. 60); *μεταβάλλον ἀναπαύεται* (fr. 84). Vertendum ergo sic fere; 'Aevum *puer* est, *puerili arbitrio* qui calculos disponat: *puerum* penes rerum dominatio'.

Quemadmodum hoc loco, ita alias saepe, ubi ipsum *παιδός* nomen verbo denominato *παίζειν* adiungitur, peculiari quadam cum praegnantia eminet sensus notivus, simul tamen cum valeat significatio ea specialis, quam tota sententia requirat. Ita apud Plutarchum, *Reip. ger. praec.* 820 haec notavi: *ἠτήσατο* (sc. Anaxagoras) *τὴν ἡμέραν ἐκείνην, καθ' ἣν ἂν τελευτήσῃ, τοὺς παῖδας ἀφιέναι παίζειν καὶ σχολάζειν ἀπὸ τῶν μαθημάτων*. Ubi ipsa figura dicendi scitum et praegnans fit *παίζειν*

Digitized by Google

illud, quod ceteroquin in huiusmodi verborum contextu nihil amplius significat nisi 'ferias [1]) agere'; ipsam viri et docti et sapientis voluntatem ita demum assequimur, si subaudimus: 'pueros unum in diem pueros esse sinere'. — Memoratu digna ea quoque videntur, quae leguntur apud eundem auctorem *Lac. Apophth.* 213: *Φιλοτεκνότατος δ' ὢν* (sc. rex Agesilaus) *διαφερόντως λέγεται, ὅτι μικροῖς τοῖς παιδίοις κάλαμον ἐπιβεβηκὼς ὥσπερ ἵππον οἴκοι συνέπαιζεν· ὀφθεὶς δὲ ὑπό τινος τῶν φίλων παρεκάλει μηδενὶ φράζειν, πρὶν καὶ αὐτὸς πατὴρ παίδων γένηται.* Quo cum loco conferas quaeso versus Logaui poetae, *Immerwehrende Kindheit*, 2. 1. 84 sq. 'Verdruss zu mindern | *kindeln* Männer oft mit *Kindern*'.

Multo autem maioris momenti quam ii, quos hucusque inspeximus locos, illi sunt, quibus purus adgnoscitur sensus priscus *notam puerilem praebendi*; eos dico, de quibus egimus in huius bibliothecae volumine LV, pag. 49 sqq.. Sunt autem:

1° Platonis *Gorg.* 485 b, ubi a philosophiae derisore ipsi sapientiae studentes iis comparantur, qui praeter aetatem retinuerint pronuntiandi et agendi idiomata puerilia: *'οἱ ψελλιζόμενοι καὶ παίζοντες'*. Quo loco *παίζειν* revera ad *ipsam notam puerilem* [2]) pertinere palam eo demonstratur, quod deinceps per hendiadys *παιδίον.... ψελλιζόμενον καὶ παῖζον'* opponitur *'σαφῶς διαλεγομένῳ παιδαρίῳ'*.

2° Theophrasti *Char.* V 5, ubi 'gratiae' ille 'captator' tum, cum apud amicos cenet, alios eorum filiolos in gremio suo fovere dicitur, aliis autem: *'συμπαίζειν αὐτός, λέγων ἄσκοις, πέλεκυς'*; quae est balba et puerilis pronuntiatio vocabulorum *ἄρτος* × *ἀρτίσκος* et *πέλυξ*, 'paniculus' et 'poculum'.

Contulimus l. l. memorabilem illum ex Seb. Franck *Paradoxon* libro locum, ubi Deus hominum captui imbecillo Verbum suum adcommodans patri comparatur amanti et cum parvulis suis interim ipsi quoque balbutienti; cap. XC: *'lallet und kindelt* mit uns', vers. neerl. vet. *'lalt, stamelt en kindert* met ons'; qui locus mirum in modum hinc, quod ad hendiadys illud attinet, plane cum Platone consonat, illinc autem et ad

1) Cf. Groeneboom ad Herond. III 54.

2) Non ad pueriliter *ludendi* notionem significandam scil..

Digitized by Google

ipsam rem, de qua agitur, et ad verbum illud peculiare, quo significatur, vel aptissimum idem praebet commentarium Theophrasti [1]). — Quodsi autem vel IV a. Chr. n. saeculo παίζω significare valebat: τὰ τῶν παιδίων πράττειν, et τῷ τῶν παιδίων τρόπῳ διαλέγεσθαι, facile sane intellegimus, quid statuendum sit de antiquis iis temporibus, cum nondum usu praevalerent significationes illae derivatae 'ludere', 'saltare', 'iocari', similia. Duplicem hunc usum, qui hinc ad agendi illinc ad loquendi partem pertinet, (cf. Grimm s. v. kindeln, dial. bav. et helv. 'kindisch, wie die Kinder, *tun* und *sprechen*') in ceteris quoque notivis inveniemus, posteriorem hunc in iis nimirum praecipue, quae a gentium nominibus ducta sint; de quibus in altera huius disputationis parte plura erunt dicenda. Interim autem notare velim ad ipsius *παΐ̈ζω (seu vet. *παϝίζω) exemplum factum videri ψελλ-ιζω illud parvulorum imprimis proprium.

2. κουρίζω.

Ipsius archetypi sensum priscum et nativum supra posuimus 'plane puerum esse', 'notam prae se ferre puerilem'; cetera et specialia illa ex prisco hoc sensu ultro se explicuerunt. Eandem rationem semanticam in κουρίζω quoque deprehendemus; verum eo paulo intricatiorem, quod ipsius stirpis ac nominis κοῦρος (adde -η) sensus et usus cum pro aetate historiae tum pro ipso dicendi genere varius plures quasi rivulos hic aperuit.

Proficiscemur ex loco Homeri χ 185, ubi primum hoc verbum legitur: σάκος.... ὃ κουρίζων φορέεσκε. De Laerte cum agatur *nunc sene*, idem fere κ. valere apparet, quod κοῦρος ὤν. Verum id tamen interest, quod hoc magis ipsam aetatem indicat, illud vero viva quadam cum evidentia imaginem evocat *iuvenili vigore utentis*. Conferre licet hinc poetae nostrae verba: 'D' olijftack, *groenens nimmer moe*', illinc Catulli illa (4. 25 sq.): 'nunc recondita | *senet* quiete', fere 'senex iacet'.

1) Cf. etiam Seb. Franck, *Concordantie ofte het verseghelde met seven seghelen besloten boeck*, f. 473 v.: 'Ten II segt men: balbus balbitientem (*sic*) rectius intellegis. Alsoo heeft hem Godt vande hoochte nederwaerts begheven, sijn goddelijck verstant dat niemant begrijpen mocht vernedert ende met ons *kindisch gewrest ende ghekalt* ende gants ons verstant geattempereert'.

Digitized by Google

Ita verbum Homeri l. l. poetico demum et historico dicendi genere latine vertere possumus: 'quoad iuvenem se ferebat'.

Ipsius terminationis *-ιζω* vis est eadem apud Apoll. Rhod. *Arg.* 1. 195: *ὥδ' ἔτι κουρίζων περιθαρσέα δῦνεν ὅμιλον | ἡρώων*; scil. Meleager, cui propter id ipsum custos et tutor additur. Sensus ergo: 'tota agendi et sentiendi ratione pueritiae adhuc notam prae se ferens'; cf. Suidam a. v. *κουρίζω*, '*καὶ· τὰ τῶν νέων φρονῶ*'. Ut autem hoc loco de *adulescentuli admodum* imperitia cogitatur, ita ibidem 3. 134 *παιδίου* magis quam *παιδός* notio subest: *Διὸς περικαλλὲς ἄθυρμα | κεῖνο, τό οἱ πείπτε φιλὴ τροφὸς Ἀδρήστεια | ἄντρῳ ἐν Ἰδαίῳ ἔτι νήπια κουρίζοντι, σφαῖραν ἐϋτρόχαλον*. Vides ipso sensu plane hoc congruere cum *παίζω* illo, cuius est analogum; cf. Heracliti illa, quae supra laudavimus, et — quantum ad ipsum *pilae* ludum attinet — praeter verbi graeci *παίζω* sensum specialem (v. c. Hom.) item germ., dial. sueb. 'kindeln, *ein Ballspiel der Knaben*' (Grimm s. v.).

Fieri ergo potuerat, ut *κουρίζω* easdem in partes se angustaret, in quas angustasse se vidimus *παίζω*. Quod quominus factum sit, duae imprimis res obstitisse videntur. Primum enim, ut universe ex collatione *γερόντων* ad omnes *νέους* referri poterat nomen *κούρου*, ita praesertim pertinebat ad ipsos iuvenes significandos; tum vero accedebat, quod a consuetudine cotidiana alienum erat *κοῦρος* (*κόρος*) 'iuvenis, puer', usitata cum esset forma feminini *κούρη* (*κόρη*) 'virgo, puella'. Ex duabus his causis explicandum videtur, quod satis antiqua aetate verbi *παίζω* progenies *κουρίζω* diversas ab exemplari suo vias ingressa sit. Aliter autem cum se gesserit genus activum, aliter medium, de priore illo prius dicendum.

Apud Hesiodum *Theog.* 346 sq. legimus: *τίκτε δὲ θυγατέρων ἱερὸν γένος, αἳ κατὰ γαῖαν | ἄνδρας κουρίζουσι σὺν Ἀπόλλωνι ἄνακτι*, κ. τ. λ.. Sensus hic est, qui a scholiasta ad locum notatur *ἀνατρέφουσιν*. Apparet ex transitivo hoc generis activi usu factum esse, ut sensus intransitivus '*κοῦρος εἶναι*' (schol. *χ* 185), '*τὰ τῶν νέων φρονεῖν*' (Suid.), quem in pueriliter ludendi regionem tendentem supra vidimus altero Apollonii loco [1]), aliquando exprimi coepta sit forma in *-ομαι*, quae

1) Antiquam et epicam consuetudinem referri l. l. consentaneum est.

Digitized by Google

reflexivo sensu transitivorum comes est assidua (v. c. κακίζω, -ομαι). Ita autem cum semel secessissent κουρίζω et κουρίζομαι, illud extra dictionem epicam vix iam in usu mansisse videtur — subiit opinor in locum eius ἀνδρίζω —, hoc vero alterum, cum simplex tum praesertim praefixo ὑπο- auctum, suum in sermone communi locum sibi vindicavit, postquam angustiore sensu referebatur ad ipsam *loquendi* notam κο(υ)ρικήν. Vides et idem et aliud tamen hic factum esse atque in παίζω: hoc enim verbum, ut ad tempus significare poterat π. τῇ φωνῇ, ita plerumque 'ludere' et similia valebat, illud vero a ludendi parte praeter ipsa initia non progressum omnino in φωνῆς provinciam devenit. Accedit autem, quod non universe ad loquendi rationem puerilem referebatur, verum ad ipsas *blanditias* parvulorum proprias, id quod ex eo facile se explicat, quod supra notavimus κο(ύ)ρης nomen aeque usitatum fuisse in sermone communi atque κο(ῦ)ρος insolitum: puellarum autem imprimis propriae sunt blanditiae. Pauca ut afferam exempla, apud Pindarum Pyth. 3. 19 legimus: ἅλικες οἷα παρθένοι φιλέοισιν ἑταῖραι | ἐσπερίαις ὑποκουρίζεσθ' ἀοιδαῖς, 'blandula voce edere'. Ut hic de ipsis [1]) puellis compositum, ita simplex (ἐκορίζετο) apud Aristophanem *Nub.* 68 de matre filiolo blanda voce describenti, quae gaudia eum maneant adultum. Specialem denique usum compositi 'blandiuscule appellare' > 'deminutivis — quocumque animo — uti' breviter tantum memorare satis habemus; medium fere est exemplum Theophr. *Char.* 20. 5, ubi ἀηδής ille infantem bracchiis tenens 'ὑποκορίζεσθαι' dicitur 'ποππύζων καὶ πανουργίαν [2]) τοῦ πάππου καλῶν'.

---

1) Cf. Herodian. II 858, ubi cum de 'hypocoristicis' quae speciali sensu dicuntur, agitur eorum usus cum ad alia refertur, tum ad: τὸ πρέπον, ὡς παρ' Ἀλκμᾶνι εὕρομεν τὰς παρθένους ὑποκοριστικοῖς χρωμένας. — Ad puellarem quam Pindarus respicit, carminum nuptialium indolem cf. Sapph. 103 (51) Hill. Crus. ∞ carm. pop. 23 (ibid.); in alio argumento hoc postremum simile tamen.

2) Omnino recte Foss pro -ιῶν. Miror W. Ruge, ed. Lips. p. 160, ad hanc coni. adnotare: 'Was das hier heissen soll, lässt sich natürlich nicht ausmachen'. Conferre potuerat *germ* 'Schelm', *saxon.* 'Luder' blandiendi causa dicta (Paul, *Princip.* p. 101); convicia ea, quibus homines de plebe apud nos parvulis blandiuntur, magnam partem horribilia sunt auditu; satis moderatum v. c. est, 'lekkere kleine smeerlap', quod in angiportis auditur.

Digitized by Google

Breviter ut eorum, quae in παίζω et κο(υ)ρίζω, -ομαι notavimus, summam comprehendamus, hanc proponere licet significationum intr. seriem: δεῖνα (i. e. δειν-ικος) εἰμι· τὰ τοῦ δεῖνα πράττω, Φρονῶ, τῷ τοῦ δεῖνα τρόπῳ διαλέγομαι, cuncta pro re ac pro tempore modo de ipso, quatenus *suam* dat notam, modo de altero, quatenus similem se praebet contemplanti.

(Continuabuntur).

Digitized by Google

APULEIANA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I.f.

Prioribus meis ad Apuleium animadversionibus, quas partim in Mnemosyne [1]) partim in ephemeride c. t. Revue de l'Instruction publique en Belgique [2]) evulgavi [3]), nunc nova quaedam observata addam.

Incipiendum est a loco satis infami, ubi auctor depingit, quemadmodum duae strigae Socratis cuiusdam dormientis cor e corpore extrahant eiusque comiti, quem arte magica subversum sub grabatum suum subiecerunt, impudentissime insultent. Hunc Socratis amicum Apuleius inducit fabulam narrantem hisce verbis:

Met. I 13 (p. 12, 15 Helm) haec ego meis oculis aspexi. nam etiam, ne quid demutaret, credo, a victimae religione, immissa dextera per vulnus illud ad viscera penitus cor miseri contubernalis mei Meroe bona scrutata protulit, cum ille impetu teli praesecata gula vocem, immo stridorem incertum per vulnus effunderet et spiritum rebulliret. quod vulnus, qua maxime patebat, spongia effulciens Panthia: „heus tu", inquit, „spongia, cave in mari nata per fluvium transeas". his editis *abe* una remoto grabattulo varicus super faciem meam residentes vesicam exonerant, quoad me urinae spurcissimae madore perluerent.

Tres illae litterae *abe* multum viros doctos vexarunt, mihi videntur ortae esse ex *aue*, quae scriptura et ipsa nata est ex *alte*; possumus ergo has mutationes repraesentare hac figura, *alte* > *ave* > *abe*.

1) Vol. 34—37 (1906—1909). 2) Vol. 50 (1908).
3) Vide etiam Miscell. Tert. cap. II (p. 19—22).

Digitized by Google

Facile igitur genuinam lectionem recuperavimus: *alte* una remoto grabattulo. Sed cur *alte* removerunt grabattulum? Putandum est nimirum illas veneficas magna potestate magica praeditas sine ullo negotio „testudinem" Socratis sodalis levasse tamquam crepundia. Vox *alte* scilicet venuste iocum auget.

Adiectivum *altus* et adverbium *alte* saepissime leguntur apud nostrum e. g. Met. I 16 de *alto* residens; I 18 cicatrix tam *alta*; III 7 paulo *altius* aspectu relato conspicio; III 10 quae (sc. indignatio) inhaeserat *altius* meo pectori; II 32 *altissime* demergo cet.

Multus est auctor in describenda Byrrhenae domo picturis muralibus et statuis marmoreis splendidissime ornata. Legimus enim:

Met. II 4 inter medias frondes lapidis Actaeon simulacrum curioso optutu in deam *sum* proiectus, iam in cervum ferinus et in saxo simul et in fonte loturam Dianam opperiens visitur.

Illud *sum* recte editor cancellavit, sed requiritur restitutio integrae lectionis, quae prompta mihi quidem videtur. Actaeon videlicet summa admiratione Dianae pulchritudinis motus inclinat corpus, ut melius et quasi magis e propinquo divino decore fruatur. Scribendum ergo:

curioso optutu in deam *pronus* proiectus e. q. s.

Compendium scripturae pro priore syllaba verbi *pronus* origo vitii fuit. Commendatur mea emendatio allitteratione, figura Apuleio acceptissima. Conferamus II 10 *pronus* in eam; praesertim autem translato sensu usurpatur hoc adiectivum e. g. VIII 11 *pronus* spei; II 10 *prona* cupidine; III 14 *prona* libidine; meritissimo igitur Helm cum Leone restituit II 16 ⟨*pronus*⟩ ad libidinem. Praeclarum exemplum allitterationis praebet VI 11 unici cubiculi custodia clausus coercebatur.

Lucius qui praecipue in Thessaliam venit, ut miracula et fabulas cognosceret, sic secum loquitur:

Met. II 6 „age", inquam, „o Luci, evigila et tecum esto. habes exoptatam occasionem: ex voto diutino poteris fabulis *miseris* explere pectus".

Digitized by Google

In *miseris* [1]) delitescere, *miris* iam Wower perspexit, sed nihilne aliud latet? Quis credat librarium in vocabulo *miris* [2]), quod sescenties in Metamorphoseon libris occurrit, errasse? Mihi persuasum est *miseris* quasi contaminatum esse e duobus verbis nempe *mere miris*.

Apuleius *ἀρχαισμοῦ* sectator videtur Cassium Heminam imitatus esse, qui scripsit: homo *mere* litterosus [3]).

Ceterum adiectivo *merus* satis frequenter utitur noster e. g. IV 22 vino *mero*; II 23 nugas *meras* cet.

Supellex pretiosa et totus apparatus lauti convivii apud Byrrhenam habiti nobis sic describuntur:

Met. II 19 mensae opipares citro et ebore nitentes, lecti aureis vestibus intecti, ampli calices variae quidem gratiae, sed pretiositatis unius. hic vitrum fabre sigillatum, ibi crustallum impunctum, argentum alibi clarum et aurum fulgurans et sucinum mire cavatum et lapides *ut bibas* et quicquid fieri non potest ibi est.

Lapides ut bibas ne ipsi quidem editori sana videntur, quippe qui dubitanter proponat: *lapides vividos*. Si mecum reputo pro *bibas* antea exaratum esse *vivas*, probabile existimo intercidisse participium *invitantes*. Repone ergo: et lapides *ut bibas invitantes*.

Cf. Cic. de fin. V 17 constitit autem fere inter omnes id, in quo prudentia versaretur et quod assequi vellet, aptum et accommodatum naturae esse oportere et tale, ut ipsum per se *invitaret* et alliceret appetitum animi e. q. s.; de senect. 57 brevi praecidam: agro bene culto nihil potest esse nec usu uberius nec specie ornatius; ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam *invitat* atque adlectat senectus.

Die deo Risus sacrato Lucius magnopere ludibrio habitus est ita ut spectatores laetitia exsultarent, qua de re auctor narrat haec:

---

1) Birt (Philol. 83 (1927) Marginalien zu lateinischen Prosaikern p. 164—182) coniecit: fabulis *tibi ceris* explere pectus!

2) In uno capite duodecimo secundi libri ter invenitur.

3) Cf. Peter Hist. Rom. fragm. Cass. Hem. III 28 (p. 72).

Digitized by Google

Met. III 10 tunc ille quorundam astu paulisper cohibitus risus libere iam exarsit in plebem. hi gaudii nimietate *gratulari*, illi dolorem ventris manuum compressione sedare et certe laetitia delibuti meque respectantes cuncti theatro facessunt.

Nuper Damsté [1]) pro *gratulari* substituere voluit *gravidari*, at Kronenberg [2]) *ora luxari*, quae coniecturae quamquam aliorum propositis praestant, tamen non placent. Prima enim pars hominum qui aderant, non iam ridebant, neque cachinnabantur, sed imitabantur gallinas, quarum sonitus vocatur *gracillare*. Cf. Forcellini (p. 388) *gracillo* idem ac glocio, proprium vocis gallinae, a sono. Auct. carm. de Philom. (i. e. Anthol. Lat. 762) vs. 25

cucurrire solet gallus, gallina gracillat [3]).

Itaque contendo Apuleium posuisse: hi gaudii nimietate *gracillare*, librarium autem ultimum vocabulum mutasse in *gratulari*.

Ipsa Fotis a Lucio amata confitetur se imprudentem eum ludificasse, ipsius auctoris verba haec sunt:

Met. III 13 singula maestus recordabar, quoad tandem Fotis mea dominae suae cubitu procurato sui longe dissimilis advenit; non enim laeta facie nec sermone dicaculo, sed vultuosam frontem rugis insurgentibus adseverabat. cunctanter ac timide denique sermone prolato: „ego", inquit, „ipsa, confiteor ultro, ego tibi huius molestiae ⟨*causa*⟩ fui" e. q. s.

Vulgo addunt *causa*, verum dubito num haec vox ab auctore profecta sit, cum in capite nostro id verbum bis occurrat et legatur initio subsequentis (p. 62 vs. 4, 7, 10). Quoniam autem invenimus Met. VII 9 malae conscientiae *reatum* intra me sustinebo, nostro loco restituendum censeo: confiteor ultro, ego ⟨*rea*⟩ tibi huius molestiae fui. Post syllabas praecedentes: *tro ego* vox *rea* facile excidere potuit. Cf. III 3 habetis itaque *reum* tot caedibus impiatum, *reum* coram deprensum, *reum* peregrinum.

1) Mnemos. 56 (1928) p. 10. 2) Ibid. p. 51.

3) Sic edidit etiam Meyer, at fatendum est in Thes. L. L. (Vol. IV p. 8) scribi cum editione Riesiana *cacillat*, quamquam *gracillat* commendatur allitteratione. De orthographia ergo restat controversia, de lectione ipsa, ut mihi quidem videtur, non ita.

Digitized by Google

Fotis Lucio probat dominam suam deperire iuvenem quendam Boeotium, deinde sic pergit:

Met. III 16 hunc iuvenem cum e balneis rediret ipsa, tonstrinae residentem hesterna die forte conspexit ac me capillos eius, qui iam caede cultrorum desecti *humidi* iacebant clanculo praecepit auferre.

Pro *humidi* Vlietius in editione sua recepit: *humi dispersi*, at Damsté [1]) coniecit *humi sucidi*, equidem pro *di* requiro *densi* (i. e. *dēsi*), quod post praecedens *desecti* corruptum puto.

Extrema oratione sua Fotis Lucium comparat cum Aiace et finem facit loquendi hisce verbis:

Met. III 18 ut non homicida nunc, sed utricida *amplecterer*[*es*]. (cap. 19) *at si* lepido sermone Fotidis et in vicem cavillatus: „ergo igitur iam et ipse possum", inquam „mihi primam istam virtutis adoriam ad exemplum duodeni laboris Herculei numerare vel trigemino corpori Geryonis vel triplici formae Cerberi totidem peremptos utres coaequando.

Apparet in fine prioris et initio huius capitis aliqua esse turbata. Walter [2]) et Damsté [3]) lectionem haud spernendam excogitaverunt *arrisi* (pro *at si*). Verum etiam ultima vox capitis duodevicesimi ad mendum videtur pertinere, quapropter propono:

amplecterer. *sat risi* lepido sermone Fotidis,

quae verba Batave verto: hartelijk moest ik lachen om het kostelijk verhaal van Fotis. Mihi constat in exemplari Graeco scriptum fuisse ἐγέλασα κτλ. cf. Arist. Equit. 697

ἥσθην ἀπειλαῖς, ἐγέλασα ψολοκομπίαις,

ubi Kock observat: eine groszartige Anwendung dieses Aorists.

Quod attinet ad *sat*, concedendum est Apuleium *satis* solere usurpare, tamen recte videtur Baehrens id adverbium revocasse de deo Socrat. 23 (p. 34, 10 Thom.) *sat* Prothaonio gloriae est, qui talis fuit, ut eius nepotem non puderet [4]).

---

1) Mnemos. 56 (1928) p. 11.

2) Cf. Berl. Phil. Woch. 22 Jan. 1916.

3) Mnemos. 56 (1928) p. 11.

4) Rhein. Mus. 67 (1912) p. 119. In codicibus exaratum est *sate*. Ceterum legimus Met. VI 28 et tu, Fortuna durior, iam saevire desiste, *sat* tibi miseris istis cruciatibus meis litatum est.

Digitized by Google

Charite, Tlepolemi sponsa, a latronibus ipso nuptiarum die captiva ad speluncam suam abducta erat, ubi ab anu custodiebatur. Hic misera mulier suam queritur fortunam adversam; auctor enim nos docet haec:

Met. IV 24 lamentata sic et animi dolore et faucium tundore et corporis lassitudine iam fatigata marcentes oculos demisit ad soporem. 25 at commodum coniverat nec diu, cum repente lymphatico ritu somno recussa ..... longeque vehementius adflictare sese et pectus etiam palmis infestis tundere et faciem illam luculentam verberare incipit.

Viri docti varie lacunam explere sunt conati. Potestne proponi quod sententiae et rationi palaeographicae accommodatius sit quam *plangi*?

Met. V 5 ea nocte ad suam Psychen sic infit maritus-namque *praeter oculos* et manibus et auribus *ius* nihil sentiebatur.

Modo [1]) Beyte defendit hanc lectionem: praeter *osculis* et manibus et auribus *visu* nihil sentiebatur. Observo Vlietium iam edidisse: praeter *osculis* .... *istius* nihil sentiebatur, me autem ante undecim annos proposuisse: namque [*praeter oculos*] et manibus et auribus — *visu nihil* — sentiebatur [2]). Etiam nunc credo sic Apuleio me sua reddidisse.

Gavia dominam suam certiorem facit de Amoris valetudine, qui aeger ex vulnere in Veneris thalamo cubabat. Ipsa dea in Oceani profundo degebat, ei autem nuntia refert haec:

Met. V 28 iamque per cunctorum ora populorum rumoribus conviciisque variis omnem Veneris familiam male audire, quod ille quidem montano scortatu, tu vero marino natatu secesseritis ac per hoc non voluptas ulla, non gratia, non lepos, sed incompta et agrestia et horrida cuncta sint, non nuptiae coniugales, non amicitiae sociales, non liberum caritates, sed .... enormis eluvies et squalentium foederum insuave fastidium.

In lacuna ubi Vlietius iure meritoque genetivum desiderat

1) Phil. Woch. 3 März 1928 col. 283.

2) Vide mea Miscella Tertia (1917); Cap. II Apuleima; p. 19. Wiman (Textkritiska studier till Apuleius Göteborg 1927) pro *praeter oculos* substituit *praeter oculas*.

Digitized by Google

scribendum est *sordium* cf. I 7 (ubi eadem locutio legitur sensu proprio) et ilico lavacro trado, quod unctui, quod tersui, ipse praeministro, *sordium* enormen *eluviem* operose effrico.

Notissimum est Apuleium saepe easdem dictiones repetere e. g. eximie metuens I 19, III 5;
salubri consilio IV 19; salubre consilium X 7;
clausis obseratisque foribus IX 2 et 5;
prolixe pollicetur X 4; prolixe adcumulateque pollicetur X 27;
longule dissita Met. IX 15; Florid. II (p. 2, 8 Helm.) cet.

Recte igitur Vlietius revocavit III 14 ⟨*fortunae*⟩ scaevitas motus VII 3 de Fortunae scaevitate.

Ceterum *sordium eluvies* genetivus est inhaerentiae, cuius multa in Apulei operibus inveniuntur exempla:
Met. IV 31 oras reflui litoris [1]) petit;
tria exempla praebet Met. V 27 saxa cautium; vindictae ... poena; mortis exitium;
de deo Socrat. 19 (p. 29, 7 Thom.) Ilissi amnis modicum fluentum;
(Asclep. 26 (p. 64, 3) laudum praeconiis);
de Plat. I 11 (p. 95, 1) ceterasque siderum stellas;
de Plat. I 12 (p. 95, 18) ad fati sortem; ibid. p. 96, 7 ad aevitatem temporis;
de Plat. II 3 (p. 105, 15) cum nascendi origine ... educationis disciplina.

Apulei verba modo allata excipiunter hisce:

Met. V 28 haec illa verbosa et satis curiosa avis in auribus Veneris *filium* lacerans existimationem ganniebat.

Ad coniecturas ab Helmio in apparatu critico commemoratas addo Walteri suspicionem [2]): *fili multum* lacerans existimationem.

Ego memor Apuleium nimis indulsisse deminutivorum usui credo eum posuisse: *filioli* lacerans existimationem. In Metamorphoseon libris occurrunt 136 substantiva deminutiva [3]),

1) Schmalz Lat. Gramm. p. 362 Anm. 2. — Médan (La Latinité d'Apulée dans les Metamorphoses, Paris 1925) de hoc stili artificio prorsus tacet!

2) Berl. phil. Woch. 22 Jan. 1916.

3) Cf. Bernhard (Der Stil des Apuleius von Madaura, Stuttgart 1927) p. 136; Médan enumerat multa exempla (p. 134—137), at Koziol (Der Stil des L. Apuleius, Wien 1872) omnia (p. 260—266).

Digitized by Google

quorum nonnulla ter quaterve iterantur, ita ut omnino plus quam trecentae formae deminutivae ibi offendantur.

Ceres et Iuno Veneris irae moderari conantur, ipsius autem auctoris verba sunt haec:

Met. V 31 tunc illae *ignarae*, quae gesta sunt, palpare Veneris iram saevientem sic adortae: „quid tale, domina, deliquit tuus filius, ut animo pervicaci voluptates illius impugnes et, quam ille diligit, tu quidem perdere gestias?

Fieri non potest quin *ignarae* depravatum sit, nam probe sciebant illae deae quae gesta erant, id quod Venus ipsa confitetur verbis proxime antecedentibus: nec enim vos utique domus meae famosa fabula et non dicendi filii mei facta latuerunt. Quam ob causam edendum censeo tunc illae *pergnarae*, quae gesta sunt e. q. s. motus Apolog. 26 (p. 30, 13) auditisne magiam ... artem esse dis immortalibus acceptam, colendi eos ac venerandi *pergnaram*, piam scilicet et divini scientem e. q. s.

Compendium scripturae pro *per* facile ante *g* abire potuit in *i*.

Met. VI 1 *videt* spicas frumentarias in acervo et alias flexiles in corona et spicas hordei *videt*.

Sunt qui alterum *videt* deleant, etsi de industria noster eiusmodi verborum collocationes quaerit, praeterea non stili brevitati studet, immo adamat copiosum genus dicendi.

Eo magis tueor traditam lectionem V 21 nox *aderat* et maritus *aderat* priusque Veneris proeliis velitatus altum soporem descenderat.

Hic repetitio verbi *aderat* gravitatem designat, nam nox venit, qua Psyche cognoscet quis sit ille amator: tamquam περιπάτειᾳ depingitur illius vocis iteratione [1]).

Magna cum emphasi consolatur ipsa dea Isis Lucium hisce verbis, de quorum integritate non licet dubitari:

Met. XI 5 *adsum* tuos miserata casus, *adsum* favens et propitia *mitte* iam fletus et lamentationes *omitte*.

Ergo anaphora excipitur quasi chiasmo quodam!

1) Aliis argumentis defendit traditam memoriam Thomas Mnemos. 49 (1921) p. 49 sq.

Digitized by Google

Servanda igitur est codicum scriptura cum editore: de deo Socrat. II (p. 8, 9) est aliud deorum genus, quod natura visibus nostris denegavit, nec non tamen intellectu eos rimabundi *contemplamur* acie mentis acrius *centemplantes*.

Denique cum Baehrensio [1]) clausulae gratia retineo codicum lectionem Ascl. 22 (p. 58, 21) (vigor ipse) ordinem necessitatis *lege* conscriptum aeterna *lege* constituit.

De Charite viva in asini ventrem condenda cum alia refert auctor tum haec:

Met. VI 32 sed et ceteras eius aerumnas et tormenta numerate; mortuae bestiae ipsa vivens ventrem habitabit, tum faetore nimio nares aestu ... et inediae diutinae letali fame tabescet nec suis saltem liberis manibus mortem sibi fabricare poterit.

Post *aestu* Helm coll. Λούκ. ἢ Ὄν. 25 *cruciante vexabitur* inseruit, equidem requiro tantum *marcescent* [2]). Persaepe Apuleius utitur adiectivo *marcidus* e. g. I 15 ille *marcidus* et semisopitus; I 17 *marcidum* alioquin me; II 17 *marcidis* artubus; III 14 oculos .... prona libidine *marcidos*; V 22 *marcido* pallore; frequenter etiam occurrit participium *marcens* e. g. IV 24 *marcentes* oculos (*marcentibus* oculis V 25); XI 3 *marcentem* animum; denique *marcescendi* verbum habes X 28 nec ille vir, aloquin exercitus, tam multiforme facinus excetrae venenatae dilatione languida passus *marcescere* cet.

Tlepolemum a latronibus ducem esse electum discimus ex hoc loco:

Met. VII 9 nec mora nec cunctatio, sed calculis omnibus ducatum latrones unanimes ei deferunt vestemque lautiusculam proferunt, sumeret abiecto centunculo *divite*.

Quantocius pro *divite* repone *vili*; cf. IV 23 nullam quidem prorsus sarcinam vel omnino, licet *vilem*, laciniam ferentes; II 5 minus morigeros et *vilis* fastidio in saxa ... reformat; X 23 vilis anquiritur aliqua sententia praesidis bestiis addicta cet.

Wiman [3]), qui re vera non pauca invenit nova aliaque recte

1) Rhein. Mus. 67 (1912) p. 121. Goldbacher alterum *lege* retinuit, at Thomas cancellavit.

2) Post *nares aestu* haplographia *marcescent* videtur omissum esse.

3) Textkritiska studier till Apuleius (Göteborg 1927) p. 51.

Digitized by Google

observavit, *debite* (fere i. q. *ut decet*) proposuit adverbium nimis quaesitum Apuleio obtrudens.

Post syllabam *lo* facile oriri potuit littera *d*, ex *dvili* deinde *divite* factum esse a librario puto.

De dura sorte sua queritur Lucius sic:

Met. VII 18 nullum quidem defesso mihi ferebat auxilium, sed occipiens a capite, immo vero et ipsis auribus totum me compilabat *cidit* fusti grandissimo, donec fomenti vice ipsae me plagae suscitarent.

Neque hic Wimano, qui rationem extremam secutus *cidit* delet [1]), assentiri possum. Damsté coniecit *ad exitium* [2]) equidem in *cidit* reliquias agnosco adverbii *identidem*, quod sententia flagitat. Observo ab hoc verbo novum folium codicis F incipere, quae res et ipsa fortasse fecit, ut librarius peccaret.

Identidem crebro noster adhibet IX 9 *identidem* urgenti sermone comprimunt; IX 40 *identidem* comminabatur; IX 42 fidem Caesaris *identidem* implorantium XI 19 *identidem* mecum reputans; XI 28 *identidem* numinis premebar instantia cet.

Deliberatur de asino occidendo:

Met. VII 23 sed quidam de coetu illo rusticorum: „nefas", ait, tam bellum asinum sic enecare et propter luxuriem lasciviamque amatoriam .... *tus* opera servitioque tam necessario carere, cum alioquin exsectis genitalibus possit neque in venerem nullo modo surgere nosque omni metu periculi liberare.

In Φ post *amatoriam* scriptum exstat *criminatum*, in F plures litterae evanuerunt, quas prima manus exaraverat, verum alia manus videtur superscripsisse *criminatum*. Itaque si ultimas litteras vocis praecedentis una cum participio tradito ante oculos legentium pono:

iācriminatū

veram lectionem īanēreatū i. e. *inanem reatum* detegere mihi videor; cf. VII 9 malae conscientiae *reatum* [3]) intra me

1) l. l. p. 53 sqq. 2) Mnemos. 56 (1928) p. 21.

3) Hoc vocabulum legitur IX 30 sensu *vestis lugubris*, id quod Wimanum fugisse videtur, cum proposuerit scribendum *fletu*.

Digitized by Google

sustinebo. Apuleius, quippe qui aliquamdiu Romae patronus causarum fuerit, adamat terminos ad ius pertinentes [1]).

Met. VIII 1 equisones opilionesque, etiam busequae, fuit Charite nobis *qui* misella et quidem casu gravissimo nec vero incomitata Manis *adivit.*

Helm pro codicum lectione *qui* (per compendium scriptum) recepit *quae*, sed sententia relativa certe ab Apuleio non est profecta. Refinge:
fuit Charite nobis ⟨*us*⟩*que* misella e. q. s. Cf. IX 39 licet privato suis possessionibus paupere fines *usque et usque* proterminaveris; de Plat. I 15 (p. 100, 6) exhaustis et labentibus *usque* cet.

Notandum est auctorem formam *adivit* adhibuisse, ut bonam clausulam consequeretur – ∪ – – ∪ – ⏑.

Met. VIII 9 ecce rursus *imperoriudae* voluptatis detestabilis petitor aures obseratas de nuptiis obtundens aderat.

Wiman [2]) initium saltem mutilatae scripturae recte extricavit, in altera parte res ei minus feliciter cessit: scribendum nempe est *imperio rabidae voluptatis*; cf. X 19 vaesanae libidini medelam capiens; Senec. Epist. 99, 24 concitatus ... est amor et paene *rabidus.*

Apuleius variationem amat, nam nostro loco ponit merum ablativum (*imperio*), at VIII 11 *ex imperio* Charites et paulo infra in eodem capite *de iussu* dominae.

Met. VIII 10 nec isto sermone Thrasyllus sobriefactus vel saltem tempestiva pollicitatione recreatus identidem pergit *linguae satiati* susurros improbos inurguere.

Helm pro corrupta lectione edidit *lingua aestuanti*, at Beyte proposuit [3]) *linguae salacis*, equidem restituo *linguae fatuantis*, cf. Apolog. 24 apud socordissimos Scythas Anacharsis sapiens natus est, apud Athenienses catos Meletides *fatuus.*

---

1) Vide Fritz Norden, Apuleius von Madaura und das römische Privatrecht (Leipzig 1912), passim. Médan p. 251 sqq.

2) l. l. p. 61 sq. proposuit: *imperio orbidae* voluptatis.

3) Cf. Phil. Woch. 27 Juni 1925.

Digitized by Google

Met. VIII 26 haec audiens iam *mea* futuras novas cogitabam aerumnas.

Pro *mea*, quod est in F, Helm recepit lectionem codicis Ω *meas*, sed in apparatu critico rogat, num sit legendum *mente mea*. Equidem exspectaverim *mecum* cf.

Ter. Eun. 629 dum rus eo coepi egomet *mecum* inter vias
ita ut fit, ubi quid in animost molestiae,
aliam rem ex alia *cogitare*.

Serv. apud Cic. ad fam. IV 5, 4 coepi egomet *mecum* sic *cogitare cet.*

Sacerdotes deae Syriae sorte quadam excogitata omnibus consulentibus montes auri promittebant e. g.

Met. IX 8 si qui de profectione sollicitus divinum *caperetur auspicium*, iunctos iam paratosque quadripedum cunctorum mansuetissimos et lucrum promitti de glebae germine.

Caperetur ab editore mutatum est in *caperet*, sed et *auspicium capere* insolite dictum est. Nonne scribendum est *auspicaretur auspicium*, cum in tota hac re enarranda auctor εἰρωνείᾳ utatur? Invenimus complures figuras etymologicas apud nostrum e. g.

Met. VII 22 victimamus hostiam;
Apolog. 24 (p. 28, 4) vitam vivere (redit de Plat. II 16 (p. 118, 17);
de Plat. II 19 (p. 122, 2) viam vadunt;
de Plat. II 25 (p. 129, 19) matrimonia maritanda cet.

Met. IX 21 „at te", inquit, „nequissimum et periurum caput, dominus iste tuus et cuncta caeli numina, quae deierando temere *devorasti*, pessimum pessime perduint.

Multi offenderunt in voce *devorasti*. Wiman [1]), proposuit *deonorasti* equidem praetulerim *dedecorasti*, cum saepe Apuleius usurpetur substantivum *dedecus* e. g. IV 7 busti cadaver extremum et vitae *dedecus*; IX 23 matrona .... turpissimo se *dedecore* foedavit;
de Plat. II 3 (p. 105, 22) plena ... dedecoris ac turpitudinis cet.

Nihil obstat quod *dedecorasti* clausulam efficit heroicam, quae in Metamorphosesi perfrequens est [2]) neque in ceteris Apulei

1) l. l. p. 65. 2) Médan p. 271 sqq.

Digitized by Google

libellis deest e. g. I 15 ut pro te moriamur; II 5 in ... chaos submergere novit; VI 11 malo placuisti cet. Maioris momenti sunt polysyllabae, quae eiusmodi clausulam constituunt III 5 adgrediamur; XI 7 obsibilabant; Florid. 9 (p. 12, 19) commemoravi cet.

Met. X 30 adest luculentus puer nudus, nisi quod ephebica chlamida sinistrum tegebat umerum, flavis crinibus usquequaque conspicuus, et inter comas eius aureae pinnulae *cognatione* simili sociatae prominebant; quem caduceum et virgula Mercurium indicabant.

Ex hac descriptione sequitur ut Mercurii pinnae imitentur eius capillos sive potius ut congruae sint. Hoc enim sibi vult illud *sociatae*, verum fieri non potest ut pinnae et coma inter se sint iunctae. Pro *cognatione*, quod necessario corruptum est, substituo *configuratione* (sensu proprio). Translate dixit Tertullianus de pudic. 8 (p. 234, 13 Reiff. et Wiss.) si Iudaicum ostendero deficere a comparatione filii maioris, consequenter utique nec Christianus admittetur de *configuratione* filii minoris. Noster autem haud raro verba ponit sensu proprio e. g. debilitatio (II 30), offensaculum (IX 9), turbela (III 20 cet.), inclemens X 112, tolerare III 8 cet. [1]).

Ex asino Isidis indulgentia Lucius homo renatus est, quem iam conveniunt famuli, de qua re legimus haec:

Met. XI 20 et ecce superveniunt Hypata quos ibi reliqueram famulos, cum me *Fotidis* malis incapistrasset erroribus, cognitis scilicet fabulis meis.

Fotidis editor mutavit in *Fotis*, at Walter [2]) scribere voluit: cum me ⟨*factum*⟩ Fotidis e. q. s. Equidem non dubito restituere: cum me Fotidis ⟨*malitia*⟩ malis incapistrasset erroribus, cf. Florid. 22 (p. 43, 2) eas omnes pestes mentibus exegit (sc. Hercules), familias purgavit, *malitiam* perdomuit et Plaut. Aul. 215 certe edepol equidem te civem sine *mala* omni *malitia* semper sum arbitratus et nunc arbitror.

1) Médan p. 163—165 agit de „Mots employés par Apulée au sens propre, alors qu'ils sont ordinairement pris au sens figuré.

2) Berl. phil. Woch. 22 Jan. 1916.

Digitized by Google

Cf. etiam Met. XI 22 noctis *obscurae* non *obscuris* imperiis evidenter monuit.

Ad Apologiam.

Apolog. 4 (p. 5, 15) licere etiam philosophis esse voltu liberali; Pythagoram, qui primum se esse philosophum nuncupavit, eum sui saeculi excellentissima forma fuisse; item Zenonem illum antiquum Velia oriundum, qui primus omnium ... sollertissimo artificio ambifariam dissoluerit.

Aptissime contulit Vlietius Florid. 18 (Protagoras) anceps *argumentum* ambifariam proposuit. Tamen nostro loco videtur potius vocabulum Graecum omissum esse ante *sollertissimo* nempe *syllogismum*.

Apolog. 28 (p. 33, 15) quae si omnia palam et dilucide ostendero, tunc denique te, Claudi Maxime, et omnis qui adsunt contestabor puerum illum Sicinium Pudentem privignum meum, cuius obtentu et voluntate a patruo eius accusor, nuperrime curae meae *eruptum*.

Quin peritissimus editor in tertia sua editione *eruptum* codicis scripturam revocaturus sit nullus dubito. Ad ea quae Wackernagel observavit, addenda sunt quae Löfstedt disputavit [1]) afferens Amm. Marc. XV 5, 36 idque scrutari iusserat artius interrogato Remigio ... cui multo postea Valentiniani temporibus, laqueus vitam in causa Tripolitanae legationis *erupit* (ubi ne recens quidem editor Clark traditam lectionem cursu qui vocatur commendatam recepit); XXX 5, 18 nocteque quam lux *eruptura* eum vita secuta est (ubi Gardthausen utique codices secutus est); Commodian. Instr. II 24, 4

dona iniquorum non probat Altissimus, inquit.
erumpis [2]) miseris, dum fueris locum adeptus.

Apolog. 75 (p. 85, 3) homo iustus et *morum*.

Nulli hodie hic genetivas est suspectus [3]). De eiusmodi genetivis, quibus Sidonii Apollinaris epistulae abundant, egi

1) Beitr. zur Kenntnis der späteren Latinität p. 62 sqq.
2) Cf. Brakman, Opstellen II (1926) p. 253.
3) Schmalz Lat. Gramm. p. 364 Anm. 6.

Digitized by Google

antea [1]). Wiman praeclarum exemplum attulit [2]) nempe C. I. L. VIII 1978 Pompeia Margarita *morum* ac pudicitia nova.

Ad librum de deo Socratis.

de deo Socrat. 3 (p. 10, 8) in qua (sc. terra) praecipuum animal homines sumus, quamquam plerique se incuria *velle* disciplinae ita omnibus erroribus ac piacularibus depravaverint e. q. s.

Pro *velle* Thomas recepit *verae*, sed nescio an Apuleius voluerit: incuria *levi*.

de deo Socr. 8 (p. 15, 15) Aristoteles auctor est in fornacibus flagrantibus quaedam *propria* animalia pennulis apta volitare totumque aevum suum in igni deversari, cum eo exoriri cumque eo extingui.

Editor pro *propria* substituit parvula, equidem praetulerim *priva*, quam vocem Thomas ipse luculenter nos docuit [3]) Apuleium a Lucretio mutuatum esse; cf. de deo Socr. 16 (p. 25, 19) hic, quem dico, *privus* custos, singularis praefectus, domesticus speculator e. q. s.

Ad Asclepium.

Ascl. 26 (p. 63, 14) haec et talis senectus veniet mundi: inreligio, inordinatio, inrationabilitas bonorum omnium, cum haec cuncta contigerint, o Asclepi, tunc ille dominus et pater, deus primipotens et unius gubernator dei intuens in mores factaque *voluntaria* voluntate sua, quae est dei benignitas e. q. s.

Editor ipse perspexit [4]) in altera parte vocabuli corrupti *voluntaria* latere *nefaria*; equidem ex eius initio elicio *ultro*; restituendum ergo est: intuens in mores factaque *ultro nefaria*.

Quamquam constat non Apuleium auctorem esse opusculi c. t. Asclepius, tamen haec exempla licet conferri. Met. IX 23 *nefarium* et extremum facinus; III 13 confiteor *ultro*; X 3 rogat *ultro*; XI 13 *ultro* porrecta dextera cet.

---

1) Mnemos. 48 (1920) p. 99.

2) Eranos 23 (1925) p. 177 sqq. Textkritiska studier till Apuleius.

3) Remarques critiques sur les oeuvres philosophiques d'Apulée; 4e Série 1900 (Extrait des Bull. de l'Acad. roy. de Belgique) p. 15 sive 511.

4) Mnemos. 49 (1921) p. 61.

Digitized by Google

de Plat. I 15 (p. 99, 14) sed totius corporis habitus et figura membrorum alia condicione sunt optima, alia longe peiora. inferiora reguntur optimatium praestantia et ipsa ministerium suggerunt victuale. pedes *denique* umerorum tenus capiti oboediunt.

Post *denique* Thomas lacunam significavit, mihi omnia sana videntur, si legimus *indeque*.

Ne quis offendatur particula *que* cum syllaba brevi copulata legentes admoneo exempli paulo supra allati Amm. Marc. XXX 5, 18 *nocteque* quam lux eruptura eum vita secuta est; etiam Apolog. 72 (p. 80, 9) cum in hoc statu res esset inter procationem matris et metum filii, *fortene* an fato ego advenio pergens Alexandream.

De Plat. II 3 (p. 105, 16) doctoresque puerorum nihil antiquius curare oportet, quam ut amatores virtutum velint esse, moribus, institutis eos ad id *prorsus* imbuere, ut regere et regi discant magistra iustitia. quare praeter cetera induci ad hoc eos oportere, ut sciant, quae sequenda fugiendaque sint, esse honesta et turpia, ⟨plena⟩ [1]) illa voluptatis ac laudis, *hactenus* dedecoris ac turpitudinis.

Pro *hactenus* Lofstedt [2]) proposuit *haec denuo*, sine dubio pronomen *haec* neccssarium est, ut *illa* habeat cui opponatur, verum *hactenus* quam sanissimum est, significat autem *prorsus*, *in totum*. Reddamus ergo Apuleio: plena illa voluptatis ac laudis, ⟨*haec*⟩ *hactenus* dedecoris ac turpitudinis. Hic auctor *prorsus* non posuit, cum paulo superius id adverbium occurrat.

Helm rectissime in apparatu critico Met. III 20 ad: omnibus abiectis amiculis *hactenus* denique intecti atque nudati-observat *hactenus i. e. prorsus* [3]). Idem cadit in Met. VI 18 sed non *hactenus* vacua debebis per illas tenebras incedere, sed offas polentas mulso concretas ambabus gestare manibus e. q. s.

1) Bachrens (Rhein. Mus. 67 (1912) p. 126) *plena* transposuit clausulae gratia post *turpitudinis*, verum ratio palaeographica editorem movit ut id insereret post *turpia*.

2) Peregrin. Aether. p. 176 sq.

3) Wiman p. 31 confert C G L. IV 303, 27 actenus huc usque vel in totum.

Digitized by Google

Ad libellum de Mundo.

De sex generibus terrae motuum auctor exponere sic incipit: cap. 18 (p. 54, 7) namque obliquis lateribus proxima quaeque iactantes et acutis angulis mobiles epiclintae Graece appellantur; sed qui subsiliunt excutientes onera et *recuperantes* directis angulis, brastae vocitantur.

Quo sensu *recuperare* ab Apuleio adhibeatur, docet Florid. 15 (p. 21, 11) sunt qui Pythagoran aiant eo tempore inter captivos Cambysae regis, Aegyptum cum adveheretur, doctores habuisse Persarum magos ac praecipue Zoroastren, omnis divini arcani antistitem, posteaque eum a quodam Gillo Crotoniensium principe *reciperatum*.

Nostro autem loco requiritur *reciprocantes*, quod non solum intransitive sed etiam transitive ponitur. Adiectivum *reciprocus* noster satis frequenter usurpat Met. IX 11 *reciproco* gressu; X 29 discursus *reciproci*; XI 15 ambages *reciprocae* cet.

Digitized by Google

DE HORATIO HANNIBALI INIMICO.

SCRIPSIT

K. H. E. DE JONG.

Inter alios hostes populo Romano infestissimos quos Horatius in notissima illa decima sexta epode enumerat, suum quoque locum obtinet v. 8:

parentibus(que) abominatus Hannibal.

Voce „parentum" hic non eos tantum designari quorum filii bello Punico secundo ceciderunt sed omnino maiores satis constat. Cum autem is poëta sit Flaccus qui, ut F. Nietzsche rectissime observavit, paucissimis verbis quam plurima complecti studeat, versus eius non populari trutina sed aurifici potius statera examinanda videntur ideoque hoc loco quaeramus oportet: „Ergone Hannibal aequalibus Horatii odio non fuit, ut poeta hoc in carmine, in quo suae aetatis Romanos severe castigat, voce parentum i. e. maiorum utatur?"

Quodsi accuratius in illius temporis scriptores inquirimus, invenimus eos de acerrimo Romanorum hoste saepius sine odio ac nonnunquam magna cum admiratione loqui. Cicero, etsi Lael. VIII, 28 affirmat „propter crudelitatem semper haec civitas oderit" sc. Hannibalem, cf. et De Off. I, XII, 38, aliis locis potius eum laudat, cf. De div. I, XXIV, 48 „homine acuto" ac De Orat. I, XLVIII, 210 ubi exemplis utitur imperatorum, etiam Hannibalem nominat, quin in oratione Pro Sestio exclamat LXVIII, 142: „Quis Carthaginiensium pluris fuit Hannibale consilio, virtute, rebus gestis, qui unus cum tot imperatoribus nostris per tot annos de imperio et de gloria decertavit? Hunc sui cives e civitate eiecerunt; nos etiam hostem litteris nostris et memoria videmus esse celebratum".

Digitized by Google

Paulo post Cornelius Nepos vitam Hannibalis sic incipit: „Si verum est quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit, non est infitiandum Hannibalem tanto praestitisse ceteros imperatores prudentia, quanto populus Romanus antecedat fortitudine cunctas nationes" ac multa de viri fortissimi virtutibus nihil mali de eo profert ut agnoscere cogamur, Hannibalem vel a Carthaginiensi scriptore magnificentius collaudari vix potuisse.

Apud Livium autem, ut et eorum, qui post Horatium vixerunt mentionem faciamus, legimus quidem XXI, 4: „Has tantas viri virtutes ingentia vitia aequabant, inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus deum metus, nullum ius iurandum, nulla religio", sed perpauca tantum in longissimo suo opere vitiorum illorum specimina adfert, contra quaedam facta generoso potius hoste digna, ut e. g. XXII, 52 „Consulem quoque Romanum [post pugnam Cannensem] conquisitum sepultumque quidam auctores sunt" ac XXVII, 28 disertis verbis „inventum Marcelli corpus sepelit". Quae porro XXVIII, 12 de Hannibale exponit quomodo mercenarios suos „ex colluvione omnium gentium" mixtos ita „quodam uno vinculo copulaverit... ut nulla nec inter ipsos nec adversus ducem seditio exstiterit" splendida sunt ac nihil nisi admirationem ostendunt. Quin et exitum Hannibalis sic enarrat XXXIX, 51 ut potius indigneris populum Romanum mortem senis expectare non potuisse quam gaudeas, virum cui nihil sanctum fuerit, tandem animam efflavisse.

Pompeius Trogus, cuius historias Iustinus quidam aetate Marci Aurelii, vel fortasse tertio saeculo excerpsit, affirmat XXXII, 4, 10 sq. „Hannibalem nec tum, cum Romano tonante bello Italia contremuit, nec cum reversus Carthaginem summum imperium tenuit, aut cubantem cenasse aut plus quam sextario vini indulsisse pudicitiamque eum tantam inter tot captivas habuisse, ut in Africa natum quivis negaret".

Valerius Maximus Hannibalem modo vituperat modo laudat. VIIII, II Ext. 2 „Hannibal, cuius maiore ex parte virtus saevitia constabat", sed V, I, ext. 6 „aliquanto ei plus gloriae Paulus et Gracchus et Marcellus sepulti quam oppressi attulerunt, siquidem illos Punico astu decepit, Romana mansuetu-

Digitized by Google

dine honoravit." VIIII, VI ext. 2 eum pessimae perfidiae ac foedissimae crudelitatis insimulat, sed in fine haec observat: „quo evenit ut alioqui insignem nominis sui memoriam relicturus, in dubio maiorne an peior vir haberi deberet poneret".

Plinio maiore teste XXXIV, 32 Hannibalis etiam statuae tribus locis in urbe Roma visebantur, res sane notatu dignissima.

Lucanus, cum VII, 797 sqq. Caesarem criminatur, adversariis in pugna Pharsalica caesis igne rogi invidisse, exclamat 799 sqq.:

Non illum Poenus humator
Consulis et Libyca succensae lampade Cannae
Compellunt hominum ritus ut servet in hoste,

aperte laudans quae Livius forsan tacere maluisset.

Silius Italicus qui carmine magis vituperato quam lecto bellum Punicum secundum celebravit, Livii secutus vestigia, sane de summo Carthaginiensium duce affirmat, I, 56 sqq.

fideique sinister
Is fuit exsuperans astu sed devius aequi.
Armato nullus Divum pudor, improba virtus
Et pacis despectus honos penitusque medullis
Sanguinis humani flagrat sitis,

ceterum poëta minus tumidis verbis usus quam historiarum ille scriptor. Quin specimen Punicae crudelitatis affert fictum I, 450 sq. ubi Saguntinorum quendam

post terga revinctum
Hannibal ad poenam lentae mandaverat irae,

sed minime probat, ut ipsius utar verbis, occulere spectatum vel in hoste decus [1]), e. g. ubi Aemilii Pauli exsequias prosequuntur hostes X, 568 sqq.

iamque Hannibal unus
Sat decoris laudator erat; fulgentia pingui
Murice suspirans inicit velamina et auro
Intextam chlamydem ac supremo adfatur honore:
„I, decus Ausoniae, quo fas est ire superbas
Virtute et factis animas: tibi gloria leto
Iam parta insigni; nostros Fortuna labores
Versat adhuc casusque iubet nescire futuros".

1) Cf. O. Ribbeck, Gesch. d. röm. Dichtung III (1892) p. 195.

Digitized by Google

Necnon de Marcello caeso haec verba tribuit Hannibali, XV, 385 sqq.

dextera nostrae
Tam similis non obscurus mittatur ad umbras.
Magnanima invidia virtus caret,

verba splendidissima, summo duce et egregio poëta digna.

Quam distat ab humanitate Poeni imperatoris crudelitas illa Neronis qui XV, 813 sqq.

procera sublimia cuspide portans
Ora ducis caesi: „Cannas pensavimus, inquit,
Hannibal, et Trebiam et Trasymeni litora tecum
Fraterno capite —"

sed ne his quidem visis auditisque Barcida immemor est sui, 819 sq.

Compressit lacrimas Poenus minuitque ferendo
Constanter mala.

Incipit Silius odisse Hannibalem sed magis magisque admiratione permotus tandem summis eum effert laudibus XVII, 354 sq.

Perque bis octonos primus fuit Hannibal annos
Humani generis.

Iuvenalis ubi in decima satira 147—167 exemplum profert magni imperatoris qui tristem habuit exitum, Hannibalem eligit atque in viginti illis versibus nihil aliud „summo duci" obicit nisi alterum oculum captum et Cannas.

Florus denique affirmat I, 22, 17 Hannibalem in pugna Cannensi caede satiatum „Parce ferro" iussisse; de crudelitate altum silentium.

E quibus omnibus satis patet, illis temporibus generosae indolis Romanos magna Hannibalis admiratione fuisse imbutos quemadmodum nunc multi Germani Napoleonem primum summis laudibus cumulant. At Horatio hic honor infestissimo hosti habitus vehementer displicebat ac quibusdam locis quid ipse de Hannibale sentiret, luce clarius ostendit.

Ubi Od. I, 12, 37 sq. legimus:

animaeque magnae
Prodigum Paulum superante Poeno

confiteamur necesse est haec multo aliter sonare quam versus Lucani supra allatos.

Digitized by Google

Od. II, 12, 2 invenimus

durum Hannibalem

ubi et lectio „dirum" sed perpaucis tantum in libris nec iis optimis exstat.

Sed Od. III, 6, 35 sq. poeta loquitur de illa iuventute quae

ingentem cecidit
Antiochum Hannibalemque dirum.

Flaccum perquam gaudere rebus adversis Poeni testatur illud in Od. IV, 8, 15 sq.:

celeres fugae
Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae.

Sed maxime quale fuerit Horatii in Hannibalem odium patet ex quarta ode libri quarti in honorem generis Neronum scripta. Audiamus poetam 37—76:

Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen et Hasdrubal
Devictus et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris.

Qui primus alma risit adorea
Dirus per urbes Afer ut Italas
Ceu flamma per taedas vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.

Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit et impio
Vastata Poenorum tumultu
Fana deos habuere rectos.

Dixitque tandem perfidus Hannibal:
Cervi, luporum praeda repacium
Sectamur ultro quos opimus
Fallere et effugere est triumphus.

Gens quae cremato fortis ab Ilio
Iactata Tuscis aequoribus sacra
Natosque maturosque patres
Pertulit Ausonias ad urbes.

Digitized by Google

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigrae feraci frondis in Algido
Per damna per caedes ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem:
Monstrumve submisere Colchi
Maius Echioniaeve Thebae.

Merses profundo: pulchrior evenit;
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem geretque
Proelia coniugibus loquenda.

Carthagini iam non ego nuntios
Mittam superbos: occidit, occidit
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis Hasdrubale interempto.

Nil Claudiae non perficient manus
Quas et benigno numine Iuppiter
Defendit et curae sagaces
Expediunt per acuta belli. [1])

Vides Horatium gaudio exsultantem plane odio in Poenum indulgere nec temere neges, poëtam pro virili parte operam navasse ut quae ipse sentiret, et civibus suis inculcaret nempe dirum perfidum Hannibalem ex animi sententia abominandum esse. Neque id mirum. Flaccus enim, ut me monuit vir amicissimus idemque acutissimus, C. Brakman, e regione oriundus erat saepius a Poeno ferro ignique vastata, quae fama a maioribus tradita poetae animum prima pueritia vehementer movisse videtur. Sed et alia est causa, eaque intima, nempe vix duos viros inveniri posse, quod ad corpus, indolem, sortem attinet magis inter se diversos. Hannibal corporis viribus excellens ac cuivis par labori, missis deliciis totus erat in negotiis

1) Sunt qui existiment ultimam hanc stropham a poëta Hannibali non tribui.

Digitized by Google

et rebus gerendis propositique tenax in adversum nitebatur, odium quod in Romanos puer iuraverat, servavit usque ad mortem. Horatius contra valetudine minus prospera utebatur, delicias potius diligebat, a negotiis abhorrebat, rebus mutatis caute se subiunxit quique sub Bruto militaverat tribunus, mox Iulium sidus Augustique laudes cecinit. Hannibalem odio habere intima, ut ita dicam, animi ratio eum cogebat. Diversi ingenii hostem suo pretio aestimare nec voluit nec potuit.

Digitized by Google

OBSERVATIONES CRITICAE AD TERTULLIANI AD NATIONES LIBROS.

SCRIPSIT

J. G. P. BORLEFFS.

Ad Nat. I 3 (62, 11)	Apol. 2, 18.
Nomen in causa est, quod quaedam occulta vis per vestram ignorantiam oppugnat, ut nolitis scire pro certo quod vos pro certo nescire certi estis, et ideo nec creditis quae non probantur, et ne reprobentur facile, non rultis inquirere, ut nomen inimicum sub praesumptione criminum puniatur.	*....nomen, quod quaedam ratio aemulae operationis insequitur, hoc primum agens, ut homines nolint scire pro certo, quod se nescire pro certo sciunt.* (19) *Ideo et credunt de nobis quae non probantur, et nolunt inquiri, ne probentur non esse quae malunt credidisse, ut nomen illius aemulae operationis inimicum praesumptis, non probatis criminibus de sua sola confessione damnetur.*

Libri ad Nat. textum dedi ex recensione Reifferscheidii, addito Apologetici loco gemello quo facilius duorum operum verba comparari possint. Priore loco in codice Agobardi non *reprobentur* legitur, verum *probentur*; illud editor ex conjectura Gothofredi in textum recepit [1]). Tamen haud scio an sensum idoneum non praebeat, si diligentius dispicias auctoris verba. Agit enim Septimius utroque loco de ratione totius odii

1) Cf. ad Nat. I 10 (79, 22).

Digitized by Google

in Christianos; vim quandam occultam, daemonum scilicet, insequi dicit nomen eorum; deinde in Apologetico ita fere pergit: 'ea vis efficit, ut gentiles credant de Christianis ea quae non probantur', crimina puta infanticidii et incesti; 'prohibet vero ne diligentius examinentur; nam timent daemones ne appareat crimina ea falso proferri; malunt pro veris credi, id agentes scilicet, ut Christiani nomine suo confesso, criminibus non ultra dispectis, a iudicibus capite damnentur'. Haec in Apol. auctor; libro autem ad Nat. I aut idem dicat atque in altero opusculo necesse est, aut diversum.

Gothofredum secuti recentiores fere omnes illud crediderunt, quo adducti sunt ut textum prioris libri emendare studerent, ut sensus cum Apologetico congrueret. Ipse Gothofredus in notis editionis suae voculam *nec* delevit, restituit *reprobentur*; Klussmannus pro *nec* coniecit *et* [1]), ut Hartelius [2]) *haec*; uterque cum primo editore *reprobentur* posuerunt; Oehlerus denique, quem secutus est Reifferscheidius, in editione quae prodiit Lipsiae 1853, *nec* retinuit, recepit *reprobentur*, quod nullum praebere sensum ex superioribus haud scio an satis eluceat. Atqui *probentur* recte tradi vel ex Apologetico liquido apparet, et confirmat libri ad Nat. eiusdem locus alter (I 10 [74, 28]), quamquam corruptus, ubi etiam verbum *probandi* in eadem sententia bis positum invenimus. Ideo Havercampius olim (ad locum Apol.) *probentur* retinuit, pro *facile* coniecit *falsae* [3]); possis etiam collato Apol. loco: *ideo creditis quae non probantur, et ne probentur facile non* ⟨*esse, non*⟩ *vultis inquirere.* Sed nihil mutandum esse censeo, modo recte interpretemur. Sane et Oehlerus in editione priore (Hal. Sax. 1849) traditam lectionem retinuerat, sed male defenderat. Ait enim: 'dicit (Tert.): non vultis inquirere in nos, ne qualia sint nostra crimina (sunt vero nulla) facile probentur.' Id quomodo Tertulliani verba exprimant, equidem haud perspicio. Sed omnes erraverunt ni fallor, eo quod putaverunt in priore ad Nat.

1) *Et* videtur jam conjecisse Cannegieter ad Fragm. Vet. Jur. p. 81, quem tamen librum inspicere nondum potui.

2) Patristische Studien II p. 29, 1.

3) Debebat autem *falsa*.

Digitized by Google

libro, ut in Apol., agi nostro loco de criminibus quae in Christianos cotidie proferantur. Immo, in Apologetico nationes *credunt* quae non probantur, videlicet crimina in Dei fideles jactata; priore autem ad Nat. libro *non credunt* quae non probantur, i. e. bona vel optima quae ipsi Christiani profitentur, continentiam castitatem alia; nolunt inquirere, ne probentur vera esse quae de se Christiani praedicare solent. Quam interpretationem esse veram, forsitan etiam ex vocabulo *facile* adjecto appareat. Non nego ea quae in Apol. dicit auctor, cum totius capitis verbis melius cohaerere quam quae in priore ejusdem libro legere mihi videor. Sed cave auctorem, non librarium, corrigas, qui ipse in altero libro prioris opusculi verba correxit.

Ad Nat. I 4 (63, 12): *Sed dicitis sectam nomine puniri sui auctoris. Primo quidem sectam de auctoris appellatione notari utique probum usitatumque jus est, dum philosophi quoque de auctoribus cognominentur Pythagorici et Platonici, ut medici Erasistratei et grammatici Aristarchii.*

Ait Tertullianus: 'si retorquemus valde ineptum esse, si Christianorum nomen solum puniatur criminibus non ultra dispectis, dicere soletis sectam puniri nomine utique sui auctoris. *Quid novi, si aliqua disciplina de magistro cognomentum sectatoribus suis inducit? Nonne philosophi de auctoribus suis nuncupantur Platonici Epicurei Pythagorici* (= Apol. 3, 6); nonne medici ab Erasistrato et grammatici ab Aristarcho?'

Agobardi liber nostro loco *sectam de auctoris appellatione mutari* exhibet; pro *mutari* quod corruptum, Rigaltius scripsit *notari*, memor fortasse loci Senecae, qui de Benef. II 34, 2: *ingens*, inquit, *copia est rerum sine nomine, quas non propriis adpellationibus notamus, sed alienis*; Barthius vero *nominari* conjecit, vix minus bene Oehlero judice; Rigaltium secuti sunt omnes fere recentiores. Solus Klussmannus pro tradito *mutari* scribere nos jussit *mutuari*, quod et ipse probo. Nam verbum *notandi* alio sensu Septimius hisce libris usurpat [1]);

1) Ad Nat. I 3 (62, 9); I 7 (71, 4); II 4 (102, 9); II 5 (103, 3); II 8 (110, 7); Apol. 8, 2; 20, 4; 44, 2.

Digitized by Google

mutuari vero a tradito minus distat et in codicibus manu scriptis cum altero verbo saepe confunditur; denique Tertullianus id verbum saepe posuit, cf. modo II 4 (100, 11); Apol. 21, 12; 45, 4 (ubi *mutuatas* P, *mutatas* F); adv. Marc. III 7 (383, 6); adv. Valent. 10 (188, 13 ubi *mutuaretur* P, *mutaretur* M F). Sed objectum forsitan requiras. Sane pro *appellatione* scribere possumus *appellationem (appellationĕ)* facili correctione; et haud scio an appellatio magis sit sectae, auctoris nomen. Possis igitur: *sectam de auctoris ⟨nomine⟩ appellationem mutuari* vel *sectam de auctore appellationem mutuari*. Tamen nihil mutandum censeo. Nam quominus ablativum *appellatione* corrigamus, obstat locus valde similis libri II, quem tamen locum Klussmannus ipse forsitan iam attulerit — ipsius enim libellum inspicere mihi adhuc non contigit —, cap. 4 (100, 10): *verisimilius est non a cursu et motu* (deos) *θεοὺς dictos, sed de appellatione veri dei mutuatum, uti quos aeque deos excudissetis, θεοὺς cognominaretis*. Quo loco cum Klussmanni coniectura plane confirmatur, tum ablativus *appellatione* defenditur.

Ad Nat. I 7 (68, 24): *Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei. Oro vos, extraneis unde notitia, cum etiam justa et licita mysteria omnem arbitrum extraneum caveant, nisi inlicita minus spernunt? Atquin extraneis tam ignorare quam confingere magis competit.*

Ita edunt inde ab Oehlero; *arbitrum* pro *arbitrii*, quod liber exhibet Agobardinus, Gothofredus jam scripserat; *ignorare* autem ex conjectura Gronovii pro tradito *honorare* Oehlerus in textum receperat.

Sensus totius loci perspicuus est: agit Septimius de Christianorum mysteriis; de Thyestae aut Oedipodis tragoediis fabulas, vanas utique, revincere studet, quas in Christi sectatores nationes ab illorum fide alienae daemonum instinctu impulsae ventilare solebant. Rogo vos, inquit, quomodo de nobis scire aliquid vobis contigit? Quando enim mysteriis nostris interfuistis? Nonne omnia arcana, etiam licita, arcent profanos, quanto magis nostra, quae illicita vultis? Nec mirum si talia de nobis jactetis, cum proprium sit eorum, qui alicujus rei extranei

Digitized by Google

sint, confingere ea, de quibus certam habere notitiam nequeant.

Ceterum textum ipsum minus felicibus conjecturis temptaverunt. Nam vocabulum quod est *extraneus* in Tertulliani scriptis cum genitivo casu persaepe conjunctum invenias. Multa exempla V. D. Hoppe (Syntax und Stil des T. p. 22) attulit. Sic de An. 46 (375, 16) *extraneus humanitatis* auctor posuit; de Carn. Res. 16 (47, 17) *extraneam gloriae* dixit; de Cult. fem. II 11 (I 731 O) *extraneas fidei* scripsit. Ex quibus apparet etiam nostro loco genitivum casum omnino esse servandum, si modo idoneum praebeat sensum. Et praebet sane, dum recte interpremur. Sed *arbitrium* illud hucusque perperam intellexerunt; est enim *praesentia* vel *inspectio*, quem vocabuli sensum etsi in ipsius Septimii scriptis nondum repperi, tamen et alibi (v. Thes. L. L. s. v.) invenimus et apud Madaurensem illum; qui Met. II 15 (37, 11) ait: '*pueris extra limen, credo ut arbitrio nocturni gannitus* (i. e. Venerei proelii a Lucio et Fotide committendi) *ablegarentur, humi quam procul distratum fuerat.*' [1]). Ita et apud nostrum *arbitrii extraneum* dictum esse puto pro eo qui Christianorum arcana nunquam aspexerit.

Denique in sequentibus haud scio an non recte Gronovius verbum *ignorandi* restituerit; non enim ignorare proprium est 'extraneorum', sed eo quod ignorant, confingere et....; quid reponamus pro lectione tradita quae explicari nequit? Ecce subvenit *onerare*, id est accusare, quod et sensui congruit et a textu tradito minus distat et Tertulliano usitatissimum est; cf. modo ad Nat. I 10 (75, 10); Apol. 1, 4; de An. 17 (323, 28); Spect. 26 (25, 23); Patient. 10 (16, 20); adv. Marc. I 22 (320, 10, ubi *oneratum* R., *honeratum* M F); IV 42 (562, 25); V 15 (627, 9). Inversum vitium deprehendas in nonnullis Apologetici codicibus 39, 5, ubi Fuldensis et Rhenaugiensis *oneraria*, Parisinus et alii veram lectionem *honoraria* exhibent.

Ad Nat. I 9 (74, 6): *non irascerentur* (dei vestri) *vobis in animadversione cessantibus, si ipsi ex se quid possent. Quam-*

1) Cf. Ap. Met. II 26 (46, 13); II 28 (48, 3); II 29 (48, 26): 'cuncta curiosis oculis *arbitrabar*'. Fortasse tamen apud ipsum Tertullianum hoc sensu obvium est de An. 25 (342, 3): *anxio arbitrio*. De quo loco, difficillimo certe, vide quae disseruit Thörnell, Stud. Tert. II p. 60.

Digitized by Google

quam et alias confitemini istud, si quando illos supplicio nostro videmini ulcisci. Si ab alio aliud, a majore defenditur. Pudeat igitur deos ab homine defendi.

Verba q. s. *si ab alio aliud* Oehlero debentur, in codice *abaliud* legitur, quod corruptum profecto. Oehlero oblocutus est Hartelius qui de nostro loco fusius disputavit Patr. Stud. III p. 17 [1]); expectare enim nos: *si quid ab alio, a majore defenditur*; hoc Klusmannum quoque sensisse cum Oehlerum secutus proponeret: *ab alio aliud, a majore ⟨minus⟩ defenditur*. Quod cum Hartelio minus placeret — veri enim simile minime esse duplici vitio codicem nostro loco laborare — ipse proposuit: *an aliud a majore defenditur?* una litterula immutata, cum explicaret: *an aliud, nisi quod ipsum ex se nihil potest*. Et optimum sane esset, si modo illud *a majore* intellegi posset. Itaque Oehlerum secutus et ipse interim hoc proposuerim: *si ab aliquo aliud, a majore defenditur*, quod et sensui congruit et a tradito minus distat; pronomen *aliqui(s)* in Tertulliani scripsit post *si* conjunctionem plus semel legitur (e. g. Apol. 3, 5; 12, 5) et nostro loco solum verum videtur.

Libri I cap. 11 infirmare studet auctor opiniones eorum qui putabant caput asininum esse deum Christianorum. Dixerat Cn. Pompejum, cum Judaeis debellatis templum Hierosolymis adisset, simulacri nihil in eo reperisse. Deinde ita pergit: *ubi ergo is deus fuerit? utique nusquam magis quam in templo tam memorabili, praesertim omnibus praeter sacerdotibus clauso, quo non vererentur extraneum.* Illud *quo* Hartelius in dubium vocavit Patr. Stud. II p. 57 n. 2, qui malebat *quod* vel *quonjam*. Sed male; nam *quo* pro *quod* a nostro hic illic esse positum Thörnellius docuit (Stud. Tert. III p. 28); ex duobus quos attulit locis (de Fug. 6 [I 472 O]; de Carn. res. 26 [62, 9]) alter nostro loco valde similis est (Carn. res. 26): *quia nec proprie terra judicio ejus* (Dei scil.) *obnoxia est, quae nihil boni seu mali admisit, maledicta quidem quo hauserit sangui-*

1) Ait enim: 'in welcher Weise aber der Gedanke „von dem einen wird das, von dem andern jenes verteidigt" mit *a majore defenditur* verbunden werden könne, ist mir unerfindlich'.

Digitized by Google

nem, sed et hoc ipsum in figuram carnis homicidae; ut nostro, sic hoc loco modus conjunctivus sequitur. Ita nihil mutandum censeo.

Post pauca Septimius pergit in hunc modum:

ad Nat. I 11 (81, 16)	Apol. 16, 5
credatur deus noster asinina aliqua persona; certe negabitis vos eadem habere nobiscum? Sane vos totos asinos colitis et cum sua Epona et omnia jumenta et bestias.	*vos tamen non negabitis et jumenta omnia et totos cantherios cum sua Epona coli a vobis.*

Apologetici verba adscripsimus quo facilius cum priore libro conferantur. In libro ad Nat. post *certe* vocabulum *non* inserendum putabant Hartelius et Vlietius [1]), haud scio an recte, quamquam necessarium minime videtur. In fine hujus sententiae in codice lacuna hiabat jam Gothofredi temporibus, qui *...ere nobiscum* adhuc discernere potuit; in notis editionis suae supplevit *facere; habere* Rigaltius et recentiores omnes. Tamen utrumque minus placet; mecum potius reseribe: *vos eadem colere nobiscum*; quod et Apologetici textu confirmari videtur et a consuetudine Tertulliani non discedit, quippe qui amat repetitionem nonnunquam ejusdem vocabuli; cf. hujus libri cap. 12, ubi p. 83, 9: *crucem originem colitis*; p. 83, 14: *cruces colit* (vel cum Hartelio: *cruces colitis*); 83, 20: *cruces colere* legimus; cap. 19 (91, 9): *mortuorum enim praesumimus resurrectionem. Spes resurrectionis fastidium est mortis.* Talia sexcenties apud nostrum deprehendas [2]); itaque hoc loco etiam nihil obstat quominus verbum *colendi* bis positum esse putemus.

Ad Nat. I 12 (81, 22): *Sed et qui nos ⟨crucis⟩ antistites affirmat, consacerdos erit noster.* Vocabulum *crucis* in libro manu scripto deest, supplevit Gothofredus in notis. Cum autem

1) Hrtl. Patr. Stud. II p. 58, 1; v/d Vliet, Stud. Eccles. I p. 26.

2) Perlegas velim totum hujus libri cap. 20. Multa exempla quibus eadem vox repetita invenitur, Thörnellius attulit Stud. Tert. II pp. 4 sqq.

Digitized by Google

Apologeticus liber (16, 6) habeat: *Sed et qui crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster*, nescio an et in priore libello melius restituatur: *Sed et qui ⟨crucis⟩ nos antistites affirmat.*

Ad Nat. I 13 (83, 21): *Alii plane humanius solem Christianum deum aestimant, quod innotuerit ad orientis partem facere nos precationem, vel die solis laetitiam curare. Quid? vos minus facitis? Non plerique* eqs. Ita edunt inde ab Oehlero; Gothofredus posuerat: *quid vos minus facitis?* Quod esse verum, illud autem falsum, vel ex loco apparet simillimo ejusdem libri cap. 15 (85, 24), ubi haec legimus: *Quamquam quid minus, immo quid non amplius facitis?*

Ad Nat. I 16 (87, 9): *Cum infantes vestros alienae misericordiae exponitis aut in adoptionem melioribus parentibus, obliviscimini quanta materia incesti subministratur, quanta occasio casibus aperitur? Plane ex aliqua disciplina severiores aut certo respectu ejusmodi eventum a libidine temperatis.*

Vix equidem dubito quin rescribendum sit: *Plane ex aliqua disciplina severiores aut certe respectu ejusmodi eventuum a libidine temperatis*; particula *certe* apud nostrum centies legitur [1]), ablativus *respectu* nude positus sequente genitivo casu et alibi invenitur — adeas modo Apol. 28, 4: *ratione potius quam respectu praesentaneae potestatis* —; denique *eventum* tamquam genitivi formam — nam accusativus a loco alienus esse videtur — Tertulliano tribuere non ausim [2]); *eventuum* Rigaltius jam restituit.

I 16 (87, 23) *pusio honeste natus fortuita neglegentia comitum ultra januam progressus iter praetereuntibus tractus domo excidit. Qui eum nutrierat Graeculus, vel a limine Graeculo more captaverat intrans. Inde mutatus Asiae aetate Romam in venalicio refertur. Emit inprudens pater et utitur Graeco; dehinc ut † vestra, adulescentem dominus in agrum et vincula legat.* Pro *Asiae* Hartelius conjecit [3]) *a se*, palmari emendatione, qua

1) Waltzing, le Cod. Fuld. p. 394.
2) Hartel, Patr. Stud. II p. 65, 2.
3) Patr. Stud. III p. 30.

Digitized by Google

omnes priorum conjecturae refelluntur (*aetate florente* Reifferscheid conjecerat, *ex civitate* ipse Hartelius olim, *adulta aetate* Vlietius); idem in sequentibus pro *ut vestra* [1]), quod corruptissimum, *ut era* scripsit, quod interpretatus est *ut era utitur Graeco*; sed minus Latine videtur esse dictum. Itaque scripserim *ut usum era*, quod forsitan et sensui congruat et facile corrumpi potuerit (VTVSVERA — VTVESTRA).

1) Reifferscheid *ut uxoris adulterum* vel *ut res fert*; Oehler *ut suerat* temptaverant.

Digitized by Google

DE SERMONIS PUERILIS APUD IGNOTUM QUENDAM COMICUM RATIONE ET USU.

SCRIPSIT

J. D. MEERWALDT.

Eustathius p. 1535, 20 postquam egit de formis ἄρκος et ἀπαρκίας pro ἄρκτος et ἀπαρκτίας a quibusdam usurpatis, sic pergit: εἰ δὲ τοῦ ἄρκτου ὑπεξαιρεθέντος τοῦ τ, ὡς εἴρηται, οὐ γέγονε τῆς σημασίας ἐναλλαγή, οὐ μὴν οὐδὲ γελοιασμός. ἀλλ' ὁ κωμικὸς τὸ κάππα ἐξελὼν γέλωτα ἐκίνησε, εἰπὼν οὕτω·

ψελλόν ἐστι καὶ καλεῖ
τὴν ἄρκτον ἄρτον, τὴν δὲ Τυρὼ τροφαλλίδα,
τὸ δ' ἄστυ σῦκα.

ταῦτα δὲ τί δηλοῖ περιττόν ἐστι φράσαι. ἀρκεῖ δὲ μόνον ἐπισημήνασθαι, ὡς οὐ ψελλὰ τὰ εἰρημένα κυρίως, εἰ μή τις πᾶν παιδίον μὴ σαφῶς διαλεγόμενον ψελλίζεσθαι λέγει, ὁποιάν τι καὶ Αἰσχύλος φαίνεται δηλοῦν ἐν τῷ· „ψελλόν τι καὶ δυσεύρετον". (Prometh. vs. 841).

Quonam consilio balbutientis huius pueri errores a poeta comico afferri videantur, infra quaeremus; interim ad ipsa exempla animum attendamus. Ac primum ἄρτος illud pro ἄρκτος dictum nihil habet miri; in adultorum quoque sermone saepe intercidit consonans interior, velut in *lesb.* ἔσλος pro ἐσθλός, *mess.* μάκραν pro μάκτραν; *neerl.* 'mart' = 'markt'. Reliqua autem duo exempla explicatione indigent paulo ampliore. Incipiamus a τροφαλλίς illo, quod pro Τυρώ dictum traditur. Metri sanandi causa in τροφαλίς hoc mutaverunt editores [1]); metro autem sanato nil iam habuisse videntur, in quo offen-

1) Dindorf, Langueville, Meineke, Kock (C. A. F. III 482).

Digitized by Google

derent. Verum ipsum hoc vocabulum iampridem suspicionem movere debuerat. Etenim:

1°. Licet posterioribus plane synonymum fuerit vocis τυροῦ (cf. *ital.* 'formaggio [di cacio]'), tamen vix crediderim comicorum iam aetate specialem et angustatum hunc usum vulgo receptum fuisse. Aristoph. *Vesp.* 838, τυροῦ τροφαλίς. Antiphan. ap. Athen. X 455 f, τροφαλίδας τε λειοσάρκους [1]· μανθάνεις; τυρὸν λέγω. Apparet Antiphani adhuc valuisse hanc vocem 'massam (coactam)'; quod nisi esset, ineptum evaderet explicatio addita. — A puerili saltem eiusdem aetatis sermone alienum putaverim τροφαλίς, 'caseus'.

2°. Τροφαλίς sine ullo oris vitio pronuntiatum fuisse ab eodem puero, qui vel ἄστυ mutilet, non credendum est. Non tantum obstat et vocalium et consonantium varietas, sed etiam — atque id cum primis — coniunctio illa difficillima τρ–. Quivis concedet exspectandum fuisse τοφελίς vel aliquid simile.

3°. *Intellegendi*, non *pronuntiandi*, errorem habet τροφαλίς pro τυρός (Τυρώ) dictum. Patet autem neminem eiusmodi synonymorum confusione usurum fuisse, qua denotaret παιδίον 'ψελλόν', i. e. balbum ac blaesum [2]) (*neerl.* 'krom-pratend').

Haec cum ita sint, iniuria id egisse apparet editores, ut versus numeris adcommodarent τροφαλλίδα illud traditum; facile enim colligimus voce glossematis loco supra textum adscripta veram lectionem de sede motam esse. Quae autem fuerit vera haec lectio, ex ipso illo λ geminato cognoscitur. Constat enim *blandiuscule appellandi causa* cum alias saepe consonantes geminari, tum praesertim λ; de re in nominibus propriis cumprimis notanda — v. c. Φιλίς, Φίλλις — conferas velim ea quae habent Kühner-Blass, *Ausf. Gr.* I 1 § 65. 1, I 2 § 330 *Anm.* 5, et Brugmann-Thumb, *Gr. Gr.* §§ 120, 209, 254; quorum copiis addenda sunt exempla eiusmodi, qualia sunt βύλακος, θυλλίς; συκαλίς, συκαλλίς; τροφαλίς, τροφαλλίς.

1) Sic legendum puto pro λινοσάρκους, Meineke λιπαροσάρκους.

2) Aliena confert Eustath. l.l., cum laudat verba Aeschyli plane *translato* sensu accipienda (ψ. *'obscuris involucris tectum'*). Poeta comicus prorsus eodem sensu ψ. adhibet atque Plato, *Gorg.* 485 *b*, ubi παιδίον.... ψελλιζόμενον καὶ παῖζον (= balbutiendo pueritiae signa praebens) opponit σαφῶς διαλεγομένῳ. Quo de loco vid. Mnem. LV p. 50 sq..

Digitized by Google

Haec si nobiscum reputamus, dubitare non possumus, quin vera lectio fuerit TTPION [1]). Nihil enim balbulo huic puero magis convenit, quam ut regium et augustum illud Τυρώ inepte emolliat in Τυρίον [2]): ridentibus scilicet adultis, quibus heroina formosissima in caseolum abire videatur. Ipsa autem scriptura cum ridicula haec ambiguitas non indicaretur, benignus quidam lector supra TTPION adpinxit τροφαλλίδα; id quod in ipsum textum post irrepsit. [3])

Restat σῦκα pro ἄστυ dictum. Prima fronte cavillandi gratia valdius hoc ab ipso poeta distortum putaveris; propius vero si rem consideres, nequaquam veri est dissimilis balbutiendi haec species. Saepe enim accidit — neque id in puerili tantum sermone — ut posteriora vocabulorum elementa, ut animo, ita ore anticipentur; ac tum praesertim cum sunt sono argutiore, id quod in sigma illud, ut apud Dionysium Halic. audit, 'θηριῶδες' vel maxime cadere quivis concedet. Ita explicandum mihi videtur, quod in sermone attico et vulgari nulla metathesis est frequentior [4]) quam ea, quae constat sigma anticipato: ψυχή, σφυχή; εὐξάμενος, εὐσχάμενος: ex puerili sermone huc pertinent exempla eiusmodi, qualia notavit Van Ginneken noster: *neerl.* 'anders' > 'anse'; 'netjes' > 'nèsje'.

Nihil ergo conspicui haberet exemplum, de quo agimus, si pro ἄσ-τυ dictum esset σά-τυ. Accedit vero ipsarum quoque syllabarum contaminatio, α et υ cum inter se sedem mutaverint. *Reciprocae* huius *e longinquo metathesis* [5]) exempla passim

1) Cf. Telesicl. ap. Ath. 170 *d*, τυρίον ἐπεσθίειν. Diog. La. VI 36, ἡμιοβολίου τυρίον.

2) Conferas quaeso, quae de parvulorum hypocoristice loquendi more scripsimus in disp. *De duob. serm. puer. exemplis ap. Theophr. conservatis* (Mnem. LV p. 45).

3) Ad ipsum corruptelae genus cf. Semonid. *De var. mul. ingeniis* vs. 43, ubi ineptum illud τε σποδίης, quod varie emendare conati sunt editores, redire ostendimus (Mnem. LIII p. 396) ad errorem librarii, qui glossema σποδίης supra vera lectione τεφραίης positum pro correctura litterarum |φραιης| habuerit.

4) Brugmann-Thumb, *Gr. Gr.* § 130. Notatu id quoque dignum est in multis et variis dialectis σ inter vocalem et explosivam positum geminari: ἄρριστος, Αἰσσχύλος, ὅσστις, ἐσς τό (*ibid.* § 103 et 119). Vides plane ipsa scribendi ratione id confirmari, quod Dionysius, *De Comp. Verb.* 80, de elemento σ statuit. Apparet in iusto Graecorum sermone sigma eodem fere modo sibilatum et productum fuisse quo in sermone nostro vulgari. 5) Br. Th. § 131.

Digitized by Google

inveniuntur in dialectis graecis; velut *ion.* ἀμιθρεῖ pro ἀριθμεῖ, *cret.* ἀλυκτεῖ pro ὑλακτεῖ. Constat autem huiusmodi dialectorum formas antequam iustae ac legitimae fierent, pronuntiandi errores fuisse; neque quisquam invenietur, quin aut aliquando ipsum se committere aut ab aliis se audire similia meminerit.

Apparet ergo puerum hunc balbulum, cui pronuntiandum erat ἄσ-τυ, duas et diversas commisisse metatheseis. Verum quae distinguenti et tamquam digitis computanti duae videntur transponendi rationes, eaedem ad ipsum *loquendi actum* attendenti unum evadunt. Uno enim et eodem mentis impetu σ et υ finalia balbutiens ille occupavit; priore autem trochaei parte novam per syllabam σῦ- expleta ultro quod hinc suppressum erat, illinc emersit in spatium post τ initiale vacuum: σῦ-τα. — Enimvero, non σῦτα traditur sed σῦκα: nonne hac saltem mutatione ipse poeta cavillans proditur? Ita qui roget, eum admonere velim rei viginties a viris phoneticis notatae nihil in parvulorum sermone frequentius esse quam explosivarum τ et κ confusionem [1]), velut — uno exemplo ut utar — A. Dauzat, *La vie du language* p. 23, recte ab M. Passy observatum statuit: „que les jeunes enfants confondent presque tous *t* et *k* (*c*), et disent indifféremment *toto* pour *coco* ou *coco* pour *toto*". Tantum ergo abest, ut 'σῦ-κα' pronuntiatum pro ἄστυ (ἄσσ-τυ) quicquam arte factum habeat, ut vel maxime prae se ferat verum et ingenuum sermonis puerilis colorem. [2])

De ipsis exemplis hactenus. Iam videamus, quonam pertinuisse videatur lepida haec descriptio. Proficiscendum hic est ex eo, quod qnae cum risu adultorum converti a puero videntur [3]) in nomina rerum edulium (*panis*, *caseolus*, *fici*), revera

1) Causa manifesta est; praevalet enim ipsius explosionis sonus. Ex quo fit, ut etiam π nonnumquam confundatur cum altero utro. In carminibus puerilibus et popularibus nostris homoeoteleutorum numero habentur 'stok', 'pot', 'kop'.

2) Ceterum consentaneum est ex variis ἄστυ balbutiendi modis hunc unum fuisse.

3) Saepius ab iis, qui de his rebus egerunt, observatum est vocabula, quae adulto audienti confundi videantur a parvulis, ab ipsis tamen probe distingui, discrimina cum vel faciant vel facere se credant. Velut Van Ginneken, *op. laud.* p. 51, refert ipsum puerulum de quo agit dicere solitum esse 'koeke', sive 'koekje' (*crustula*) vellet sive 'boek' (*liber*): matrem vero, cum ipsa quoque *librum* 'koeke' appellaret, ab eodem non intellectam esse. Similia apud V. Henry, *Antinomies linguistiques*, III II.

Digitized by Google

sunt vocabula partim ad orbis terrarum descriptionem, partim ad mythologiam pertinentia (*septentriones*, *Tyro*, *urbs*). Docet ipsa haec res de puero hic agi primis litterarum elementis leviter iam imbuto; eiusmodi enim vocabula a ludi magistris eligi solebant, quibus et scribendis et legendis exercerent discipulos ultra ipsarum syllabarum rationem provectos [1]). Itaque si in vera vita hic versaremur, nihil iam amplius quaerendum esset: ludi puta magistrum audiremus de ridiculis tardi cuiusdam discipuli vitiis agentem. Verum non ex ipsius vitae descriptione, sed ex comedia quadam desumptus est locus; in comedia autem siqua de parvulis commemorantur, non ipsorum sed fabulae personarum causa id fieri consentaneum est. Quod si tenemus, facile hic adgnoscimus artificium et effugium ex hodiernis quoque levioris Musae fabulis cognitum: „Perperam intellexisti; non enim *hoc* dictum, sed *illud*". Ita vel voluntatem verborum vel ipsam vocabulorum formam magis minusve probabiliter detorquentes saepe in scena vidimus adulteros ab uxore suspectos, famulos in angustias detrusos, alios. Quod ad antiquam hanc fabulam attinet, verbi causa sic fere rem fingere licet. Indicium cenae amatoriae duobus adulescentibus amicis domi apparatae ab alterius fraterculo ad patrem alterius pervenit. Desperata res videtur, cum felix servi ingenium salutem affert: „Flocci non facienda sunt verba pueruli: *balbus est e. q. s.*" Huiusmodi autem si revera subest scena, non iam in omnino incertis [2]) ponendus erit huius fragmenti auctor comicus, verum locum ei assignare oportebit in poetis novae comediae, sive ipsum Menandrum hic tenemus, sive alium aliquem.

1) Cf. Ziebarth, *Aus der antiken Schule*, p. 21 et p. 61, ubi series referuntur vocabulorum ad mythologiam praesertim et historiam pertinentium. Nempe vel ab ipso limine prospici solebat ad auctores post legendos, imprimis ad Homerum (cf. Ziebarth, p. 11). Notatu dignum videtur ea vocabula, quae loco de quo quaerimus leguntur, cuncta apud Homerum inveniri.

2) Ita Kock l.l.; Dindorf 'nulla necessitate' — recte hoc statuit Kock — propter verba Eustathii (ὁ κωμικός) Aristophanem auctorem posuerat.

Digitized by Google

ASINII POLLIONIS IUDICIUM DE CAESARIS COMMENTARIIS.

SCRIPSIT

G. VRIND.

Hoc Asinii testimonium de Caesaris commentariis a Suetonio (*Caes.* cap. 56) nobis servatum est his verbis:

Pollio Asinius parum diligenter parumque integra veritate compositos putat, cum Caesar pleraque et quae per alios erant gesta temere crediderit, et quae per se, vel consulto vel etiam memoria lapsus perperam ediderit; existimatque rescripturum et correcturum fuisse.

Hactenus id testimonium; plures esse locos, quibus vel hic vel ille auctor a Caesaris commentariis *De Bello Gallico* (de iis tantum agam) discrepat, omnibus notum est; iam de nonnullis eiusmodi locis agam, ubi non tantum narratio a commentariis discrepet, sed etiam ipsa narrationis forma commentarios quodammodo impugnare videatur. Si hae discrepantiae ad Asinium referendae sunt, quod veri simile est, id quoque apparuit, quantum eius testimonium ipsum valeret.

Ecce loci quos primos inter se conferre velim:

De bello Gallico 1, 7, 3—6 et 8, 3: *Ubi de eius adventu Helvetii certiores facti sunt, legatos ad eam mittunt nobilissimos civitatis, cuius legationis Nammeius et Verucloetius principem locum obtinebant, qui dicerent sibi esse in animo* e. q. s. *Caesar ..... concedendum non putabat* e. q. s. *Tamen, ut spatium intercedere posset, dum milites, quos imperaverat, convenirent, legatis respondit diem se ad deliberandum sumpturum: si quid vellent, ad Id. April. reverterentur..... Ubi ea dies, quam*

Digitized by Google

constituerat cum legatis, venit et legati ad eum reverterunt, negat se more et exemplo populi Romani posse iter ulli per provinciam dare et, si vim facere conentur, prohibiturum ostendit.

Cassii Dionis Hist. lib. 38, 31, 3—32, 1 ἔπεμψαν πρὸς αὐτὸν δίοδόν τε αἰτούμενοι καὶ προσυπισχνούμενοι μηδὲν τὴν τῶν Ῥωμαίων γῆν κακώσειν. καὶ ὅς,.....ὅτι γε οὐδέπω καλῶς παρεσκεύαστο, βουλεύσεσθαί τε ὑπὲρ ὧν ἠξίουν μετὰ τῶν ὑποστρατήγων ἔφη καὶ τὴν ἀπόκρισιν ἐν ῥητῇ τινι ἡμέρᾳ δώσειν. καί τι καὶ ἐλπίδος, ὡς καὶ ἐπιτρέψων σφίσι τὴν δίοδον, ὑπετείνατο,....οἱ οὖν βάρβαροι χρόνον μέν τινα ἐπέσχον, ἔπειτ' ἐπειδὴ μηδὲν ἤκουσαν κατὰ τὸ συγκείμενον,....

Res quidem ipsa parvi momenti est, sed id gravitatem controversiae integram relinquit vel potius auget. Praeter consuetudinem suam Dio, quamquam res per se minima erat, vim addidit verbis [1]), atque rem diverse narrare (δώσειν, χρόνον τινὰ ἐπέσχον, μηδὲν ἤκουσαν) [2]) non satis habuit, sed insuper adiecit: κατὰ τὸ συγκείμενον. Non temere Dionem hoc modo id narravisse mihi constat; ex hac summa verborum gravitate, quae rei gravitatem longe superat, conici potest eum utramque narrationem cognovisse atque causa cognita alteram praetulisse; si quid doctrinae atque veri indagationi hominis veritatis amantis tribuimus, a Dione stare debemus. Attamen omnino non veri simile est Caesarem de consulto veritatem infregisse; res parum gravis erat atque facile praetermitti poterat; praeterea tot testibus vivis nimis facile ostendi poterat commentariorum narrationem falsam esse. Restat ut Caesar memoria lapsus perperam commentarios ediderit, ut ipsa Asinii verba laudem. [3])

---

1) Etiam Rice Holmes, qui Dionis narrationem omnino minimi facit, huius loci auctoritatem nequaquam defugere potuit, cf. *Caesar's Conquest of Gaul*[2] p. 46, 4: *I suspect, however, that this is one of Dion's embellishments, because I believe that Caesar would have kept the fact to himself instead of blurting it out to any of the excellent authorities whom Dion is assumed to have followed.* Attamen ille quoque pergit: *But Dion may have hit upon the truth.*

2) Verba βουλεύσεσθαί τε ὑπὲρ ὧν ἠξίουν μετὰ τῶν ὑποστρατήγων ἔφη, quae in commentariis non inveniuntur, fortasse ex ipso Caesaris responso profecta sunt.

3) Caesar si scripta aliqua consuluit, vel neglegenter ea legit vel potius quae in utramque partem explicari poterant, invenit velut legatis se dixisse eos responsa sua Id. Aprilibus accepturos esse.

Digitized by Google

Similem in modum iudicare velim de commentariis 1, 8, 1: *Interea .... a lacu Lemanno, qui in flumen Rhodanum influit, ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, milia passuum XVIIII murum in altitudinem pedum sedecim fossamque perducit.*

Rectius quodammodo Dio 38, 31, 4: κἀν τούτῳ τὰ ἐπικαιρότατα διετάφρευτε καὶ ἀπετείχισεν, ...

Iam locum alterius generis spectemus, sc. *De bello Gallico* 1, 12, 2—7: *Ubi per exploratores Caesar certior factus est ... quartam fere partem citra flumen Ararim reliquam esse, de tertia vigilia cum legionibus e castris profectus ad eam partem pervenit, quae nondum flumen transierat. Eos impeditos et inopinantes aggressus magnam partem eorum concidit; ... Is pagus appellabatur Tigurinus; ... Hic pagus unus, cum domo exisset patrum nostrorum memoria, L. Cassium consulem interfecerat et eius exercitum sub iugum miserat. Ita sive casu sive consilio deorum immortalium, quae pars civitatis Helvetiae insignem calamitatem populo Romano intulerat, ea princeps poenas persolvit. Qua in re Caesar non solum publicas, sed etiam privatas iniurias ultus est, quod eius soceri L. Pisonis avum, L. Pisonem legatum, Tigurini eodem proelio quo Cassium, interfecerant.*

App. *Celt.* epet. 1, 3: τοὺς μὲν οὖν Τιγυρίους ὑποστράτηγος αὐτοῦ Λαβιηνὸς ἐνίκησε, et *Celt.* 15: ἐπὶ μὲν τοὺς Τιγυρίους ἐλάσσους ὄντας ἔπεμπε Λαβιηνόν, αὐτὸς δὲ .... καὶ γίγνεται Λαβιηνῷ τὸ ἔργον εὐμαρές, ἀδοκήτοις Τιγυρίοις περὶ τὸν ποταμὸν ἐπιπεσόντι, καὶ τρεψαμένῳ καὶ σκεδάσαντι τοὺς πολλοὺς ἐν ἀσυνταξίᾳ.

Plut. *Caes.* 18: Ἀλλὰ γὰρ ὁ μὲν πρῶτος αὐτῷ τῶν Κελτικῶν πολέμων πρὸς Ἑλβηττίους συνέστη καὶ Τιγυρίνους, ... Τούτων Τιγυρίνους μὲν οὐκ αὐτός, ἀλλὰ Λαβιηνὸς πεμφθεὶς ὑπ' αὐτοῦ περὶ τὸν Ἄραρα ποταμὸν συνέτριψεν, ...

Ex Appiani verbis veri simile, ex Plutarchi tantum non certum fit Labieni nomen non temere commemoratum esse; at Caesarem memoria lapsum errasse non credendum est; nihil igitur restat, nisi ut Asinio credamus atque putemus Caesarem consulto commentarios hoc loco perperam edidisse. Et facile apparet, quare Caesar contra morem

Digitized by Google

suum hanc gloriam sibi vindicaverit. Haec enim pugna principium totius belli Gallici atque tamquam omen fuit; a dis ipsis bellum Helvetiorum purgatum atque defensum videtur, et opportune factum est, quod Caesar id bellum gesturus erat, qui ultionem privatam cum publica coniungeret. Neque Caesar gloriam alienam sibi vindicavit. Omitto quod omnia Caesaris auspiciis gesta sunt; sed hoc tempore Labienus non suo consilio rem gessit Caesare absente, sed Caesaris praesentis iussa exsecutus est, quod etiam ab Appiano (ἔπεμπε αὐτόν) atque a Plutarcho (Λαβιηνὸς πεμφθεὶς ὑπ' αὐτοῦ) confirmatur. Itaque quod Caesari hoc loco exprobrari potest, si quid est, minimum est, atque Cassio Dioni id laudi tribuendum est, quod re cognita hanc Asinii correctionem reiecit.

Ad captationem verborum saepius haec ratio depravata est velut *De bello Gallico* 1, 15, 2 (Caesaris equitatus) *cum equitatu Helvetiorum proelium committunt; et pauci de nostris cadunt. Quo proelio sublati....*

Dio 38, 33, 1 (Helvetii) τήν τε ἵππον τοῦ Καίσαρος .... ὑποστάντες τῷ ἱππικῷ ἐνίκησαν, κἀκ τούτου αὐτοί τε φρόνημα λαβόντες.... Dio rem recte narravit, ut ipsis commentariis 1, 18, 10 confirmatur: *quod proelium equestre adversum paucis ante diebus esset factum, initium eius fugae factum* e. q. s. Sed commentarios incusare malitiae vel stultitiae est; qui sententia, non verbis ducitur, eum hoc loco commentarii non decipiunt.

Iam ad postremum locum perveni, quem tractare destinaveram: *De bello Gallico* 1, 11, 2 sqq. *Aedui, cum se suaque ab iis defendere non possent, legatos ad Caesarem mittunt rogatum auxilium: Ita se omni tempore de populo Romano meritos esse, ut paene in conspectu exercitus nostri agri vastari, liberi eorum in servitutem abduci, oppida expugnari non debuerint. Eodem tempore Ambarri.... Caesarem certiorem faciunt sese depopulatis agris non facile ab oppidis vim hostium prohibere. Item Allobroges.... demonstrant sibi praeter agri solum nihil esse reliqui. Quibus rebus adductus non exspectandum sibi statuit, dum omnibus fortunis sociorum absumptis....*

Dio 38, 32, 3 III... οὐκ ἐνέμειναν τοῖς ὡμολογημένοις ἀλλὰ τὴν χώραν αὐτῶν ἐλεηλάτουν. πέμψαντες οὖν οἵ τε Σηκουανοὶ καὶ οἱ

Digitized by Google

Αἴδουοι πρὸς τὸν Καίσαρα ἐπικουρίαν τε παρ' αὐτοῦ ἤτουν, καὶ ἐδέοντο μή σφας περιιδεῖν ἀπολομένους, καὶ ἔλεγον μὲν οὐδὲν ὅμοια οἷς ἔπραξαν, ἔτυχον δ' οὖν ὅμως ὧν ἠξίουν.

Dionis verba *ἔλεγον μὲν οὐδὲν ὅμοια οἷς ἔπραξαν* interpretari velim: legati Sequanorum atque Aeduorum quae Helvetii fecissent (vel quae ipsi passi essent) [1]) in maius auxerunt.

Hanc sententiae formam temere adhibitam esse non veri simile est: Commentarii a Dione impugnari mihi videntur; re vera Helvetii quae sibi usui essent rapientes per agros eorum iter fecerunt neque urbes oppugnare vel de industria agros vastare vel homines perdere cogitabant. Ceterum Caesar ea non de suo narravit, sed Aeduos eorumque socios querentes fecit; quod igitur hae querelae veritatem excedunt, quamquam quadamtenus iis se credere simulavit (ut verba: „omnibus fortunis sociorum consumptis" monstrant), tamen Caesari non nimis crimini dandum est; attamen iure quodam Asinius dicere potuit: quae per alios [2]) erant gesta, temere Caesarem credidisse; Dio autem, iudicio Asinii adductus, de veritate nihil deminuere conatus est.

Quadamtenus ad eandem rationem ascribi possunt, quae Commentarii habent 1, 27, 4: *circiter hominum milia VI.... ad Rhenum finesque Germanorum contenderunt..... reductos in hostium numero habuit.*

Dio 38, 33, 6: *πρὸς τὸν Ῥῆνον, ὡς καὶ ἐς τὴν ἀρχαίαν σφῶν γῆν ἐπανελθεῖν δυνάμενοι, ὥρμησαν.....*

Si Dio rem recte narravit (quod veri simile mihi videtur),

---

1) In orationis contextu suspectum mihi non videtur, quod Helvetiorum nomen ante verbum *ἔπραξαν* non commemoratur; alteram interpretationem propositam a Micalella, quamquam verbum *πράττειν* ita usurpatur, propter tempus aoristi (*ἔπραξαν*) reiecit Will (*Quae ratio intercedat inter Dionis Cassii de Caesaris bellis Gallicis narrationem et commentarios Caesaris de bello Gallico*, Diss. Erlangensis 1901) p. 18; id autem iniuria. Ceterum tenendum est haec verba cum iis quae praecedunt (velut *σφας ἀπολομένους*) artius cohaerere; itaque reicere velim aliam interpretationem a Micalella propositam (cf. Will. *l. l.* p. 18 sq.): „Caesarem certiorem non fecerunt de eo quod fecerant, id est, se sua sponte illos per fines suos iter facere passos esse et ita ipsos sibi iniuriarum illatarum auctores fuisse. Sed tamen sqq." Quam interpretationem ipse Will proposuit, relatu non digna est.

2) Verba ipsa tam ad hostes quam ad Caesaris legatos spectant; quamquam non dubito, quin pleraque exempla res ab legatis gestae Asinio praebuerint.

Digitized by Google

Caesar scripsit, non quae Helvetii in animo habebant, sed quae ipse suspicatus erat, veritus ne Helvetii cum Germanis se coniungerent; Caesar, sive in errore perseveravit, sive rem cognitam oblitus est, poenam in eos nimis gravem, qui in patriam redire voluerint, excusavisse videtur.

Hac disputatione monstrasse mihi videor Asinii iudicium ad commentarios utique de Bello Gallico spectare [1]). Natura talium reprehensionum non est aliena ab Asinii ingenio: erat homo in parvis quoque veri amans; sicut in usu verborum Sallustio obiectavit, quod transitum transmissumque navibus factum ‚transgressum' appellavit eosque qui fretum transmiserant, quos ‚transfretasse' dici solitum est, ‚transgressos' dixit (Gellius *Noct. Att.* 10, 26, 1), ita in re historica Caesaris commentarios detrectavit, speciosum veritatis ferens titulum: *Male hercule eveniat verbis, nisi rem sequuntur* (Porphyrio ad Horatii Artem Poeticam 311). At non tantum commentarios iure quodam hic illic impugnavisse videtur, velut quod Labieni nomen narrationis apte componendae causa omissum est, sed etiam saepius ad verborum captationem progressus est; in eius iudicio de fide historica id quoque valet, quod Quintilianus in arte oratoria ei attribuit: summa diligentia, adeo ut quibusdam etiam nimia videatur (*Inst. Or.* 10, 1, 113) [2]). Neque Caesarem celavisse videtur, quod in commentarios errores irrepserant; vix tamen veri simile est Asinium vere Caesari credidisse, cum ridens (vel eum irridens?) responderet eos se rescripturum et correcturum.

Sed concedendum est Caesarem nonnunquam in rebus parvis memoria destitutum erravisse; neque id mirum; Caesarem quae suscipiebat, facile atque celeriter fecisse notum est: scribere aut legere, simul dictare et audire solitum accepimus, epistulas vero tantarum rerum quaternas pariter dictare librariis aut, si nihil aliud ageret, septenas (Plinius *N. H.* VII

1) Exempla mea ideo ex bello Helvetiorum sumpta sunt, quia in hoc bello describendo Dionis Historiae artissime cum Caesaris commentariis cohaerent; cf. Vrind *De Cassii Dionis Historiis* (Mnemosynes Vol. 54, p. 327 sqq.).

2) cf. *Inst. Or.* 10, 2, 25: *quid tamen noceret ... diligentiam Pollionis ... quibusdam in locis adsumere?* Sed Asinius interdum ea diligentia abusus est.

Digitized by Google

25, 91); interdiu vehebatur circum castella, urbes castraque uno assidente puero qui, dum ipse iter faceret, dictata ab ipso exciperet scribendo..... et bello Gallico exercuit se praeterea ut inter equitandum epistulas dictaret idque duobus, et ut Oppius ait, etiam pluribus (Plut. *Caes.* 17); et Oppius id scire poterat. Cum Hirtius, qui ipse quoque id scire poterat, diserte dixerit se scire, quam facile atque celeriter Caesar eos perfecerit (*De Bello Gall.* 8, praef. 6), non dubitandum est, quin admodum celeriter scripti sint. Itaque eum ephemerides quasdam uberrimas pervolutasse non veri simile est; atque si eas pervolutasset, in responso Helvetiorum legatis dato non erravisset; sed brevem quandam expositionem ei praesto fuisse veri simile est, unde legatorum Helvetiorum nomina Nammeium et Verucloetium atque multa talia promere potuit; atque si duobus vel pluribus librariis pariter dictans simul hanc expositionem [1]) inspexit, facile in rebus parvi momenti errores hic illic in commentarios irrepere poterant; etiam magis mirandum est pleraque ita accurate diligenterque descripta esse, ut hodie quoque loca quibus pugnae commissae sunt, recognoscere atque ibi ipsius pugnae ordinem sequi possimus; Caesar igitur, quibus rebus intento animo interfuerat, postea quoque eas acriter atque accurate ante oculos sibi proposuisse atque quae insigni memoria visuali nisus rursus animo cernebat, descripsisse videtur; quae autem non intentis oculis vel quae non ipse viderat, in iis nonnunquam erravisse videtur.

1) Fortasse Caesar eas epistulas ad senatum consuluit, quas primus videtur ad paginas et formam memorialis libelli convertisse, cum antea consules et duces nonnisi transversa charta scriptas mitterent (Suet. *Caes.* c. 56). Hae Caesaris epistulae codicis formam habuisse videntur (id enim ea verba significare videntur), ita ut in dictando facile atque celeriter requiri quid posset.

Digitized by Google

DE PROPERTII ELEGIARUM LIBRO IV.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Viri docti etiam nunc dissentiunt utrum ipse poeta an unus ex amicis post eius mortem librum ultimum elegiarum Propertianarum emisisse putandus sit.

Argumentis carminum huius libri enarratis Schanz incredibile fere esse contendit quemquam inveniri cui liber, cuius cum universa dispositio tum partes singulae artis plenae sint [1]), non ab ipso poeta editus esse videatur, neque argumentum profert ullum, sed eo, quod verbis magnificis undecim illa carmina mirum in modum connexuit, ordinationem libri totius artificiosam satis iam probasse sibi videtur; incongrua multa atque insulsa, quae offendunt alios vetantque ne Schanzii sententiae astipulentur, ne verbo quidem attigit.

Quicumque carmina, e quibus hic liber compositus est, vel obiter cognoverit, Schanzium titulo communi qui est „Die römischen Elegien" eum significare magnopere mirabitur. Ex carminibus quattuor tantum, fortasse sex, illum titulum sibi vindicare possunt; sunt tamen quattuor minime digna quae „elegiae Romanae" nuncupentur. At Schanzio nullum iniecerunt scrupulum: „das Liebesgedicht ist in die zweite Linie eingerückt, es ist nur eine Beigabe und nicht Begleiter eines sein Herz bewegenden Liebesverhältniss" — hac verborum pompa res ab eo decisa est!

1) „das im ganzen Aufbau wie im einzelnen kunstvoll ist".

Digitized by Google

Plessis quoque ipsum Propertium libri editorem fuisse censet, sed unum certe argumentum affert, quod de elegia prima deprompsit. Monet enim poetam usque ad vs. 70 indicare se scripturum esse opus Fastorum vel Periegesis instar et laudat vs. 69:

sacra diesque canam et cognomina prisca locorum,

deinde vero haud minus diserte eum significare, se id susceptturum non esse, cl. vs. 70 sqq.:

Quo ruis inprudens, vage, dicere fata, Properti?
Non sunt a dextro condita fila colo.
Accersis lacrimas cantans: aversus Apollo,
Poscis ab invita verba pigenda lyra.

Ex his versibus, Plessis ait, elegia iustum est prooemium libri, cuius carmina partim testantur magnum illud consilium verum fuisse, partim declarant poetam id missum fecisse atque ad trita sua revertisse itinera. „Il n'y aurait donc rien que de très logique dans la composition de ce livre, tel qu'il est, par le poète lui-même".

Argumentum sane ingeniose excogitatum! Propertius scilicet librum carminibus generis prorsus dissimilis compositurus est, qua de causa in elegia prima praemeditatus est quid censores de tanta diversitate postero tempore sibi exprobrare possent!

At hercle primum dubito num eiusmodi ratio logica vel mathematica in poetis aestimandis iusta nedum certissima sit, deinde vir doctus non redarguit ceteras difficultates graviores neque scrupulos evellit, quos compositio libri qualis ad nos pervenit plerisque inicere solet. Quos antequam exponam, dictum Antonii Marx breviter memorare liceat, quod Plessis etiam attulit ad sententiam suam confirmandam; est autem: „nusquam Propertius dicit se severa cecinisse, sed se canere voluisse".

Ingenue fateor me non intellegere quid id inane dictum ad rem pertineat. Verum sit, Propertium nusquam dixisse se severa cecinisse sed se canere voluisse, — eum revera cecinisse severa nemo negabit. Undecim carmina cursim percenseamus: primo quidem opus pollicetur quale est Αἴτια Callimachi vel Fasti Romani, quod promissum vates Babylonius vs. 70 interrumpit, ut supra dictum est.

Digitized by Google

Quattuor carmina huic consilio respondent sc. secundum de Vertumno, quartum de Tarpeia, nonum de Hercule et Caco, decimum de Iove Feretrio. Plessis insuper duo alia carmina huic generi adnumeranda censuit sc. sextum de bello Actiaco et undecimum, quod epicedion Corneliae vocatur, illud, cum poeta advenam, quem per Urbem comitabatur, ante aedem Apollinis duxisset — hoc, cum monumenta celeberrima ei ostenderet. Quid tandem his duobus carminibus Propertio fuerit propositum in medio relinquimus, verum illis sex carminibus certo severa cecinit, postquam in carmine primo affirmavit, se severa canere voluisse. At nullus video quare praeterea profiteri debuerit se id fecisse neque quid ista affirmatio comprobare possit perspicio.

Quamquam igitur Plessisio uni adhuc in mentem incidit, poetam non modo quattuor (II, IV, IX, X), sed fortasse sex carminibus consecutum esse propositum, quod in elegia prima aperuit, elegiae quattuor, quae restant, ab eo consilio quam maxime abhorrent: sunt autem III^{a}, Arethusae epistula ad Lycotan data, quae speciem Heroidum Nasonis refert, V^{a}, lenae Acanthidos exsecratio, quae Ovidii Ibim in mentem vocat, VII^{a}, quae somnium enarrat quo Cynthiae umbra poetae obicitur, VIII^{a} denique, convivii festiva descriptio, in quo Cynthia ab itinere redux poetam deprehendit.

Vides quam varii et diversi generis argumenta elegiae undecim, quas liber ultimus complectitur, exhibeant quamque dissimillimus eo sit tribus libris antecedentibus, quorum carmina eiusdem generis sunt omnia. Plessis quidem ambigue dicit: „il y a donc dans ce livre au moins deux courants distincts", sed modo quattuor ex elegiis pro certo in unius rei rationem cadunt (II, IV, IX, X), quattuor plane ab illis discrepant atque etiam inter se diversi sunt generis (III, V, VII, VIII), et profecto libenti animo opus erit ac mente imaginosa, si quis cum Plessisio elegiam de Actio et Reginam quae dicitur Elegiarum (VI et XI) in illarum numerum redigere velit, neque quisquam alius, quod sciam, hucusque in eam cogitationem incidit.

Quae cum ita sint, ille libri concentus, a Schanzio magnis laudibus celebratus, me latet, immo miram carminum farragi-

Digitized by Google

nem liber exhibet, quem ab ipso poeta dispositum emissumque esse nemo umquam mihi persuadebit.

Iam Lachmann, quem Hertzberg secutus est, censuit elegias huius libri post mortem poetae ab eius amicis collectas editasque esse, atque inter recentiores Propertii editores Postgate ei assensus est, qui etiam novum argumentum protulit, quod cum omnium gravissimum mihi videatur sed expositum sit in libello minus pervulgato, utpote in studiosae iuventutis usum confecto [1]), in hac Bibliotheca latine repetere haud inutile mihi visum est.

Postgate igitur in praefatione, quam anthologiae suae praemisit, pg. LIV haec fere disseruit: de libro quarto multa incerta sunt, sed hac de re apud me nulla est dubitatio: neutiquam editus esse potest ab ipso poeta. Non primo loco ponere nunc lubet longum temporis spatium, ad quod elegiae pertinent (ab a. 27—15 a. C. n.), quae res opus postumum indicare videtur, neque miram argumentorum diversitatem. Verum convertere animos volo ad elegias septimam et octavam iuxta positas: nullus credo eas ab ipso Propertio isto ordine iunctas esse, sed imprudentia nescio cuius editoris, qui cum in utroque carmine de Cynthia esse sermonem vidisset, accuratiore rerum cognitione supersedit.

Elegiarum argumenta brevi in conspectu ponantur.

In septimo autem carmine umbra Cynthiae paulo ante mortuae Propertio comparet. Reprehendit eum quod tam cito amoris sui oblitus sit nec non incuriam ei exprobrat in funere suo curando. Suspicionem sibi incidisse dicit, venenum mortis suae causam fuisse, deque servis quaestionem utique habendam esse monet. Obicit poetae, quod Chlorin, aemulam ex infima plebe, locum suum iam occupare et malignitatem in ancillas suas explere passus sit, quin etiam sigillum aureum, quod e rogo rapuisset, conflare. Deinde condicionem suam apud inferos describit et poetae nonnulla mandat: ne quid desideret Parthenie, vetula nutrix, neve Latris, ancilla sibi dilectissima, novae dominae praesto esse cogatur; tum versus comburat quoscumque suo nomine fecerit, denique hederam purget, quae

1) Select Elegies of Propertius: London, Macmillan and Co. 1885.

Digitized by Google

tumulum suum in Anienis ripa iam opprimat, et breve elogium ei inscribendum dictat. Iamque, ait, illucescit et fas mihi est te relinquere, sed paulisper modo. Licet nunc aliae te possideant, mox te sola tenebo. „Mecum eris", hoc daemonico versu finem facit alloquii „mecum eris et mixtis ossibus ossa teram", quae ubi elocuta est, tristis evanescit imago.

Hanc elegiam continuo sequitur illa (VIII[a]), quam Propertii elegiarum omnium picturae artem rationemque vel maxime referre Postgate existimat. Enarrat, Cynthiam cum amatore quodam Lanuvium curru avectam esse ut antrum celeberrimum et draconem ibi degentem viseret, qua absente se cum duabus amicis laetum apparavisse convivium. Ecce prodigia complura quae evenerant res consecuta est: ex improviso Cynthia „furibunda decens" irruit, convivas dispellit, Propertium et Lygdanum verberibus castigat. Denique ubi furor eius resedit, cum poeta redit in gratiam.

Haec omnia poeta nobis paene sub aspectum subiecit descriptione tam vigenti, tam lucida in rebus singulis claritate, festivitate tam candida ac naturali ut nihil apud eum sit tersius, venustius, iucundius. Carmen videlicet ex eius ingenio recens profectum et sane dextro sidere compositum est. Verba h a c n o c t e, quae versu primo leguntur, demonstrant id esse conscriptum, cum rerum recentium memoria ei ante oculos obversaretur, ipso scilicet die postquam factae sunt.

Etiam si elegiae VII[a] et VIII[a] ordinem vertissent, Postgate ait, dura inter eas diversitas atque adeo natura contraria vehementer nos attingeret. De vita beata hilarique cum iocis suis inconsultis ac blandis voluptatibus temere transilire ad Orcum frigidum et tenebrosum — id Graecis hominibus nimirum violentior, Romanis audacior transitus fuisset. At hercle vero ordinem vertere atque naturam eadem via reverti iubere, ea profecto phantasia horrenda vel potius irrisio Mephistotelica putanda est; istud demum fieri potuit, cum homines vires arcanas horrendi adhibere didicissent, unde Wiertz diras suas effinxit picturas, Edgar Allan Poe tot commenta excogitavit horrifica.

Neque hoc argumentum a Postgatio etiam indicatum spernendum est. In Ovidii Rem. Am., quod carmen anno fere secundo p. C. n. scriptum esse videtur, vs. 764 est:

Digitized by Google

et tibi cuius opus Cynthia sola fuit.

Pro certo statuere licet, Propertium diem supremum iam obiisse cum hic versus scribebatur: fuit enim sine dubio aoristus est. Quod cum ita sit, versus nobis de elegiis Propertii, quae a. 2 p. C. n. iam editae vel certe Nasoni notae erant, verissimum praebet iudicium. Cynthia, Ovidius ait, opus vel argumentum unicum fuit Propertii. Non necesse est, voc. opus scripta iam emissa utique denotare, etiam volumen perfectum absolutumque significare potest, sed ad rem nostram nihil id refert. Porro causa nulla est cur nomen Cynthia modo ad librum primum hic pertinere credamus: Nasonem hoc versu carmina omnia de Cynthia condita dixisse maxime probabile est. Quod si verum est, de quo cum Postgatio non dubito, liber ultimus qualis nunc est Ovidio non innotuit. Non quo de Propertio libri auctore inde ulla dubitatio oriatur, immo indicia interna, eum carmina huius libri scripsisse, tam certa sunt ut Propertio librum assignare nos iuberent, etiamsi nomen alterius poetae traditum esset memoriae.

Nonne satis iam conclusum videtur, librum post poetae mortem atque adeo post annum 2 p. C. n. vulgatum esse?

Praevaleat igitur in posterum iam sana ratio atque Postgatii subtile iudicium!

Digitized by Google

EPIGRAMMA ATTICUM.

SCRIPSERUNT

I. I. E. HONDIUS et G. VOLLGRAFF.

Athenis in museo epigraphico conspicitur basis e marmore Pentelico, in qua quinque foramina ad signum votivum quadrupedis, ut videtur, statuendum. Altitudo est 0^{m}.55, latitudo 0^{m}.43, crassitudo 0^{m}.55; numerus 2822. Litterae saeculum IV^{um} vel III^{um} a. C. n. arguunt. Alt. litt. 0^{m}.009.

ΑΜΒΡΟΣΙΟΣΚΑΙΔΙΟΠΕΙΘΗΣΔΗΜΟΣΤΝΗΙΜΕΑΝΕΘΗΚΑΝ⁝ ΑΡΤΕΜΙΔΙ
ΜΝΗΜΕΙΟΝΕΑΤΤΩΝΑΡΙΤΗΣΤΟΙΣΕΠΙΓΙΓΝΟΜΕΝΟΙΣΕΙΣΤΟΝΑΠΑΝΤΑΧΡΟ

Ἀμβρόσιος καὶ Διοπείθης Δημοσύνῃ με ἀνέθηκαν
Ἀρτέμιδι, μνημεῖον ἑαυτῶν ἀριτῆς
τοῖς ἐπιγιγνομένοις εἰς τὸν ἅπαντα χρό[νον].

Vocabula *Δημοσύνῃ* et *ἀριτῆς* paulo maioribus et inaequalioribus litteris scripta in locum aliorum vocabulorum successerunt quae ferro deleta sunt ita ut nulla priorum vestigia supersint.

Epigrammatis schema metricum ita se habet:

$$-\breve{\smile}\breve{\smile}-|-\breve{\smile}\breve{\smile}-|--\breve{\smile}\breve{\smile}-\breve{\smile}\breve{\smile}-\breve{\smile}$$
$$-\breve{\smile}\breve{\smile}-|-\breve{\smile}\breve{\smile}-|-\breve{\smile}\breve{\smile}-$$
$$-\breve{\smile}\breve{\smile}|-\breve{\smile}\breve{\smile}|-||-\breve{\smile}\breve{\smile}|-\breve{\smile}\breve{\smile}|\breve{\smile}$$

Id est:

dimeter choriambicus cum enoplio per synaphiam coniunctus
trimeter choriambicus
pentameter dactylicus.

Vs. 2: *μνημεῖον ἑαυτῶν.*

De versu quem enoplium dicimus cf. Wilamowitz, Griechi-

Digitized by Google

sche Verskunst, p. 376 sqq. Exempla e poetis atticis petita adscribere libet haecce:

Aesch. Sept. 756 ἔτλα, παράνοια συνᾶγε

Cratin. Mein. II, p. 100 [1]) σιγάν νυν ἅπας ἔχε, σιγάν,
καὶ πάντα λόγον τάχα πεύσῃ,
ἡμῖν δ' Ἰθάκη πόλις ἐστί,
πλέομεν δ' ἅμ' Ὀδυσσέι θείῳ.

Aristoph. Vesp. 1521 καὶ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο

Choriclides ap. Athen. p. 325, d δέσποιν' Ἑκάτη τριοδῖτι.

Quos versus omnes si paroemiacos nuncupare malis, a consuetudine veterum non desciscas [2]). Choriambus enoplio praefixus occurrit apud Euripidem Or. 1369:

Ἀργεῖον | ξίφος ἐκ θανάτου πέφευγα.

Enoplium coniunctum vel etiam conglutinatum cum pentametri parte dimidiata invenies Eur. Androm. 1014 sq.:

τίνος εἵνεκ' ἄτιμον ὀργά-
νων χέρα τεκτοσύνας...

El. 859: θὲς εἰς χορόν, ὦ φίλα, ἴχνος,
ὡς νεβρὸς οὐράνιον,

Item cum parte priore hexametri:

Eur. frg. 370, 3: ᾄδοιμι δὲ στεφάνοις κά | ρα πολιὸν στεφανωθείς [3]).

Quod si quaeris qui fit ut Ambrosius et Diopithes, honesti venatores, iisdem metris utantur quibus Euripides, respondemus non hos e poetis tragicis ea consulto delibasse, sed poetarum artificio subesse cantilenas populares. Pro argumento addimus iam antiquitus in epigrammatis varia metra contexi. [4])

Ἄρτεμιν Δημοσύνην, cui Ambrosius et Diopithes imaginem ferae, puta apri vel lupi, quam fortiter occiderant, dedicaverunt, praesidem ipsorum δήμου fuisse sumimus [5]). Lex attica cuius pars apud Demosthenem [6]) exstat dignoscit ἱερὸν Ἀθηναίων δημόσιον ἢ δημοτικόν; item Hesychius δημοτελῆ ἱερά... εἰς ἃ θύματα δίδωσιν ἡ πόλις, δημοτικὰ δέ, εἰς ἃ οἱ δῆμοι. Itaque adiec-

1) Cf. Wilamowitz, Op. l. p. 386.
2) Cf. Hephaest. VIII, 6.
3) Cf. Wilamowitz, Op. l. p. 388.
4) Cf. I. G. V, 2, 75.
5) De diis pagorum atticorum cf. Pauly-Wissowa, Real-Encycl. s. v. Demoi, p. 22.
6) Demosth. Contra Macart. 71; p. 1074.

Digitized by Google

tivum δημόσυνος, quod hoc solo loco legitur, interdum idem valuisse atque δημοτικός credendum est.

Ἀριτῆς pro ἀρετῆς scriptum esse videtur, nisi forte lapicida erravit, quod vocalem ε nonnumquam tam occlusam proferebant ut vocalis ι simillima evaderet. Tertium saeculum praebet nomina attica Ὠφιλίων, Ὠφιλίμη iuxta Ὠφελίων, Ὠφελίμη [1]); neque absurdum videtur conferre vocabula πετάννυμι — πίτνημι, σκεδάννυμι — σκίδνημι alia. [2])

1) Cf. Meisterhans-Schwyzer, Gramm. der att. Inschr.[3] p. 18.

2) Cf. G. Meyer, Griech. Gramm.[3] p. 106—109; Brugmann-Thumb, Griech. Gramm. p. 106.

Epigramma Acarnanicum.

In libro quo rudera templi Iovis quod Strati aetate Alexandri Magni exstructum est summa cum scientia atque diligentia pertractaverunt viri clarissimi Picard et Courby, legitur epigramma huc usque ignotum quod editores, uno versu sexto excepto, probabiliter restituerunt in hunc modum:

[κ]αὶ Φθιμένων ἀρετᾶς λάμπε[ι κ]λέος, οἵσ[ι δ]ι' ἔργων
[μ]υρί' ἀνικάτου μίμνει ἄεθλα [δ]ορός,
[κ]οὐ ψευδὴς μύθων κέχυται Φά[τ]ις, ἀλλὰ τυπωθείς
χαλκὸς ἀρίγνωτος [π]ά[γχυ δάμ]αξε μ[όρον]·
Σωσάνδρου δώρημα, [τ]ὸ [θῆκεν] Πανταλέ[οντι]
ἀρχεύσας ἐρατῆς Γ Τ/ Ν .... ἠιθέων.
κτλ. [1])

Non est dubium quin legendum sit:

ἀρχεύσας ἐρατῆς γυ[μ]ν[άδος] ἠιθέων,

i. e. γυμνασιαρχήσας. Γυμνάς dicitur γυμνάσιον etiam IG, XII, 3, 202, 1: τίς ἔκτισε γυμνάδα τάνδε, et ibid. 7, 447, 5: γυμνάδος ἐν τεμένι.

G. V.

1) Recherches archéologiques à Stratos, 1924, p. 110.

Digitized by Google

„AUGUSTUS"

SCRIPSIT

F. MULLER I. fil.

„Augusti" nomen primo Romanorum „principi" inditum die 16° mensis Ianuari anni 27 a. Chr. n., si quaerimus, quid significaverit, unde fluxerit, quo spectaverit, nihil omnino quod quidem possit probari, nobis respondetur. Tum demum, cum in eo vocabulo sensum plane reconditum atque ex intimo religionis Romanae sinu protractum agnoscimus, explicatio ab omni parte sana necnon luculenta dari potest.

Octavianus dum se pristino illo „augusti" nomine a civibus suis ornari passus est, hoc quasi confiteri et palam declarare videtur post tantam bellorum civilium seriem, post infandam hominum stragem, post gravissimum opulentiae detrimentum se unum, neque praeter se quemquam, rempublicam adeo turbatam ad novam quasi vitam posse revocare, in qua una cum duce „aucta" novis uteretur virium fontibus.

„Augusti" enim adiectivum eum designat, qui ceteris maius „augus", id est arcanam quandam augendi, creandi, alendi vim ostendit a deis oblatam. Si quis tali indole praeditus rebus plane turbatis, immo iam ad ruinam inclinatis, praecipitem repente in tam spissis tenebris salutis lumen accendit, omnium rerum commutationem efficit, desperatos ut sperent movet utque ad vitam quodammodo remeent, eum „Salutis auctorem" divina quadam „augendi" facultate insignitum per ora homi- volitare, ut ait poeta, necesse est.

---

1) Quae fusius alibi tractavi (Mededeelingen Kon. Akad. v. Wetensch. 1927, deel 63, p. 275—347), hoc loco in breviorem formam redacta lectori proponenda esse duxi. F. M. I. f.

Digitized by Google

Ita in Augusti felicitate multa apparent, quae priscam rerum Romanarum condicionem in mentem revocant: propter illam „augendi" vim non solum „augus" possedit atque „augustus" dictus est, verum etiam factus est „augur", summamque omnium rerum habuit „auctoritatem". Id quod Augustus ipse diserte testatus est in Monnmenti Antiocheni versione nuperrime edita.

Vergili Ecloga IV, carmen omnium maxime variis explicationibus obnoxium, nunc demum recte, quid sibi voluerit, nobis aperire videtur: „Augustus augur" atque „augur Apollo", qui anno circiter 40 a. Chr. n. „in Octaviano nasci, gigni, crescere" putandus est, re vera unus idemque fuerunt, ita ut optimo iure de eo cecinerit Vergilius, vates Romae renascentis

„Cara deum suboles, magnum Iovis „in-crēmentum".

Quibus rebus penitus adsensi continuo multa animadvertimus, quae plane eodem pertinent: tam ex lingua Latina, id est ex ipsorum Romanorum quasi mentis speculo variae imagines repercussae monstrari possunt, quam ex Augusti monumentis in Palatio repertis mutos lapides ad claras voces citare licet.

Quae si in brevissimam formulam redigas, haece evadit conclusio: Octavianus „auctor, augur, augus-tus, summa auctoritate praeditus" regum Romanorum, Romuli imprimis, heredem se agnovit, idque in omni vita cunctis animi viribus nisus efficere conatus est, ut ea, quae sub regibus fuerat olim condita „augusto augurio", nunc se „auctore augusto" et „Apolline duce" ad pristinam gloriam „renasceretur"

Roma aeterna.

Digitized by Google

OBSERVATIONES CRITICAE AD TERTULLIANI AD NATIONES LIBROS.

SCRIPSIT

J. G. P. BORLEFFS.

(Continuantur ex pagina 201).

Ad Nat. I 5 (65, 28): *nomina sic sunt instituta, ut fines suos habeant inter dici et esse*..... (65, 31): *Omnes nomen de professionibus gestant, sed ducunt* (ita Oehlerus; *seducant* Agob.) *nomen sine professionis praestantia qui superficie vocabuli infamant veritatem, non statim sunt, quia* (Agob.; *qui* Goth.) *dicuntur, sed quia non sunt, frustra dicuntur et fallunt eos qui rem nomini addicunt, cum de re status nominis competat.*

Hic oratio non bene procedere videtur; totius enim sententiae pars altera inde a verbis *non statim sunt* cum priore parte minus cohaeret, quod nescio an Gothofredus senserit, *qui* edens in textu pro codicis *quia*. Qui tamen et ipse fallitur eo quod codicis lectionem *seducant* retinet. Mihi totum melius procedere videtur, si pro *seducant* reponimus *si ducant* [1]), virgula post vocabulum *praestantia* posita, ita ut sequentia *qui infamant veritatem* subjectum sint enuntiati quod est *non statim sunt* [2]); interpungendum erit in hunc modum: *Omnes nomen de professionibus gestant: si ducant nomen sine professionis praestantia, qui superficie vocabuli infamant veritatem, non statim sunt quia dicuntur*, cet.

Libri I cap. 12 de Christianorum veneratione crucis Ter-

1) Vel quod olim (de Tert. et Min. Fel., Gron. 1925 p. 22, 6) conjeci: *sed ⟨si d⟩ucant*; nunc vero minus placet.

2) De conjunctivo in protasi, indicativo in apodosi adhibito adeas velim Kühner II 2 p. 394 *b*, Apulei Apol. ed. Butler-Owen, Grammatical Index p. 203, G. Blokhuis, de latinitate qua usus est Tert. in Apol., Velp. 1892 p. 18.

Digitized by Google

tullianus agit; non solum Christianos, sed etiam gentiles colere cruces demonstrare studet. Simulacrum enim omne de cruce esse formatum, quam plasticae manus argilla intexant, circinis deinde et modulis in marmoreum vel aereum vel argenteum dei simulacrum transfigurent; crucem igitur consecrare dicit gentiles, a qua dei simulacrum incipiat. Quod ut probet auctor, exemplum petivit etiam de Victoriis castrensibus (p. 83, 11): *Victorias ut numina, et quidem augustiora, quanto laetiora veneramini. Con⟨structi⟩one* (ita Reiff.; *con.....one* Agob.) *quo* (ita Hartelius pro cod. *quid) melius extollant, cruces erunt, intestina quodammo⟨do tro⟩paeorum* (ita Rigalt.; A.: *quodammo.....paeum*). *Itaque in Victoriis et cruces colit⟨is⟩* (ita Hartelius Patr. Stud. II p. 59, 3, probante Waltzingio, Cod. Fuld. p. 41). Apologeticus liber haec habet (16, 7): *Sed et Victorias adoratis in tropaeis, cum cruces intestina sint tropaeorum.*

In his ea verba quae sunt *constructione.... extollant*, non intellegere me ingenue confiteor [1]). Gothofredus coniecerat *contignatione* aut *compactione*, quae tamen vocabula in Tertulliani scriptis non magis apparent, quam *constructione*, quod Reifferscheidio placuit. Denique Kroymannus [2]) scribere nos iussit: *⟨spoliorum⟩ concumulatione*, quod cum prioribus coniunctum vult, at *concumulatio*, si fidem habemus Thesauro illo Linguae Lat., in tota Latinitate nusquam invenitur, nedum apud Septimium nostrum legatur. [3])

Ex loco Apologetici satis apparere videtur, virgulam quam post *erunt* editor posuit, tollendam esse, ita ut *cruces.... tropaeorum* unum efficiat sententiae membrum. Quod si verum ducimus, prior pars sententiae alium in modum restituenda videtur. Erraverunt autem omnes, ni fallor, eo quod putaverunt Tertullianum in ea sententiae parte agere de tropaeorum constructione, cum revera de *consecratione* ipsorum loquatur.

---

1) Neque Hartelium probo qui ita interpretatus est (Patr. Stud. II p. 59, 2): 'Nach meiner Herstellung ist in dem Satze *quo melius extollant* das Subjekt *cruces* oder *intestina*: das Gerippe der Victorien wird aus Kreuzen gebildet, um sie durch den Aufbau zu erhöhen'.

2) Quaest. Tert. Crit., Oeniponte 1894 p. 40.

3) Quamquam verbum *concumulandi* semel usurpavit de Virg. Vel. 7 (I 894 O).

Digitized by Google

Itaque nunc totum locum restituo sic: *Con⟨secra⟩tio ne quid melius extolla[n]t, cruces erunt intestina quodammo⟨do tro⟩paeorum* [1]). Priora verba ironice dicta sunt; de usu futuri (*erunt*) cf. huius libri p. 92, 17; de Cult. fem. II 5 (I 721 O). Denique in fine sententiae nescio an propter spatium melius scribere possimus: *quodammo⟨do et* vel *etiam tro⟩paeorum*; sane in prioribus (p. 82) de simulacris tantum auctor locutus erat; nunc vero tropaea etiam adiungit.

Libro ad Nat. I 14, Apol. 16, 12 sq. Septimius narrat Iudaeum quendam Carthagini picturam in Christianos proposuisse cum hac inscriptione: onokoites. Deum istum fuisse auribus asininis, altero pede ungulatum, gestantem librum, toga amictum. Deinde Apol. 16, 13 ita pergit: *Sed illi debuerant adorare statim biforme numen, qui et canino et leonino capite commixtos, et de capro et de ariete cornutos, et a lumbis hircos et a cruribus serpentes et planta et tergo alites deos receperunt.* Plana haec et facilia intellectu: si Christiani biforme numen, hominem scilicet asisinis auribus deformatum, venerantur, gentiles quoque numina colunt et ipsa biformia ut quibus dei sint multi ex homine et bestia aliqua commixti. In priore autem libro eadem hoc modo expressit (p. 84, 21): *videamus igitur, an hic quoque nobiscum deprehendamini. neque enim interest qua forma, dum deformia simulacra curemus. sunt penes vos et canino capite, et leonino, et de bove et de ariete et hirco cornuti dii, caprigenae vel anguini, et alites planta, fronte et tergo.* Ut saepe, sic nostro loco in Apol. non eadem dicit auctor atque in priore libro: hic enim non biformia Christianorum et gentilium numina comparat, sed ea numina quae et apud Dei servos et apud nationes sub certa forma, asinina puta vel canina vel leonina, colantur. Ubi autem haereo in vocabulo *deformia*, quod a contextu alienum videtur. Liber Agobardi *deformia* habet, sed ex *deforma* correctum. Quid, si

1) Ut nostro loco *extollant* pro *extollat*, sic p. 85, 14 *distant* in codice fuit quod deinde in *distat* correctum est; sic p. 123, 6 *manebant* in *manebat* correxit Gothofredus. Inversum vitium deprehendas p. 108, 2, ubi codex *gustat* habet, Gothofr. *gustant* scripsit; et p. 112, 14, ubi *consecrat* codicis in *consecrant* Oehlerus correxit.

Digitized by Google

scribimus: *neque enim interest qua forma, dum de forma simulacra curemus?* Amat sane Tertullianus repetitionem eiusdem vocabuli in talibus: Apol. 48, 3: *multo utique dignius credi, hominem ex homine rediturum, quemlibet pro quolibet, dum hominem;* de Praescript. haer. 34, 6 (Rauschen): *Eligant igitur sibi tempora universae haereses, quae quando fuerit, dum non intersit quae quando;* adv. Marc. V 7 (593, 4): *viderit et quomodo dixerit: 'in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die domini', dum et de carnis interitu et de salute spiritus iudicarit.* Denique de usu praepositionis *de*, qua liberius uti Septimius solet [1]), cf. locum de Idol. 3 (32, 27), qui et de cetero aliquatenus comparari potest: *utique, cum adest idolum, nihil interest, quale sit, qua de materia, qua de effigie, ne qui putet id solum idolum habendum, quod humana effigie sit consecratum.*

Ad Nat. I 20 (92, 23): *diverso opere occupati eritis: in extraneos casti, in vosmetipsos in⟨cesti⟩, exertiores foris, subjecti domi.* In his vocabulum *incesti* Gothofredus in notis supplevit, qui in textu 4 litterarum lacunam exhibet, in notis autem 5. Reifferscheidius vero litteras 6 intercidisse statuit. Quodsi concedas hunc recte vidisse, haud scio an melius restitui possit *in⟨pudici⟩*. Sic enim, ut interse opposita sunt *exertiores* et *subjecti*, a diversis radicibus derivata vocabula, ita *casti* et *inpudici*, diversa origine et ipsa; praeterea cf. II 13 (124, 17): *omnes proinde* [2]) *incesti in suos, impudici in extraneos, impii, iniusti.*

In primo sequentis libri capite pauca admodum adnotanda inveni. Tamen dubito an II 1 (94, 12): *secundum vestros commentarios, quos ex omni theologiae genere cepistis*, iniuria Oehleri coniecturam editor spreverit, qua ille in priore editione sua (Hal. Sax. 1849) scripserat [3]): *ex omni... genere ⟨re⟩ce-*

1) Cf. modo Hoppe Syntax p. 33; Blokhuis, de Latinitate pp. 52 sqq. Cf. locutionem *curare de alqa re* Tertulliano usitatam: Hoppe p. 35.

2) Nam ita legendum cum codice, non *perinde*, quod Reiffersch. et hic et alibi passim rescripsit.

3) Sane in Reifferscheidii editione vix ullum locum repperi, unde appareat priorem quoque Oehleri editionem diligenter contulisse editorem, cum suam conficeret.

Digitized by Google

pistis; hoc enim verbum et alias apud nostrum saepe invenias, et eodem fere sensu quo nostro loco adhibuit in priore libello I 13 (83, 25): *etiam in laterculum septem dierum solem recepistis.* — In sequentibus pro *adoptationibus* (p. 94, 26) quod coniecit Rigaltius, editor recepit, codicis lectionem (*adoptionibus*) esse servandam, recte iam monuit Rauschen ad locum De paenit. 12, 1.

Eiusdem libri cap. 2 philosophorum auctoritatem infirmare Septimius studet, quorum sapientiam opinionum varietas arguere videtur. Deinde pergit (p. 95, 12): *quis autem sapiens expers veritatis, qui ipsius sapientiae et veritatis patrem et dominum deum ignoret?* Ita edunt inde a Gothofredo: pro priore *veritatis* codex litteras .... *tatis* tantum exhibet. Haec, etsi Hartelio placuerunt [1]), recte se habere non possunt: requirimus enim cum editore: *quis autem sapiens* ⟨*non*⟩ *expers veritatis*, aut cum Vlietio [2]): *quis autem* ⟨*haud*⟩ *sapiens expers veritatis.* Recte quidem illi quantum ad sensum; sed nihil praeter libri manuscripti lacunam desideratur, modo legamus: *quis autem sapiens expers vanitatis, qui ipsius sapientiae et veritatis patrem et dominum deum ignoret?* Gothofredum litterarum reliquias evanidas fefellisse suspicor. Sane vocabula *vanus, vanitas* Tertulliano usitatissima sunt: cf. horum librorum I 19 (91, 17) II 9 (111, 4), II 12 (116, 9) II 16 (129, 12); Apol. 11, 6; Pall. 2 (I 925 O); et amant antiqui *veritati* opponere *vanitatem,* ut Cic. Tusc. III 1, 2: *ut vanitati veritas... cedat,* Liv. XXII 39, 19: *vanam gloriam qui spreverit, veram habebit*; Aug. Civ. Dei IV 21 init.: *non veritas sed vanitas*; quin ipse Tertullianus eadem habet ad Nat. I 8 (71, 27): *sed unum hoc erit de vanitatibus vestrarum fabularum non otiose nobis retractandum, quo fidem vestram vanitatibus quam veritatibas deditam demonstrare gestimus.* [3])

Post haec Septimius in hunc modum pergit II 2 (95, 14): *nam et divina alias enuntiatio Solomonis, 'initium', inquit, 'sapientiae metus in deum'. Porro timoris origo notitia est; quis*

1) Patr. Stud. III p. 39.

2) Stud. Eccles. I p. 27.

3) Haec antea jam exposueram (De Tert. et M. F. p. 41), sed ideo hic repetivi quod illic foedissimo vitio deturpata erant.

Digitized by Google

enim timebit quod ignorat? Ita qui deum timuerit, ignotior[1]) (sic Oehlerus pro *ignotio* quod A exhibet) *omnium, deum omnium notitiam et veritatem adsecutus plenam atque perfectam sapientiam optinebit.* In his verba quae sunt *ita qui* Rigaltio debentur, cum Agob. habet... *aq.* i. e.... *aque*; Gothofredi textus *itaque* exhibet. Quae tamen nullum sensum praebere videntur, nisi Rigaltium secuti ea quae sequuntur, *ignotio omnium deum*, e textu eicimus. Nam e toto contextu apparet, qui deum timuerit, non omnium esse ignotiorem, sed ipso timore sapientiorem fieri. Scio Hartelium[2]) locum nostrum aliter explicasse, cum dicit *ignotior omnium* idem esse ac si scriptum esset: 'quamvis omnia ignoret'; sed vocabulum *deum* bis positum displicet, nec sensus totius loci omni ex parte placet. Equidem haec Septimium scripsisse puto: *itaque dum timuerit, ignotior omnium, deum omnium notitiam et veritatem adsecutus plenam atque perfectam sapientiam optinebit*, i. e. 'qui omnium ignotior fuerit usque eo dum timuerit, ipse ille, cum semel deum omnium notitiam adsecutus erit, plenam demum sapientiam obtinebit'. Nescio an sic melius cum prioribus cohaereant, cum etiam singulorum membrorum antithesis quae dicitur, servetur. Possis tamen etiam: *ita qui, dum timuerit, ignotior omnium* etc., ita ut post *omnium* forma aliqua verbi *esse* subaudiatur, cuius ellipsis Tertullianus amantissimus est[3]).

Ad Nat. II 5 (103, 12): *porro si ita sentiuntur in civium conversatione*, e. q. s. Pro *civium* quod Oehlerus restituit, codex unam *o* litteram exhibet cum spatio trium litterarum, Reifferscheidio si fidem habemus, qui ob eam causam *omni* proposuit[4]). Miror neminem adhuc verum perspexisse: mecum potius lege: *in omnium conversatione,* et cf. Apol. 17, 5: *Deus magnus, Deus bonus, et, Quod Deus dederit, omnium vox est*, aut ejusdem libelli 23, 12, ubi agit de Christo qui de

1) *Ignotior* h. l. esse pro *ignarior* recte Oehlerus monuit. Cf. Krebs, Antibarb. s. v.; Kühner II 1 p. 437; Hartel Patr. Stud. III p. 40; Tac. An. II 71, III 1, Agr. 43.

2) Op. laud. p. 40.

3) Hoppe Syntax p. 144; Löfstedt, Sprache p. 57.

4) Hartel. Patr. Stud. III p. 47 *hominum* conjecit.

Digitized by Google

caelo venturus sit *cum totius mundi motu, cum orbis horrore, cum planctu omnium.* Nostro loco id vocabulum per compendium (omiū vel oiu̅m) scriptum fuisse suspicor.

Ad Nat. II 6 Tertullianus philosophorum opinioni repugnat qua elementa (= στοιχεῖα) deos illi crediderunt: divinitatem enim neque minui neque intercipi neque corrumpi debere, elementa vero talia saepe pati; sic astra intercidere, lunam decresci, solem deficere nonnumquam; deum autem neque minorem fieri velle neque esse desinere [1]). Post pauca deinde ita pergit (105, 23): *ceterum cui res examinabitur, verisimilius utique dicet elementa ista ab aliquo regi quam ultro cadere: igitur non deos quae sub aliquo.* In his vocabulum *cadere* quod Gothofredus in textum inseruit, mihi quidem minus placet; nam in prioribus de dissolutione et deminutione elementorum Septimius egerat, de astrorum interitu, de detrimento lunae et solis defectu, non de occasu ipsorum. Nec facile crediderim 'elementa cadere' latine dici posse eodem sensu, quo 'intercidere' vel 'deminui' ea affirmamus. Accedit quod in codice non sex, sed quinque litterarum lacunam hiare Gothofredus, Hildebrandus, Klussmannus testati sunt; Reifferscheidius vero litteras *ca* discernere adhuc sibi visus est sequente spatio 3 litterarum. Quae cum ita sint, haud scio an pro *cadere* melius *carpi* restituere possimus, quod et elegantissimum ὁμοιοτέλευτον cum praecedenti *regi* efficit, et sensui congruere videtur: adeas rogo Sen. ep. 71, 12: *quid enim mutationis periculo exceptum? non terra, non caelum, non totus hic rerum omnium contextus.* ..... (13) *certis eunt cuncta temporibus: nasci debent, crescere, extingui. quaecumque supra nos vides currere, et haec, quibus inmixti atque impositi sumus veluti solidissimis, carpentur ac desinent.*

Ad Nat. II 7 de mythico deorum genere Septimius loquitur, id agens videlicet, ut homines illos fuisse, non deos, ostendat.

---

1) Cf. jam Aristid. 3, 3 gr.: καὶ θαυμάζειν μοι ἐπέρχεται .... πῶς οἱ λεγόμενοι φιλόσοφοι αὐτῶν οὐδ' ὅλως συνῆκαν ὅτι καὶ αὐτὰ τὰ στοιχεῖα φθαρτά ἐστιν. εἰ δὲ τὰ στοιχεῖα φθαρτά ἐστι καὶ ὑποτασσόμενα κατὰ ἀνάγκην, πῶς εἰσὶ θεοί; cf. ejusdem cap. 4, 1 et quos attulit Geffcken p. 50.

Digitized by Google

In quibus nonnulla deprehendi quae certa emendatione sanata nondum videntur. Velut cum (p. 106 sq.) auctor demonstrare studet, si mortuis hominibus divinitas esset addicenda, non utique talibus tribuendam fuisse, quales vulgo deos perhibeant: ipsos quoque gentiles, si imperatores post mortem consecratione honorent, nonnisi virtute, iustitia, pietate conspicuos in caelum extollere, contra pravorum et turpium damnare memoriam; deus vero hominibus passim, nulla selectione facta, divinitatem offerret? (p. 107, 1): *Mundiores erunt regum et principum comites quam summi dei? atquin horretis et aversamini vagos, exules, pauperes, debiles, sordide natos, inhoneste institutos, contra incestos, adulteros, raptores, parricidas etiam legibus sacratis. Ridendum an irascendum sit, tales deos credi quales homines esse non debeant?* In his verbum *sacratis* Reifersch. rescripsit pro tradito † *exarendis*, quod corruptum profecto; alii aliter emendando loco operam dederunt [1]). Nemo tamen recentiorum recte intellexisse locum nostrum videtur; omnes enim putaverunt haec voluisse Tertullianum: 'in terra horretis vagos, debiles, rudes' quosque alios auctor enumerat, 'in caelo autem deos collocatis multo graviorum criminum reos, incestos, adulteros, parricidas quoque et raptores'. Sed vide quo iure talia affirment. Nam quid sibi vult *legibus* istud? De legibus, inquit, auctor loquitur, 'quibus a senatu vel a successore mortui imperatores qui caelo dicarentur, digni promulgabantur' [2]). Itane vero? Parricidas aliosque nocentes legibus promulgatis gentiles consecrant? Sed ipse Septimius paulo ante (p. 106, 14) contenderat, gentiles nonnisi 'probatos quosque iustitia, virtute, pietate et omni bono eiusmodi consecrationis solacio honorare'. Porro quid statuamus de vocabulo *etiam* quod substantivo *legibus* adiectum est? 'Etiam legibus' homines consecrant gentiles: qui aliter possunt?

Gothofredum potius audiamus, qui solus totius loci sensum perspexit, quamquam lectionem traditam perperam mutavit. Adnotavit enim (p. 154): '*γρ. exarandis*, horretis scil. et aver-

1) Goth. conjecit *exarandis*, Rigalt. *exerendis*; recentiorum Oehlerus *exornatis* proposuit, *exeritis deos* Harnack.

2) Cf. Oehler in editione anni 1849 ad loc. (p. 354).

Digitized by Google

samini, *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ*. Nempe, quos supra memoravi, horretis et aversamini: sed hos quos nunc nomino, etiam scriptis legibus aversamini'. Recte quidem ille quantum ad sensum: locum enim nostrum comparare possumus cum multis ex veterum Christianorum scriptis desumptis (Aristid. 13, 7 et quos ibi Geffckenus attulit; imprimis cf. Ps. Tert. fr. Vat. de execr. gent. dis [II 767 O.] [1]), quibus Gothofredi sententia plane confirmatur. Unum Aristidis exemplum exscribo: *ἄδικοι*, inquit, *πάντως οἱ θεοι αὐτῶν* (*τῶν Ἑλλήνων* scil.) *εἰσὶ παράνομα ποιήσαντες, ἀλληλοκτονίας* (= Tert. *parricidas*) *καὶ φαρμακείας καὶ μοιχείας* (= *adulteros*) ⟨*καὶ ἁρπαγὰς* ex versione Syriaca inseruit Geffcken (= *raptores*)⟩ *καὶ κλοπὰς καὶ ἀρσενοκοιτίας· εἰ δὲ καλῶς ἔπραξαν ταῦτα, οἱ νόμοι ἄρα ἄδικοί εἰσι κατὰ τῶν θεῶν συντεθέντες· νυνὶ δὲ οἱ νόμοι καλοί εἰσι καὶ δίκαιοι, τὰ καλὰ ἐπαινοῦντες καὶ τὰ κακὰ ἀπαγορεύοντες· τὰ δὲ ἔργα τῶν θεῶν αὐτῶν παράνομα· παράνομοι ἄρα οἱ θεοὶ αὐτῶν καὶ ἔνοχοι πάντες θανάτου καὶ ἀσεβεῖς οἱ τοιούτους θεοὺς παρεισάγοντες*. Argumentum hoc in deos nationum quaesitum sub antiquissima forma Aristides protulit; ipsius Tertulliani conferre possumus ad Nat. II 13 (123, 13), ubi postquam dixit Iovem patrem regno privasse et cum sorore incestum commisisse, ita pergit: *si iustis etiam tunc legibus ageretur, in duos culleos dividi Iovem decuit* [2]). Nostro tamen loco Septimius a via trita et communi paullum deflexit, ut et alias saepe priorum argumenta aut novam in formam rettudit, aut insolitum in modum adhibuit: haec scilicet dicit: 'in terra vos turpes vel miseros aversamini, impudicos et nocentes etiam legibus punitis: deos tamen creditis tales quales sunt homines ipsi quos aut aversamini aut punitis'? Quam interpretationem esse veram haud scio an satis eluceat ex loco simili Apol. 11, 13: *si enim vos talibus* [3])

1) Hoc frgm. denuo edidit E. Bickel, Rhein. Mus. N. F. 76 (1927) pp. 395 sqq., cuius editionis vide § 5.

2) Sic Oehlerus edidit, an recte, postmodo videbimus. — Cum hoc loco cf. locum Fgrmti Vat. quem supra attuli.

3) Quales sunt, quos in priore § enumeravit: 'impii quique in parentes (vel parricidae; = Aristid. *ἀλληλοκτονίας*) et incesti in sorores et maritarum adulteri (= *μοιχείας*) et virginum raptores (= *ἁρπαγάς*) et puerorum contaminatores (= *ἀρσενοκοιτίας*), et qui saeviunt, et qui furantur (= *κλοπάς*) et qui decipiunt, et quicumque similes sunt alicuius dei vestri'.

Digitized by Google

puniendis praesidetis, si commercium, colloquium, convictum malorum et turpium probi quique respuitis, horum autem pares Deus ille maiestatis suae consortio adscivit, quid ergo damnatis, quorum collegas adoratis? Et in Apol. igitur gentiles 'respuunt' vel aversantur convictum turpium, 'nocentibus' autem 'puniendis praesident', in iudicum videlicet tribunali, in iudiciis cum talibus secundum leges poenas infligunt.

Tamen Gothofredi emendatio minus placet, nam 'aversari et horrere aliquem legibus exarandis' Latine dici posse haud facile crediderim. Neque mihi emendationem reperire adhuc contigit, quae omnino satisfacere videri possit. Rescripserim tamen interim: *contra incestos... etiam legibus exsurgitis* vel *exardescitis*, ita ut *contra* praepositio sit. Praepositionem vero h. l. esse forsitan et ex adverbio *etiam* adiecto appareat.

Ad Nat. II 7 (107, 6) *Sedenim in isto mythico genere, quod poetae ferunt, quam incerti agitis circa conscientiae pudorem et pudoris defensionem! Nam quotiens misera vel turpia vel atrocia deorum exprobramus, allegatione poeticae licentiae ut fabulosa defenditis, quotiens ultro siletur de eiusmodi poetica,* ⟨*non*⟩ (inser. Goth.) *modo non horretis* (ita Rigalt.; *erratis* Agob.), *sed insuper honoratis atque* (Reifferscheid; *utque* Agob.) *in necessariis artibus habetis, denique per hanc initiatricem litteraturae ingenuitatis studia producitis.*

Haec editor; quae tamen recte se habere vix crediderim. Vlietius (Stud. Eccles. I p. 29) pro *poetica* scribere nos iussit *poeticam*, optimo iure, ut sit objectum sequentium verborum; genetivus *eiusmodi* cum praepositione coniunctus nullo substantivo adiecto in Tertulliani scriptis saepe invenitur: cf. modo Apol. 49, 3: *in eiusmodi*; Ieiun. 7 (282, 4): *pro eiusmodi*; praescr. haeret. 5, 5: *ab eiusmodi*. Cf. etiam huius ad Nat. libri cap. 1 (94, 14): *in huiusmodi*. Quae exempla, ut alia quoque, Oehlerus congessit ad locum de Baptismo cap. 12 (I p. 631) [1]). Vocabulum *ultro* Vlietius interpretatus est: a nostra

1) Cf. praeterea G. Blokhuis, de Latinitate qua usus est Tert. in Ap., diss. 1892 p. 78; Hoppe, Syntax p. 106.

Digitized by Google

parte. Sed in ceteris quoque mendum latere videtur. Nam verbum *horrendi* quod Rigaltius restituit, minime mihi placet ut a loco alienum. Dicit enim Tertullianus: quotiens turpia exprobramus quae poetae de deis digesserunt, non negatis talia, sed defenditis allegatione poeticae licentiae; quotiens vero de talibus silemus ultro, vos ea in poetis non reprehenditis (ut sane facitis, cum nos ea carpimus), sed etiam honoratis eos. Itaque rescribendum erit: *oneratis*; quod si scripserimus, facile intellegetur, quomodo corruptela orta sit: *non oneratis* per *n̄ oneratis* abierit in *non erratis* [1]). Verbum *onerandi* Tertulliano esse usitatissimum supra iam demonstravimus [2]); accedit quod et alibi *onerare* et *honorare* opposita inveniuntur, ut in Livio (XXII 30, 4): *plebei scitum quo oneratus sum magis quam honoratus.* — Denique pro *atque*, quod Reifferscheidius coniecit, cum liber Agobardi *utqȩ*, habeat, haud scio an melius reponamus *utique*; haec enim dicere auctor mihi videtur: 'poeticam honoratis, aut, si non honoratis, certe in necessariis artibus habetis'; *honoratis* nimium ei visum est; quod igitur in sequentibus aliquatenus retraxit [3]). Totum locum nunc in hunc modum constituo: *quotiens ultro siletur de eiusmodi, poetica⟨m non⟩ modo n⟨on⟩ oneratis, sed insuper honoratis; utique in necessariis artibus habetis; denique per hanc initiatricem litteraturae ingenuitatis studia producitis.*

---

1) Valde doleo quod sero cognovi id quod conieci ad Nat. I 7 (68, 27), *onerare* scil. pro tradito *honorare* (v. huius voluminis p. 197), ante me iam invenisse V. Cl. Aem. Kroymann (Qu. Tert. Oeniponte 1894 p. 35). Cui veniam praefatus suum hic restituo.

2) v. Kroymann l. c.; supra p. 197. — Nescio an hoc verbum in codice scriptum fuerit etiam II 7 (106, 15), ubi editur: *nonne probatos quosque iustitia, virtute, pietate et omni bono eiusmodi consecrationis solacio honestatis?* Quo loco Agob. habet *one* in fine versus, sequente lacuna in proximo; *honestatis* Gothofredus restituit. Quae verbi forma ideo minus placet quod et cum substantivo confundi facile potest, et in Tertulliani scriptis alias non invenitur. Inde suspicor, in codice fuisse non *onestatis*, sed *oneratis*, quod sane in *honoratis* corrigi debet; sic Apol. 39, 5 pro *honoraria* in nonnullis codd. *oneraria* scriptum extare supra (p. 197) iam diximus; sic Exhort. Cast. 13 in. (I 755 O) Oehlerus edidit: *cum quid bonum... ab extraneis quoque agnoscitur et honoratur*, ubi codices *oneratur* exhibent.

3) Possis tamen etiam: *poeticam... honoratis, ut quam in necessariis artibus habetis*; de *ut qui* sequente indicativo adeas velim Hoppe Syntax p. 74.

Digitized by Google

Ad Nat. II 7 (107, 23): *non creditis poetis, cum de relationibus eorum etiam sacra quaedam disposueritis? cur rapitur sacerdos Cereris, si non tale Ceres passa est? cur Saturno alieni liberi immolantur, si ille suis pepercit? Cur Idaeae masculus amputatur, si nullus illi fastidiosior adulescens libidinis dolore castratus est? cur Herculeum polluctum mulieres Lanuvinae non gustant, si non mulierum causam praeivit?*

Ita Reifferscheidius edidit; quae tamen recte se habere, haud facile equidem concesserim. Primo quidem ante verba q. s. *non creditis poetis* inserendum puto vocabulum *cur*; perlege modo paginam 107 totam, imprimis confer ea quae paulo superius (107, 15) leguntur: *at cum recipiatis illos* (poetas scil. quos Plato e civitate quam instituebat, eiecit) *et retineatis, cur non credatis talia retexentibus de deis vestris?* Sane post verbum *polluuntur*, quod nostro loco praecedit, voculam *cur* facile omitti potuisse nemo non videt. Deinde in sequentibus nescire me confiteor, quomodo ultima verba idoneum in modum explicari possint. Nam *mulierum causam praeire* Latine dici posse vix crediderim. Neque melius Oehlerus *mulierum causa praeivit* aut Gothofredus *mulierum causa prius fuit* coniecerant, ut explerent lacunam codicis Agobardini, qui *mulierum causa p.....* exhibet, ita ut quinque fere litterae desiderentur. Solus Hartelius (Patr. Stud. III p. 51) sensui totius loci aliquatenus satisfecisse videtur, cum scriberet *mulierum causa prohibuit,* collato Varronis loco a Macrobio laudato, qui Sat. I 12, 28: *unde et mulieres in Italia sacro Herculis non licet interesse, quod Herculi cum boves Geryonis per agros Italiae duceret, sitienti respondit mulier aquam se non posse praestare, quod feminarum deae celebraretur dies nec ex eo apparatu viris gustare fas esset. Propter quod Hercules facturus sacrum detestatus est praesentiam feminarum et Potitio et Pinario sacrorum custodibus iussit ne mulierem interesse permitterent.* Et prima quidem specie Hartelius verum invenisse potest videri; altius tamen auctoris verba penetranti coniectura ejus non aeque forsitan placuerit. Quam si receperimus, primo statuamus necesse est in codice scriptum fuisse *ꝑibuit*, non *ꝑhibuit,* ut numerus constet litterarum; tum et

Digitized by Google

sensus deficit. In prioribus enim nonnisi turpia de deis exempla, id quod Hartelium fugit, Septimius attulit: Proserpinae raptum, Saturni τεκνοφαγίαν, castrationem Attidis, cum exemplo Herculis coniunxit. Igitur et de Hercule turpe aliquid expecto. Quid autem turpe in eo, si Alcmenae filius mulierculas aliquot a sacrorum ritu prohibuisse dicatur? Denique quis Tertulliani lector verba q. s. *si non mulierum causa prohibuit* recte intellegere potuit, nisi qui Varronis locum memoria teneret? Nonne nimia laborant brevitate?

Sed alias quoque causas antiqui proferre solent ut explicent quare Herculis polluctum mulieres non gustarent [1]). E multis unum Plutarchi locum exscribo qui Quaest. Rom. 60 haec quaerit: διὰ τί, δυεῖν βωμῶν Ἡρακλέους ὄντων, οὐ μεταλαμβάνουσι γυναῖκες οὐδὲ γεύονται τῶν ἐπὶ τοῦ μείζονος θυομένων; πότερον ὅτι τῶν ἱερῶν αἱ περὶ τὴν Καρμέντην ὑστέρησαν, ὑστέρησε δὲ καὶ τὸ Πιναρίων γένος· ὅθεν εἰργόμενοι τῆς θοίνης, ἑστιωμένων τῶν ἄλλων, Πινάριοι προσηγορεύθησαν· ἢ διὰ τὰ μυθολογούμενα περὶ τοῦ χιτῶνος καὶ τῆς Δηιανείρας; Fuerunt igitur qui contenderent Herculis sacro interesse mulieribus ideo non licere quod Hercules ipse per mulierem, Deianiram scil., mortem obiisset. Quo adducor ut Tertulliani verba sic constituere malim: *cur Herculeum polluctum mulieres Lanuvinae non gustant, si non mulierum causa* (i. e. propter Deianiram et Iolen) *periit?* Quod si scribimus, et lacuna ad litteram expletur, et satis turpe videtur Iovis filium propter mulieres luxuriosas vitam amisisse; denique de morte Herculis cum alios Christianorum [2]), tum Septimium ipsum ludos facere consuevisse satis constat: cf. modo huius libri cap. 14 (126, 8): *qui uxoris ob lasciviam venenis circumventus magis meruit, ut inhonesta morte moreretur? hunc vos de pyra in caelum sublevastis.*

Post haec Septimius ita pergit (p. 108, 3): *mentiuntur sane poetae* [3]), *sed non ideo, quod talia digesserint ut quibus homines*

1) Locos vide apud Roscher s. v. Hercules col. 2258 sqq.

2) e. g. Aristid. 10, 9; Iustin. Apol. I 21, 2; alii quos attulit Geffcken ad loc. Aristid.

3) Cf. Otto Sprichw. 283: πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί; Xenarch. fr. 7 Kock: οἱ μὲν ποιηταὶ λῆρός εἰσιν.

Digitized by Google

quasi dei fuerint [1]), *nec quod divinas adscripserint foeditates divinitatis, cum interim vobis credibilius visum est deos fuisse, sed non tales, quam tales, sed non deos.* In his vocabulum quod est *divinas* nullum praebere sensum Hartelius [2]) cognovit, quo adductus est ut *indignas* substitueret, collato huius libri cap 1 (p. 94, 28): *apud poetas omnia indigna*, et (p. 95, 3): *fabulis indignis.* Mihi tamen leviore medela locus egere videtur; scribamus modo: *quod* ⟨*non*⟩ *divinas adscripserint foeditates divinitatis* [3]), quod et sensui congruit et Tertulliani stilum sapere videtur.

Ad Nat. II 8 (109, 10) Ioseph dicitur: *iunior inter ceteros fratres, sed excelsior* ⟨*ingenio*⟩. Horum ultimum vocabulum Gothofredus restituit. Sed cum in codice 10, non 7 litterae intercidisse videantur, teste Reiff. ipso, melius forsitan restitui possit: *intellectu.* Cujus sane vocabuli amantissimus auctor est: de Bapt. 10, 2; de Virg. Vel. 6 (I 899 O) et saepe.

Ad Nat. II 10 Tertullianus Varronem (Antiq. Rer. Div. XV fr. 18 b Agahd) auctorem secutus notissimam de Larentina Herculis amica fabulam pluribus enarravit. Caput hoc tanta vetustatis damna tulit, ut sperare vix liceat, in pristinam et integram formam unquam redigi posse; tamen si non singulas res, at totum argumentum ex aliis scriptoribus, Plutarcho, Macrobio, Augustino, compertum habemus. Editores Oehleri coniecturas fere secuti sunt; qui quamquam multa suppeditavit, tamen nonnulla supersunt adhuc quae certa emendatione carere videantur. Sic p. 114, 3 sqq. quae Oehlerus restituit, ab omni parte recta esse vix crediderim. Nam *prope mortem* illud frigidissimum est. Sed cum tam incerta multa sint, melius fortasse erit textum ipsum dare cum supplementis meis, de quibus benevolus lector iudicet rogo (114, 3): *Mox illa prop*⟨*ter*

1) Ita scribere nos iussit Hartelius, Patr. Stud. III p. 52; Agobardi liber, teste Reifferscheidio, exhibet haec: *sed non ideo, quod talia gesserint ..... homines quas defuerint*; ego Hartelii coniecturam interim recepi, sane Klussmannus (Cur. Tert. part. tres p. 39) in codice legere se testatus est: *gesserint u. ....* .

2) Op. laud. p. 52.

3) Hunc voculam a librariis saepe omissam Thörnellius docuit Stud. Tert. II p. 63 n. 2; cf. huius capitis p. 107, 11.

Digitized by Google

invidiam divinae mercedis, quem [1])*> per Herculem fuerat insecuta agrum, <p(opulo) R(omano) reliquit decedens; quo sibi meruit> divinitatem et filiabus suis quas et ipsas he<redes scribere debuit. Ita> divina Larentina Romanorum numina digni<tate sua auxit; nempe so>la* [2]) *de tot uxoribus Herculis cara, sola enim dives <fuit, utique felici>or* [3]) *Cerere quae mortuo placuit.*

Quod de priore capite dixeram, tot ac tantis lacunis textum hiare, ut in integram formam restitui vix iam posset, hoc in sequens etiam quadrat. In quo inter alia haec quoque legimus II 11 (115, 15): *Domiducam et habent, et deam <Mentem, quae faciat mentem bonam aequ>e et malam.* Ita Oehlerus scripsit, quem editores secuti sunt. Klussmannus vero testatur (Cur. Tert. p. 42), in codice 18 litteras evanuisse, quamobrem haud scio an rectius scribere possimus: *et deam <Mentem, quae det mentem bonam aequ>e et malam*, ita ut in codice fuisse statuamus: *m̃tẽ q. det m̃tẽ bonã aeque* vel tale quid [4]). Quod ad sensum huius loci attinet, ex Varrone (Antiq. Rer. div. XIV fr. 29 Agahd) haec sumpsisse Tertullianum inter omnes constat. Cum autem ex Augustino satis appareat, Varronem de mala mente nusquam esse locutum (ut recte Agahdius monuit [5])), equidem suspicor verba quae sunt *aeque et malam* ab ipso Septimio addita esse εἰρωνικῶς, et ita esse interpungendum: *Domiducam et habent, et deam <Mentem, quae det mentem bonam (aequ e et malam?), item voluntatis Volumnum* cet.

Cap. 13 huius libelli post Saturnum de Iove patris expulsore, sororis adultero agit; de illo primum dictum putat illud

1) Haec scripsi Augustino fretus qui Civ. D. VI 7 (I 259, 16 Domb.): *amplissimam adepta pecuniam, ne divinae mercedi videretur ingrata, quod acceptissimum putavit esse numinibus, populum Romanum etiam ipsa scripsit heredem.* In Tert. 24 litteras interiisse Klussmannus (Cur. Tert. p. 42) testatur; scriptum igitur fuit: *propter invidiã divine mercedisq.*

2) *Dignit* lac. 17 *la* Klussm.

3) *Dives* lac. 15 *or* Klussm.

4) Cf. II 9 (111, 20) *men<te con>ceptos*, ubi liber scriptus prioris vocabuli nihil exhibet nisi unam *m* litteram cum lineola superscripta (*m̃*) in fine versus.

5) M. Ter. Varr. Ant. Rer. div. libri I XIV XV XVI, Fleckeisens JB XXIV, 1 (1898) p. 171 n.

Digitized by Google

τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον [1]). Deinde pergit ita (123, 13): *tam pius pater quam pius filius. ⟨Si iustis etia⟩m tunc legibus ageretur, in duos culleos dividi Iovem decuit.* In his quae Oehlerus supplevit *si iustis etiam* et spatio longiora videntur et sensum idoneum non praebent. Nam post *filius* 6 litteras intercidisse et Gothofredus et Klussmannus testati sunt, deinde cum hoc loco alterum eiusdem libri conferre possumus, ubi de Saturno Iovis patre haec Septimius posuit II 12 (117, 20): *ipse pubescens sorori suae iungitur. Nondum leges quae incesta prohiberent nec quae parricidium plecterent.* Ex quo loco appareret cap. 13 scribendum esse *iam tunc,* non *etiam tunc.* Possis igitur ⟨*at si* vel *quodsi ia*⟩*m tunc legibus ageretur.* Vocabulum legibus absolute positum est, nullo adiectivo adiecto, cf. de Monog. 16 (I 786 O): *aliud est si et apud Christum legibus Iuliis agi credunt.*

Post pauca editio Reifferscheidiana haec habet II 13 (123, 16): *de quo* (Iove) *poetica sic lusitavit quomodo ⟨fere, quando* (Oehl.)⟩ *de fugitivo palam factum, solemus et operam eius percon⟨tationi alienae* (Oehl.)⟩ *abusive* (ita Reiff.; codex: *abusui) nundinare.* De hoc loco aliquot abhinc annis iam egi in dissertatione mea, ad quam lectorem reicio [2]); sed tunc lacunam perperam explevi; nam cum 10 litteras evanuisse et Hildebrandus et Klussmannus (Cur. Tert. p. 45) testati sint, vix dubium esse potest quin vera lectio sit haec: *solemus et operam eius percon⟨tandi alieno⟩ abusui nundinare.*

Deinde in sequentibus nescio an pro (124, 5): *in similitudines actuum ip⟨sas⟩* melius legamus: *in similitudines actuum ip⟨sorum⟩*; genetivus pluralis, ut saepe [3]), per compendium scriptum fuerit (*ipsoꝝ*).

In ultimo huius libri capite, quamquam ad eius lacunas supplendas Apologeticus libellus (cap. 25) multa suppeditat, tamen aliqua adhuc restant quae aut valde incerta aut corrupta etiam dicenda nobis sint. In nonnullis tamen forsitan

1) Varro Sat. 552.
2) De Tert. et Min. F., p. 46, 4 (p. 47).
3) Cf. Klussmann Cur. Tert. p. 51.

Digitized by Google

habeam quae Oehleri supplementis praestare videantur. Velut cum initio capitis auctor loquitur de eorum opinione qui putant (130, 5) *propterea scilicet Romanis totius orbis do⟨minos atque arbitros factos fuis⟩se, quod officiis religionum meruerint do⟨minare sic, ut parum absit, quin ipsis suis d⟩eis praevaleant.* Ita Oehlerus (quem secutus est Reiff.) edidit, ingeniosius sane ille quam verius. Nam primo quidem ipse Tert. in Apol. haec habet (25, 2): *Romanos pro merito religionis diligentissimae in tantum sublimitatis elatos et impositos, ut orbem occuparint, et adeo deos esse, ut praeter ceteros floreant, qui illis officium praeter ceteros faciant*; deinde cum nostro loco Minucium quoque illum comparare possumus: 25, 1: *attamen ista ipsa superstitio Romanis dedit, auxit, fundavit imperium, cum non tam virtute quam religione et pietate pollerent.* Neuter igitur eorum de Romanis, qui ipsis deis suis potentiores sint. Denique, quod Oehlerus supplevit, et spatio longius videtur, cum Klussmannus [1]) indicet, in codice 20 tantum litteras intercidisse, et iam ideo verum esse non potest, quod vocabula q. s. *eis praevaleant* in principio novi versus leguntur quo satis apparet prioris illius vocabuli nullam litteram evanuisse. Quo adducor ut potius rescripserim haec: *quod officiis religionum meruerint do⟨minare nec ulli pietate⟩ eis praevaleant:* quod si legimus, et lacuna ad litteram fere expletur, et noster locus cum ceteris duobus plane congruit; utrumque enim Septimius refutat, et Romanos ob religiositatem in tantum potentiae excrevisse (= Apol.: *pro merito relig.* cet., Min.: *religione*), et eos pietate ceteris praestare (= Apol.: *praeter cet. floreant, qui ...praeter cet. fac.;* Min.: *pietate*).

II 17 (133, 8): *regnum universae nationes suis quaeque temporibus habuerunt, ut Assyrii, ut Medi, ut Persae, ut Aegyp⟨tii; est et adh⟩uc penes quosdam.* Ita fere edunt Gothofredum secuti; Apologetici versio (26, 2) longius distat. Sed alii multi auctores sunt, cum quibus locum nostrum conferre possumus; qui tamen omnes eis quos Septimius notat populis Graecos adiungunt: Min. Fel. 25, 12: *diu regna tenuerunt Assyrii, Medi, Persae, Graeci etiam et Aegyptii*; Cyprian Idol. 5:

1) Cur. Tert. p. 48.

Digitized by Google

ceterum imperium ante tenuerunt et Assyrii et Medi et Persae; et Graecos et Aegyptios regnasse cognovimus (ex Min. haec sumpsit profecto); Lact. div. inst. VII 15, 13: *nam et Aegyptios et Persas et Graecos et Assyrios proditum est regimen habuisse terrarum* [1]); denique Isidorus, qui Tertulliani locum exscribit, Etym. IX 3, 2: *Regnum universae nationes suis quaeque temporibus habuerunt, ut Assyrii, Medi, Persae, Aegyptii, Graeci.* His confisus Klussmannus [2]) et apud Tert. Graecos requirens scribere nos iussit: *ut Ass., ut Medi, ut Persae, ⟨ut Graeci⟩, ut Aeg.*, cet. Cui ita adsentior ut et ipse putem Tertullianum Graecos quoque nominavisse; sed aliter locum restituo. Ipse enim Klussmannus [3]) testatus est (ut et Hildebrandus), in lacuna codicis Agob. 14 litteras intercidisse. Qui numerus ad litteram expleri videtur, si legimus: *ut Aegyp⟨tii, ut Graeci; est adh⟩uc penes quosdam;* scriptum enim fuit: *ut Aegyp⟨tii ut greci ē adh⟩uc;* quamquam haec quoque possis: *ut Aegyp⟨tii et Graeci; est et adh⟩uc p. q.* (i. e.: *ut Aegyp⟨tii & greci ē & adh⟩uc p. q.*); haec enim esse vera nescio an suadeant verba Minucii, quo Septimium usum esse, cum ad Nat. libros conderet, mihi quidem persuasissimum est. [4])

---

1) Ex Minucio haec Lactantius quoque sumpsit, cui tamen fortasse et Tertulliani locus ante oculos versabatur: cf. Lact.: *regimen habuisse* terrarum ~ Min.: *regnum tenuerunt* ~ Tert.: *regnum .... habuerunt;* pergit Lact.: *quibus destructis ad Romanos quoque rerum summa pervenit* ~ Tert. in fine huius cap.: *(deus) regna dispensat, et nunc penes Romanos eam summam tamquam pecuniam de multis nominibus exactam in unam arcam congregravit,* Apol. 25, 17: *illi, quorum regna conflata sunt in imperii Romani summam;* Min. longius distat.

2) Cur. Tert. p. 80; Excerpta Tert. in Isid. Hisp. Etym., Hambg. 1892 p. 24. Klussmanno oblocutus est Hartel Patr. Stud. II p. 83, 2.

3) Cur. Tert. p. 49.

4) Cf. de Tert. et Min. F., p. 85.

Digitized by Google

SCRIPSERITNE MARCUS LATINE EVANGELIUM SUUM?

SCRIPSIT

J. DE ZWAAN.

Inter theologos constat Marcum evangelium graece scripsisse. Quod ante annum fere vir medicinae doctissimus et antiquitatis christianae curiosissimus, P. L. Couchoud, in dubium vocavit. Invenies enim in epimenio „Revue de l'Histoire des Religions" anni 1926, pp. 161—192, disquisitionem, qua statuere conatus est Marcum latine scripsisse quae nunc graece legimus. Procul dubio extat traditio, in libris mss. serioris aetatis conservata, quae id ipsum asserit; quin etiam nonnulli eum non solum ῥωμαϊστί sed etiam Romae scripsisse dicunt. Parum efficitur auctoritate librorum mss. in talibus rebus. Hac autem in re nihil fere valent: habemus enim locum celeberrimum in Eusebii Historia Ecclesiastica III. 39, 16, ubi Papias, vir secundi saeculi ingredientis, hac de re non obiter agit. Et ipse ille Papias loco laudato testimonium affert πρεσβυτέρου τινός, cui nomen fuit Iohannes, qui cum apostolicis viris conversatus est ita ut etiam confusio orta sit inter eum et Iohannem Zebedaei filium, qui proprie apostolus dicitur. Ecce quae Iohannes ille l.l. dicit: Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν ἀκριβῶς ἔγραψεν, οὐ μέντοι τάξει, τὰ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα. Interpretatio vocis q. e. τάξις hoc loco variatur, sed haec ad quaestionem propositam nunc non pertinent. Sequuntur haec de Marco et ipsius evangelio:

Digitized by Google

Οὔτε γὰρ ἤκουσε τοῦ Κυρίου οὔτε παρηκολούθησεν αὐτῷ, ὕστερον δὲ, ὡς ἔφην (sc. Iohannes ille), Πέτρῳ, ὃς πρὸς τὰς χρείας ἐποιεῖτο τὰς διδασκαλίας, ἀλλ' οὐχ ὥσπερ σύνταξιν τῶν κυριακῶν ποιούμενος λόγων, ὥστε οὐδὲν ἥμαρτε Μάρκος οὕτως ἔνια γράψας ὡς ἀπεμνημόνευσεν. Ἑνὸς γὰρ ἐποιήσατο πρόνοιαν, τοῦ μηδὲν ὧν ἤκουσε παραλιπεῖν ἢ ψεύσασθαί τι ἐν αὐτοῖς. Et addit Eusebius: ταῦτα μὲν οὖν ἱστόρηται τῷ Παπίᾳ περὶ τοῦ Μάρκου. Nihil omnino igitur h. l. invenitur de latinitate Marci. Si latine scripsisset, Marcus primus et solus inter viros primaevos id fecisset. At rem notatu dignissimam Iohannes silentio non praeteriisset. Εὐαγγελιστὴν latinizantem priscis illis temporibus velut corvum album mirati essent! Constat enim ex ipso illo loco, quem laudavimus, Iohannem silentio non praeteriisse Matthaeum, dialecto Iudaeorum evangelium quoddam conscribentem: Ματθαῖος μὲν οὖν Ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια συνεγράψατο, ἡρμήνευσε δ' αὐτὰ ὡς ἦν δυνατὸς ἕκαστος. Fortasse Marcus scripta ista ex Aramaica dialecto latine ἡρμήνευσεν? Id quoque negatur ab auctore, qui eum ἑρμηνευτὴν Πέτρου facit. Petrus enim procul dubio Aramaice inter suos et graece locutus est cum populo. Romae etiam minime opus erat sermone romano. Hermas enim ille, frater praestitis ecclesiae romanae, primo — vel ut magis creditur medio — saeculo secundo visiones propheticas et mandata sua graece in lucem protulit. Apparet, teste Fragmento Muratoriano, sermo graecus ibi μοναρχῶν: „et ideo legi eum „quidē oportet se puplicare uero in eclesia populo neque inter „profetas conpletum numero neque inter apostolos in finē „temporum potest". Scripsit Hermas, eodem teste, „sedente cathetra urbis romae aeclesiae Pio ep̄s fratre eius". Barbaram latinitatem, quae ipsa satis testimonii afferat, romanam ecclesiam Marci certe temporibus nondum romanum sermonem velut sanctum et patrium adoptavisse! Vetus enim Testamentum, a LXX interpretibus graece versum, graecam linguam aliquo modo sanctificaverat. Dicta Salvatoris — τὰ Λόγια ut Iohannes apud Papiam dicit — graeco sermone tradiderant evangelistae. Graece apostoli loquebantur. Graece canebat, orabat, legebat ecclesia. Et graecus fuit cotidianus Iudaeorum, Syrorum, Persarum, Medorum, Phrygum, Aegyptiorum, Cretensium et Arabum sermo, qui omnes cum Graeculis ceterisque ex Oriente

Digitized by Google

Romam ἑλληνίζοντες adierant et Romae manserant. Ad istam illuviem peregrinorum primum pervenit evangelium. Satis ieiuna igitur videtur sententia, qua Marcum latine scripsisse quis efficere velit. At auctor noster documenta satis probantia illos locos esse censet, ubi sibi visus est lectionem latinam eruisse ex qua, quae nunc leguntur, graeca corrupta essent vel inepte graece versa.

E quibus unum — de quo pp. 171–173 agunt — hic tractare velim, quia non mirer, si a nonnullis aliquantum momenti tribueretur iis imprimis, quae v. cl. Couchoud ad illum locum explicavit.

Est pericopa „de Gehenna et de Sale", Mc. IX : 47 sqq. Gallicum auctoris sermonem in latinum ipse transtuli: „En „alium locum ubi textus graecus ita corruptus est ut intellegi „vix possit. Sensum autem lingua latina praebebit. Legimus „enim in fine pericopae de daemoniacis: Quòd si oculus tuus „scandalizat te, eiice eum: bonum est tibi luscum introire in „regnum dei, quàm duo oculos habentem mitti in gehennam „ignis". Couchoud argumentum persequitur comparando textu codicis Bobiensis latini (saec. IVI vel VI), qui textus proximus est illius, qui Cypriano medio saeculo tertio Carthagine ad manus fuit. Ceterum addit lectiones codicum, D, B, Θ et Ψ, de quibus pauca necesse est ut dicamus. B est Vaticanus saeculi IVI, quem cum Sinaitico fundamentum textûs hodie accepti posuerunt Westcott et Hort. Textum illum minime depravatum putantes „neutralem" vocabant. Codex D est Bezae illud Cantabrigiense „exemplar venerandae vetustatis" — immo saec. VI vel VII —, quod Theodorus Beza quasi piaculum in Angliam misit. Iam secundo post codicem acceptum anno, Ioannes Whitgiftus, ipso initio archiepiscopatus, Bezae codicem transscribendum curavit. Apographum adhuc Cantabrigiae conservatur in bibliotheca Collegii Trinitatis. Textum ipsum viri Westcott et Hort typo depravato, quem „occidentalem" vocabant, adiudicaverunt. Frustra quaeres codicem Θ nisi apud recentissimos editores. Est codex ex remotioribus partibus Suanethiae ad Caucasum sitae advectus, qui Koridethianus vocatur. Textus eius mixtus, sed antiquissimas varietates praebens, cum systemate Westcottio-Hortiano minime

Digitized by Google

quadrat. Denique Couchoud codicem Ψ adduxit, i. e., exemplar Athoum ex monasterio Lavra, saec. VIIIi vel IXi, qui textus ultimus et longo intervallo testes typi Vaticano-Sinaitici sequitur. Mira haec selectio testium, quam nusquam invenias apud viros harum rerum peritos! In rebus criticis, ut verum dicam, omnia pendere videntur. Constat systema recentior, cuius auctor Von Soden, propter immodicam auctoritatem Tatiano illic adscriptam, reiiciendum esse nec minus propter indigestam molem, quam „recensionem I (erosolymitanam)" vocavit. Constat viros Westcott et Hort erravisse quod attinet ad „textum occidentalem". Habemus messem abundantem codicum et versionum, quae illis ignota erat. Sed adhuc de recta via ad antiquissimas lectiones perducente litigatur. Certissimum autem est inter omnia incerta conglomeratione testium peculiari quam v. cl. Couchoud attulit huc nihil effici. Sed explicemus amplius quae gallice invenies in epimenio supra laudato. „Mc. IX : 47–50 „(textus e codice Bobiensi desumptus):... in gehenna incidere „ubi ignis non extinguetur et uermis non moritur, omnis autem „substantia consumitur. bonum est sal, sed si sal fatuum, fatuum „fuerit in quod illud condistis. habetis in uobis pacem, pacati „estote in inuicem.

„D. . . . . *ἐλθεῖν εἰς τὴν γέενναν, ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ „καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται· πᾶσα γὰρ θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται. καλὸν „τὸ ἅλας· ἐὰν δὲ ἄναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; ἔχετε ἐν „ἑαυτοῖς ἅλα καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις.*

„B. . . . . *πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται. . . . . .*

„Θ. . . . . *πᾶς γὰρ πυρὶ ἀναλωθήσεται καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται. . . .*

„Ψ. . . . . *πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται καὶ πᾶσα θυσία ἀναλωθήσεται. . . .*

„Latine solum haec sensum perspicuum et aptum dant. Sub „specie figuratae orationis hic agitur de rebus ecclesiasticis: „est casus qui ecclesiae necessitatem imponere potest expel- „lendi etiam praestantissimos viros. Necessitate data etiam „oculi eripiendi sunt. Corrumpitur sal vel optimum: perit totus „usus ciborum. Ante omnia pax servanda. Itaque ocelli potius „eiiciendi quam fieret ut quis „in gehennam incideret ubi „ignis non extinguitur et uermis non moritur, omnis autem „substantia consumitur. Bonum est sal, sed si sal fatuum,

Digitized by Google

„fatuum erit [1]) in quod [2]) illud condistis. Habetis in uobis „pacem, pacati estote in inuicem [3]).

„Haud difficilia erunt perspectu ea quae textus graecus errore „vel culpa mutavit.

„1°. Duplex enim versio graeca orta est verborum „omnis sub„stantia consumitur", prima ad litteram redacta: *πᾶσα οὐσία „ἀναλωθήσεται*, altera solum ad sensum exprimendum apta: „*πᾶς* [sc. *ἄνθρωπος*] *πυρὶ ἀναλωθήσεται*. Errore autem alius qui„dam litteras ΟΤΣΙΑ (substantiam) legit ΘΤΣΙΑ (victimam): „nihil nisi lineola transversa intererat inter veritatem et fal„sam lectionem. Ineptissima autem in textum idea ita irrepsit. „Diorthotes quidam scite exitum invenit: iubet enim Lev. II, „13 omne sacrificium salsum esse (*πᾶν δῶρον θυσίας ἁλὶ ἁλισθή„σεται*). Huius rei memor, verbis proximis de sale agentibus, „pro *ἀναλωθήσεται* substituit vocem e Levitico desumptam. Hisce „semel introductis correctio ad cetera pervasit: ex verbis *πᾶς „πυρὶ ἀναλωθήσεται* natum est aenigma „*πᾶς πυρὶ ἁλισθήσεται*", „cuius de sensu plane desperandum est".

Hoc loco auctor noster ad calcem paginae laudavit: „E. P. Gould, The Gospel acc. to St. Mark, Intern. Cr. Comm., Edinb., '12, p. 180: Procul dubio hic locus unus est e vexatissimis, qui in Novo Testamento extant. Necesse erit, ut videtur, referre vocem *πυρί* (v. 49) ad *πῦρ* (v. 48), pariterque coniungere verbum *ἁλισθήσεται* (v. 49) cum *ἅλας* (v. 50). Haec ipsa tamen coniunctio cum antecedentibus sequentibusque causa est nodi".

Progrediamur: „Codices Θ et Ψ ambas versiones receperunt „quadam contaminatione. Testis extat codex Θ versionis *πᾶς „πυρὶ ἀναλωθήσεται*, itidemque codex Ψ versionis *πᾶσα θυσία* „(pro *οὐσία*) *ἀναλωθήσεται*.

---

1) Tres notas ab auctore ad calcem appositas, hic explicemus: „Graecus Marci textus locum Isaiae LXVI, 24 emendavit, „vermem" ante „sal" ponens. Procul dubio verus textus aliter sonabat, nempe: „si sal fatuum (fuerit) fatuum erit". Ex iteratione „fatuum . . . fatuum" error ortus.

2) „In quod" hic locum tenet lectionis „id in quod", cf. XIV, 70 „qui stabant" pro „ei qui stabant"; XIV, 20 „qui tinguet" pro „is qui tinguet", etc.

3) „In inuicem": verba sermonis communis, cf.: Ioh. XVI, 19 (in pagina latina codicis D) „quaeritis in inuicem".

Digitized by Google

„2°. Sunt qui iterationem verbi „fatuum" dittographiam „librarii esse putant. At manifesto errore „fatuum" secundo „loco scriptum est pro „fuerit" (ἐὰν ἄναλον γένηται). Itaque „ „in quod" interrogative sumebatur (ἐν τίνι) et legebatur „con- „dietis" (ἀρτύσετε) pro vero „condistis". Elicitur ergo sensus, „sed toto coelo distans: „quòdsi sal insulsum fuerit, in quo „illud condietis?"

„3°. Ut finem faciamus, opinamur vocem q. e. „pacem" „mutatam esse in „panem" et eam denuo in „salem" [1]) propter „propinquum „sal". Id haud mera coniectura statuimus: prae- „bet codex „k" (Bobiensis) lectionem „panem". Fere nihil „obstat quin restituamus „pacem", contextu suppeditante verba „ „pacati estote". Diorthotes autem, non immemor „salis", de „quo actum erat, suprascripsit litteras „salem". Ecce origo ver- „sionis illius ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλα (sive: ἅλας), qua efficitur: „ „habetis in uobis sal!" At haec lectio sensum non praebet „et minime quadrat cum sequentibus: „pacem habete inter „vos". Ad summam lectio „sal" duos errores genuit: infecit „proxima et sale suo fatuo praecedentia et sequentia verba „simul coinquinavit".

Haec diserte vir doctissimus Couchoud ratiocinatus est et facit sibi, nimirum, benignas aures lepida oratio. Fallacia autem argumenti pellucebit si diligenter inspexeris.

Totam rem reicere possem ad testimonium Papiae, vel potius presbyteri illius Iohannis, cuius verba attulit. Marcum latine scripsisse, si vera esset thesis, silentio praeterire neutiquam potuit is, qui animum attenderat ad Matthaeum aramaice scribentem. Et prorsus non potuit, quia graecum quod fertur Matthaei evangelium minime congruit cum parvulo libello, quem apostolus ille patrio sermone conscripserat. Varietas

---

1) Haec ita fulcire auctor conatus est ad calcem paginae: „Salem" pro sal, „accusativus neutrius generis pro masculino. Cf. marem, retem, ossum in codice „Veronensi (b), quem edidit E. S. Buchanan, Oxf. '12, p. XIII." Istaec recte apposita putarem, si codex iste Veronensis latinitatem „africanam" praeberet. At contra, constat eum esse typi, qui „italo-gallicus" iure dicitur. Coniectura ipsa levioris autem momenti videtur.

Digitized by Google

igitur, si extitisset inter illa, quae Marcus ipse latine scripsisset, et versionem graecam, quam ecclesia recepit, causa celandi esse ei non potuit.

Varietas autem ista cardo est quaestionis. Non esset, si Marcus simpliciter de suo fabulam invenisset! Tum enim latine ad animi sententiam narrationem et ἀποφθέγματα fingere ei licuisset. Interpres graecus ista sicut ei placebat mutare potuisset et, si probabilis efficeretur coniectura, latina verba deperdita ex graecis recuperanda fuissent. Attamen aliter res se habet. Erant dicta ipsius Iesu et scripta extabant in ipsa lingua, qua Ille usus erat. Aramaice tradebantur verba Iesu ab apostolis et viris apostolicis. Si non ipsi effata illa graece reddiderunt, ad manus erant „evangelistae", qui ambarum linguarum periti graeco sermone τὰ Λόγια ἡρμήνευσαν. Tota autem viri doctissimi disquisitio pendet ex contextu, quem apud Marcum solum invenies. Etiam si Marcus traditione fidelissima ad litteram effatum Iesu reddidisset, ita ut varietas aliorum evangelistarum nihil valeret, non ex sermone latino sed ex aramaicis, immo ex Iesu ipsius verbis, veritas originalis recuperanda esset. Locos parallelos auctor noster non revocaverat. Pertinent autem ad quaestionem:

Mc. IX, 49. 50.	Mt. V, 13.	Lc. XIV, 34, 35.
Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται. Καλὸν τὸ ἅλας· ἐὰν δὲ τὸ ἅλας ἄναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; Ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις.	13*b*: ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται; 13*a*: Ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς.	Καλὸν οὖν τὸ ἅλας· ἐὰν δὲ [καὶ] τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἀρτυθήσεται;

Hic locus „de Sale" apud Matthaeum „Orationi Montanae" insertus est. Post vocem ἁλισθήσεται sequitur apud eum haec sententia: εἰς οὐδὲν ἔτι ἰσχύει εἰ μὴ βληθὲν ἔξω καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. Apud Lucam invenies: Οὔτε εἰς γῆν, οὔτε εἰς κοπρίαν εὔθετόν ἐστιν· ἔξω βάλλουσιν αὐτό. Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. Ex indole semitici, immo aramaici, sermonis, quae ubicumque in Iesu effatis et etiam passim in narratione translucet, ex materia ipsa et ex testimoniis priscorum virorum, quae supra laudavi, apparet sententias Domini aramaicas ad manus

Digitized by Google

fuisse antequam quisquam eas in orationes vel more rabbinico ad singulas voces disposuerat. Quicumque problematis ut dicitur „synoptici" peritus, scit eas variis modis coaluisse. Diversas et varias res ut fulcirent, diversis locis narrationis introduxerunt eas auctores evangeliorum quae nunc leguntur. Orationem Montanam, ut insigne exemplum afferam, apud Lucam frustra quaeras. Aliis prorsus et diversis locis habet illas sententias. Locum, e. g., supra exscriptum ex Matthaeo V, 15 non invenies in capite XIV°, sed si apud Lucam caput XI inspicies, illic v. 33 verba illa leges!

Secundo loco quaerendum est sitne recte effectum locum illum sensum non praebere. Commentatores minime cum auctore nostro, qui unum solum [1]) ex eis causae patronum attulit, consentiunt. Res, quae hic „sal" vocatur, multa et diversa significabat et minime mirum est illam rem „insulsam" esse post usum. Qui ipse hodie in Oriente sale fusco vel nigro usus est, et vidit quaenam incertae originis substantiae sub nomine salis proferantur, ex illa parte non amplius dubitat. Ego — commotus testimonio viri qui magnam partem vitae in Palaestina degerat — puto „sal", de quo hic agitur, esse sal siccum piscibus leviter exsiccatis in cupa vel amphora intersparsum, quod post usum piscium saporem et odorem foedum servat et prorsus inutile est. Sal istud non in piscibus sed extra et circum pisces erat. Cuivis vel parcissimae mulieri notum erat, ut etiam hodie notum est, nulla admixtione foedum istum saporem et odorem expelli posse: οὐκ ἀρτυθήσεται [2]). Figura igitur, ut Iesus solet, desumpta ex vita. Et Iesu aetate plane perspicuum erat, quid sibi sententia ista vellet, sicut perspicuitas etiam hodie in regionibus illis minime in dubium vocaretur. Dicit discipulis non extrinsecus applicandum „sal" doctrinae evangelicae, sed animis sorbenda esse mandata et pacem Messiae. Ex comparatione discipulorum cum piscibus aut salsis aut leviter exsiccatis et modico sale aspersis, Marcus aberrat ad usum salis huius. Talibus falsis discipulis etiam

1) Etiam ille minime de sensu pericopae desperandum esse censet.

2) Hoc verbum ab origine puto extitisse; apud „Matthaeum" nostrum, ultimum evangelistarum, formam deteriorem invenio.

Digitized by Google

evangelium ipsum, quo aspersi erant, inutile, foedum et reiciendum efficitur.

Restat quaestio ad eam sententiam pertinens, quae illis antecedit quamque apud Marcum solum invenimus. Cadit hypothesis auctoris, qui illam artissime cum sequentibus coniungit. Similiter cadit interpretatio, quae „igni salsum esse" velut locutionem desperandam reicit. Effata enim Iesu priscis temporibus — in disquisitionibus de problemate synoptico id luce clarius et iam saepe demonstratum est — crebrius ad ordinem propositorum redacta sunt: verba de „sale", e. g., ordine velut alphabetico memoriae vel schedulis tradebantur. De „sale" igitur ab origine hic sermo erat, nisi versio falsa ex archetypo aramaico causa fuit inserendi. Latina verba hic nihil valent.

Minime negatur tamen locutionem *πυρὶ ἁλισθήσεται* habere quod mireris. Mirati sunt illi qui in historia textûs ieiunam emendationem introduxerunt, quam nunc codices „k" (substantia consumitur = * *σὺσία ἀναλωθήσεται*) et, usitatissima conflatione, etiam Θ et Ψ praebent. Huius coniecturae nulla in historia textûs vestigia inveniuntur praeter haec nec quicquam monet eam non diversis locis vel iam ante saeculum tertium ortum esse. At contra, monet ignorantia rerum Palaestinensium non ultra descendendum esse.

In promptu est, si — quod hodie nobis licet — clavem omnium vocum Novi Testamenti consulis, vocem, q. e. *πῦρ* sensu figurato apud Iudaeos usitatam fuisse. Antiquitus autem nullae erant „concordantiae" ex quibus facile hoc quis perspexisset. Sed magis respiciendum est ad ea, quae temporibus illis Palestinae incolis et omnibus Iudaeis nota erant. Ad haec habemus aditum per collectanea ex scriptis Iudaeorum a viris harum rerum peritis facta. Liber e. g., cui titulus: „Strack-Billerbeck's Kommentar zum Neuen Testament aus Talmud und Midrasch" (O. Beck, München, 1924, vol. I, pp. 20/1), abundantiam praebet locorum, quibus probatur Iudaeos omnia, quae potius igne quam aqua lustrari possent, ab *ἁλισγήμασι τῶν ἐθνῶν* igne purgasse antequam ea ad usum admiserunt. Sacer eos terror tenebat infectionis daemoniacae. Omnis enim mundus extra fines terrae sanctae deis gentium i. e. daemonibus sacer erat et omnis „gentilis" frequentatione templorum

Digitized by Google

contagiem quandam funestam secum censebatur circumferre. Periculosa igitur erant balnea, mensae, omnes artiores cum gentilibus conversationes praecipue cum Iehova adeundus erat precibus vel ritu. Efficacissima autem purificatio γίνεται per ignem. Sensu enim generali Num. XXXI, 23 iubet: καὶ πάντα ὅσα ἐὰν μὴ διαπορεύηται διὰ πυρός, διελεύσεται δι' ὕδατος.

Finem ut faciamus: Iudaeis priscis temporibus in sententia Iesu duplex allusio perspicua erat — gustabant enim verba illo modo ἀμφοτεροδέξια —; prima nempe leviter attingit ideam eschatologicam gentium omnium trucidandarum die magna Iehovae: omnis homo „salibitur", i. e. sacrificium erit Iehovae [1]). Attamen iam tunc inter eos constabat illud „dies irae, dies illa, solvet saeclum in favilla". Igne enim cuncta conflagrante impii velut „holocausta" consumentur. Altera autem allusio spectat ad salvandos: et illi, quod ad carnem, peribunt — σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύναται non fuit peculiaris opinio Pauli — in immenso sacrificio, sed eos ignis flagrantis mundi purificabit in vitam „novi mundi" sub „novo coelo"! Et certe neminem ex Iudaeis simul cum illis, quae modo exposui, fugisset significatio ritus quo parvuli nuper nati „saliebantur"; etenim salvandos πυρὶ ἁλισθῆναι evidenter sensum renascendi per ignem illis praebebat. Ritum ipsum habemus Ez. XVI, 4: ἐν ᾗ ἡμέρᾳ ἐτέχθης... ἐν ὕδατι οὐκ ἐλούσθης οὐδὲ ἁλὶ ἡλίσθης καὶ σπαργάνοις οὐκ ἐσπαργανώθης.

Quamquam igitur non diiudicabimus utrum longior redactio Iesu sententiae apud Lucam, an illa, quae brevitate gravior videtur, praeferenda sit, hoc pro certo constat v. cl. Couchoud errasse. Non est desperandum de sensu pericopae, quae immo sensum Iesu temporibus et menti discipulorum Iudaicorum aptissimum dabat.

Non efficitur ex hac sententia, nec ex alia huiusce evangelii, Marcum latine scripsisse.

Necessitate ipsa sublata non amplius agendum est de quaestionibus „criticae textualis" ut dicitur. Quivis autem fidem non praeberet eis, quae supra de fide testium dixi, nimis, ut puto, leviter ab auctore nostro adductorum, habeto ad manus et

1) Cf. Lev. II, 13 supra iam laudatum.

Digitized by Google

diligenter perlegat recentissimum librum, quo simul status hodiernus problematis synoptici et disquisitionum ad textum pertinentium ei revelabitur. Est enim critica textualis Novi Testamenti res fere sui generis propter abundantiam testium et historiam traditionis ut ita dicam „textualis", quae artissime cum quaestione synoptica cohaeret. Aditus non facilis, sed pro natura rerum aptus est, si manibus evolvas librum, quem edidit B. H. Streeter, „The Four Gospels, a Study of Origins, treating of the Manuscript Tradition, Sources, Authorship and Dates" (Macmillan, Londinii, 1926). De graecitate autem Marci nemo harum rerum peritus dubitat nec dubitabit.

Digitized by Google

QUANDO PERVIGILIUM VENERIS CONDITUM EST?

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Lingua Latina habet carmen, quod inscribitur Pervigilium Veneris cantatum a poeta die antecedenti festum Veneris, de quo remisso phantastico vestitu dicunt modo choros per tres noctes id acturos esse in silva Dianae sub radicibus montis Hyblae in Sicilia sitae. Hoc carmen unicum in sua specie testatur magnum naturae amorem, sonat tamquam musica, fervor et enthusiasmus inde exeunt, qui bene faciunt. Hic cantus tamen nos admonet indissolubilium quaestionum: quam odiosum est nos poetam ignorare, in incerto relinqui de tempore quo cadat, textum in II codd. asservatum non esse integrum, ordinem versuum traditorum non rectum esse posse. Revera multo facilius est quis non fuerit ostendere, quam invicte constituere quando carmen sit scriptum. Incipiamus ergo a prius.

Apuleius non est auctor Pervigilium Veneris.

G. H. Heidtmann suspicatus est patrem esse Apuleium. Sane existit inter:
P. V. 13 ipsa *gemmis* purpurantem *pingit* annum *floridis*
et Apul.[1]) Met. X 29 quod ver in ipso ortu iam *gemmulis floridis* cuncta *depingeret*

1) Vide: Pervigilium Veneris by C. Clementi (Oxonii 1911) p. 15: Heidtmann has conjectured that Apuleius was the author (de carmine Latino, quod Pervigilium Veneris inscribitur, Gryphiis 1842).

Digitized by Google

intima familiaritas. Huic rei addam similitudinem indicando *votum* usum esse sensu *nuptiarum*, quod ab Apuleio videtur profectum esse nempe:

P. V. 25 cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea
unico marita *voto* non pudebat solvere,

quocum conferatur Apul. Florid. 4 (p. 5, 21 Helm.) togam quoque parari (sc. videret) et *voto* et funeri, item pallio cadavera operiri et philosophos amiciri. [1])

Apud Claudianum illa significatio *voti* saepius legitur, cf. de raptu Proserp. I 130 (Birt p. 355):

iam matura toro plenis adoleverat annis
virginitas, tenerum iam pronuba flamma pudorem
sollicitat mundaque tremit formidine *votum*. [2])

Legitur in Cod. Theod. 3, 5, 7 ad *vota* non posse pervenire. Georges laudat e posterioribus iuris consultis: ad tertia *vota* migrare.

Quin etiam parodia non deest in Testamento Porcelli (Petron. Buech.-Her. 6e ed. p. 269): sorori meae Quirinae cuius *votum* interesse non potui, do lego dari hordei modios XXX. [3])

Satis exemplorum ergo inveniuntur, quae probent praecipue apud posteriores auctores *votum* esse usurpatum sensu *nuptiarum*. Qui ergo duobus fretus locis Apuleium putat esse scriptorem [4]), credit inane quiddam. Qui tamen paulo stilum eius novit, non esse Madaurensem hunc eum, qui carmen 93 versuum scribat sine vero deminutivo, facile fatebatur [5]). Apologiae sextum caput potest esse documento, ubi in octo iambicis

---

1) Vide Kroll Catull. 67, 5 ubi Friedrich *voto* accipit eo sensu, Kroll tamen cum Fröhlich *nato* legit.

2) *Voto* est emendatio Bergkii; Salmasianus dat *noto*, at Thuaneus *nodo*. Cum Bergkio faciunt Riese, Baehrens, Owen, Clementi.

3) Vide cetera exempla apud Birtium p. 605.
Carm. Epigr. Buech. 454, 7 (de puella ante *nuptias* mortua):
nuptias indixit, gaudebant *vota* parentes.

4) Etiam haud insignis locus non tacetur. Apuleius loquitur de Veneris et Gratiarum luco (Met. IV 2); cf. cum his
P. V. 50 praeses ipsa iura dicet, adsidebunt Gratiae.

5) *Flagellum* (6), *papillas* (14), *osculis* (23, 79), *puellae* (29, 33), *sacellum* (71) non iam ut deminutivum sentiebantur.

Digitized by Google

senariis quattuor deminutivi deprehenduntur. In distichis Apulei — quorum alterum est oraculum [1]) Psychae patri datum, alterum carmen amatorium [2]) — specimina artis satis artificiosae habemus. Si quid est quod constet, constat Apuleio ingenium defecisse ad Pervigilium Veneris creandum.

Plus est quod hoc pronuntiationis legitimat, tristis ille color in extrema laude Veneris — sive illa verba accipiebantur sensu privato sive generali — proprie iam sufficiunt ad quamvis cogitationem de scriptoris fabula de Amore et Psycha reiciendam. Numquam hic orator, idolum suorum civium, tanti usque ad mortem aestimatus in Africa, quanti usquam in imperio Romano summus sophistes illius temporis, versum proferre potuisset:

P. V. 91 perdidi Musam tacendo nec me Phoebus respicit.

Estne Annius Florus poeta Pervigilii Veneris?

Wernsdorf [3]) et Schanz, qui a multis secuti sunt, Annium Florum poetam, rhetorem, historicum, cui cum imperatore Hadriano intercedebat usus familiaris — nonnumquam inter se versus missi sunt — habuerunt pro poeta Pervigilii Veneris. In Anthologia Latina sunt 26 versus *de qualitate vitae* [4]) recepti, quibus idem metrum est quod nostro hymno, sub nomine Flori [5]). Si Florus quoque Pervigilium Veneris scripsisset, tamen mirum videtur, quod in iisdem codicibus (Salmasiano Parisino 10318 et Thuaneo Parisino 8171) nostrum pulchrum carmen anonyme traditum est. Sed inspiciamus propius aliquot versus Flori. Discimus ex primis statim hunc poetam magnum cultorem esse Bacchi (Anth. Lat. 245, 1 sq.):

Bacche, vitium repertor, plenus adsis vitibus,
effluas dulcem liquorem comparandum nectari.

---

1) Apul. Met. IV 33.

2) Apul. Apolog 9.

3) Poetae latini minores. Tomus tertius in quo Satyri minores, elegiae et lyrica. Curavit Io. Christianus Wernsdorf. Altenburg 1782. p. 450—452.

4) Riese 245—252 (p. 200—202).

5) In Salmas. est *Florus*, sed in Thuan. *Floridus*, quod mendum habetur.

Digitized by Google

Idem docet comparatio, quam poeta inter Apollinem et Liberum facit (Anth. Lat. 247, 3 sq.):

ambo de donis colorem, vite et radio, conferunt.
mortis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.

Hadrianus [1]) videtur hoc studium Flori bene novisse, cum hic sibi misisset versiculos:

ego nolo Caesar esse,
ambulare per Brittanos,
⟨latitare per Germanos⟩
Scythicas pati pruinas,

sic respondisset:

ego nolo Florus esse,
ambulare per tabernas,
latitare per popinas,
culices pati rutundos.

Itaque non est dubium quin Florus insignitus fuisset Pervigilio Bacchi — sed etiam carmine in honorem deae amoris? Evolvamus Anthol. Lat. 246:

omnis mulier intra pectus celat virus pestilens:
dulce de labris loquuntur, corde vivunt noxio.

Hominum animos convertit ad se poetam dicere *omnem mulierum*, tamquam Venus sibi minus favens esset quam Bacchus. Movetur aliquis plus versiculo Anth. Lat. 251, 4:

tam malum est foris amici, quam malum est uxor domi.

Ecquis credat amplius talem poetam esse inflammandum animum ad hymnum Veneris scribendum? Non ita. Venus hunc vatem non concitavit, sed Roma et eius praeteritum, ut appareret ex Anth. Lat. 250:

„sperne mores transmarinos, nullo habent offucias.
cive Romano per orbem nemo vivit rectius.
quippe malim unum Catonem quam trecentos Socratas".
nemo non haec vera dicit, nemo non contra facit.

Agnoscimus civem bonum, qui hic illic prope lyrice historiam Bellorum Romanorum libros duos componebat. Notum est autem Pervigilia prima omnino aliena esse ab religione Romana, sed in Italiam esse introducta demum, postquam Graeci

1) Hist. Aug. I (Vita Hadriani) 16, 3—4.

Digitized by Google

di a Romanis essent translati. Praecipue tamen ad dolorem honestorum civium imbuta sunt omnia aetate imperatoria. Ergo is qui cecinit:

sperne mores transmarinos, mille habent offucias,

tantamne inconstantiam in se admisisset, ut Pervigilium componeret?

Est in carmen quod supra allatum est 250, praesertim in versu 3

quippe malim unum Catonem quam trecentos Socratas

anti-Graecum animum? Carmen nostrum est ab ovo usque ad mala imbutum spiritu Hellenico, sola octava stropha, quae agit de Romana a Troianis origine habet colorem patrium. Intellegitur, cui rei Graecismi tribuendi sunt: *throno* (vs. 7) *peplo* (vs. 21) *cygni* (vs. 85) *chelidon* (vs. 90), *Dione* (7, 11, 47, 77) [1]), *Delia* (47), *Bacchus* (45). Tota ratio de non-Romano festo debet niti fundamento Graeco, ideo obviae nobis sunt partes ex Hesiodi Cosmogonia: conubium Aetheris cum Terra, partus Aphroditae; alia elementa Hellenica sunt allusio fabulae Terei, Philomelae, Procnae, interitus oppidi Amyclarum. E Pervigilio quod tam pulchre regenerationem naturae vere pingit, afflat nobis aura Graeca verna, ergo Annius Florus poeta non potest esse. [2])

Estne Sidonius Apollinaris poeta Pervigilium Veneris?

Deprehenduntur in Pervigilia Veneris duo versus, qui exemplo fuerunt Fulgentio, quod quis videbit, si componitur:

18 en pudorem *florulentae* prodiderunt *purpurae*

20 *umor* ille, quem *serenis astra norant noctibus*

cum sequentibus versibus Fulgentii (Lib. I Helm. p. 7)

---

1) Nomen *Veneris* occurrit vs. 37 et 76. Pro *prius* (23) legitur cum O. Mueller *Cypridis*; Clementi *Paphies* recepit.

2) Itaque non est mirandum Bernhardy (Berlins Jahrb. Juli 1822) in censura Orellii editione Phaedri contendere Pervigilium Veneris e Graeco esse versum.

Vide: Pascal Carmina ludira Romana (Paravia, Augustae Taurinorum) Praefatio V annotatione prima.

Pascal ipse iudicat (Praefatio VI): difficile est certis terminis definire, qua aetate (poeta) scripserit.

Digitized by Google

1 Thespiades. . . . . .
5 ferte gradum properantes
de virectis collium
ubi guttas *florulentae*
mane rorat purpurae
umor algens, quam *serenis*
10 *astra* sudant *noctibus*.

Hic habemus ergo terminum ante quem i. e. Pervigilium est ascribendum ante 500, hoc non vult dicere poetam saeculi esse putandum quinti. Nihilominus L. Roquettius [1]) talem Sidonium Apollinarem indicavit. Hic tamen, ubi circa 470 episcopus Arvernorum factus est, desiit poesin saecularem, sed nullus Christianus auctor, sive magistratus erat sive laïcus, admisisset malos mores deae, patronae talis festi, celebrare. Evidens est in multis poematis Sidonii, in Panegyricis et Epithalamiis, fabulas graves partes agere, omnia aequa innocentia atque decantata esse. Sidonius non erat poeta verissimus, frigida modo sed docta rhetorica gubernabat eius stilum, sed scintilla Musae fervebat in pectore eius, qui Pervigilium Veneris cecinit.

Estne Tiberianus poeta Pervigilium Veneris?

Aemilius Baehrens putavit carmen nostrum esse opus Tiberiani [2]), qui secundum Hieronymi in 335 praefectus praetorio Galliarum fuit, postquam iam altis magistratibus in Africa et Hispania functus est. In cod. Harleiano 3685 repperit Baehrens certe duo carmina Tiberiani [3]), quorum prius idem metrum habet atque Pervigilium: continet duodecim septenarios tro-

1) Cf. de auctore carminis „Pervigilium Veneris" inscripti Class. Rev. 19 (May 1905) p. 224.

2) Unedierte lateinische Gedichte (Leipzig 1877) p. 30.

Schanz IV § 791, 1 p. 46; Teuffel-Kroll § 401, 8.

3) Poet. Lat. min. III p. 263 sqq. Tertiumne carmen existens e 12 hendecasyllabis Tiberiano liceat attribui, in medio relinquatur: ad rem, quam agimus, nihili interest. Quartum carmen (Baehrens l. l. p. 267 Riese Anth. Lat. 490) quod inscribitur Versus Platonici de Graeco in Latinum translati, duobus tribusve codicibus „Tiberiano cuidam" tribuitur, ut opinor, eidem.

Digitized by Google

chaicos. Inibi describitur amnis, qui fluit inter laureas et myrtus, eius ripae consita sunt crocis atque liliis, violae in silvae spargunt odorem gratum, etiam rosa florit. Placide labuntur ibi rivuli, antra musco inducta sunt, in umbra suaviter canunt aves, dum cantum earum modulatur strepitus fluminis et susurrus Zephyri. Ideo qui ambulat in haec odorata virecta, musica et avium et aquae et venti, floribus et amoena umbra mirifice delectatur.

Talis naturae descriptio nos potest commonere de aliquot versibus (13 et 23) Pervigilii, sed totum longe cedit hymno nostro, tamen etiamsi non id ita esset, res quae compararentur nimis exiguae essent, ut nobis ius darent poetas declarare eosdem [1]). Secundum carmen Tiberiani quod detestabilem usum auri pingit, offert nullum commercium cum carmine Veneris. Quartum, quod inscribitur Versus Platonici translati de Graeco in Latinum, continet precationem dei et cognoscit nobis auctorem gravissimum et intellegentem, de quo nullum Pervigilium Veneris expectat. Et quomodo tristes illi versus, qui claudunt Pervigilium, accommodarentur in Tiberianum magistratum summum?

Auctorem verisimile est pertinere ad coetum Symmachi.

Omnes conatus auctoris Pervigilii Veneris detegendi lapsi sunt; melius facimus non rogando, quomodo appellatus fuerit, sed qualis fuerit, ad quem coetum pertinuerit. Et nunc videntur proprii illi versus ultimi significationem dare posse. Vetus quidem ille non erat, poema spirat integritatem iuventutis et robur virile. Sed quare tum rogat *quando ver venit meum?* quibus verbis desiderium praeterlapsi temporis et regenerationis significat? Illa verba et quae sequuntur videntur non accipienda esse de persona poetae, sed generaliter et symbolice. Nunc quidem divino instinctu concitatus ab illa Venerem versibus persecutus est, sed vulgo tacet, tacent alii. Dea, stirpis auctor populi Romani, a magnis poetis praeteriti Vergilii,

1) Schuster redarguit Fort, qui sicut Baehrens Pervigilium Veneris Tiberiano tribuit (Bursian Bd. 217 p. 6).

Digitized by Google

Horatii, Ovidii celebrata, nunc est in oblivionem adducta quod eius cultus neglegitur, eius imperium finita est, nam alia religio, Christianitas, eius cultum detrusit. Ideo non iam inflammavit Apollo poetas, hi possunt ergo vix strepere sicut hirundines, nedum cantare possint sicut lusciniae. Silentium, quae nunc regnat, cum iam non hymni in honorem deorum veterum sonant, est aeque funestus atque taciturnitas civium Amyclarum, significat interitum patriae poesis, mortem Musae Latinae.

Coetus parvus, cuius Q. Aurelius Symmachi medius erat, et ad quem pertinebant Nicomachi, Servius, Macrobius alii, religionem patriam colebat: Ut Symmachus tertiam relationem, litteras, quibus praefectus urbi Imperatorem Valentinianum II in 384 orabat, ut altaria Victoriae in curia senatus collocaret et sacerdotibus reditus redderet, postremum orationem scripsit Roma gentili dignam, sic Pervigilium Veneris velut cantus oloris eius ordinis pagani videtur esse. Ingenium poeticum, unus ex iis, qui circum Symmachum se ordinaverunt neque minus quam hic inflammatus magnitudine praeteriti tunc ad ruinam vergentis urbis, se sentit incitatum, ut festivam et confictam imaginem ex tempore gloriae evocaret atque cecinit Pervigilium Veneris, quod puritate linguae relationem, quam supra diximus, adaequabat. Intellegitur scenam collocari in Siciliam, unde cultus Veneris Erycinae Romam translatus fuerit et in quo umbilico (ἐμφαλός) tot fabulae extiterint, qui mox Claudianum ad pangendum epyllion invitent. [1])

Aliquot proprietates linguae tractantur.

Vel, congrex, praesens pro futuro, de praepositione *de*.

Si igitur carmen 385 ascribimus, aliquas proprietates linguae

1) Cum assensu affero hic J. W. Mackail qui in versione hymni una cum Catullo, Tibullo scribit p. 345 (Loeb Classical Library) The trinoctium of Venus, for which the piece was written, or, rather by which it was suggested, was in its origin a popular festival, and became under the Empire an organized observance in the established State religion. In the poem we see it as neither the one nor the other, but as a motive of fantasy a summons which wokes imaginative associations, and sets the rhythm of poetry in movement round nature and history, love and life. Nothing could be less like either a folk-song or an official ode.

M. P. Nilsson Griechische Teste p. 378 loquitur de hoc carmine, „das mehr ein Stück echter Poesie als ein Kulturdokument ist".

Digitized by Google

et metro pro eo dicere videntur. Hic modo aliquot summas res afferuntur, alia in Commentario tractantur.

In vs. 53 ruris hic erunt puellae *vel* puellae montium *vel* valet *et*; refero ad Roensch, Itala und Vulgata p. 345, Löfstedt Peregr. p. 197 sqq., insuper commemoro exempla eius usus apud auctores, qui post 300 floruerunt. Tiberian. I 9 (Baehr. P. L. M. III p. 264):

omnium regina odorum *vel* colorum Lucifer
aureo flore eminebat cura Cypridis rosae.

Prudentius Contra Symmach. II 94

nam cum divinis agimus de rebus et illum
qui *vel* principio caruit *vel* fine carebit e. q. s.

Iulius Valerius adhibet *vel* saepius in copulativo sensu: I 11 (Kuebler p. 21, 10) Celsius quidem illo et sublimius se ferente, quippe qui duplici eoque perflabili deorum adminiculo levaretur, opulentia scilicet *vel* fortuna, habebat tamen e. q. s. I 19 (Kuebler p. 29, 2) o Pellae proles et Macedonum *vel* Atheniensium Corinthique progenies ceterarumque Graeciae gentium nomina, en tempus est e. q. s.
I 21 (Kuebler p. 30, 16) connumeratis igitur *vel* veteri milite *vel* quos ipse recens scripserat cet.

Sidon. Apoll. II 12, 2 certe ego *vel* tua soror inter spem metumque suspensi e. q. s.

Ibid. IX 3, 5 ubi te inter spiritales regulas *vel* forenses medioximum quiddam contionantum..... audiebamus e. q. s.

Hist. Apoll. reg. Tyri 34 (Riese p. 69) contine impudicam libidinem et audi casus infelicitatis meae *vel* originem stemmatum considera.

Verbum *congrex*, quod legimus vs. 43:

congreges inter catervas ire per saltus tuos

pertinet etiam praesertim ad vocabularium posteriorum auctorum, velut Ausonius Epist. X 20

fastidientes carminis
angustos fervere vias et *congrege* vulgo
nomen plateas perdere;

Auson. Griph. 52

tres coit in partes numerus perfectus, ut idem
congrege ter terno per ter tria dissoluatur.

Digitized by Google

Auson. Append. I Perioch. 24 tunc circa Agamemnonem manes heroici congregantur miratique lectorem iuvenum *congregem* densitatem

Prudentius Contra Symmach. II 635

iam mundus te, Christe capit, quem *congrege*[1]) nexu
pax et Roma tenent.

Imprimis autem animadvertit usus praesentis temporis pro futuro: vs. 5 *cras* implicat; vs. 7 *cras* vera dicit (utrobique notio futuri exprimitur adverbio) 45 nec Ceres nec Bacchus *absunt*, 89 quando ver *venit* meum?

Legimus hac de re apud Schmalzium[2]): In der späteren Latinität hat sich die Uebung der Umgangssprache immer mehr eingebürgert, so dasz bei Gregor. Turon. und auf gall. Inscript. Praesens und Fut. ganz unterschiedslos nebeneinander gebraucht werden.

Plater et White scribunt in grammatica Vulgatae[3]): The Present ist sometimes graphically used for the Future et laudunt exemplum (Matth. 27, 42) descendat nunc de cruce et *credimus* ei.

Etiam hic usus praesentis temporis pro futuro nos cogit de seriore statu Latinitatis cogitare. Nulla re tamen demonstrat hoc carmen magis opus esse quod numerandum est in posteriore tempore, quam usu praepositionis *de*, qui invenitur ubi genetivus aut ablativus aut alia praepositio expectatur[4]). Meminimus nos *de* praepositionem adamatam esse posterioris Latinitatis et attendamus haec exempla:

P. V. 71 moxque Marti *de* sacello dat pudicam virginem[5]). Praepositio hic circumloquitar genetivum, velut apud:

Prudent, Perist. VI 130 tum *de*[6]) corporibus sacris favillae
et perfusa mero leguntur ossa;

---

1) Prudentius agnoscit etiam *segrex* Cathem. VII 28 et Hamartig. 803.

2) Lat. Gramm. § 222 (p. 484); Löfstedt Aether. p. 213 correxit Schmalzium.

3) A Grammar of the Vulgata (Oxford 1926) § 119. Vide etiam Kühner-Stegmann I § 87, 7 (p. 119 sq.). Observandum est etiam vs. 50 codices *dicit* offerre, ubi *dicet* solet legere in consensu cum *adsidebunt*, quod statim sequitur.

4) Schmalz § 136 p. 407 sq. et Lofstedt Peregrin. p. 106.

5) Nos dicimus: de koster van de kerk.

6) Hanc praepositionem tractavi in Mnemos. 49 (1921) p. 107. Exempla, quae Bergman in editione Prudentiana affert, C S E L p. 510, leviora sunt.

Digitized by Google

Prud. Contr. Symm. I 185 cognatos *de* Marte deos;
Prud. Hamartig. 212 locuples *de* corpore praedo;
Auson. Prof. XVI 18, 7 nomen *de* rhetore;
Auson. Cup. Cruc. XXIV 1 istae (sc. mulieres) *de* nostro saeculo;
Auson. Epist. IV 33 exemplum *de* fratre time;
Sidon. Apoll. Ep. IV 8, 3 nebula *de* pulvere; VIII 10, 1 desiderio *de* vobis meo.

Praepositio *de* comitatur ablativum instrumentalem:

P. V. 6 implicat casas virentes de flagello myrteo.

Conferantur:

Prud. Apoth. Praef. 31 *deque* imbecillis subiugavit fortia;
Prud. Dittoch. (Titul. Hist.) 136 respersis manibus *de* sanguine iusto;
Claudian. In Eutrop. II (19) 35 (Birt. p. 94)
canitiem raram largo *de*[1]) pulvere turpat.

Saepius iungitur *de* cum ablativo causae:

P. V. 4 et nemus comam resolvit *de* maritis imbribus
14 ipsa surgentes papillas *de* Favoni spiritu
urget in nodos patentes;
17 et micant lacrimae trementes *de* caduco pondere;
39 ut nemus sit incruentum *de* ferinis stragibus.

Obit vices easdem *de*:

Prud. Cath. V 131 sed terris domini *de* cruce tristibus;
Prud. Hamart. 374 oblectent hilaram *de* funere plebem;
584 (vipera) non sexu fertilis aut *de*
concubitu distenta uterum;
Auson. Epitaph. XVII 16, 2 (Astyanacti)
flos Asiae tantaque unus de gente superstes
parvulus Argivis set iam *de* patre timendus;
Claudian. Paneg. de tert. cons. Honor. (VII) 25 (Birt p. 142)
signa triumphato quotiens flexisset ab Histro
arctoa *de* strage calens e. q. s.

Pro mero ablativo materiae praefertur ablat. cum *ex* in classica Latinitate, posteriores auctores eligant praepositionem *de* secundum hos locos:

---

1) In plerisque codicibus est *de*, sed saepe legitur *iam* cum C.
2) Kühner-Stegmann I § 81, p. 393 sq.

Digitized by Google

P. V. 9—11 tunc cruorem *de* superno..... fecit undantem Dionem;

23 facta Cypridis *de* cruore *de*que Amoris osculis *de*que gemmis *de*que flammis *de*que solis purpuris ....marita (rosa)..... non pudebit solvere (sc. ruborem);

Prud. Cath. IX 100 cerneres coire membra *de* favillis aridis;

Auson. (de ratione librae) 34, 10 sic est

as solidus, quoniam bis sex *de* partibus aequis | constat;

Claudian. Carm. min. (de quadriga marmorea 17, 1 (Birt p. 280):

quis dedit innumeros uno *de* marmore vultus?

Haec exempla nos satis docent, quo coetu auctor Pervigilii Veneris nobis quaerendus sit.

De Metro.

Poeta gratiosum populo trochaicum catalecticum tetrametrum i. e. septenarium trochaicum elegit. Hoc est metrum carminum Romanorum militum, sicut Prudentius id tam feliciter usus est in hymno de duobus militibus Hispanis. Versus Prudentii, Christiani Horatii, sunt puriores quam Pervigilii Veneris, sed neque magis integri. Conferamus:

P. V. 72 Romu*léas* ipsa fecit cum Sabinis nuptias

cum Prudentio Perist. I, 3

sanguinis nobis *eádem* (sc. vocabula) scripta terris tradidit (sc. Christus).

Uterque poeta permisit sibi eandem libertatem: apud alterum *-léas* apud alterum *-ádem* pro trochaeo est, utrobique id est tribuendum accentui, quod in paenultima cadit. Iam Obbarius de hac re scripsit: Metrum haud raro neglegitur, quia poeta in arsi versuum maiorem vim accentui quam quantitati tribuit. Metrum, quod est ad quantitatem et metrum, quod est ad accentum reperta sunt longe antequam Pervigilium Veneris conditum est. Scimus Augustinum A° 393 Psalmum contra partem Donati, suum Psalmum per ordinem alphabeti (Abcdarium) scripsisse neglecta quantitate.

Septenarius Graecus trochaicus severioribus legibus quam Latinus ligatus erat. Plautus et Terentius — contrariis Graecis

Digitized by Google

exemplis — spondeum (vel anapaestum) admittunt imparibus locis praeter septimum. Nulla causa est cur accipias auctorem Pervigilii Veneris hanc libertatem Latinam sprevisse, ut se Graecis praescriptis alligaret. Quamvis hac observatione omnes difficultates, quae contra aliquot versus sunt allatae, abierint, tamen volumus versus incusatos speculabimur, ex loco metri, quod est ad accentum.

In quinto pede est spondeus

60 ut pater totum crearet *vernis* annum nubibus.

Ictu prior syllabae *vérnis* tale pondus habet, ut secunda corripiatur (cogitatur de *Iambenkürzungsgesetz*) et verbum sonet tanquam trochaeus. Non licet *vernis* cum Pithou et Clementi mutare in *vernus* aut in *veris* cum Sanadon et Mackail.

Retinemus spondeum etiam:

91 perdidi Musam tacendo nec *me* Phoebus respicit.

Hic thésis quinti pedis corripitur, ita ut *me* quasi brevis sit. Nihilominus Mackail et Clementi legunt:

perdidi Musam tacendo nec *me Apollo* respicit.

Metro quod est ad accentum anapaesti in vs. 55 *púeri*, 62 *áleret*, 23 *Cýpridis*, 76 *Vénerem* defenduntur, unumquidque potest haberi tribrachys. Quod attinet ad *Cýpridis*, et *Vénerem*, et *s* et *m* in fine verbi vix pronuntiabantur.

Lingua et re metrica Pervigilii Veneris videntur indicare tempus vitae auctoris fere incidere cum Ausonio et Prudentio. Non licet ei plane eidem esse atque Annio Floro aequali Iuvenalis, e contrario debet fere filius esse illius saeculi, quarti, quo secundum testimonium Ammiani Marcellini (27, 4, 14) post longum intervallum Iuvenalis rursus poeta, quem sinu fovent, cultiorum hominum factus est.

Brevis disputatio de Pervigilio Veneris.

Carmen incipit tamquam cantus veris, promittit Venerem, quod naturam iam ad novam vitam excitaverit, coma sit arboribus, flores sint in gemmis, cras facturum, ut rosae aperiantur. Suas nymphas Dianae legavit, ut ab ea peteret, ut sibi tribus diebus imperium silvae cederet, nam hanc non licebit polluere feris necandis, cum per tres noctes inter coronas et

Digitized by Google

casas myrteas Dionem cantu et saltatione celebrent. Coram nymphis silvarum et montium et campi et fontium thronum ascendet in loco amoeno et florido Hyblae et ius dicet, dum Gratiae adsidebunt. Unde habet dea tantam potentiam? Divinitus est origo: sanguinis guttae ex aethere in mare ceciderunt, quo facto e gremio fluctuum Aphrodite surrexit. Hac in origine est causa eius inflammatae potentiae, quae nusquamnon in natura studium propagandi excitavit. Romae facta est auctor stirpis, quod filius cum comitibus in Latium prosecuta est. Campus eius vim sentit — Amor ex eo natus est — etiam armenta boum et ovium greges, denique aves. In fabula Philomelae, lusciniae quae canit, et Procnae, hirundinis, quae nondum canere potest, poeta invenit ligamen, non querelam de sua sorte — ea esset superbia — de morte futurae poesis patriae.

Videntur principales partes, quae aguntur, Veneri et deabus, quae cum ea conspirant, tribui; audimus modo cultores epulas habituros et ad saltationem et ad cantum abituros: hanc enim esse significationem Bacchum, Cererem, Apollinem non esse defuturos. Perbreviter trinoctium per ambages inserta agitur, etiam plures versus sunt consumpti in descriptione loci, ubi feriae habebuntur et enumeratione, quae comitatum deorum efficiunt. Nullam imaginem veritatis auctor voluit dare; verum et fictio in carmine sunt coniuncta, est imprimis fictio; audax opus celeritatis ingenii. Exit ante diem festum et donat nos aperturam; hoc cum agnoscimus, nostra admiratio est pronuntianda nobis arte, qua carmen suum altius scivit propositum afferre. Cum legimus vs. 82

quisque tutus quo tenetur coniugali foedere,

movemur magnifica pictura pacis armentorum, non minus quam pacifica quiete ferarum in hymno Aphroditae (Hymn. Hom. IV 73)

οἱ δ' ἅρα πάντες
σύνδυο κοιμήσαντο κατὰ σκιόεντας ἐναύλους,

ubi dea pergit per Idam, ut se conferat ad casam Anchisae. Verum est: non novimus poetae Pervigilium Veneris, sed certum est illum similem esse eius cantoris hymni Homerici.

Fabula dicit Cinyram primum sacerdoten Aphroditae fuisse in Cypro, qui elegias componeret Adoniis atque deliciae deae

Digitized by Google

esset, Pervigilia instituisse. Historice constat Aphrodisiis Corinthi, praesertim cum nocte agerentur, non multo fieri honeste [1]). Temporibus syncretismi, cum cultus Aphroditae coalesceret cum cultu Bacchi, illa Pervigilia acceperunt religiosam naturam. Multo post, ubi in eam deam coepta est videri physica potestas, additum est elementum philosophicum: est in hac sapientia, quod carmen nostrum versatur. Defendit cultum eius inflammatae animabilis, almae, pulchrae potestatis naturae, quae vocetur Venus, quae originem det filio Romae maximo, a quo imperium denuo constitutum et populus in novas vias conductus sit. Fieri non potest ut insignis cum tali animo homo suum obsequium — sacrilege fere — in personalem querelam evadere faceret: vates edit gemitum neglectum cultum deae allaturnm esse finem patriae poesis. [2])

De ordine versuum.

Verisimile est Clemens et Mackail fecisse vs. 59—62 subsequi vs. 8, quod v. 7 Dione appellata sit atque putaverint omnium primum suam originem decere expositam esse. Altius tamen consideranti ducetur ad intellegentiam, vs. 59 sqq., ubi divina origo Veneris, tum omnia incitantia potestatem depinguntur, summas res poematis fingunt [3]). Lex Romani operis flagitat, ut hi versus medium fere carmen sint. Efficiendum est ergo prorsus contrarium, non transponendos vs. 59—62 ad initium carminis, sed vs. 9—12 collocandos post 63. Diximus supra vs. 49 nuntiari Venerem iura dicturum, tum est secundum dialecticam, causam eius potestatis i. e. divinam originem interpretari. Ex eius medio et in antecedentia et in subsequentia lux illustranda conicietur: structura hymni nostri est sic opus omnibus numeris absolutum.

---

1) Vide Athenaeum 13 p. 568 E, ubi Eubulus poetam *μέσης κωμῳδίας* narrat de *πώλοις Κύπριδα*. — Quod attinet ad Romam, cogitatur de scena apud Quartillam a Petronio descripta et de verbi eius 21, 7 etiam dormire vobis in mente est, cum sciatis Priapi genio *pervigilium* deberi?

2) Nilsson Griechische Teste, p. 377.

3) Ordo 1—8, 59—62. 9—11 tuetur et Trotzki: Zum Pervigilium Veneris, Philolog. 81 (1925) p. 339—363.

Digitized by Google

Pascal et ante vs. 9 et ante vs. 58 lacunas sumpsit neque perspexisse videtur illos locos pertinere alterum ad alterum. Rarum est ut idem verba *Romuli matrem* servet, ut ordinem a Baehrensio excogitatum 70, 73, 74, 71, 72 acceperit. Verba *Romuli matrem* sunt corrupta. Rhea Silvia sive Ilia, quae secundum vs. 71 iam Marti data erat nuptum, non potest post Sabinas raptas nata esse, ut vs. 73 et 74 nos volunt persuadere. Mendum tamen non difficile est ad corrigendum. Sicut *nepotem Caesarem*, progenies illustrissima Veneris est nominata, ita ad eum respondendum erit in principio versus clarissima gens, itaque *Iulia*. Legatur ergo:

proque prole posterum
Iliae gentem crearet [1]) et nepotem Caesarem.

Unusquisque intellegit verba *Romuli matrem* tanquam glossema in margine iuxta *Iliae gentem* stetisse et detrusisse. [2])

Nullo loco melius vs. 58 inseri quam post 39 in Commentario demonstrabitur.

Ceteros versus de tradito ordine abhorrere non approbo. Carmen continet 10 strophas dissimili magnitudine, sicut Abcdarius Augustini non omnes strophas eundem versuum numerum habent. Primus versus est versus intercalaris, sicut in psalmo Augustini versus intercalaris introitus est. Habemus non magis ius eundem versum (cum Scriverio) delere atque eum inserere (cum Buechelero, Clementi, Mackail) aliis locis atque in MSS. est factum. [3])

Strophae sunt hue:

I (vs. 1—8) contĭnet introitum;

II (vs. 13—27) est veris cantus, canit turgentes gemmas, rorantes guttas, aperientes rosas;

III (vs. 28—36) nos cognoscit Veneris iussa nymphis;

---

1) Verba *proque prole* mutavit in *unde prolem* Riese.

2) In „Classical Review" 32 (1918) p. 98 est propositum *Romuli Patres* (Lipsius legit: *Romuli patrem*).

3) *Gens* est lectio Riesii.

4) Divisio a Clementi (Introd. p. 9) data in προωδός, στροφή(α), ἀντιστροφή(β), μεσωδός cet. est omnino artificiosa structura, vs. 37—29 et 58 sunt non satis graves ad μεσωδόν formandam; neque magis possunt 76—88 ut ἀντιστροφή respondere ad 59—62, 9—12; 63—68 ut στροφή, cum inter se nimis differunt.

Digitized by Google

IV (37—48) continet preces nympharum a Diana;
V (49—57) describit conventum deae;
VI (59—62) et (9—12) sermo est de conubio inter Aethera et Terram et de origine Dionae;
VII (63—68) pingit quomodo nova nata Venus tamquam potestate naturae functa est;
VIII (69—75) honorat auctorem stirpis Romanae;
IX (76—80) praefatur vim Veneris in campis;
X (81—93) exposuit potestatem deae gregum et avium, cui querela de silentio Musae coniungitur.

Digitized by Google

AD PERVIGILIUM VENERIS.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

In codicibus mss. versus 34 sq. sunt

sed tamen nymphae cavete quod cupido pulcher est
totus est inermis idem quando nudus est amor.

Pithoum secutus Baehrens haec recensuit:

sed tamen, Nymphae, cavete, quod Cupido pulcher est:
totus est in armis idem quando nudus est Amor.

Scriverius corrigendum esse censuit: est in armis totus idem. Pithoi scriptura nimirum propter spondeum in pede tertio reicienda est neque ulla causa Scriverii vocabulorum traiectio nititur.

Vera lectio totius loci restituetur, si in versu priore, ubi nunc illud 'quod Cupido pulcher est' a verbo 'cavete' pendens frigidissime dictum videtur, revocata erit recta interpunctio et in altero versu haec parva facta erit emendatio:

sed tamen, Nymphae, cavete! quod Cupido pulcher est,
tantus est inermis, idem quando nudus est Amor!

Similiter supra in eodem versu (32) sunt:

iussus est inermis ire, nudus ire iussus est.

Habemus igitur: quod Cupido est in plena sua pulchritudine, cum arcu sagittisque armatus est, tantus etiam est cum est inermis, nec minus, cum nudus est Amor! Ergo cavete eum, Nymphae!

Ad 'quod... est' cf. Liv. XXX 30: Quod ego fui ad Thrasumennum, ad Cannas, id tu hodie es.

Digitized by Google

In codd. mss. versus 82 est

quisque tutus quo tenetur coniugali foedere.

Est hoc loco sermo de tauris neque ulla esse potest dubitatio quin verba 'quisque tutus' significare debeant: nullus non taurus mitis iam ac mansuetus est; nempe vetat sana ratio ne 'tutus' sensu passivo positum esse credamus atque feroces et minaces vel maxime tauri sunt, cum de formosa iuvenca, ut Vergilius cecinit (Georg. III 219 sqq.), alternantes multa vi proelia miscent. Cf. etiam Ov. Met. IX 46:

Non aliter vidi fortes concurrere tauros,
Cum pretium pugnae toto nitidissima saltu
Expetitur coniunx.

Vid. porro Amor. II 12, 25, Stat. Theb. VI 864.

Quae cum ita sint, corrigendum est:

quisque tutus quom tenetur coniugali foedere,

ut Buecheler in vs. 59 quom pro quo cod. S. vel qui cod. T omnium consensu restituit.

Baehrens loci difficultatem persensit, sed pro tutus de suo male scripsit laetus.

Est in hoc carmine tertius locus, qui mutatione unius litterulae emendari potest, sc. vs. 84:

et canoras non tacere diva iussit alites.

Rursus Baehrens optime vidit corruptelam latere, sed non veritus est versus 84 et 85 traicere. Mihi vero persuasum est reddendum esse poetae: at canoras cet., qua levissima correctione illata videbis, quam bene cantus cycnorum et lusciniae oppositus sit taurorum oviumque, quae subter umbras cum maritis recubant, quieti et silentio.

Temptare denique liceat vs. 22, quem codices mss. varie exhibent:

ipsa iussit $\begin{matrix}\text{mane tuae}\\ \text{manet tute}\end{matrix}$ virgines nubant rosae.

Dousa mane ut udae, Orellius mane totae proposuit. Maluerim:

ipsa iussit mane Eoo virgines nubant rosae.

Digitized by Google

VINDICIAE ANTIMACHEAE.

SCRIPSIT

J. VAN IJZEREN.

De Antimacho Colophonio si quis disputare incipiat, vereor ne multis et levitatis et adrogantiae moveat suspicionem, iis praesertim qui perlegerunt Wilamowitzii librum, quo pulchriorem ille in fecunda senectute composuisse non videtur, eum librum dico cui titulus *Hellenistische Dichtung in der Zeit des Kallimachos*. Quis enim in eorum numerum se recipi gaudeat quos acri cavillatione usus vir clarissimus *homines* dicit *qui de Antimacho vel de Philita quicquam innotuisse nobis imputent* [1])?

Quam suspicionem ut statim ab umeris reiciam, nihil mihi antiquius est quam ut lectorem si quem nactus ero moneam illud μηδὲν πρὸ ἡμῶν προσδοκᾶν λίχν μέγα: poetae quondam inter nobilissimos habiti imaginem vel paucis lineis ut describam, id mihi non magis continget quam cuiquam eorum, qui in eodem argumento iam centum fere et quinquaginta annos versati sunt. Pauca tamen observare liceat, quae non ab omni veri specie aliena esse et mihi persuadere conatus sum et aliis conaturus.

I.

Flebili igitur disputationis principio paucissima hodie de Antimacho constare equidem haud negaverim — pauciora etiam quam ipse Wilamowitzius statuisse videtur, qui tamen tres paginas de eo conscribere potuit lectu dignissimas in libro e

1) Vol. I, Vorwort p. VI: „Leuten, die sich gebärden als wüssten wir über Antimachos oder Philidas (sic) Bescheid".

Digitized by Google

cuius praefatione nonnulla verba modo protuli. Sic quaecunque apud Ovidium Statiumque ex priscis Thebanorum fabulis legamus ad Euripidem, non ad Antimachum referenda esse [1]) contendit senex venerabilis — at ultima verba quo tandem argumento stabiliri possint frustra quaesiveris. Exiliora enim sunt fragmenta Antimachea quae alii scriptores servarunt et pauciora numero quam ut quicquam certi inde efficias; de quo poeta quid in universum olim iudicaturi simus si quando sive tota eius Thebais sive maiora ex ea frusta ex fertili Aegypti solo prolata erunt, quis praedixerit? Ipse Wilamowitzius fuit cum hinc diversam sententiam defenderet: ante viginti quinque annos, cum primum philologis obtulit ex flosculis illis inter legendum decerptis quibus Hermen ditare exinde non desiit, suum honorem tribuit [2]) scholio illi ad Statium Thebaid. III 466 a quo omnis de hac re argumentatio originem ducit: „*Dicunt poetam ista omnia ex Graeco poeta Antimacho deduxisse, qui et ipse (lon)gam Thebaidem scripsit et veteribus in magno pretio habitam*". Mox popularem suum R. Jahnke, qui novam Scholiorum Statianorum editionem publicaverat acriter perstrinxit et aliis de causis et propterea quod totum hoc scholium omiserat [3]).

Res incerta manet et fortasse manebit, neque iniuria *omnia quae de Antimacho scribuntur nimis in dubio esse videntur* Carolo Fiehn [4]), Wilamowitzii discipulo; Antimachum contra Statio pro exemplo fuisse sine ulla fere argumentatione statuit Mauritius Croiset [5]).

Hoc autem loco aliquid ut efficiamus, quamvis sit exiguum, quod non ab omni probabilitate abhorreat, in primis observandum est Antimachi poesin primo post Christum natum saeculo minime fuisse ignotam inter homines literatos doctosque. Sic Quintilianus, qui Statii fuit aequalis, eum refert inter paucos illos quos nominat poetas epicos [6]); *grammaticorum consensum*

1) Vol. I p. 103: „Wer bei Ovid und Statius die thebanischen Sagen liest, wird überall an Euripides erinnert, auf Antimachos führt nichts".

2) Hermes XXXIII p. 513 sq.

3) Hermes XXXIV p. 101—106.

4) Quaestiones Statianae p. 55.

5) Histoire de la littérature grecque I p. 424.

6) X 1 53.

Digitized by Google

poetae Colophonio post Homerum *secundas fere deferre* ut non negat, ita tamen habet quae in eius carminibus reprehendat. Vix autem est quod dubitemus quin eo tempore Euripidis fabulae non magis apud Romanos notae fuerint quam Thebais Antimachi.

Equidem non possum non suspicari hinc factum esse ut Statii carmen Phoenissarum Euripidearum memoriam et Wilamowitzio et aliis excitaret, quod ipsi Antimacho pro exemplo fuit Euripidis drama aetate fere eius compositum et spectatoribus oblatum. Neque praeterea desunt, quibus ab Euripide discrepet Statius; ex quo genere Gennaro de Filippis v. d. iam ante multos annos in clara luce posuit [1]) quatenus Polynices et Eteocles alia ratione in Phoenissis efficti sint, alia apud Statium. Apud Euripidem enim Polynices sua voluntate, ut ipse contendit (vss. 473 sqq.), Oedipodis exsecrationem effugiturus Thebas relinquit regno per integrum annum fratri relicto; tum demum fraternum prorumpit odium cum Eteocles post annum peractum promisso stare recusat; apud Statium contra (I 123 sqq.) Tisiphone, ab Oedipodis umbra excitata, iam statim acerbum inter fratres movet discidium; qui non nisi prudenti ratione consilioque ducti, certamine in praesens omisso foedus componunt (vss. 138 sq.):

alterni placuit sub legibus anni
Exsilio mutare ducem —;

regnum deinde sortitur Polynices, qui tamen proximo anno fidem praestare abnuit. Hoc certe loco Statium Antimacho auctore usum esse non iniuria suspicatus videtur De Filippis.

Dixeris ne hoc quidem pro certo constare; neque ego is sum qui obloquar. Nec tamen inepte me iudice statueris Statium eadem fere ratione Antimacho usum esse qua Apollonio usus est Valerius Flaccus. Multum profecto afuit ut Antimachum Latine verteret poeta Domitiani admirator; sed permulta eum hausisse ex poeta Graeco satis etiam tunc nobili, cui in poesi Apollonium Rhodium fere successisse constat, id mihi ut eripiam facere non possum. Hinc quoque explicari potest quod mortuo Statio, quem et in recitationibus satis aequalibus placuisse ex

1) Atene e Roma IV p. 126 sq.

Digitized by Google

Iuvenale novimus [1]), Antimachus apud Romanos quadamtenus in oblivionem abiisse videtur. „Itala iam studio discit memoratque iuventus" — hoc cum in fine Thebaidis exclamaret Statius (XII 815), quasi Antimacho reiecto eum gloriatum esse suspicor. Quem Quintilianus nominaverat poetam cuius nomen nemini ignotum esset, eundem quinquaginta fere annis post imperator Hadrianus, qui *Φύσει Φιλόλογος ἦν ἐν ἑκατέρᾳ τῇ γλώσσῃ, καί τινα πεζὰ καὶ ἐν ἔπεσι ποιήματα κατέλιπε* [2]), miro mentis errore ductus Homero expulso in civitatem reducere conatus est: *τὸν Ὅμηρον καταλύων Ἀντίμαχον ἀντ' αὐτοῦ εἰσῆγεν*; addit autem Dio Cassius quem citabam (LXIX 4, i. f.): *οὔ μηδὲ τὸ ὄνομα πρότερον ἠπίσταντο.* Quod ut non ab omni parte verum sit, apparet tamen minime ea aetate Antimachi nomen clarum magnumque fuisse inter Musarum Graecarum admiratores. Rarissime etiam ex eo tempore apud scriptores Graecos Latinosque ita citatur, ut ipsa eius carmina eis nota fuisse efficias; pauciora verba dictionesque, quas grammatici et lexicographi adferunt, ex antiquioribus fontibus ut hauserint facile fieri potest.

II.

Minus etiam nota, immo vero plane ignota Hadriani aetate atque etiam ante Hadrianum fuisse videntur vetustiora carmina de Thebanorum fabulosa historia, quibus Cyclicam illam Thebaidem compositam fuisse traditum est. Quorum carminum perpauca illa fragmenta quae servata sunt — longe pauciora quam Antimachi — cum consideramus, perdita ut ducamus cogimur quae videmus perisse; quamvis ingeniose singulos ingentis quod olim exstitit aedificii lapides componere conati sunt et Welcker et Bethe, quos honoris causa nomino, audaciora fuerunt eorum conamina quam ut antiquarum aedium simulacrum eos nobis repraesentasse concedamus. Quin etiam fuisse qui vere Icareis alis usi vel altius evolare studerent me docuit Schanzius in Historia Literarum II II p. 151: qui

1) Iuvenal. VII vss. 82 sqq.: Curritur ad vocem iucundam et carmen amicae Thebaïdos, laetam cum fecit Statius urbem promisitque diem; tanta dulcedine captos adficit ille animos tantaque libidine volgi auditur.

2) Suidas i. v. *Ἀδριανός*.

Digitized by Google

antiquiorem illam Thebaidem Statio pro exemplo fuisse demonstratum ierunt. Quod et per se spectatum quam veri sit dissimile, intelleget quicumque secum reputaverit quanto intervallo inter se distent prisca carmina epica et ea quae post Alexandri Magni mortem sunt composita, quantum intersit inter Homerum et Vergilium.

Neque tantum veri dissimillimum est Statium Cyclicam illam Thebaidem imitatum esse; omnino fieri non potuisse videtur ut eam imitaretur. Permulta profecto ex literis Graecis in schola paterna legerat Papinius; audiamus modo ipsum in *Epicedio in Patrem* narrantem se didicisse (Silvae V III 148 sqq.):

quis casus Troiae, quam tardus Ulixes,
Quantus equos pugnasque virum decurrere versu
Maeonides, quantumque pios ditarit agrestes
Ascraeus Siculusque senex; qua lege recurrat
Pindaricae vox flexa lyrae, volucrumque precator
Ibycus, et tetricis Alcman cantatus Amyclis
Stesichorusque ferox, actusque egressa viriles
Non formidata temeraria Leucade Sappho,

quibus accesserunt Callimachus, Lycophron, Corinna. Plura etiam haud dubie et adulescens et iuvenis schola relicta ex literis Graecis Latinisque perlegit antequam magnum suum opus aggressus est; sed Cyclicam Thebaidem eum ne adspicere quidem potuisse mihi persuasum est. Quod ut quantum valeam lectoribus probem paulo longius mihi est regrediendum.

Iuvenili protervitate Alcibiadem et alia peccasse narrat Plutarchus (Alcibiad. VII) et aliquando eum ad ludi magistrum nescio quem adisse, a quo *βίβλιον Ὁμηρικὸν* peteret; *εἰπόντος δὲ τοῦ διδασκάλου μηδὲν ἔχειν Ὁμήρου κονδύλῳ καθικόμενος αὐτοῦ παρῆλθεν.* Alium magistrum, se Homerum habere contendentem *ὑφ' αὑτοῦ διωρθωμένον* his verbis *ὁ λέοντος σκυμνὸς* derisisse fertur: „*Εἶτα γράμματα διδάσκεις Ὅμηρον ἐπανορθοῦν ἱκανὸς ὤν; οὐχὶ τοὺς νέους παιδεύεις*: „*Tu, tantae eruditionis homo, puerulos docere non dedignaris; quidni iuvenes litteris instituas?*" Apparet autem ex utraque narratione singulos Athenienses saeculo quinto ante Christum natum minime Homeri suum exemplar possidere solitos esse; etiamsi Alcibiadem non ipsam Iliadem Odysseamve petiisse coniciamus, sed aliud quodvis carmen

Digitized by Google

epicum — idem tamen respondet ludimagister *se nihil ex Homero habere.* Alia res profecto erat apud maiores nostros etiam inter humilis popelli homines; quorum quemquam Christianae fidei addictum Bibliis suis Sacris caruisse nemo contenderit.

Comparari autem potest quod narrat Xenophon in Memorabilibus (IV II) de Euthydemo, Dioclis filio. Qui adulescens divitias et aliis in rebus collocaverat et in colligendo *γράμματα πολλὰ ποιητῶν τε καὶ σοφιστῶν τῶν εὐδοκιμωτάτων.* Hinc se aequalibus multum praestare *ἐν σοφίᾳ* putabat, quamquam ne in forum quidem venire eum sinebat iuvenilis aetas; saepe autem se conferebat *εἰς ἡνιοποιεῖόν τι τῶν ἐγγὺς τῆς ἀγορᾶς.* Quo cum venisset Socrates, Euthydemum mox inter amicos sodalesque recepit. Notatu autem dignum est Socratem cum Euthydemo colloquentem id pro insigni divitiarum eius documento habere quod totum Homerum possideat adulescens: *καὶ γὰρ τὰ Ὁμήρου σέ φασιν ἔπη πάντα κεκτῆσθαι* (§ 10).

Hic autem verbis *πάντα τὰ Ὁμήρου ἔπη* quin indicetur quidquid ex epicae poeseos genere Alcibiadis aequalibus notum esset, nullus dubito. Etenim, quamquam saeculo quinto Homeri nomine a Graecis Iliadis tantum et Odyseae poetam vulgo indicatum esse et alii ostenderunt et John A. Scott [1]) — neque aliud nos docent Platonis Res Publica et Io — tamen fieri non potest quin alia quoque epica carmina interdum tribuerentur *τῷ τυφλῷ ἀνδρὶ* quem neque quisquam ignoraret neque quisquam notum haberet. Testis est e. g. Herodotus IV 32; multis saeculis post ne Pausaniam quidem Periegetam ab hac ratione abhorruisse mox ostendam.

Nec tamen ego is sum qui ex Plutarchi Xenophontisque quos modo citabam locis efficiam raros inter Athenienses Socratis aequales fuisse eos qui suam Iliadem et Odysseam in bibliotheca collocatas haberent: non tanta mehercle fuit ludi magistrorum vis, ut pueris eam ingererent epici poetae scientiam unde per totam vitam haurire possent. Homerum enim semper et ubique eorum menti memoriaeque obversatum esse cum ex Platone apparet tum ex antiquae comoediae parodiis. Neque recitationes illae quinquennales, quibus in festo *τῶν*

1) In egregio libro *The unity of Homer* p. 12 sqq.

Digitized by Google

Παναθηναίων interesse solebant cives Attici, quicquam hac in re valuissent, nisi aliunde, ex ipsis nempe libris lectitatis lectitandisque, auxilium sibi petere potuissent.

Sed longe diversam fuisse reliquae epicae poeseos conditionem vel exiguus docet numerus eorum locorum quos inde citaverunt alii eorum temporum scriptores; neque plures numero ex hoc genere versus adhibuit Aristophanes comicus. Sic ex toto Thebaicae poeseos orbe, nisi nimis incuriose rem egi, unus tantum servatus est versiculus, quem recitat πολιμικώτερος ille ex pueris qui e Trygaei procedunt domo [1]):

Νῦν αὖθ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν ἀρχώμεθα —

continuo autem Trygaeus intericit:

παῦσαι

ὁπλοτέρους ἄδων-

Priorem autem horum versuum, vocativo Μοῦσαι in fine posito:

Νῦν αὖθ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν ἀρχώμεθα, Μοῦσαι,

in certamine Homeri et Hesiodi adscribitur τοῖς Ἐπιγόνοις, quod carmen fuerunt qui Homero vindicarent. Eodem vergit scholium Aristophaneum quod in Ravennate omissum inter lineas adpictum servavit Venetus codex: ἀρχὴ τῶν Ἐπιγόνων Ἀντιμάχου.

Non illepide autem — nam paulisper a via aberrare libet — hoc scholio duce observari potest quam facile in nostra quoque arte fictae fabulae et oriantur et crescant adulescantque. Errasse interpretem constat: anno 422 a. C. n., quo anno Pax Aristophanea in scenam prodiit, Antimachus Colophonius pueritiam nondum egressus erat. Erroris causa facilis est ad investigandum: noverat Scholiasta Antimachi Thebaidem, aequalibus suis haud ignotam, sed Ἐπιγόνων illorum Cyclicorum vagam tantum adspexerat umbram. Hinc annotatiunculam ex antiquiore editione desumptam ita auxit ut Colophonii illius adderet nomen. Eodem modo multis saeculis post Valckenarius ὁ πάνυ erravit in adnotatione ad Phoenissarum versum 68.

Attamen ut graviora hinc orerentur incommoda in fatis fuisse videtur. Cuius mali principium ex eo derivandum est quod et alterius cuiusdam Antimachi nomen duobus antiquorum scriptorum locis traditur, Teo oriundi. Ex quo hic versus:

---

1) Ar. Pax vs. 1270.

Digitized by Google

Ἐκ γὰρ δώρων πολλὰ κάκ' ἀνθρώποισι πέλονται,

servatus est apud Clementem Alexandrinum; praeterea eo die quo Roma urbs condita est σύνοδον ἐκλειπτικὴν fuisse Plutarchus (Romulus XII) narrat σελήνης πρὸς ἥλιον ἣν εἰδέναι καὶ Ἀντίμαχον οἴονται τὸν Τήιον ἐποποιόν[1]). Nihil amplius.

Sufficiebant tamen paucissima haec Bergkio ut de Epigonis observaret[2]): „*Wie es scheint, ward dieses Epos dem Antimachos von Teos (um Ol. 6) zugeschrieben, den man nicht mit dem gleichnamigen, aber viel jüngeren Epiker aus Kolophon verwechselen darf*" — quam suspicionem satis modeste prolatam deinde ipsius veritatis veste induit Wilamowitzius[3]); sic Bergkium et Wilamowitzium quid rei essent perspexisse contendit Bethius[4]): nihil deliquit Aristophanis Scholiasta sed... *der Teier ist gemeint.* Adiuvat causam levissimum quoddam Porphyrionis ad Horatium (A. P. 146) scholion, de quo infra pauca adiciam; ἑρμαῖον autem tanto mentis oculorumque acumine indagatum pro re ab omni dubitatione remota venditur apud Christium in quinta Historiae Literariae editione quam curavit W. Schmid, ubi haec pauca invenimus: „*Das Homer das Epos* (nempe Epigonorum) *gedichtet habe, bezweifelt bereits Herod. IV 32; der Scholiast zu Aristoph. Pac. 1270 schreibt es einem Antimachos aus Teos zu*"[5]). Postremo de Antimacho Teio quasi certissimis auctoribus fretus annotat Anonymus apud Pauly-Wissowa: „*Unter seinem Namen gingen die Thebais und die Epigonen des epischen Kyklos*"; pro argumento citantur Aristophanis et Horatii scholiastae, ita tamen ut neutrius adferantur verba. En Antimachus Teius non solum Epigonorum, sed etiam totius Cyclicae Thebaidis poeta!

III

Sed redeamus ad Cyclicam illam Thebaidem; quam Statium legisse veri dissimile esse probaturus eram. Quo ut perveniam ad alium ex poetis Latinis mihi provocandum est, qui centum

1) Composuit haec Kinkel, Epic. gr. fr. p. 247.
2) Griechische Literaturgeschichte II p. 42.
3) Homerische Untersuchungen p. 346, n. 26.
4) Thebanische Heldenlieder p. 36.
5) I[5] p. 89.

Digitized by Google

fere annis ante Statium vixit, Propertium dico. Cui Antimachum notum fuisse tam certum mihi videtur ut sperare ausim fore ut aliquando novis papyraceis fragmentis ex Aegypto allatis appareat *Lyden* illam Colophonii poetae ei in deliciis fuisse; Thebaidem autem haud dubie designat uno illo loco ubi Antimachum nominat, in ultima secundi libri elegia. Laudat ibi Propertius Lynceum quendam ex amicis suis, virum doctissimum iuvenilem aetatem iam aliquantum egressum. Cynthiam tangere ille ausus est; quam tamen tactionem satis innocentem fuisse facile suspicaberis ubi audiveris Lynceum vino impulsum *verbis* improbis usum esse (vs. 21 sq.):

Una tamen causa est cur crimina tanta remitto,
Errabant multo quod tibi verba mero.

At poenas mox daturus est scelestus: serus amor severiora antiquae poeseos studia ei eripiet; Philetas erit imitandus,

Et non inflati somnia Callimachi.

Carmina Thebanorum priscam historiam tractantia ei mox displicebunt; cothurnus Aeschyleus ei eripietur,

„Incipe iam angusto versus includere torno,
inque tuos ignes, dure poeta, veni.
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero:
despicit et magnos recta puella deos". (vss. 43 sqq.)

Antimachi autem quod una cum Homeri nomen citatur, id congruit cum Quintiliani quem modo attuli loco, et cum notissimo Antipatri epigrammate [1]), cuius hi sunt ultimi versus:

Καὶ ναετὴρ Κολοφῶνος ὑπέζευκται μὲν Ὁμήρῳ
ἀγεῖται δ' ἄλλων πλάθεος ὑμνοπόλων.

„Civis enim magno Colophonis cedat Homero,
Nobilium vatum ducit et ipse chorum".

Paucis autem versibus ante nominantur apud Propertium nonnulli heroes ex Thebanorum historia noti: „etiamsi, Lynceu, canere cupias,

Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion,
Tristis ad Archemori funera victor equus:
Amphiarea nihil prosint tibi fata quadrigae,
Aut Capanei magno grata ruina Iovi".

1) Anthol. Pal. VII 409.

Digitized by Google

Hoc loco Propertium non alludere ad fabulas sibi ex Antimacho notas, id vix ac ne vix quidem mihi persuaserim; quod autem eaedem res in Cyclica Thebaide tractatae fuerunt, id minime demonstrat Propertium hanc secutum esse. Non minus probabile mihi videtur et Statium ex Antimacho hausisse cum sexto libro (vss. 301 sqq.) ample et fuse narraret de divini equi rebus gestis fatisque; quamquam fieri potest ut et alios mythographos secutus sit et de suo nonnulla addiderit.

Sed si sumere liceat Propertium nostro loco de Antimacheo carmine cogitasse, simul id statui posse videtur Antimachum pro exemplo fuisse Lynceo illi Thebaidem canenti. Latere autem sub hoc nomine Ponticum poetam, quem et ex Ovidii vita ab ipso descripto novimus [1]), constare videtur; suo contra nomine Ponticus appellatur in primi libri elegia illa septima, cuius hoc est initium:

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae
Armaque fraternae tristia militiae,
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
Sint modo fata tuis mollia carminibus —

Etiam hoc solemni carminis introitu leniter deridetur Ponticus: caveat, sic pergit poeta, ne Propertium amoris vatem contemnat:

Saepe venit magno foenore tardus amor. (vs. 25);

suspicor etiam in versu quarto ambiguitatem quandam latere: verbis enim *sint mollia fata tuis carminibus* cum optimum quidque amico suo imprecantem audimus poetam, videntur tamen et carminis sepulcralis instar: „lenis veniat mors carminibus tuis".

Quidquid id est, unum negare atque pernegare audeo ex versu tertio probari posse Cyclicam Thebaidem Pontico ob oculos fuisse; nullo iure adnotavit Max Rothstein: „*Mit Homer tritt Ponticus nicht nur als Epiker in den Kampf, sondern Homer ist wahrscheinlich als Verfasser der kyklischen Thebais gedacht, die ihm nach Paus. IX 9, 5 vielfach zugeschrieben wurde*". Vellem mihi ex Latinis scriptoribus unus locus indicaretur, quo Homeri nomine non significetur Iliadis et Odys-

1) Ovid. Trist. IV 10 vs. 47.

Digitized by Google

seae poeta; frustra verbi causa quaeras apud Ciceronem, qui saepissime nominat Homerum. Quin etiam multo acrius Ponticum ludificatur Propertius cum iuratus fere — *ita sim felix* — exclamat eum in epico genere ipsum poetarum principem aemulari posse. Nihil aliud: iniuria ex poetae verbis elicueris ea quae prius interpretando inserere conatus sis.

Apparet igitur nullo modo probari posse cyclicam Thebaidem Propertio notam fuisse; qui quin Antimachum noverit dubitandum non est.

IV.

Eadem ratione tractandus videtur notissimus quidam Pausaniae locus quem et Scottium tractasse [1]) consentaneum est; cui quadamtenus adstipulari possum. Narrat enim Pausanias in libri noni capite nono de utroque bello Thebano; confecta autem narratione de Epigonorum certamine, observat haec: Ἐποιήθη δὲ ἐς τὸν πόλεμον τοῦτον καὶ ἔπη Θηβαΐς. τὰ δὲ ἔπη ταῦτα Καλαῖνος ἀφικόμενος αὐτῶν ἐς μνήμην, ἔφησε Ὅμηρον τὸν ποιήσαντα εἶναι. Καλαίνῳ δὲ πολλοί τε καὶ ἄξιοι λόγου κατὰ ταὐτὰ ἔγνωσαν. Ἐγὼ δὲ τὴν ποίησιν ταύτην μετά γε Ἰλιάδα καὶ τὰ ἔπη τὰ εἰς Ὀδυσσέα ἐπαινῶ μάλιστα.

Insigni hoc loco exemplo ostendi potest et quam prave rem criticam interdum exercuerint viri docti et quam sequax nonnunquam dicenda sit editorum cohors. Καλαῖνος enim ille quis sit quamquam nemo scire potest, nomen tamen cum aliis nominibus Graecis comparatum — Ἀρίσταινος dico et Πολύαινος — nihil habet quod offendat. Tamen iam saeculo decimo sexto ignorantiam falsa quadam scientia mutavit Sylburgius cum pro Καλαῖνος et Καλαίνῳ rescriberet Καλλῖνος et Καλλίνῳ. Sic auctorem suum citat Pausanias veterem illum elegiarum poetam — de quo tamen et ipso aut pauca aut nihil novimus, nihil certe quod eum literarum Graecarum historiae operam dedisse ostendat. Apud Pausaniam vero omnia hac ratione bene quadrare videbantur; Sylburgii coniecturam et antiquiores quos inspexi Pausaniae editores in textum receperunt et nostra aetate Bluem-

1) Libro citato p. 17.

Digitized by Google

nerus Hitzigiusque [1]). Deinde constare videtur cum Callinum epica carmina de bellis Thebanis composita Homero adscripsisse idque temporibus eius vulgo fieri solitum esse, tum Pausaniam vetustam illam Thebaidem inter suos libros habuisse.

Equidem reiectis istis acutiorum ingeniorum hariolationibus quae tantum non ipsam veritatem sibi vindicant, ad sanam mentem redire mihi videor Pausaniam ex ipso Pausania interpretatus. Quapropter redeundum est ad Arcadiae descriptionem quam continet liber octavus. Narrat ibi Pausanias amplis ut solet verbis (cpt. XXV) qua de causa Ceres dea apud Thelpusios Ἐρινὺς audiat: Neptunum amore eius captum Cererem, dum filiam quaereret, temptasse; deae iracundiam adeo Arcades movisse, ut Ἐρινύος illud cognomen ei darent. Testis autem huius cognomenti citatur et Antimachus ἐπιστρατείαν Ἀργείων ποιήσας (τὴν) ἐς Θήβας· καὶ οἱ τὸ ἔπος ἔχει·

Δήμητρος τόθι φασὶν Ἐρινύος εἶναι ἔδεθλον [2]).

Ceres autem sub equae forma latitans frustra Neptunum effugere conata aliquanto post filiam peperit, cuius nomen profano nulli notum est, et Arionem equum, cuius et in Iliade mentio fit. „Ἐπάγονται δὲ — haec sunt Pausaniae verba — ἐξ Ἰλιάδος ἔπη καὶ ἐκ Θηβαΐδος μαρτύρια σφίσιν εἶναι τῷ λόγῳ, ἐν μὲν Ἰλιάδι ἐς αὐτὸν Ἀρείονα πεποιῆσθαι·

Οὐδ' εἴ κεν μετόπισθεν Ἀρείονα δῖον ἐλαύνοι,
Ἀδρήστου ταχὺν ἵππον ὃς ἐκ θεόφιν γένος ἦεν [3])

ἐν δὲ τῇ Θηβαΐδι ὡς Ἄδραστος ἔφευγεν ἐκ Θηβῶν,

εἵματα λυγρὰ φέρων σὺν Ἀρείονι κυανοχαίτῃ.

κινίσσεσθαι οὖν ἐθέλουσι τὰ ἔπη Ποσειδῶνα Ἀρείονι εἶναι πατέρα." Ultima unde probari possint non explicatur; mox autem Pausanias addit Arionem Antimacho auctore Terrae filium fuisse; quae a Cerere matre non multum profecto distat. Adfert deinde ex Antimacho hos versus [4]):

1) Qui adnotaverunt (p. 418) „Der Elegiker Kallinos aus Ephesos lebte um die Mitte des siebenten Jahrhunderts, die Thebais muss demnach älter sein; wie Kallinos hat wohl auch Herodot die Thebais für ein Werk Homers gehalten, denn V 67 kann bei Ὁμήρεια ἔπη nur an diese gedacht sein. Ebenso denkt sich Properz I 7, 3, wie es scheint, Homer als Verfasser der Thebais".

2) Fr. 28 K.

3) Ψ 346 sqq.

4) Fr. 25 K.

Digitized by Google

Ἄδρηστος Ταλαὼ υἱὸς Κρηθηιάδαο
πρώτιστος Δαναῶν εὐαινέτω [1]) ἤλασεν ἵππω,
Καιρόν τε κραιπνὸν καὶ Ἀρείονα Θελπουσαῖον,
τὸν ῥά τ' Ἀπόλλωνος σχεδὸν ἄλσεος Ὀγκαίοιο
αὐτὴ γαῖ' ἀνέδωκε, σέβας θνητοῖσιν ἰδέσθαι.

Quae omnia si quis sine ulla mentis perturbatione perlegerit, nonne ei veri simile videtur et eum versum quo Adrastus fugisse narratur,

Εἵματα λυγρὰ Φέρων σὺν Ἀρείονι κυανοχαίτῃ,

qui versus Kinkelio auctore Cyclicae Thebaidi adscribitur (fr. 4), ex Antimacho oriundum esse sicut ceteri versus a Pausania hoc loco adlati? Cur tandem θεὸς ille ἀπὸ μηχανῆς evocandus est, cuius sub persona latet Cyclica illa Thebais, inter antiquissima Graecorum poeseos monumenta referenda? De qua alibi nihil fere quod certum est legimus neque apud Pausaniam neque apud aequales eius sive Graecos sive Romanos, cum contra Antimachus altero demum post Christum natum saeculo in oblivionem abire coeperit?

Eadem res est in noni libri capite duodevicesimo, ubi prope Οἰδιποδίαν fontem Asphodici sepulcrum esse narrat Pausanias, qui in Argivorum proelio Parthenopaeum necaverit, καθὰ οἱ Θηβαῖοι λέγουσιν; etenim — sic pergit — τά γε ἐν Θηβαΐδι ἔπη τὰ ἐς τὴν Παρθενοπαίου τελευτὴν Περικλύμενον τὸν ἀνελόντα φασὶν εἶναι. Hic quoque Pausaniam eum poetam citasse mihi persuasum est cuius eo tempore Thebais apud Graecos Latinosque celebratur, Antimachum. Recepit tamen Kinkelius versum inter Cyclicae Thebaidis fragmenta (fr. 7).

Haec omnia si non prorsus inepte disputata videntur, maiore etiam fiducia dubitare audeo de argumentatione qua usi viri docti explicaverunt Pausaniae eum locum a quo profectus sum. Nomine igitur Καλαΐνος retento equidem eius verba [2]) sic fere interpretanda censeo:

---

1) Sic Hermann pro περ ἐπαινέτω; ἐὼ αἰνέτω parum eleganter Butmannus.

2) Pausanias IX IX, 2, Ἔτεσι δὲ οὐ πολλοῖς ὕστερον ὁμοῦ Θερσανδρῷ στρατεύουσιν ἐπὶ τὰς Θήβας οὐς Ἐπιγόνους καλοῦσιν Ἕλληνες. δῆλοι δέ εἰσι καὶ τούτοις οὐ τὸ Ἀργολικὸν μόνον, οὐδὲ οἱ Μεσσήνιοι καὶ Ἀρκάδες ἠκολουθηκότες, ἀλλὰ καὶ ἔτι ἐκ Κορίνθου καὶ Μεγαρέων ἐπικληθέντες ἐς τὴν συμμαχίαν. ἤμυναν δὲ καὶ Θηβαίοις οἱ πρόσοικοι καὶ μάχῃ πρὸς Γλισάντι ἀπὸ ἀμφοτέρων ἐγένετο ἰσχυρά. τῶν δὲ Θηβαίων οἱ μὲν αὐτίκα ὡς ἡττήθησαν ὁμοῦ Λαοδάμαντι ἐκδιδράσκουσιν, οἱ δὲ ὑπολειφθέντες πολιορκίᾳ παρέστησαν. Sequuntur ea quae supra p. 283 exscripsi.

Digitized by Google

„Paucis post annis ei quos Graeci Ἐπίγονους dicunt, Thersandro duce urbem Thebas bello petiverunt; quibus non solum Argivos, Messenios, Arcades auxiliatos esse manifestum est, sed et ex Corinthiis nonnullos Megarensibusque, qui socii ad bellum evocati erant. Nec minus Thebani a finitimis adiuvabantur; proelio ad Glisum flumen commisso utrique fortissime rem gesserunt. Thebanorum autem pars clade accepta Laodamante duce evaserunt, ceteri urbe ab hostibus capta dediti sunt. *Apud Thebanos hoc bellum carmine epico celebratum est*; quod carmen Calaenus ubi commemorat, Homero poetae adscribit; multi autem, atque ei magnae auctoritatis, Calaeno adsensi sunt. Equidem post Iliadem et Odysseam huic poesi secundas tribuere soleo".

Num forte ex tota hac disputatione satis turbata apparet Cyclicam Thebaidem Pausaniae notam fuisse, quam Homerum cecinisse fama ferebat? Equidem non facile adducar ut credam. Quam parum sibi constet ὁ περιηγητὴς ex ipsis illis de Thebanorum epica poesi verbis manifestum est; hausisse autem videtur ex compendio nescio quo historiae litterariae a Calaeno composito. Quod compendium quale fuerit frustra quaesiveris; Quintiliani liber decimus prudentius in comparationem vocabitur quam Callimachi illi πίνακες. Postquam autem ex illo compendio protulit id quo ei opus erat, satis neglegenter addit: *haec poesis uno excepto Homero prae ceteris mihi in deliciis est;* minime autem cogitasse videtur de utraque Thebaide et antiquiore et recentiore, sed de unica Thebani belli descriptione quam in bibliotheca habebat, Antimachi poetae, etiam ab aliis, ut iam vidimus, uni Homero postpositi.

V.

Ceterum de Pausaniae fide censorem agere meum non esse ut libenter confiteor, ita ea quae supra dixi aliunde etiam corroborari posse mihi videntur; iure an iniuria, id aliorum iudicio commissum esto.

Epicorum Graecorum corporis quae hodie servata sunt quam sint pauca et exilia prae ingenti carminum deperditorum copia si quis consideraverit, sequitur ut id quoque miretur quod

Digitized by Google

cum ex Troiani belli ampla materia post Homerum raro tantum hauserint poetae, aliae ex antiquissimis fabulis saepius novis carminibus cantari inter eos non desierunt. Neque hic necessarium est rhetorice rogare id quod rogavit aliquando Erich Bethe [1]): „*Wer kann beweisen, dass es nicht noch mehreren Epen gleichen Inhalts neben der Thebais gab?*" — Pindari nempe temporibus —; eodem enim iure in regionem illam τῶν ἀντιπόδων profectus rogaveris: „Quis talia carmina re vera exstitisse probare poterit?" Sed ipsam qui Kinkelii fragmentorum epicorum farraginem perlustraverit fieri non potest quin et Wilamowitzio adsentiatur observanti [2]): „*Man vergisst leicht, wie stark noch am Ende des 6. Jahrhunderts die epische Produktion war*", et simul perspiciat de recentioribus Graecorum carminibus Troianis aut nihil traditum esse, aut paucissima. Quod sic explicandum mihi videtur.

Scribendi ars cum apud Graecos septimo fere ante Christum natum saeculo poeseos quoque monumenta hactenus per viva hominum ora servata amplexa esset, mox οὐ μνήμης ἀλλὰ ὑπομνήσεως φάρμακον esse coepit, ut Platonis verbis [3]) utar. Epicum genus iam non tantum colebant homines audiendis τῶν ῥαψῳδῶν recitationibus; ipsi quoque singularum urbium cives, a poetica arte non abhorrentes, sed tamen aliis studiis, alio cotidiano labore occupati, epica carmina sibi cum vindicarent neque tanta memoriae vi praevalerent quanta Niceratus ille Xenophonteus „δυναίμην ἂν Ἰλιάδα ὅλην καὶ Ὀδύσσειαν ἀπὸ στόματος εἰπεῖν" professus [4]), libenter litterarum adiumento utebantur, quo frequentius Homerum suum ipsi adire possent, quem a pueris diligere didicerant. Libris igitur egebant, quavis ratione compositis; sed ut Ilias et Odyssea facile et modico pretio venales esse solitae fuerint, de reliqua epica poesi est profecto quod dubites, praesertim extra Atticae fines. Nam quamquam perpauca de hac re constare post alios ostendit v. d. W. H. Engelkes, qui biennium abhinc hanc materiam fere ex-

1) Thebanische Heldenlieder p. 32.
2) Hellenistische Dichtung I p. 99.
3) Phaedrus p. 275 A.
4) Xen. Convivium III 5.

Digitized by Google

hausisse videtur [1]), sumere tamen licet Athenis praecipue floruisse librorum mercaturam. In eadem autem urbe singulari honore iam inde a sexto saeculo colebatur utrumque epos: non minus in deorum Olympiorum cultu adhibebantur Ilias et Odyssea quam in puerorum institutione, neque in urbe quam *παίδευσιν τῆς Ἑλλάδος* aliquando Pericles dixisse ferebatur [2]) Plato Homeri laudatoribus obloqui poterat contendentibus *ὡς τὴν Ἑλλάδα πεπαίδευκεν οὗτος ὁ ποιητής* [3]). Hinc facile est ad probandum Athenis Odysseae et Iliadis exemplaria semper fere apud bibliopolas prostitisse — descripta, ut videtur, ex publico exemplari Pisistrati temporibus comparato —, quae mercatores in omnes orbis Graeci partes ad quaestum faciendum aveherent; sic non sine aliqua veri specie suspicari licet Homericos quoque libros fuisse inter *πολλὰς* illas *βίβλους γεγραμμένας* quas in litus eiectas Salmydessi Xenophon aliquando invenit [4]).

Sed alia erat reliquae poeseos epicae sors, quam multo minus hominibus litteratis cordi fuisse iam supra observavi; inde fiebat ut bibliopolarum Atheniensium haud multum interesset exemplaria eius describenda curare et extra patriam exportanda. Hinc e. g. Colophone in urbe Asiae ceteroquin haud ignobili carmina Thebaica semper hominibus curiosis praesto fuisse minime mihi constat. Talibus rationibus ductus equidem suspicor Antimachum virum si non sublimi poetico ingenio praeditum attamen carmina pangendi artis haud imperitum, in ea regione in qua iam antiquitus ars poetica coleretur [5]) etiam propter Apollinis Clarii vicinum oraculum, eo pervenisse ut Thebanorum priscam historiam sibi et ex tragoedia Attica et ex Ionica fabulatione notam, ipse ut caneret in animum induceret. Qua in re eum Homerum suum pro exemplo sumpsisse consentaneum est; recentiorum tamen poetarum, philosophorum, sophistarum studia et placita a carminibus arcere neque poterat

1) In dissertatione Academica *Het Grieksche Boek in Voor-Alexandrijnschen tijd*, Amsterdam 1926.

2) Thucyd. II 41.

3) Res Publica p. 606 E.

4) Xenoph. Anabas. VII v 14.

5) Colophone nati erant Mimnermus et Xenophanes, post Antimachum nati sunt Hermesianax et Nicander, qui et libellum composuit *περὶ τῶν ἐκ Κολοφῶνος ποιητῶν* (Schol. Nicand. Theriac. vs. 3).

Digitized by Google

neque cupiebat; iure quodam suo pronuntiavit Porphyrio [1]): ἐ δὲ Ἀντίμαχος τὰ Ὁμήρου κλέπτων παραδιορθοῖ; idem tamen de aliis quoque poetis Graecis non paucis statui potest.

VI.

Roganti autem unde factum sit ut prisca illa de bellis Thebanis carmina magis magisque in oblivionem abierint, Antimachus vero lectitari et coeptus sit neque per multa saecula desierit, per divinandi tantum et suspicandi artem responderi potest — qua arte omnino carere non possumus in magna copia rerum ad antiquitatis studia pertinentium; hoc tamen unum semper obtinendum est, ut divinatio suspicioque pedem referant sicubi ipsa veritate duce rerum vestigia sequi liceat.

Ac primum quidem dubitari non potest quin Antimachi Thebais — Lyden illam nunc consulto praetereo — et narrationis elegantia insignis fuerit et rerum narratarum copia atque dignitate; quod tamen propter fragmentorum exiguitatem hodie demonstrari prorsus nequit. Deinde egregie calluisse videtur poeta artem hominum mentes in se convertendi; quod ut probemus provocari potest ad nonnullas ex illis historiis quae permultae servatae sunt apud scriptores antiquos de hominibus aliunde vix notis. Sic M. Tullius in Bruto (§ 191) narrat Antimachum aliquando *cum convocatis auditoribus legeret eis magnum illud quod novistis volumen suum, et cum legentem omnes praeter Platonem reliquissent* dixisse: „*Legam nihilo minus: Plato enim mihi unus instar est centum milium*". Adferendum est etiam id quod narrat Plutarchus (Lysander XVIII) poetam ludis illis Lysandreis Sami habitis, quibus olim nomen fuisset Ἡραῖα, in poetico certamine victum esse a Nicerato quodam Heracleota; tristem deinde demissoque animo maerentem a Platone iuvene adlevatum esse. Postremo Proclus in commentario ad Timaeum — omnes hos locos collectos exhibere Kinkelium [2]) nemo non intellegit — narrat Platonem aetate provectiore Heraclidi Pontico mandasse ut Colophonem profectus Antimachi carmina sibi compararet.

1) Locum sumpsi ex Kinkelii adnotatione ad Antimachi fr. 47—49.
2) I p. 273 sqq.

Digitized by Google

Quae omnia etiamsi veris falsa admixta contineant, id tamen haud dubie statuere licet Antimachum cum carminibus suis aliquando Athenas se contulisse atque ibi, ut postea Romae solebant poetae, recitationibus iudicia hominum expertum esse; qua in re fortunam modo ei defuisse, modo auxiliatam esse; hoc fortasse ex Platonis etiam auctoritate, cui et seni Colophonii carmina in deliciis mansisse. Sic factum esse ut praesertim Thebais lectores inveniret satis multos, neque librarios a carmine edendo et vendendo abhorruisse; Athenis autem profectum carmen illud epicum totum orbem literarium pervagatum esse.

Eodem autem tempore Cyclica illa Thebais in oblivionem abiisse videtur; mox pauca tantum supererant exemplaria et aliis in bibliothecis servata et Alexandriae in Museo a Ptolemaeo condito: totum corpus poeseos epicae Alexandriae quin servatum fuerit dubitari nequit. Quam paucos autem cyclica illa carmina lectores habuerint hinc etiam manifestum est — sequor hic Alfredum Körte in lepido libello *Die hellenistische Dichtung* p. 129 — quod magnus quidem fragmentorum papyraceorum numerus inventus est ex *Catalogis* Hesiodeis oriundorum, ex toto vero illo epico cyclo vix unus adhuc versiculus. Quamquam huius argumenti pondus eo minuitur quod et carminis Antimachei quod sciam non minus hucusque tristis est sors. Nisi sumere liceat — vellem ullum firmum argumentum adferri posset — epicum illud carmen, cui nomen *Auf dem Landgute des Diomedes* dedit Wilamowitzius [1]) ex quo quattuor et octoginta versus satis lacera conditione reperta sunt, Antimacho vindicandum esse. Quod omnino fieri posse negavit Wilamowitzius.

Sed non solum papyracea illa testimonia desunt ad antiquissimam poesin pertinentia: argumento eo quod dicitur e silentio freti tuto statuere possumus poeticum id genus viris quidem doctis bibliothecam Alexandrinam frequentantibus minime fuisse ignotum, at multo minus placuisse gregi illorum hominum, qui literas praesertim recentiores colerent et amarent. Apparebat denuo quam vere iam Homerus cecinisset illa:

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι
ἥ τις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

1) Berliner Klassiker Texte V 1 p. 67—74.

Digitized by Google

Suos inveniebat lectores Apollonius Rhodius, quamvis ei adversaretur et insidiaretur Callimachus — sicut eum Antimacho obtrectatum esse est quod suspicemur. Rursus hic divinatione quadam nobis opus est: unum pro certo constat carpsisse quondam Callimachum Λύδην illam Antimachi, παχὺ γράμμα καὶ οὐ τορόν (Fr. 44). Cum quibus verbis componendum est convicium illud Catulli (95 vs. 10), qui in laudatione Zmyrnae Cinnae sui Hortensium leviter cavillatus subiungit:

Parva mei mihi sunt cordi monumenta sodalis,
At populus tumido gaudeat Antimacho.

Catullum autem non Lyden Antimacheam perstrinxisse, sed Thebaidem manifestum est: Cinnae illud ἐπύλλιον opponit amplo Antimachi carmini, satis accepto apud vulgus hominum literatorum; ubi vero Catullianum illud *tumidus* componimus cum adiectivo παχύ a Callimacho usurpato, tum facile suspicamur Battiaden non minus acriter Thebaidem perstrinxisse. Neque aliud quicquam ab eo exspectandum erat: Apollonium quem olim discipulum habuisset cum acerbe aggrederetur Callimachus, invidia eum aliquantum motum esse ut constare videtur, simul tamen constat persuasum ei fuisse antiquum illud epicae poeseos genus non minus admiratione dignum esse quam recentiorum poetarum imitationi ineptum; longe minoris ambitus carminum iam tempus venisse, canenda esse ἐπύλλια atque εἰδύλλια. Antimachus autem ad Apollonium multo proprius accedebat quam ad Homerum: quamvis pauca sciamus de Thebaide, verissimum profecto est quod egregie his verbis exposuit Wilamowitzius [1]): *Antimachos wollte Epos und Elegie erneuern, aber nicht so wie Empedokles, durch Zuführung von neuem Geiste und neuen Künsten, sondern durch Einleben in die alte Welt und ihre Sprache, als durch Gelehrsamheit, Glossographie, wie die Grammatiker sagten, und Ueberbietung Homers mit seinen eigenen Künstmitteln*". — Legas, ut exemplum adferam fr. 42:

Γηγενέας τε θεοὺς προτερηγενέας Τιτῆνας,

vel aetiologiam observes in fr. 43:

Ἔστι δέ τις Νέμεσις, μεγάλη θεός, ἣ τάδε πάντα
πρὸς μακάρων ἔλαχεν· βωμὸν δέ οἱ εἵσατο πρῶτος

1) Hellenistische Dichtung I p. 101.

Digitized by Google

Ἄδρηστος ποταμοῖο παρὰ ῥόον Αἰσήποιο,
ἔνθα τετίμηταί τε καὶ Ἀδρήστεια καλεῖται.

Apollonium pervolvens mox incidi in eiusdem generis aliquid (IV 980 sqq.):

Ἔστι δέ τις πορθμοῖο παροιτέρη Ἰονίοιο
ἀμφιλαφὴς πίειρα Κερασυνίη εἰν ἁλὶ νῆσος,
ἣ ὕπο δὴ κεῖσθαι δρέπανον Φάτις — ἴλατε Μοῦσαι,
οὐκ ἐθέλων ἐνέπω προτέρων ἔπος — ᾧ ἀπὸ πατρὸς
μήδεα νηλειῶς ἔταμε Κρόνος· οἱ δέ ἑ Δηοῦς
κλείουσι χθονίης καλαμητόμον ἔμμεναι ἅρπην.
Δηὼ γὰρ κείνῃ ἐνὶ δή ποτε νάσσατο γαίῃ.

Ex longinquo autem et Apollonius et Antimachus secuti esse videntur locum ex Homero aut hunc (B 811 sqq.):

Ἔστι δέ τις πόλιος προπάροιθ' αἰπεῖα κολώνη,
ἐν πεδίῳ ἀπάνευθε, περίδρομος ἔνθα καὶ ἔνθα,
τὴν ἦ τοι ἄνδρες Βατίειαν κικλήσκουσι,
ἀθάνατοι δέ τε σῆμα πολυσκαρθμοῖο Μυρίνης,

aut hunc (Λ 711 sqq.):

Ἔστι δέ τις Θρυόεσσα πόλις αἰπεῖα κολώνη
τηλόθ' ἐπ' Ἀλφείῳ, νεάτη Πύλου ἠμαθόεντος
τὴν ἀμφεστρατόοντο διαρραῖσαι μεμαῶτες —

at quanto longiore intervallo ab Homero distat Antimachus quam ab Antimacho Apollonius!

VII

Αἰτιολογία autem illa quam Antimacho materiam carminis componendi praebuisse et ex loco modo citato et ex aliis fragmentis apparet [1]), Callimacho ut offensioni fuerit fieri non potest; multo probabilius est ei displicuisse totius Thebaidis ambitum: nam τὸ μέγα βίβλιον ἴσον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ ei legis instar erat. Qui tamen ambitus haud tantus fuisse censendus est, quantum ex inepto quodam scholio Horatiano fuerunt qui efficerent. Notissimo enim Artis Poëticae loco (vss. 146 sq.) laudatur Homerus, qui et moderatione temperantiaque poetarum principem se gesserit,

1) Cf. fr. 28 de quo supra iam egi (p. 284) et fr. 3.

Digitized by Google

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo.

Acronis autem quae fertur adnotatio ad hunc locum haec est: *Meleager et Tydeus fratres fuerunt. Antimachus poeta reditum Diomedis narrans ab exordio coepit primae originis, id est ab interitu Meleagri*; eiusdem generis est quod observavit Porphyrio: *Antimachus fuit cyclicus poeta. Hic aggressus est materiam, quam sic extendit ut viginti quattuor volumina expleverit antequam septem duces usque ad Thebas perduceret.* Neque alio spectat Cruquiani commentatoris scholium.

De fide autem scholiorum Horatianorum iudicare mihi non licere quamquam libenter concedo, hoc tamen loco dubitandi et diffidendi audacia hinc mihi augetur, quod video neminem scholiastae credere contendenti (ad vs. 137) ex Antimacho conversum esse istud:

Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.

Neque maior fides me iudice habenda est iis quae ad vs. 147 adnotaverant Acro et Porphyrio. Quid enim? Loquitur Horatius de *Reditu Diomedis*, id est de carmine quodam cui apud Graecos titulus fuerit Διομήδους νόστος, quale carmen quondam exstitisse magna cum veri specie efficere licet ex Aeneidis libro undecimo. An vero Vergilius ex suo ipsius ingenio hausisse aestimandus est cum Diomedem in Italiam migravisse narraret lamentantem (vss. 269 sq.):

Invidisse deos patriis ut redditus oris
Coniugium optatum et pulchrum Calydona viderem?

Incipiebat ille νόστος a primo exordio: Oeneum, cum obiissent Meleager filius eius et Althaea uxor, Periboeam duxisse; peperisse eam Tydeum et sic Diomedis aviam esse factam. Non minus igitur ex alto originem carminis repetiverat poeta, quam alter ille vates aeque ignotus, qui Troianum bellum narrare coepit initium capiens ab ovo illo a Leda quondam parto.

Quae omnia apte decurrunt; sed ad Antimachum hic quicquam pertinere nihilo magis credibile est quam eum, id quod autumat Porphyrio, viginti quattuor volumina implevisse antequam Septem duces Thebas oppugnantes lectoribus ostenderet. Unde has ineptias scholiasta sumpserit suspicari non possum — sed ineptiae dicendae sunt. Quantum hac ratione usus totum

Digitized by Google

Antimachi epos fuisse censes? Undenam explicandum est quod non nisi ex Libris I—V fragmenta nobis servata sunt? Praeterea iam supra (p. 289) citavi pauca verba ex Bruto Ciceronis, ubi Antimachi *magnum illud quod novistis volumen* memoratur. Quodsi hoc loco Thebais significatur — quod vix dubitari potest — tum mehercle si Horatii scholiastis credendum esset, totam fere bibliothecam implevisse censendum foret unum illud volumen, ipsi Birtio nimis amplum, cuius opinionem de antiquorum voluminum amplitudine nemo fere probaverit [1]).

Postremo de Thebaidis ambitu quaerenti lucem praebere potest locus ex Gregorii Nazianzeni epistula tertia, quem citatum inveni in fragmentorum Antimacheorum collectione, quam anno 1848 edidit Schollius. Ibi legimus haec: „Τὸ λακωνίζειν οὐ τοῦτό ἐστιν, ὅπερ οἶει, ὀλίγας συλλαβὰς γράφειν, ἀλλὰ περὶ πλείστων ὀλίγας. Οὕτως ἐγὼ καὶ βραχυλογώτατον Ὅμηρον λέγω, καὶ πολὺν τὸν Ἀντίμαχον. Πῶς; τοῖς πράγρασι κρίνων τὸ μῆκος, ἀλλ' οὐ τοῖς γράμμασιν". Thebaidem multo minoris ambitus fuisse quam carmina Homerica non obscure hoc loco indicatur.

Attamen etiamsi quod ad Thebaidis amplitudinem attinet scholia Horatiana nihil nos docere possunt, ipsa tamen Thebanorum bellorum materia ea erat, ut carminis argumentum praeberet longe amplioris quam ut Callimacho placeret.

VIII.

Ad unum ex Horatianis scholiis modo citatis ut redeam moveor altero scholiastae errore, quo et ad praecedentem disputationem confirmandam uti poteram. Etenim *Antimachus fuit cyclicus poeta* cum dicit Porphyrio confudisse videri potest epos Antimacheum cum priscis illis de Thebanis bellis carminibus quae Cyclicae Thebaidis nomine indicari solent. Quod tamen aliter se habet: nam Alexandriae etiam inter viros doctos varie adhibebatur adiectivum κυκλικός; qua de re post Welckerum fuse egit Mekler in Prolegomenis ad Apollonium

1) Birt, *Das antike Buchwesen* p. 443: „wirklich hat sich Athen noch eines sehr viel unbeholfneren Grossrollensystems bedient, dass später Rom und Alexandria schlechthin bescitigten"; cf. eiusdem viri docti liber *Die Buchrolle in der Kunst* p. 215 sqq. Obloquentem audias velim v. d. Engelkes in libro supra allato p. 43 sqq.

Digitized by Google

Rhodium. Ansam praebet nobile Callimachi epigramma XXVIII quod sic incipit:

Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικόν, οὐδὲ κελευθῷ
χαίρω τίς πολλοὺς ὧδε καὶ ὧδε φέρει.
Μισῶ καὶ περίφοιτον ἐρώμενον, οὐδ' ἀπὸ κρήνης
πίνω· σικχαίνω πάντα τὰ δημόσια.

Quod carmen nullis verbis melius illustrari posse quam Horatiano illo *Odi profanum vulgus et arceo* cum appareat, fieri non potest ut adsentiar ei explicationi quam post alios dedit Aemilius Cahen in nova Callimachi editione [1]), κυκλικόν nempe ποίημα significare *le poème banal des successeurs d' Homère, tel le Créophylos de l'épigramme VI.* Indicatur potius aliquod carmen quod in ore populi est, quod recitatur et cantatur ἐν συστάσεσι κύκλοις τε, ut Euripidis verbis utar [2]). Coniunctas habes ambas notiones in epigrammate ex Anthologia Palatino non minus noto (XI 130).

Τοὺς κυκλίους (l. a. κυκλικοὺς) τούτους τοὺς „αὐτὰρ ἔπειτα"
λέγοντας
μισῶ λωποδύτας ἀλλοτρίων ἐπέων,

et in versu Horatiano cuius scholion tractabam:

Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim,
„Fortunam Priami cantabo et nobile bellum".

Ultimi autem versus exemplum Graecum quod inter reliquias antiquae epicae poeseos repertum non est, id mihi quidem non nimis mirandum videtur: credo potius Horatium nescio quem poetam Alexandrinum derisisse, qui sic fere grandiloquum suum carmen exorsus est:

Ἀείσω Πριάμοιο τύχας πόλεμόν τ' ἐύδοξον.

Vocabulo enim *olim* minime ad remotiora tantum tempora referri vel pueris notum est.

Praeterea cum e fragmentis a Bethio compositis [3]) videmus saepius scholiastas grammaticosque verbis οἱ νεώτεροι significare poetas eorum antiquorum carminum quae ab Homero aliena putabantur — quos poetas nos τοὺς κυκλικοὺς vocare consuevimus — tum mehercle minore indignatione et admiratione

1) Quae prodiit „sous le patronage de l'association Guillaume Budé" Parisiis anno 1922.

2) Andromache vs. 1088. 3) Bethe, Homer II p. 192 sqq.

Digitized by Google

scholiastam audimus Antimachum *cyclicum* poetam nuncupantem. Praesertim cum Acro alter scholiasta ad eundem Horatii versum adnotaverit: *Cyclicus poeta est qui ordinem variare nescit; vel qui carmina sua circumfert quasi circumforaneus; aut nomen proprium cyclicum est et significat Antimachum.*

Sed, iam illuc unde abii redeo: sic magis magisque mihi crescit animus ad dubitandum ubicumque cyclica illa Thebais opponitur carmini Antimacheo. Iam duo fragmenta (4 et 7) Colophonio poetae vindicabam (supra p. 285); δεινῆς fortasse esset ὕβρεως si de hoc argumento proferre auderem quod a iuvenili potius temeritate exspectaveris quam a prudentia virili. Quapropter, ut nimiam eam audaciam contineam, in fine disputationis unum modo tractabo locum quo modeste me applicare possum suspicioni quam iam protulerunt saeculi praecedentis summi quidam philologi.

Apud Sophoclem in Oedipode Colonaeo acerba ira filios exsecratus Oedipus cum haec inserit (vs. 1375 sq.):

τοιάσδ' ἀρὰς σφῷν πρόσθε τ' ἐξανῆκ' ἐγὼ
νῦν τ' ἀνακκλοῦμαι ξυμμάχους ἐλθεῖν ἐμοί,

vocabulo πρόσθε spectatores haud dubie reicit ad exsecrationem iam dramatis initio auditam (vss. 421 sqq.). Altius tamen rem repetit scholiasta, qui narrat Oedipum iam antea, cum post calamitatem suam Thebis etiam viveret, filios suos μικροψύχως καὶ τελέως ἀγεννῶς exsecratum esse, cum pro hostiae humero, quam honoris ergo mittere solerent, nonnisi bestiae femur misissent. Adfert deinde scholiasta e cyclica Thebaide hos versus (fr. 3 K.):

Ἰσχίον ὡς ἐνόησε χάμαι βάλεν, εἶπέ τε μῦθον·
„ὤ μοι ἐγώ, παῖδες μὲν ὀνειδείοντες ἔπεμψαν".
εὖκτο δὲ Δὶ [1]) βασιλῆι καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισι,
χερσὶν ὑπ' ἀλλήλων κατα βήμεναι Ἄιδος εἴσω.

Iam Schellenbergius, Friderici Augusti Wolfii discipulus, qui anno 1786 primus Antimachi fragmenta laudabili libello collegit, cum ageret de Valckenarii errore a me quoque supra

1) Traditum est εὖκτο Διί; locum sic rescripsit G. Hermann:
ὤ μοι ἐγώ, παῖδές μοι ὀνειδείοντες ἔπεμψαν
εὐκτὰ Διὶ βασιλῆι καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν.

Digitized by Google

(p. 279) indicato hos versus Antimacho tribuendos suspicari se professus est; apud Athenaeum enim (XI 465 E) alterum ex cyclica Thebaide fragmentum servatum esse quo alia exsecrationis causa adferretur [1]). Quam suspicionem qui maiore ut par erat fiducia postea defendit Godofredus Hermannus [2]), neglexit tamen et ipse argumentum adferre cui maxima vis mihi quidem tribuenda esse videtur. Nam cum valde improbabile sit bis Oedipodem in uno carmine ob causas satis ineptas filios suos exsecratum esse, fragmentum quod in textu exscripsi ideo praesertim Antimacho vindicandum mihi videtur, quia priora eius verba quamquam ex Homero non sunt desumpta, apertam tamen memoriam retinent versus ex Odyssea XX 204:

Ἴδιον ὡς ἐνόησα, δεδακρύαται δέ μοι ὄσσε.

Cuius memoriae ipsum poetam sibi conscium fuisse minime contenderim; immo vero, ubi amborum versuum non solum priora verba inter se similia sunt, sed etiam totius rythmi tenor prorsus idem est, ipsam tenemus rationem qua Homericam poesin sequebantur et alii poetae posteriores et prae ceteris Apollonius Rhodius. Antiqui enim illi epici totos ex Homero versus adhibere solebant, τὰ αὐτὰ λέγοντες περὶ τῶν αὐτῶν; Apollonius vero vix unum nisi fallor versum ex Homero integrum mutuatus est; amabat magis variationem illam Alexandrinis poetis praecipue probatam. Reperimus apud eum Homericorum versuum particulas minores maioresve; sed sescenties deprehendimus epicum illum tenorem qui menti eius fixus inhaerebat propter exemplaria prisca nocturna versata manu, versata diurna. Innumeros ex hoc genere locos collegit Meklerus [3]); ex copia eorum quos ipse notaveram duos protrahere libet quo

1) fr. 2 K: Αὐτὰρ ὁ δισγενὴς ἥρως ξανθὸς Πολυνείκης
πρῶτα μὲν Οἰδιπόδῃ καλὴν παρέθηκε τράπεζαν
ἀργυρέην Κάδμοιο θεόφρονος· αὐτὰρ ἔπειτα
χρύσεον ἔμπλησεν καλὸν δέπας ἡδέος οἴνου.
αὐτὰρ ὅ γ' ὡς φράσθη παρακείμενα πατρὸς ἑοῖο
τιμήεντα γέρα, μέγα οἱ κακὸν ἔμπεσε θυμῷ,
αἶψα δὲ παισὶν ἑοῖσι μετ' ἀμφοτέροισιν ἐπαρὰς
ἀργαλέας ἠρᾶτο, θεῶν δ' οὐ λάνθαν' ἐρινύν.
ὡς οὑ οἱ πατρῴῃ ἐν ἠθείῃ φιλότητι
δάσσαιντ', ἀμφοτέροισι δ' ἀεὶ πόλεμοί τε μάχαι τε....

2) Opuscula VII p. 196 sqq.

3) Prolegomena ad Apollonium Rhodium p. XXXVII sqq.

Digitized by Google

magis quid velim sit perspicuum. Sic Apollonius cum componeret versum (IV 261):

οὔπω τείρεα πάντα τά τ' οὐρανῷ ἐστήρικται,

fortasse non plane ignorabat menti suae obversari versum ex Iliade (Σ 485):

ἓν δὲ τὰ τείρεα πάντα, τά τ' οὐρανῷ ἐστεφάνωται,

sed cum scriberet (IV 1198):

οἰόθεν οἷαι ἄειδον, ἑλισσόμεναι περὶ κύκλον,

haud credo eum imitandum sibi sumpsisse Homericum illud (Α 317):

κνίση δ' οὐρανὸν ἷκεν, ἑλισσομένη περὶ καπνῷ.

Hanc autem similutidinem odorari mihi videor in epico de Oedipodis exsecratione fragmento de quo agebam; eandem saepius reperies apud recentioris aevi poetas Latinos, ibi quoque ubi a nullo antiquo poeta se pendere sibi persuadeant.

Dixerit quispiam tale argumentum quod subtili quodam sensu niti potius videtur quam sano mentis iudicio, levius esse quam quo fragmentum illud Antimacho adscribendum esse probetur. Non obloquar; sed tamen reticere nolo aliis quoque in rebus similitudinem aliquam reperiri posse inter pauca illa quae ex Antimacho servata sunt et Apollonii carmen amplissimum. Indicabam iam rationem illam αἰτιολογικὴν ambobus communem; in usu verborum Antimachum non raro Apollonio pro exemplo fuisse apparet ex vocabulis qualia sunt δύπτω, ἔδεθλον, ἐνσχερώ, λέχρις, μυδαλέος, στιβερός apud utrumque obviis. Quae series aliquanto longior futura est si quando aut totum carmen Antimacheum aut ampliora ex eo fragmenta in lucem redierint.

Quae omnia cum ita sint, non possum non suspicari etiam odium poeseos Antimacheae Callimachum movisse ut Apollonium a longioris ambitus carmine componendo deterreret. Faustis autem ominibus ut disputationi finem faciam, addere libet bene factum profecto esse quod praeceptori suo hac in re non obsecutus est Apollonius. Quidquid enim iudicamus de Argonauticorum carmine, id ne unquam obliviscamur Vergilium quem admiramur et veneramur omnes non magis Homerum secutum esse — imitandi enim verbum hinc alienum — quam Apollonium Rhodium.

Digitized by Google

DE CARMINE SIMONIDEO, QUOD INTERPRETATUR PLATO IN PROTAGORA DIALOGO.

SCRIPSIT

H. D. VERDAM.

Vulgo putatum est interpretationem carminis Simonidei in Protagora dialogo seriam esse. Sane Gomperz perbrevi disputatione toto hoc loco Platonem iocari [1]) coniecerat, sed posteriores denuo eum in serium converterunt [2]). Wilamowitz fieri potuisse, ut nonnulla per iocum dicta sint, haud quidem negat (quemadmodum in Cratylo dialogo multa per iocum tractata esse nemo negat) sed nihilominus Socratem „einen verständigen und redlichen Interpreten" [3]) vocat. Platonem toto loco iocatum esse recte perspexisse Gomperz mihi videtur. Qui cum locum summatim tantum perstrinxerit, ipsam autem Platonis interpretationem, quamvis ridiculam, sequi videatur, eam accurato examini subiciam. Sin et per iocum dictam et falsam esse apparuerit, aliam proponere in animo est.

Incipit locus a disputatione Protagorae (339 D). Qui Simonidem ea dixisse perhibet, quae frontibus adversis secum pugnent. Praedicere Simonidem ait χαλεπὸν ἀγαθὸν γενέσθαι sed mox, huius sententiae immemorem, eidem sententiae a Pittaco prolatae (χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι) repugnare. Respondet Socrates se Pittacum ab hoc crimine defendere velle. Aliud enim esse ἀγαθὸν γενέσθαι, aliud ἐσθλὸν ἔμμεναι. Haud igitur absurdum esse Simonidem alterum affirmare, alterum negare.

1) Griechische Denker, II 256 sq.
2) e. g. Pohlenz. Aus Platos Werdezeit, p. 110 sq.
3) Simonides und Sappho, p. 163, 167.

Digitized by Google

Itaque Simonidem oppugnat Protagoras. Quod animadvertendum est. Nam Simonidem vulgo imitatos esse sophistas et factis et sententiis vix quisquam ignorat. Velut Simonideum illud τὸ δοκεῖν καὶ τὴν ἀληθείαν βιᾶται magis convenit cum disciplina sophistarum quam Socratis. Magis etiam animadventendum est Simonidem non solum oppugnari a Protagora, sed etiam defendi a Socrate. Omnia autem in hoc dialogo inversa sunt. Nam demonstrare studet Protagoras virtutem doceri posse (ex quo apparet, virtutem doctrinam esse), quod Socrates in dubium vocat. Sub finem demum Socrates Protagoram monet semet ipsum contra demonstrasse videri virtutem doctrinam esse (itaque doceri posse), id quod Protagoras negaverat. Ergo nostro quoque loco, ubi Socrates Simonidem a Protagora defendere fingitur, caveamus, ne ludibrio simus Platoni, quippe qui ironice loquatur.

Antequam interpretatio carminis init, primo Prodicus in scenam inducitur (341 A—E). Qui cum ex Ceo insula esset et civis Simonidis, tribuitur ei a Platone haec sententia, lingua Cea v. χαλεπὸς idem valere, quod v. κακός! Sententia mox revocatur: iure, nam si Prodici interpretatio recta esset, vv. Simonides χαλεπὸν ἀγαθὸν γενέσθαι significarent: malum est bonum fieri, quae sententia vix sanae mentis est. Praeterea si ita locum interpretaremur vel potius corrumperemus, difficultas interpretandi carminis eadem maneret, nam dissensio vv. κακὸν ἀγαθὸν γενέσθαι cum vv. κακὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι eadem maneret.

Sequitur disputatio de ratione Spartiatarum. Spartiatas primum locum philosophiae tenere in Graecia Plato contendit. Sed simulare stultitiam. Nam si aliae civitates Graeciae intellegerent, virtutem Spartiatarum sitam esse in philosophia, forsitan ceteri Graeci Spartiatas imitarentur et item philosophiae studerent, Spartiatae autem virtute antecederentur neque primum virtutis locum obtinere iam possent. Qua de causa in occulto philosophiam colere. Sed aliquando cupiditate incendi philosophiae in publico colendae arbitris remotis; quod ut fieri possit, ξενηλασίας illas institui. Quam apti sint ad philosophiam, apparere ex brevibus illis sententiis, quales sunt γνῶθι σαυτόν. Eam rationem autem imitatos esse septem illos

Digitized by Google

sapientes, in quibus Pittacus erat prolata sententia illa χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι. Invidum Pittaci gloriae Simonidem demonstrare conari, ut ipse Pittaco anteferatur, absurdam esse Pittaci sententiam. Denique apparere totum carmen compositum esse in Pittacum.

En ipsius carminis reliquiae ex recensione Schneidewinii:

I

Ἄνδρ' ἀγαθὸν μὲν ἀλαθέως γενέσθαι χαλεπὸν
χερσίν τε καὶ ποσὶ καὶ νόῳ τετράγωνον, ἄνευ ψόγου τετυγμένον.
(desunt quinque versus)

II

Οὐδέ μοι ἐμμελέως τὸ Πιττάκειον νέμεται
καίτοι σοΦοῦ παρὰ Φωτὸς εἰρημένον· χαλεπὸν Φάτ' ἐσθλὸν ἔμμεναι.
θεὸς ἂν μόνος τοῦτ' ἔχοι γέρας· ἄνδρα δ' οὐκ ἔστι μὴ οὐ κακὸν
ἔμμεναι,
ὃν ἀμάχανος συμΦορὰ καθέλῃ.
Πράξαις γὰρ εὖ πᾶς ἀνὴρ ἀγαθός,
κακὸς δ' εἰ κακῶς, καὶ
τοὐπὶπλεῖστον ἄριστοι, τούς κε θεοὶ Φιλῶσιν.

III

Ἔμοιγ' ἐξαρκεῖ,
ὅς ἂν μὴ κακὸς ᾖ
μηδ' ἄγαν ἀπάλαμνος εἰδώς τ' ὀνησίπολιν δίκαν, ὑγιὴς ἀνήρ.
οὔ μιν ἐγὼ μωμήσομαι·
οὐ γὰρ ἐγὼ Φιλόμωμος·
τῶν γὰρ ἠλιθίων ἀπείρων γενέθλα.
πάντα τοι καλά, τοῖσί τ' αἰσχρὰ μὴ μέμικται.

IV

Τοὔνεκεν οὔ ποτ' ἐγὼ τὸ μὴ γενέσθαι δυνατόν
διζήμενος κενεὰν ἐς ἄπρακτον ἐλπίδα μοῖραν αἰῶνος βαλέω.
Πανάμωμον ἄνθρωπον, εὐρυέδους ὅσοι καρπὸν αἰνύμεθα χθονός.
ἔπειτ' ὔμμιν εὑρὼν ἀπαγγελέω.
Πάντας δ' ἐπαίνημι καὶ Φιλέω,
ἑκὼν ὅστις ἔρδῃ
μηδὲν αἰσχρόν· ἀνάγκᾳ δ' οὐδὲ θεοὶ μάχονται.

Digitized by Google

Ut probet Plato — vel potius Socratem dicentem facit Plato, sed in sequentibus omnia, quae Plato Socratem dicentem facit, tamquam ab ipso Platone prolata fingam — totum carmen compositum esse in Pittacum, primo disputat de primo versu strophae primae et quaerit, quid oppositum sit voci μέν (343 D) Ipse respondet ei oppositam esse sententiam illam Pittaci (χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι) in stropha secunda. Ergo Simonidem inde ab initio in animo habere vv. γενέσθαι μὲν opponere verbis ἔμμεναι δέ. At equidem moneo v. δέ post v. ἔμμεναι non inveniri; accedit quod non legitur γενέσθαι μέν (μέν post γενέσθαι), sed μέν legi post v. ἀγαθόν. Melius igitur est cum v. Wilamowitz [1]) locum sic explicare, ut μέν oppositum sit verbis strophae quartae: πάντας δ'ἐπαίνημι καὶ φιλέω κτέ, ita: difficile est bonum virum fieri, quamobrem equidem laudo et diligo eum, qui *consulto* nil faciat, quod pudeat.

Quod hic simulat Plato, v. μέν post γενέσθαι positam esse, eiusdemmodi aliquid fingit in eodem versu, simulans v. ἀλαθέως post γενέσθαι positam esse (343 E). Simonidi non propositum fuisse contendit distinguere inter eos, qui simpliciter boni et qui re vera boni sunt (ἀλαθέως ἀγαθοί). Minime. Sed inde ab initio desertis verbis dissensionem suam a Pittaco indicare velle, quasi legeretur: ὦ Πιττακέ, ἀληθῶς, i.e. mihi crede, Pittace, non *esse* bonum difficile est, sed *fieri*. Mihi quidem eiusmodi gravitas initio carminis fluctus in simpulo esse videretur; nam nondum Pittacus nominatus est neque quisquam aliquam controversiam expectat neque ulla causa est cur tale hyperbaton vocis ἀλαθέως suspicemur. Qui igitur integro animo carmen legit neque facetiarum studiosus est, coniunget, ut opinor, ἀγαθὸν ἀλαθέως = virum revera bonum, quod fusius exponit eis, quae sequuntur χερσίν τε καὶ νόῳ καὶ ποσὶ τετράγωνον (Angl. = an allround man), quibus in stropha quarta opponuntur, ut iam vidimus, haec verba: ne nimis dura praecipias velim, sed satis habeas, si quis *consulto* nil mali faciat.

Eiusmodi hyperbaton Plato sumit in stropha quarta, ubi legimus: πάντας δ'ἐπαίνημι καὶ φιλέω

---

1) l. l. p. 167.

Digitized by Google

ἑκὼν ὅστις ἔρδῃ
μηδὲν αἰσχρόν.

Vocem ἑκών nemo non coniunget cum vv. proxime sequentibus. At Plato coniungit eam cum vv. praecedentibus, ita: πάντας δ'ἐπαίνημι καὶ φιλέω ἑκών, i. e.: mea sponte diligo eum, qui nil mali faciat; quem nexum verborum ut probet, ita disputat Plato: Simonidem scribere non potuisse „eum, qui consulto nil mali faciat", quasi vero esset quisquam, qui *sponte* malefaciat (345). Probe scivisse Simonidem (ita pergit Plato, cum suum illud propositum aspergit ei) neminem sponte malefacere, (οὐδείς ἑκὼν ἁμαρτάνει), et si quis peccet, invitum peccare et imprudentem. „Forsitan dixerit quis", inquit, „satis mirum videri nexum illum 'sponte diligo', nam quomodo quisquam *invitus* diligere possit"? At, optime fieri potest, inquit, ut quis invitus aliquem diligat, velut aut patriam aut parentes, si forte prava quidem facient, sed tamen eos bonus filius excusabit et defendet et diliget, quamquam invitus. Itaque nexum verborum ἐπαίνημι ἑκών nil insoliti vel absurdi habere affirmat Plato.

In hac re neque Pohlenz neque v. Wilamowitz Platonem secuti sunt, uterque interpungit πάντας δ'ἐπαίνημι καὶ φιλέω, ἑκών κτἑ; quam ob rem de hac re disputare supersedeo. Hoc tantum moneo, Platonem simulare formam ex dialecto Mytilenaeorum documento esse etiamnunc Simonidem se convertere in Pittacum. Quae observatio quam festiva sit, quivis intelleget, qui finget eiusmodi casum, qui ad suae cuiusque linguae dialectum pertinebit.

Nunc ad stropham secundam venientes primo de hisce verbis disputemus:

ἄνδρα δ'οὐκ ἔστι μὴ οὐ κακὸν ἔμμεναι, ὃν ἀμάχανος συμφορὰ καθέλῃ.

Quae nemo dubitat, quin hunc fere sensum habeant: aliquem malum non esse non posse, si malum desperatum acciderit ei. Fallere autem legentes conatur Plato, disiungens v. ἀμάχανος a v. συμφορά et fingens v. ἀμάχανος non dictam esse de malo, sed de ipso homine, qui malo quodam tam insanabili afflictus sit, ut non *malum* (συμφορά), sed *homo* ipse desperatus sit (344 C). Inducitur aliquis rogans: „quemnam in navi regenda malum desperatum occupat"? Nimirum minime virum imperitum; vir imperitus enim iam pridem afflictus (*i. e. sine doctrina*) et despera-

Digitized by Google

tus est. Quemadmodum iacentem non evertere quis possit, sed stantem, sic virum *sanum* desperata vel insanabilis calamitas occupare potest (antea enim sanus fuit), sed minime virum iampridem *insanum*. Nam vir bonus malus fieri potest, sed vir malus non potest *fieri* malus; *est* enim iam malus. Unus vir bonus (= peritus) igitur affligi potest; quod si fiet, malus ex bono fiet, ut poëta cecinit:

αὐτὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς τοτὲ μὲν κακός, ἄλλοτε δ'ἐσθλός.

Itaque alter ordo hominum est eorum, qui ex bonis mali fiunt (ὃν ἀμάχανος συμφορὰ καθέλῃ) et qui modo boni modo mali sunt; alter ordo eorum est, qui in perpetuum mali sunt; ordo bonorum (i. e. eorum, qui in perpetuum boni sunt) non exstat. Hactenus Plato. Ad cuius disputationem haec observata velim: 1° ne ullo quidem verbo Simonidem indicare ordinem hominum, qui ex bonis mali *fiant*; imo v. γενέσθαι in hac stropha diligenter vitatur et v. ἔμμεναι legimus ibi etiam, ubi expectaverit quis v. γενέσθαι; agit solum Simonides de eis, qui mali *sunt*, 2° vere Platonice bonum idem esse dicitur, quod peritum, malum idem quod imperitum, quocirca sententias vere Platonicas carmini Simonidis inseruisse eum apparet.

Sequitur disputatio de his versibus:

Πράξαις γὰρ εὖ πᾶς ἀνὴρ ἀγαθός,
κακὸς δ'εἰ κακῶς.

Animadvertas velim ludum verborum vv. εὖ πράττειν (345 A). Ea spectare ad bonam fortunam et ex praecedentibus apparet et ex cetero usu Platonico. Nempe in praecedentibus dixerat Simonides, bonam fortunam donum deorum esse et necesse esse virum calamitate afflictum etiam malum esse. Apparet igitur vv. εὖ πράττειν non spectare ad bona facta, sed ad bonam fortunam. At Plato identidem interpretatur ea, quasi valeant idem, quod „bene facere", quippe qui substituat: ἀγαθὴ πρᾶξις et εὐπραγία, quae ad bonam actionem spectant. In disputatione Platonica quaeritur, quodnam bene factum aliquem peritum reddat artis alicuius (benefactum iterum cum doctrina aequari moneo, v. supra p. 303). Respondetur: *disciplina* artis illius. Quaeritur quis malus medicus fieri possit? imo is, qui prius bonus medicus fuerat; nam is, qui semper medicinae imperitus (= malus) fuit, neque medicus neque malus medicus fieri

Digitized by Google

potest. Itaque iterum apparere Plato perhibet, duo genera hominum esse: eorum, qui semper mali (= imperiti) sunt et eorum, qui modo boni modo mali sunt. Non exstare eos, qui in perpetuum boni sunt.

Itaque iterum observandum est, Platonem suum propositum (doctrina = virtus) Simonidi aspergere et implicare ei, quod minime dixerat, non esse homines, qui in perpetuum boni sunt. Indicare igitur voluisse videtur Plato facile esse falsis explicationibus demonstrare, suas sententias iam superiorum temporum fuisse.

Venimus nunc ad summam disputationis nostrae, ad quaestionem quomodo inter se conveniat Simonidem ipsum perhibere χαλεπὸν ἀγαθὸν γενέσθαι, impugnare Pittaceum χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι. Plato ea inter se dissentire negat, γενέσθαι enim aliud quid esse atque ἔμμεναι, quocirca haud absurdum sit alterum affirmare, alterum negare. Quid autem sibi vult, inquit, negatio illa sententiae Pittaceae? An facile est bonum esse? Minime, sed veram et perpetuam virtutem vires humanae consequi non possunt; ergo difficilis vocari non iam potest, quia *fieri non possit* (345 C). Haec interpretatio, quae et ab Gomperzio [1]) et a. von Wilamowitz [2]) accepta est, hanc miram gradationem praebet: non malum esse (ἑκὼν ὅστις ἕρδῃ μηδὲν αἰσχρόν – laudabile est (ἐπαίνημι καὶ φιλέω) bonum fieri μὰγαθὸν γενέσθαι) – difficile est (χαλεπόν) bonum esse (ἔσθλὸν ἔμμεναι) – non difficile est (*nam fieri non potest*).

Ideone, quaeso, tam acriter invehitur Simonides in Pittacum, χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι dicentem, quia tam vehementer difficile est, ut vires humanas superet et ea de causa non iam difficile vocari potest? Quam ob rem non potest? An difficilius est quam ut difficile vocari possit? Hoc non intellegere me ingenue

1) l. l. p. 256. Es ist nicht viel anders als ob der Poet, sich selber steigernd, seinen ersten Ausspruch „Schwierig ist es, trefflich zu werden", durch den Ausruf berichtigt hätte: „Doch was sage ich! Nicht schwierig, nein, unmöglich ist es, an dieses hohe Ziel zu gelangen".

2) Wilamowitz l. l. p. 175 „Gewiss ist es schwer, ein ἐσθλός zu sein .... ja Pittakos sagt noch zu wenig, ich durfte mich sein Wort gar nicht aneignen, denn es ist absolut *unmöglich* diese Vollkommenheit zu besitzen. — Also solche Mensch ohne Tadel kann gar nicht existiren.

Digitized by Google

fateor. Accedit, quod Simonides ne ullo quidem verbo dicit, virtutem illam perpetuam vires humanas superare: imo in proxime sequentibus legimus:

Πρᾱ́ξις γὰρ εὖ πᾶς ἀνὴρ ἀγαθός ⟨ἐστιν⟩

fieri ergo potest, ut aliquis bonus sit, et mox:

τοὐπὶπλεῖστον ἄριστοί ⟨εἰσιν⟩, τούς κε θεοὶ Φιλῶσιν

sunt igitur Simonide iudice vel optimi homines.

Falsa est ergo Platonis interpretatio et testibus omnibus paradoxis, quibus iam occurrimus, consulto falsa est. Serius esse Plato nolebat, sed ioculabatur et artem interpretandi ad absurdum deducebat. Si ita iudicabimus, locus de carmine Simonideo non absurdus erit, sed festivissimus.

II

Carmen Simonideum antiquitate iam difficilis putabatur ad interpretandum. Quod nisi ita esset, cur Plato id elegisset ad probandum, artem interpretandi nihil pertinere ad philosophiam, quia alius alio modo idem carmen interpretetur nec iam poëta rogari possit, num recte dicat? Post Platonem Hippias suam quoque interpretationem promere vult, sed Alcibiades vocem ei praecludit. Recte; nam satis iam verborum est. Nobis posteris igitur restat, ut veram interpretandi rationem investigemus.

Initium strophae secundae,

οὐδέ μοι ἐμμελέως τὸ Πιττάκειον νέμεται
καίτοι σοφοῦ παρὰ φωτὸς εἰρημένον.

viri docti auctore Heindorfio ita intellexerunt, ut νέμεται idem sit quod νομίζεται, quocum v. μοί coniungenda sit; v. ἐμμελέως autem cum v. εἰρημένον coniungendam esse. Itaque sic locum vertunt: minus recta mihi videtur sententia a Pittaco prolata, quamvis sapiens fuerit. At Wilamowitz v. νέμειν intellegit tamquam „probare" [1]), quocum coniungit v. ἐμμελέως, itaque sic vertit: „iniuria sententia Pittaci a me probatur". At ubi, quaesumus, Simonides eam sententiam probavit? Imo initio carminis, ubi legimus: ἄνδρ' ἀγαθὸν μὲν ἀλαθέως γενέσθαι χαλεπόν. His verbis non suam sententiam protulisse, sed Pittaci laudavisse Simonides videtur viro docto v. Wilamowitz,

1) l. l. p. 166 „wird anerkannt".

Digitized by Google

sed mox sententia mutata dixisse: iniuria sententiam Pittaci probavi. At primo v. *νέμειν* vix eum sensum habet, nam Thuc. I 6 alio modo intellegendus esse videtur et mihi et Classenio. Deinde mirum videtur praesens tempus *νέμεται*, ubi potius expectaveris tempus praeteritum (non: probo, sed: probavi). Accedit, quod parum probabile est Simonidem verbis *χαλεπὸν ἀγαθὸν γενέσθαι* Pittaci sententiam laudare quam aliis verbis protulerat. Parum accuratos fuisse antiquos in citando haud infitior; sed tamen minime probabile est, eum nomine non addito Pittaci sententiam mendose reddere. Quotus quisque Graecorum sic intellegeret sententiam laudatam esse Pittaci? Et ubi iterum commemoratur, *isdem* verbis commemorare debebat, quibus initio usus erat. Denique explicatio loci v. a. v. Wilamowitz non congruit cum paraphrasi, quam protulit Protagoras (Prot. 339 D). Is ita locum exposuerat: *ὅς γε πρῶτον αὐτὸς ὑπέθετο χαλεπὸν εἶναι ἄνδρα ἀγαθὸν γενέσθαι ἀληθείᾳ, ὀλίγον δὲ τοῦ ποιήματος εἰς τὸ πρόσθεν προελθὼν ἐπελάθετο, καὶ Πιττακὸν τὸν ταὐτὰ λέγοντα ἑαυτῷ, ὅτι χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι, τοῦτον μέμφεται καὶ οὐ φησιν ἀποδέχεσθαι αὐτοῦ τὰ αὐτὰ ἑαυτῷ λέγοντος*, id est: sed in posteriore parte carminis obliviscitur Simonides, quod initio dixerat, et carpit Pittacum, cum Simonide consentientem. Ex hisce apparet, Heindorfii rationem, non Wilamowitzii, cum Protagorae paraphrasi congruere. Wilamowitzii ratio recta fuisset, si Protagoras dixisset (non: illud obliviscitur et vituperat Pittacum secum consentientem, sed): meminit illud et *semet ipsum* vituperat, quod initio carminis Pittacum laudaverit. Reicienda igitur esse videtur mihi ratio Wilamowitzii et accipienda Heindorfii. V. *νέμειν* satis insolite dictum esse significatione censendi haud infitior, sed non dissentit a Protagorae paraphrasi neque a Platonis interpretatione loci.

Quicquid id est, etiam ratione Wilamowitzii ita locus intellegendus est, ut Simonides carpat Pittacum, qui dixisset *χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι*. Hoc autem caput rerum est.

Interpretatione ridicula Platonis repudiata nova quaerenda mihi esse videtur. Quam ut investigemus, primo animadvertendum est non solum ipsos locos, ubi legimus *χαλεπὸν ἀγαθὸν γενέσθαι* et *χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι*, sed *totam strophan secundam dissentire a ceteris strophis*. Hoc ceteri vv. dd. non anim-

Digitized by Google

adverterunt. Haeserunt in ipso utroque loco, quo factum est ut totius carminis interpretatio non proficeret et vix ridiculam illam Platonis superaret. Itaque comparemus stropham IIam cum ceteris.

Strophis Ia, IIIa, IVa haec leguntur: difficile est, virum bonum fieri; quod quamquam non facile est, inquit, intentione virium consequi nonnemo potest, ut vir bonus fiat. Noli conari homo fieri, qui ab omni parte vitiis careat neve petas, quod ultra vires humanas situm est. Eiusmodi virum haud facile invenias. Si quis consulto nil mali faciet, inquit, et si bene merebit de republica, non paenitebit. Quod vitio caret, id pulchrum est.

In hisce Simonides agit de studio virtutis. At prorsus alio modo in stropha IIa disputatur. In ea carpit Pittacum. Cur? Quia is dixerat difficile esse ἐσθλὸν ἔμμεναι. Qua de causa eam sententiam improbat? Plato, quia non fieri potest, inquit, ut quis vir bonus sit. Hoc est, inquit, cur Pittaco exprobret, eum difficile vocare, id quod omnino fieri non potest, itaque iniuria difficile vocaverat Pittacus. Pravam (et ridiculam) eam Platonis interpretationem esse vidimus [1]), quia in proxime sequentibus ipse Simonides de bonis viris, quin etiam de optimis viris agit. Quid revera Simonides ait? Fit, inquit, ut aliquis vir bonus sit. Sed nulla alia re bonus aliquis est nisi dono deorum. Utrum bonus aliquis sit an malus, non ab ipso dependet, sed ex rebus. Si quis rebus adversis afflictus erit, malus erit; sed ille, cui dei favebunt, bonus erit. Quocirca v. difficilis minus recte a Pittaco dicitur, inquit, quippe quod faventibus deis facillimum sit. Quum Protagoras Simonidem carpit, quod secum pugnantia dicit, quadamtenus recte monet. Nam revera in stropha secunda de alia re agit atque in prima. Primo agit de *virtute* hominum, qui ei studuerunt et intentione virium eam assecuti sunt, deinde de *fortunis* hominum nobili loco ortorum, quas ipsi *virtutes* vocant. Prima sententia aequalium Simonidis est et posterioris aetatis, altera superioris aetatis. Quum ita dissensionem carminis explicabimus, de duobus generibus virtutis agi, tum solum, quantum video, difficultas dissensionis illius solvi poterit. Nam hinc legimus, studendum esse, ut aliquis (etiamsi non

1) P. 305.

Digitized by Google

bonus) tamen ne sit malus; hinc legimus haudquaquam studendum esse: nam bonos, imo optimos esse eos, quibus di faveant; quibus autem dei insidientur, non malos esse non posse. Quae dissensio nostra explicatione solvitur.

Vv. *ἀγαθὸν γενέσθαι* et *ἐσθλὸν ἔμμεναι* diversa esse, recte Plato monuit; sed haesit in dissensione illa *γενέσθαι* et *ἔμμεναι*, observare neglexit, *ἀγαθὸν* et *ἔσθλὸν* non prorsus idem esse debere. Voces illas apud nonnulles scriptores (velut apud Theognim) vix distingui, haud infitior. Sed *ἐσθλός* saepe tamen varietatem habet „viri nobilis". Quamobrem rectissime Simonides ea voce gratiam deorum enuntiavit, voce *ἀγαθός* autem eos, qui *suis* viribus innixi virtutem consequuntur. Etiam vv. *γενέσθαι* et *ἔμμεναι* rectissime dicta sunt, nam propria intentione virium bonus aliquis *fit*, favore deorum aliquis *ἀγαθός est*. Consulto Plato falso vocabula ea intellexerat; qui *ἀγαθὸν γενέσθαι* intellexerat tamquam sit: bonum (et deinde denuo malum) fieri, *ἐσθλὸν ἔμμεναι* = bonum esse et in perpetuum manere. Hoc rectum esset, si Simonides addidisset *διατελοῦντα* vel eiusmodi aliquid.

In explicatione Platonis hoc quoque falsum est, totum carmen scriptum esse in Pittacum. Exiguae partes Pittaci sunt et in transitu tantum nominatur, eo tantum consilio, ut Pittaci sententia tamquam exitu utatur, cui innixus alterum genus virtutis depingat. Ordo carminis hic est:

Prima stropha Simonides docet difficilem eam esse virtutem, quam suis quisque viribus acquirat; quae virtus forsitan accuratius depicta sit in ea parte, quae amissa est.

Secunda stropha quodammodo in parenthesi posita est, ne quis fallatur in sensu v. *ἀγαθός*; non dico, inquit, eam virtutem, quam di donant. Ea haud dubie minime difficilis est, quocirca errat Pittacus, qui dicat *χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι*.

Tertia stropha rediens ad priorem (imo suam) interpretationem virtutis, ne nimis graviter virtutem accipiamus, inquit, neve nimis dura postulemus neve quod vires humanas superat. Si quis consulto nil faciet, quod pudeat, non paenitebit et laudabo virum eiusmodi.

Perspicuum est, quid Simonides sibi proposuerit monendo Scopam, tyrannum Thessaliorum, ad quem carmen scriptum est. Monere eum cupit, minime sufficere virtutem eam, quam vir

Digitized by Google

nobilis a natura accepit: aliam enim exstare virtutem, quam quis petere debeat.

Nec minus perspicuum est, cur Plato de hoc potissimum carmine disputet. Nempe quod in eo quoque de virtute agitur, de qua disputant Protagoras Socratesque in dialogo Protagora. Duobus generibus virtutis, de quibus agit Simonides, suam opponit Plato virtutem, quae eadem doctrina est: virtutem [1]) autem, quam doceat Protagoras, vix differre a Simonidea illa:

ἔμοιγ' ἐξαρκεῖ,
ὃς ἂν μὴ κακὸς ᾖ
μηδ' ἄγαν ἀπάλαμνος εἰδὼς τ' ἐνηείπολιν δίκαν, ὑγιὴς [2]) ἀνήρ.

1) V. fabula Protagorae 320 D—328 D passim.
2) cf. Prot. 322 D ὡς νόσον πόλεως.

ARISTIDES CORRIGENDUS.

Ael. Aristid. Vol. II p. 665. 3 Dind. ἡμεῖς δ' ἴσοι καὶ παραπλήσιοι διὰ πάντων ὀφείλοντες εἶναι καὶ ταὐτὰ διὰ τέλους φρονεῖν, ἔπειτ' ἀμέλει κατὰ τὸν Φάριν ἐθελήσομεν ἐξαλλάττειν Πρωτέα, καὶ τῇ πρὸς τοὺς ἄλλους χρῆσθαι ταῖς γνώμαις.

Vitiosum est τῇ πρὸς τοὺς ἄλλους et clara lux affulgebit si ἀλλοπροσάλλοις reposueris: καὶ ἀλλοπροσάλλοις χρῆσθαι ταῖς γνώμαις. Cf. Orph. H. 60. 12: δὸς δ' ἀγαθὴν διάνοιαν ἔχειν, πάσυσσα πανεχθεῖς γνώμας, οὐχ ὁσίας, πανυπέρφρονας ἀλλοπροσάλλας.

Ch. Charitonides.

Digitized by Google

DE CAENEI ΑΤΡΩΣΙΑΣ

SCRIPSIT

H. I. ROSE.

Dum nuper Hygini, qui uocatur, Fabulas relego (spero enim fore ut aliquando hunc librum commentario auctum edam) incidi in formam eius historiae quae est de Caeneo Lapitha, quam parum accurate mythologos nostros tractasse credo. notissima est sane uolgaris fabula, nullo uolnere illum laedi potuisse, eamque ob causam, pugnantibus tum maxime inter se Centauris et Lapithis, non necatum esse sed magno pondere arborum et saxorum obrutum ad inferos uiuum descendisse. haec narrat Pindarus, haec Apollonius Rhodius, haec scholiasta eius, Apollodorus qui dicitur, multi alii [1]); atque inter hos uolgo censetur Hyginus, qui tamen omnia alia, me quidem iudice, tradit. quod quo manufestius fiat, ipsius uerba adpono [2]).

Caeneus Elati filius Magnesius. hic ostendit nullo modo Centauros ferro se posse uulnerare sed truncis arborum in cuneum adactis.

Paulo obscurior est sermo, ut saepe fit in hoc libro, quem crediderim non modo foedissime interpolatum esse sed etiam ab hominibus semibarbaris in compendium redactum; sensus tamen, si attentius perlegeris, satis apparet. Caeneus, inquit, ostendit, re scilicet, non uerbis, se ferro quidem uolnerari non posse, frustra Centauris conantibus; uerum posse se alio modo uolnerari, si quis sudibus praeacutis in se impetum fecisset. ergo uolnerari potuit, sed insolito modo, cum scilicet Graeci etiam heroica quae dicitur aetate non fustibus neque sudibus sed armis ferreis uel aeneis plerumque pugnarent. at Centauros, qui utrum primitus numina quaedam fuerint an homines siluestres, nunc non est operae ut exquiram, omnia certe hominum rudium et ferorum modo egisse dicuntur, Centauros, inquam, ueri simile est rusticis telis usos esse, quibus apud Ouidium, uerbi causa, utentes inducuntur. [3])

1) Locos congresserunt Seeliger in Roscheri Lexico, II, 894, 49 sqq., et aliquanto plenius C. Berthold in optimo libello, *Die Unverwundbarkeit in Sage und Aberglauben der Griechen* (RGVV XI, 1) p. 17.

2) Fabula 14, p. 45, 3 Schmidt. 3) Metam. XII, 327, 355.

Digitized by Google

Vidi ego Petraeum conantem euellere terra
glandiferam quercum .....
haud tulit utentem pugnae successibus ultra
Thesea Demoleon, solidoque reuellere dumo
annosam pinum magno molimine temptat:
quod quia non potuit, praefractam mittit in hostem.

Iam rectissime statuit Bertholdus [1]) non uno modo ἀτρωτίας fabulam narrari aut apud Graecos aut apud alias gentes. nam saepe ita aliquis nullo forabilis ictu, ut Ouidii uerbis utar, euadit ut uel magicis artibus uel deorum uirtute uel miro aliquo casu praedura facta sit eius cutis; ita Caeneus ipse apud Graecos plerosque, apud septentrionales gentes Framar. talis uir aliquando tamen interficitur, sed aut ictu ita ualido ut omnino nihil ei possit obstare aut carminibus potentioribus. saepe autem homo maxima parte corporis ἄτρωτος fingitur, relicto tamen aliquo loco qua uolnus accipiat; tales sunt Graecus Aiax, sed non Homericus, Siegfriedus Germanus. hos fatali loco ictus acceptus perimit. alii uolnerari quidem possunt, sed non interfici, nisi uita eorum uel anima, quae extra corpus et plerumque in loco abscondito posita sit, aliqua arte petatur. horum exemplo sunt Meleager, qualis post Homerum describitur, atque innumeri gigantes et daemones quorum nomina in hodiernorum rusticorum fabellis inuenies. quarto loco sunt ii qui insolito quodam genere telorum peti debeant, ut notissima fabula Balderus, quem e uisco facta sagitta leto det, et mea quidem sententia Hyginianus hic Caeneus. nam crediderim olim ita fabulam eius aliquo in angulo Graeciae narrari solitam, unde eruerit Alexandrinorum diligentia: uel fato uel carminibus uel dono Neptuni effectum fuisse ut nec ferro uiolari neque aere potuerit; uerum excidisse uel sagae uel de ut contra lignum, debilius sane telum, uirum muniret. ergo confidentius eum proelium Centaurorum inisse, hos uero non telis ferreis sed praeacutis et rusticis sudibus, ingenti scilicet magnitudine, et eum et ceteros Lapithas inuasisse; ita Caenea mortem obiisse. haec fabula fortasse per poetam nescio quem hodie deperditum in fabularum compendia Alexandrina manauit, inde ad Hyginum descendit.

1) Op. cit., p. 63.

Digitized by Google

IN LEXICOGRAPHOS.

SCRIPSIT

CH. CH. CHARITONIDES.

PHRYN. Σοφ. Προπ. p. 33. 15 Teubn. ἀρύταινα: σκεῦός τι, ᾧ οἱ βαλανεῖς χρῶνται πρὸς τὸ παρέχειν ⟨ὕδωρ⟩.

Nabero corrigenti παραχεῖν in *Mnemos.* 1873. p. 344 obtemperare debuit editor.

p. 84. 21 κνισοτηρητής: ὁ κνίσαν (scr. κνῖσαν) καὶ δεῖπνα ἐπιτηρῶν.

Nonne praestat Conti correctio κνισοτήρης ἐν τῷ Ἀθηναίῳ 1877. p. 114 P Cf. πινοτήρης, σπογγοτήρης, νυμφοτήρης, ἐργοτήρης, δεμνιοτήρης. Vid. *Athen.* Vol. XV. p. 221—7.

p. 94. 11 ὁλότμητα δεῖπνα: τὰ μεγάλα, ἐν οἷς ὅλα τὰ μέρη τῶν παρασκευαζομένων ἀποτέμνεται καὶ παρατίθεται δαιτυμόσιν.

Adde articulum τοῖς ante δαιτυμόσιν.

p. 98. 11 οἶσυον: οὐδετέρως. οἱ δὲ θηλυκῶς λέγοντες οἰσύα διαμαρτάνουσιν. σημαίνει δὲ ῥάβδους ἐλώδεις.

Leg. λυγώδεις a λύγος pro ἐλώδεις.

p. 101. 7. πλύνον πλύνεσθαι: — καὶ γὰρ οὖροις καὶ τοῖς ἄλλοις ταῦτα ῥύπτεται.

Scr. καὶ τοιούτοις ἄλλοις etc.

111. 9 τὰ νεῦρα τῆς τραγῳδίας· οἷον τὰ κυριώτατα καὶ ἀνέχοντα αὐτήν.

Scr. καὶ συνέχοντα αὐτήν.

113. 1 τέλμα: ὁ τόπος ὁ πηλώδης καὶ κοιλώδης ἐκ τοῦ συνίστασθαι ἐν αὐτῷ τὸ ὕδωρ.

Leg. ἐλώδης aut γλοιώδης pro κοιλώδης.

p. 113. 7 τἄλλα καὶ Φιλώμεθα: παροιμία ἐπὶ τῶν ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις συγχωρούντων, ἃ βούλονταί τινες, ἐνὶ δέ τινι μηκέτι.

Digitized by Google

Leg. ἐν ἐνὶ δέ τινι μηκέτι.

p. 127. 15 ψυχαγωγός — οἱ δ' ἀρχαῖοι τοὺς τὰς ψυχὰς τῶν τεθνηκότων γοητείαις τισὶν ἄγοντας.

Scr. ἀνάγοντας.

p. 128. 19 ὠνυχισμένος: ἐπὶ τοῦ τετμημένου ὑπὸ λύπης.

Adde post τετμημένου vocabulum ὄνυχας. Cf. supra p. 20, 6 ἀπονυχίζεσθαι.

ΛΕΞ. ΡΗΤΟΡ. p. 271. 15 Bekk. Κέρκωψ: ὁ ἐπὶ νορίᾳ κωμῳδούμενος.

Leg. ἐπὶ πονηρίᾳ.

p. 280. 14 Μωλύτερον: τὸ ἀμβλύτερον καὶ ἀνοηθέστερον καὶ ἄνθος οὐκ ἔχον.

Pro ἀνοηθέστερον Ruhnkenius legi vult ἀνανθέστερον, v. Dam ἀσθενέστερον. Mihi arridet νωθέστερον.

Suid. ἐσωμάσκει: συνεκρότει, ἠὐτρέπιζεν, ὤδινεν, ἡτοίμαζεν.

Nemo facile expediet, quid sibi velit ὤδινεν. Requiritur verbum synonymum eius quod est ἠὐτρέπιζεν. In ὤδινεν latere mihi videtur ὠρδίνευεν.

Hesych. ἀνατιτήσαντες: πληρώσαντες.

Leg. ἀντιτίσαντες.

λάσανα: — διὰ τοῦτο καὶ τὰ βάραθρα, τοὺς ἀφοδευτηρίους δίφρους.

Leg. τὰ βάθρα pro βάραθρα.

περιλεσχήνευτος: περιλάλητος, περιποίητος.

Pro περιποίητος Coraes sagacissime coniecit περίπυστος. Vid. Adamantii Corais Opera Posthuma Vol. VII. p. 121, ubi legitur: Ἐν λέξει περιλεσχήνευτος· περιποίητος malim περίπυστος. Cf. infra περίπυστα (Schmidt περιβόητος κατὰ τὸν Perger).

Digitized by Google

ARX ARGORUM.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

Reges et heroes argivi cum in fabulositate Graecorum praecipuum locum teneant, operae pretium esse Argorum inprimis vestigia summa cum cura eruere nullus antiquitatis investigator, sat scio, negabit. Quaecumque enim olim poetae de vetustissima historia cum ceterarum tum huius civitatis cecinerunt, licet ab ipsis excogitata, tamen aliqua ratione et veri quasi imagine et repercussu non carent. Sed de singularum fabularum origine probabiliter disputare tum demum nobis continget, si prius indagarimus, quibus temporibus civitas sit condita, quae eius conditio statusque, quod commercium cum exteris nationibus, quae copiae fuerint per saeculorum aetates. Quod ut efficiatur, quando rerum scriptores silent, ad dolabras et ligones redeundum est. Itaque mense Maio huius anni nos accinximus, ut in hoc opus incumberemus neque nisi ruderibus arcis Argorum prorsus effossis in patriam regredi constituimus. [1])

Habet autem Argos, verum ut loquamur, duas arces, quarum altera praecelsa et abrupta Larissa nuncupata in altitudinem nongentorum pedum exsurgit, altera, quae Aspidos nomine designabatur, in clipei speciem leniter incurvata vix in CCXL pedes attollitur. Hae urbis aetatem exquirere cupientibus ambae perscrutandae sunt; nam in vicina planitie quidem nulla gens, nisi collibus occupatis et munitis, tuto habitare potuit. Iam vero ante XXII annos ostendimus, priusquam Mycenae illae auro ac divitiis illustrarentur, in Aspide fuisse oppidum par-

1) Cf. Mededeelingen der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Afdeeling Letterkunde, Deel 66, Serie B, N° 4 (Amsterdam, 1928), p. 87—107.

Digitized by Google

vum quidem, si ad nostrae aetatis normam exigas, sed validis moenibus cinctum [1]); cuius aetas eo certius definiri potest, quod in eo fragmenta quaedam vasculorum lapideorum reperta sunt quae in Creta insula fabricata anno bis millesimo ante Christum natum non multo recentiora esse existimantur [2]). Simul sub Aspide novem sepulcra regum principumve aetatis mycenaeae effodimus, e quibus et alia pretiosa multa et duo illa vasa picta cretensia prodierunt, quae XV° saeculo a. C. n. tribuenda esse hodie fere inter omnes constat [3]). Argos igitur etiam tunc temporis viguisse apparebat. Sed in ipsa Aspide aetatis mycenaeae nullum aedificium, nulla domus, nulla vestigia reperiebantur. Larissam quoque tunc hic illic tentavimus; totam vero quominus perquireremus, impediebat aggeris lapidumque vasta acervatio [4]). Multi deinde anni transierunt, per quos infelix rerum per Europam status nos ad alia omnia avocavit.... Quo factum est ut nunc demum mensibus Iunio Iulio Augusto huius anni perficere aggressi simus, quae a. 1906 modicis viribus inchoaveramus. [5])

Omnibus qui nos in hoc studio occupatos auxilio operaque adiuverunt gratiam habemus maximam. Commilitones aderant mihi amicissimus collega Guilielmus van der Pluym, vir architectonices peritissimus, Onno Damsté, discipulus meus carissimus idemque in re photographica cum maxime exercitatus, Anna Roes, quae qua est graphidis scientia quotidie quae fors tulerat adumbrabat. Operis intelligenter praeerant Georgius Alexopulus Mycenaeus eiusque filius Panagiotes, quorum officiosa sedulitas mihi summae voluptati fuit.

---

1) Cf. Bull. de corr. hellén. XXXI, 1907, pl. V.

2) Cf. ibid. XXX, 1906, p. 38, fig. 68; Evans, The Palace of Minos, I, 1921, p. 23, 2: „Steatite vases of Cretan M. M. I fabric occurred on the Aspis site at Argos".

3) Ibid. XXVIII, 1904, p. 377, fig. 3; pl. XIV; G. Nicole, Catalogue des vases peints du Musée National à Athènes, Supplément, Planches, n° 228; Fimmen, Zeit und Dauer der kretisch-mykenischen Kultur, p. 33; Karo, Pauly-Wissowa, Real-Encycl. XI, p. 1784. Aliter Reisinger, Kretische Vasenmalerei, p. 49.

4) Quid de eventu fossionum in cacumine Larissae augurarer, dixi ibid. XXX, 1906, p. 5—7.

5) Titulum saeculi VI a. C. n. a. 1906 in Larissa repertum v. Mnemos. XLVII, 1919, p. 161.

Digitized by Google

Iam ex iis quae supra diximus abunde patet nos hoc anno inprimis ad antiquitates vetustissimae aetatis animum attendisse. Sed quamvis in hoc studio toti essemus, nihilominus etiam reliquias recentioris aevi diligenter respeximus. Quisquis enim illam provinciam sibi deposcit, ut aliquem locum fodiendo scrutetur, id officii habet ut hunc omni ex parte purget et ut ita dicam excutiat. Argorum autem in arce quantumvis et ab hostibus diruta et temporum iniquitate detrita aliquid ex quoque temporis spatio servatum fore consentaneum erat. Age iam ordine quae comperimus exponam, non temporum rationem secutus, sed ipsam inventorum vicissitudinem, prout per humum subdialem ad saxa penitus obruta descendimus.

Adhuc a. 1822 Turcas Ypsilantis vir strenuus cum suis ab arce Larissae propulsavit. Quorum arma rubigine squalentia sat multa in summa paene humo iacebant. Castellum autem, cuius turres et moenia pinnis distincta hodie omnium oculos ad se convertunt, antea construxit Venetorum gens, quae et vicinam Naupliam et Acrocorinthum ita communivit ut in Europa post pulverem sulfureum inventum consuevimus. In summo monte area longa pedes CLXXX, lata CL cincta est muris a Venetis magnam partem veterum Graecorum munimentis superstructis. Hanc purgare et extergere totam in animo erat usque ad vivum saxum [1]). Venetorum dominatus praeter muros et operis albarii fragmenta et nummos aereos vestigia nulla reperta sunt; tam funditus omnia post discessum eorum expilata et deleta esse apparet. Parvae ecclesiae venetae, cuius moenia restant, fundamenta partim ex orthostatis aliisque aedium ex lapide calcario partibus exstructa sunt (v. tab. IX, m; tab. II).

Ante Venetorum adventum ecclesiam graecam in summa Larissa iacuisse comperimus. Cuius muri et fundamenta prorsus destructa sunt tunc cum castellum venetum aedificabatur; sed manet copia fragmentorum columnarum et capitulorum, et tabulae marmoreae variis ornamentis decoratae, quarum tria exempla in tabulis nostris III[a] et IV[a] conspiciuntur. Has non

1) Nec tamen propositum omnino exsequi valuimus. Restat enim adhuc quinta quartave pars aggeris, quam a. 1930 egerere studebimus.

Digitized by Google

omnes uni aetati tribuendas esse manifestum est. Summi autem pretii est tabula in qua pavo viti insidens uvis vescitur (tab. V). Titulus in marmore [1]) diligenter exaratus (tab. VI) docet ecclesiam virginis Dei genetricis regnante imperatore Manuele I° Comneno (1143—1180) restitutam esse anno a mundo creato 6682, i. e. a. 1175 p. C. n.:

ἀνεκτίστι ὁ πάνσεπτος
ναὸς τῆς ὑπερχύας Θε-
οτόκου παρὰ τοῦ θεοφυ-
λεστάτου ἐπησκόπου ἡ-
μῶν Ἄργους καὶ Ἐναπλίου, βασι-
λέβοντος Μανοὴλ δεσπό-
του τοῦ Κομνηνοῦ καὶ Πορ-
φυρογεννήτου, ἐπισκό-
που δὲ ὑμῶν Κύρου Νι-
κύτα ἔτους ϛχπβ.

Ex quo denuo apparet, quam valida ac prospera civitas argolica medio quod dicimus aevo fuerit.

Neque aetas romana neque saecula a. C. n. III^{um} IV^{um} V^{um}, quibus res Graecorum maxime floruerunt, in arce signa vel monumenta sui usquam reliquerunt. Quin etiam forsitan per totum hoc tempus vix ullum aedificium in ea constructum sit (v. tamen in tabula III^{a} lapidem infra collocatum). Nec id mirum. Postquam enim urbs populari imperio subdita in planitie muris cincta est, arce, veterum regum et Minervae arcis praesidis altissima sede neglecta, forum et templum Apollinis Lycei frequentabant cives. Nihilominus efficitur ex titulis et rebus omne genus aliquot ne illa quidem aetate arcem plane desertam iacuisse.

Antea vero magno in honore fuit; nam inde a sexto saeculo duobus templis poro constructis ornata erat, quorum fundationes partim aetatem tulerunt; nec desunt columnarum fragmenta ad latitudinem fundationum quadrantium. Auctor autem est Pausanias [2]) in Larissa Iovi et Minervae aedes consecratas

1) Tabulae marmoreae candidae altitudo est 0^{m}.355, latitudo 0^{m}.405, crassitudo 0^{m}.08. Reperta est die XXX° mensis Iulii a. 1928 in angulo aulae interioris castelli venetici qui septentrionem et orientem solem spectat.

2) Paus. II, 24, 3: ἐπ' ἄκρᾳ δέ ἐστι τῇ Λαρίσῃ Διὸς ἐπίκλησιν Λαμισαίου ναὸς

Digitized by Google

fuisse. Itaque alterum templum (v. tab. VII; tab. IX [1]), f g h i), cum donaria numini muliebri dedicatum fuisse ostendant, Minervae tribuimus, alterum (tab. IX, W), quod nondum totum exploratum est, Iovi. Donariorum autem quae dico satis magna copia reperta est prope templi Minervae parietes qui ad septentrionem et orientem spectabant. Paucorum tantummodo exempli gratia imagines excudendas curavimus in tab. VIII[a]. Sunt autem haec: 1° simulacrum fictile numinis muliebris, antiquissima sed in cultu deorum diu usitata specie praeditum; 2° sigillum aeneum sexto a. C. n. saeculo tribuendum mulieris deaeve longa veste amictae et malum granatum [2]) sinistra sustinentis; 3° imaguncula plumbea sacerdotis pileatae; 4° tabella votiva fictilis imagine Gorgonis alatae decorata. Iam in parte occidentali arcis magnus lapis antiquus muro venetico inclusus extat, in quo titulus litteris saeculi sexti a. C. n. insculptus est. Agitur autem de vasis sacris aliisque rebus (*ποιήματα καὶ χρήματα*) templo Minervae loci praesidis (*τᾶς Ἀθαναίας τᾶς Πολιάδος*) comparatis. Sequuntur praescripta de usu sacrae supellectilis extra deae templum nec non de damni compensatione, si quid noxam cepisset, et de poenis irrogandis. Plura dicere in praesens supersedeo, quia totum titulum quam primum cum lectoribus Mnemosynes communicare in animo habeo. Utriusque templi area fragmentis vasorum maiorem partem geometricorum, etiam maximorum, constrata erat. Pleraque fragmenta septimum saeculum arguere videntur (sicut alia saeculum sextum); sunt tamen etiam fragmenta quae inter mycenaeam et geometricam artem quasi medium locum tenent. Templa igitur aut septimo saeculo, aut sexto ineunte condita esse, vasa hac aetate antiquiora donaria ad aras pristinas fuisse videntur. Fieri tamen potest ut templa postea omnino aut saltem ex parte refecta sint.

οὐκ ἔχων ὄροφον... καὶ Ἀθηνᾶς δὲ ναός ἐστι θέας ἄξιος. Cf. Strab. VIII, 6, 7: *ἡ μὲν οὖν πόλις ἡ τῶν Ἀργείων ἐν χωρίοις ἐπιπέδοις ἵδρυται τὸ πλέον, ἄκραν δ' ἔχει τὴν καλουμένην Λάρισσαν, λόφον εὐερκῆ μετρίως, ἔχοντα ἱερὸν Διός.*

1) Aream arcis qui descripsit Guilielmus van der Pluym pro modestia sua orat ut hanc formam „repentinum et quasi tumultuarium opus" esse sciant archaeologi.

2) Eodem fere loco etiam granatum fictile repertum est.

Digitized by Google

Aetate mycenaea cacumen Larissae muro cyclopio circumdatum fuisse comperimus, cuius partes servatae sunt ad meridiem (v. tab. IX, H P), orientem (Q R V), aquilonem (d e) conversae, cum ad occidentem versus arx mycenaea, sicut postea arx graeca, latius forsitan patuerit quam aula venetica. Hic autem murus lapideus, cuius crassitudo erat fere quinque pedum, prorsus eodem modo aedificatus est quo vetustissima moenia cyclopia quae Mycenis et Tirynthe exstant. Idem dicendum est de duobus muris A et B, qui muri circulum contingunt. Aetate autem byzantia moenia mycenaea, quibus inde a VII° saeculo a. C. n. uti desierant, hic illic restituta sunt ita ut commissurae magnorum lapidum vel tegularum et laterculorum fragmentis explerentur.

Maximi momenti sunt portae arcis mycenaeae reliquiae, cuius membra disiecta, supercilium limen postes, una iacentia offendimus.

Atque primum quidem hyperthyrum in murum veneticum ad meridiem conversum immissum deprehendimus (v. tab. XI et XIV). Hoc saxum non nos primi vidimus, siquidem conspicuum erat omnibus, qui castellum visebant. Vidit saltem vir rerum argolicarum peritissimus A. J. B. Wace, qui diu Mycenis effodiendis operam dedit. Sed adhuc nemo, quantum sciam, quicquam de eo scripsit vel quo pertineret exploravit. Genus autem lapidis id est, quod hodie in Italia *breccia* dicitur. Quae cum in Graecia satis communis sit, in Argolide tamen, si bonam requiras quae ad aedificandum praecipue sit apta, non nisi prope Mycenas caeditur. Hanc autem materiam structores mycenaeos plurimi fecisse cognovimus, cum architecti graeci ea tantummodo in fundationibus aedificiorum vel ubicumque abdita foret, uti solerent. Adde quod totus lapis serra sectus est, sicut aetate mycenaea usu veniebat. Praeterea etiam lapidis enormitas argumento est eum illi aetati tribuendum esse: quamquam enim ab altera parte fractus est, adhuc longus est $3^{m}.85$, latus $0^{m}.85$, crassus $0^{m}.85$ (quae omnia in portae hyperthyrum quadrare videntur). Cogita modo quam ponderosus eiusmodi lapis sit (plus 6000 K.G.) quantoque labore et sudore opus sit, ut tanta moles Mycenis in summam Larissam transportetur.

Digitized by Google

Portae limen ibidem e lapide calcario factum in eodem muro haeret atque supercilium, sed ab altera muri parte (v. tab. XII). Quos in limine stare vides postes exiliores ex poro constructos, septimo sextove saeculo a. C. n. statutos esse arbitror, cum porta arcis renovaretur. Quod ut aptius dispicere possimus, pars muri venetici, cuius latitudo hoc loco est $3^{m}20$, aliquando destruenda erit.

Postium autem qui principio ad limen et supercilium supra descripta pertinebant, alter ab altera parte laesus iacebat paucis passibus a limine distans (v. tab. XIII). Altitudo eius est adhuc $2^{m}55$, latitudo $1^{m}11$, crassitudo $0^{m}895$. Alter iam in eundem rursus murum immissus conspicitur paulo inferius quam hyperthyrum (v. tab. XIV). Altus est $2^{m}635$, latus $1^{m}11$, crassus $0^{m}47$. Quamvis crassitudo discrepet, tamen congruentia longitudinis et latitudinis demonstrat utrumque postem ad unam eandemque portam pertinere. Angustiorem autem postem muro A aut B contiguum fuisse suspicari licet.

In altero poste de quo secundo loco egi exaratus est titulus priscis litterarum notis saeculo sexto ineunte certe non recentioribus vel potius saeculo septimo tribuendis. Qui cum in poste recto stante insculperetur, porta arcis adhuc incolumis fuisse videtur, quod non magis mirandum est quam portam leonibus decoratam Mycenarum etiam ad hodiernum diem perdurasse. Verumtamen titulus a nobis effossus etiam antea e terra emerserat et ab aliis descriptus est, velut saeculo XVIII° a Michaele Fourmont et deinde a Gellio Dodwellio Rossio. Boeckhius eum a. 1825 commentatus est in Corpore Inscriptionum Graecarum nec non Maximilianus Fraenkel a. 1902 in Inscriptionibus Graecis (IV, 614). Portae tamen arcis postem hunc lapidem fuisse suspicari tunc nemo potuit. Quin etiam cum partem supernam et dextram lapidis ab illis non facile inspici potuisse appareat, exempla tituli quibus adhuc usi sunt viri docti mendis scatent. Idonea igitur tituli interpretatio, quae ceteroqui difficilior est, apud illos nondum reperitur. Optime sane Boeckhius aetatem eius aestimavit, cum eum in initio Corporis sui inter „titulos antiquissima scripturae forma insigniores" secundo loco collocaret. Etenim hodie quoque, licet nunc numerus titulorum graecorum tantopere creverit et

Digitized by Google

quotidie crescat, hicce titulus antiquissimis adnumerandus esse videtur.

Leguntur autem hoc titulo nomina novem virorum, quorum tria etiam patris nomen insequitur [1]). Praecedunt magnis litterarum formis exarata verba: ἐννι[έα δ]αμιοργοὶ - - - ἀσσαντο. Quodnam verbum in fine lateat, protinus definire non potuimus. Principio nemo, opinor, dubitabit num de collegio novem demiurgorum agatur. Nam δαμιοργούς Argis, sicut alibi in Peloponneso, sexto quintoque saeculo a. C. n. reipublicae praefuisse constat. Sed mirationem cum maxime faciunt tria nomina Sthenelas Hippomedon Adrastus. Sthenelas enim, auctore Pausania (II, 16, 1; 19, 3), regi nomen fuit, qui ante Danaum Argis regnavit, Hippomedon audiebat unus e septem ducibus contra Thebanos, Adrastus vero ipsi regi illi nomen fuit, quo duce Argivi bis Thebas oppugnasse feruntur; quo apud Argivos nihil illustrius, ut Boeckhii verbis utar, qui difficultatem sensit, sed nodum expedire non est expertus. Sint sane nonnumquam nomina e fabulis et carminibus epicis petita etiam vulgaribus mortalibus tributa [2]), nihilominus vix quisquam expectaverit Argis brevi post potestatem regiam abrogatam inter novem unius collegii magistratus tres sedisse regiis nominibus ornatos. Magis autem illud stupendum est, quod ei qui primus inter novem viros nominatur, nomen est ΠΟΤΑΜΟΣ. Aut enim opiniones in quibus huc usque fuimus de informatione nominum virorum apud veteres Graecos deponendae sunt aut istiusmodi nomen inauditum et paene incredibile esse sentiendum est [3]). Quibus de causis fortasse perpendi posse censeo, utrum hic titulus revera contineat catalogum magistratuum, an potius indicem regum qui ordine Argis regnasse visi sint. Puta Phidonem aliquem nomina superiorum regum quae qui-

1) Ipsum titulum brevi tempore, commentariis additis, in Mnemosyne edemus.

2) Cf. Bechtel, Histor. Personennamen, p. 571—578. Reges et principes regia stirpe ortos eiusmodi nomina ne postea quidem non plane dedecuisse consentaneum est. Servi quoque haud raro ludibrii causa donabantur iisdem.

3) Secundo et tertio saeculo p. C. n. apud Athenienses occurrit nomen viri quod est Πόταμος (Inscr. Graec. III, 10, B, 13; 1096, 44; 1244), quod ductum esse conicio a nomine pagi attici Ποταμοῦ. Sed, utcumque est, tantum est intervallum inter saeculum septimum a. C. n. et saeculum alterum p. C. n., ut eiusmodi analogia nihili sit putanda.

Digitized by Google

dem novisset vel novisse sibi videretur, in introitu arcis portae insculpenda curasse. Etenim perinde ut in fabulis argivis omne genus regium ortum esse narratur ab Inacho flumine [1]), sic Ποταμόν hic quoque agmen ducere videmus. Esset sane hic regum catalogus longe brevior illis qui saeculo quinto circumferebantur; sed hoc minime mirum foret. Narrat enim Herodotus (II, 143, 3) rerum scriptorem Hecataeum, virum ad humanitatem si quis alius excultum, quem circiter a. 500 a. C. n. vixisse accepimus, stirpem sibi conflasse qua originem suam a sexto decimo deo progenitore repeteret. Quae cum ita sint, quidni rex Argorum centum annis antea tantum decem aetates inter se et originem generis humani interesse ratus sit? Neque quod δημιοργοί i. e. si vim verbi intueri placet, qui rei publicae consulunt, dicti essent ipsi reges, qui iure gentis se regnare praedicabant, coniecturae meae officere censeo. Sed plura huic sententiae convenientia disputare nolo. Nondum enim eam ex animi sententia defendere et amplecti libet mihi, sed tantummodo argumentorum momenta indicare, ex quibus huius tituli interpretatio pendere videtur.

Praeter portam ad meridiem conversam, cuius sedem partesque repperimus, altera porta paulo minor in arcis parte occidentali iacuisse videtur. Nam etiam lapis ille in quo titulus de quo supra p. 333 egimus exaratus est, portae postis fuisse videtur. Lapis altus est $2^{m}36$, latus $0^{m}.915$, crassus $0^{m}.485$. Propter iacent duo fragmenta lapidis plane similis, cuius alterum longum est $0^{m}.91$, latum $0^{m}.91$, crassum $0^{m}45$, alterum longum $0^{m}96$, latum $0^{m}90$, crassum $0^{m}41$. Parva discrimina in latitudine et crassitudine eo sunt explicanda quod fragmenta aliquantum detrita sunt.

Intra muros arcis mycenaeae ubique, ut consentaneum est, testae aetatis mycenaeae repertae sunt. Abundabant tamen non nisi in parte areae castelli quae ad meridiem et orientem solem spectat, in fossis in altitudinem decem pluriumve pedum depressis. E quibus aliae coloribus proprio nitore lucentibus recentioris aetatis mycenaeae decoratae sunt, aliae caecis

1) Cf. Apoll. Bibl. II, 1 sqq. (τὸ Ἰνάχειον γένος); Paus. II, 15, 5: Ἶναχον δὲ οὐκ ἄνδρα, ἀλλὰ τὸν ποταμόν....

Digitized by Google

pigmentis, uti in priore parte aevi mycenaei fieri solebat. Antiquiora inprimis fragmenta haud raro doliis aliisque vasis satis magnis tribuenda sunt. Quas nos testas mycenaeas tab. XV[a] collegimus, omnes aetati illi antiquiori assignamus, excepto fragmento in ima pagina a sinistra posito, quod recentius esse quivis videbit. His addenda sunt succini fragmenta, parva bipennis ossea, tenues bracteae aureae ornamentis linearibus distinctae, culter aeneus, verticilli lapidei, qualia ex aggere prodeunt ubicumque domus aetatis mycenaeae effodiuntur. Vernacula haec omnia: tria tamen fragmenta vasorum fictilium repperimus quae ex insula Creta Argos advecta esse patet.

Fatendum sane est, exceptis fragmentis vasorum terrenorum, non magnum numerum rerum mycenaearum repertum esse. At demonstrant haec, id quod caput est, reges Argorum aetate mycenaea in summa Larissa arcem locavisse. Domuum quidem aliorumve aedificiorum eiusdem aetatis nulla vestigia apparuerunt, etiamsi figlina signo sint collem habitatum fuisse; adeo solum effossum et emotum est cum antiquis tum Byzantinorum et Venetorum temporibus. Iam ineunte saeculo sexto templi f g h i fundamenta magnam partem non in saxo, sed in aggestu caementorum sunt posita, quae ex citerioribus aedificationibus petiisse structores videntur. Mediam castelli aream ingens cisterna occupat — quae in forma castelli (tab. IX[a]) non est descripta — cuius parietes partim in vivo saxo excisi, partim caementis constructi sunt ita ut quidquid olim hoc loco extiterit, funditus deletum esse necesse sit. Modicos ergo domorum parietes et fundationes intra moenia arcis iniquitate temporum interiisse non est quod miremur.

At regiam in summo monte unquam fuisse qualis ultimis aetatis mycenaeae temporibus Tirynthe exstructa est, hoc minime veri simile esse ducimus, cum eiusmodi opus non omnino periisset. Inde iam necessarium esse videtur alterutrum: aut enim arcem quidem reges in colle agro imminente muniverunt, sed ipsi incolere refugerunt, quod aditu ardua esset et aqua careret, aut regia domus quaerenda est extra aulam interiorem castelli venetici. Utrum verum sit, nemo nisi renovata loci investigatione resciscet.

Quod denique ad tempora aetatem mycenaeam antecedentia

Digitized by Google

attinet, his quidem Larissam diu habitatam fuisse docent nos testae numero plurimae. E quibus aliae tenues, aliae spissiores sunt, nonnullas etiam magnorum urceorum vel doliorum fragmenta esse apparet. Non longe a porta arcis ipsi saxo imposita adhuc conspicitur dolii ima pars. Quae vasa omnia pluribus describamus non est opus, cum et alibi in Graecia reperiantur et iis plane similia sint quae nos olim in Aspide reperta copiose tractavimus [1]). Hoc tantum moneo quaedam in iis inveniri quae ad artem mycenaeam antiquissimam proxime accedant (v. tab. XVI). Praeterea in Larissa, uti etiam in Aspide, nonnulla instrumenta e lapide obsiano aliisque lapidibus durioribus reperta sunt (v. tab. XVII).

Primorum temporum computationi etsi aleam inesse fateor, tamen vasa argiva, quae mycenaea antecedunt, circa annum bis millesimum a. C. n. in usu fuisse hodie non magis affirmare reformido quam antea. De qua re cum agerem anno 1906, adieci fieri posse ut hanc supellectilem etiam aliquanto ante annum bis millesimum usurpaverint Argivi [2]). Sed hoc modum excedere nonnullis visum est. Velut Fimmenius haec vasa ac simul totam arcem antiquissimam in Aspide inter annos 2000 et 1700 collocavit [3]). Iam vero nunc in Larissa aliquid boni fortuiti nacti sumus, quo temporum rationem adhuc ancipitem aliquatenus probare possimus.

Antiquissimis enim temporibus tribuendum est sigillum e steatitide cretensi caerulea bovis cubantis specie, quod videas quaeso in tabula nostra XVII[a]. Sigilla similiter in boum figuras conformata occurrunt et apud Hethitas et in Aegypto et in Creta et in Mesopotamia, omnium bonarum artium inventrice. Est autem sigilli latus inferius ita scalptum ut scorpionem exprimat, addita parvula viri figura. Scorpionem tamen illum, qui forcipibus et oculis careat, scalptor consilio detruncatum figurasse videtur mali, puto, averruncandi causa. Neque aliter, si quid video, explicandus est vehemens gestus quo vir mutilum

1) Cf. Bull. de corr. hell. XXX, 1906, p. 7—36.

2) Ibid. p. 34.

3) Fimmen, Zeit und Dauer der kretisch-mykenischen Kultur, Synchronistische Tabelle. Cf. Blegen, The coming of the Greeks, Amer. Journ. of Archaeol., Second Series, XXXII, 1928, p. 153 sq.

Digitized by Google

monstrum detestatur. Ceterum et figurae humanae huius persimiles in priscis sigillis cretensibus haud raro inveniuntur et scorpiones in iisdem nec non in signis hethiticis frequentes sunt [1]). Quodsi iam aetatem minoiam cum Arthuro Evans in tres partes dividas, hoc sigillum aut primae parti exeunti aut fortasse secundae, quae fere ab anno bis millesimo a. C. n. incipit, ineunti tribuendum esse apparet. Tandem igitur aliquando reperta est in Argolide res ex Creta importata quae antiquissima Mycenarum sepulcra aetate longe antecedit. Adhuc a. 1922 Georgius Karo scripsit usque ad finem secundae partis aetatis minoiae, i. e. usque ad annum fere 1600 a. C. n., in Graeciam, insulis quibusdam exceptis, artem minoiam non penetrasse [2]). Nunc Matzius priscis sigillis cretensibus, quae volumine nuper edito collegit, adnumerat unum sigillum ex amethysto leonis cubantis specie, quod Mycenis repertum esse fertur [3]), et annulum quendam ex steatitide repertum in parva insula Elaphonisio in ora Laconicae haud procul a Monembasia [4]).

Cum igitur ad aetatem originis Argorum definiendam magni discriminis hoc sigillum esse videatur, tum etiam alia de causa momentum habet. Argos enim inde ab initio commercium habuisse cum Creta e fabulis argivis dudum suspicati sumus [5]), id quod nunc egregie confirmatum esse vides. Ipse Pausanias Argis vidit Ariadnes sepulcrum et templum Διονύσου Κρησίου, quocum Persea decertasse et deinde rursus in gratiam rediisse narrabant [6]). Britomartis fanum Argis fuisse testatur Antoninus Liberalis [7]), Hellotis, deae Gortyniae, ὄρον ipsi nos a. 1912 sub Larissae radicibus offendimus. [8])

Fundationes domorum quae aetatem mycenaeam antecedunt

---

1) Cf. exempli gratia Evans, Scripta Minoa, p. 134, fig. 75, c; Matz, Die frühkretischen Siegel, tab. XVIII, 2, c.

2) Vide Pauly-Wissowa, Real-Encycl. IX, p. 1766.

3) Cf. Journ. of hell. Stud. XVII, 1897, p. 69, n. 8, fig. 7; Matz, Op. l. p. 6, n. 29.

4) Matz, Op. l. p. 20, n. 246; p. 102, fig. 37; cf. Evans, Scripta Minoa, p. 120, 3.

5) Cf. Gruppe, Griech. Mythologie, p. 169—170.

6) Paus. II, 23, 7.

7) Anton. Lib. 40.

8) Mnemos. XLVII, 1919, p. 162.

Digitized by Google

cum in Aspide compluribus locis integrae subsistant, in Larissa nusquam mansisse videntur. Nusquam manserunt, inquam, nam cacumen collis habitatum fuisse copia testarum demonstrat. Sed tota area confossa et perturbata est usque eo ut etiam in ima humo hic illic fragmenta vasorum quibus utebantur Veneti et Turcae reperta sint; quapropter mycenaearum quoque domorum fundationes periisse non est quod mireris. Hisce aliisque molestiis necessario interdum obnoxius erit quicumque non fortuitum aliquem locum, ubi rerum vetustarum qualiumcumque acervus aetatem tulit, sed angustum locum historia nobilitatum eligit ad effodiendum, qui assidue habitatus et munitus et quaque aetate variis modis excultus est. Sed non id dolendum est, verum satis habendum insueto sed gratissimo labore in historia Argorum denuo aliquid profecisse, quod quis domi manendo et pensum absolvendo non esset assecutus.

Digitized by Google

INDEX TABULARUM.

I. Larissa.
II. Ecclesiae veneticae in Larissa rudera.
III. Lapides byzantii exscalpti.
IV. Lapis byzantius exscalptus. Lapis aetatis alexandrinae palmis et acantho decoratus.
V. Tabula marmorea aetatis byzantiae pavone racemos vescente decorata.
VI. Titulus byzantius saeculi XII[i].
VII. Fundamentum templi Minervae.
VIII. Donaria templi Minervae.
IX. Forma aulae interioris castelli venetici (1 : 400).
X. Murus cyclopius in Larissa servatus.
XI. Portae arcis mycenaeae hyperthyrum.
XII. Portae arcis mycenaeae limen.
XIII. Portae arcis mycenaeae postis.
XIV. Murus castelli venetici, cui portae hyperthyrum et postis alter immissa sunt.
XV. Fragmenta vasorum mycenaeorum (1 : 2).
XVI. Fragmenta vasorum mycenaeis antiquiorum (1 : 2).
XVII. Instrumentum lapideum expolitum. Sigillum creticum.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google

Digitized by Google

STILI DIFFERENTIA QUATENUS EX HISTORIA TERMINATIONIS CUIUSDAM (-ĒRE ∞ -ĔRUNT) APPAREAT.

SCRIPSIT

F. MULLER J.fil.

1. Huius aevi hominibus quantum distet prosae antiquae indoles atque natura a nostri temporis lingua, melius haud facile apparebit quam historia terminationis perfecti activi tertiae personae pluralis: *-ēre, -ĕrunt, -ērunt*. Mirum in modum scriptores antiqui hac terminatione usi sunt ita, ut non modo auctor unde provenerit, quos circa se habuerit, quid sibi voluerit manifeste cognoscamus, sed etiam quantum hic quoque in uno eodemque opere valuerit rhytmi ratio accurate observata.

Quod ut uberius demonstremus, aliquanto altius rem repetamus.

2. Primo breviter eos indicemus, qui hanc rem sive obiter sive plenius tetigerunt,

A. ut cum aliarum linguarum ratione latinam compararent:
H. Osthoff, Zur Geschichte des Perfectum p. 210 sqq.
Bartholomae, Studien zur indog. Sprachgeschichte II 197 sqq.
K. Brugmann, Grundriss[2] III, 2, 635.
W. Lindsay, Latin Language 531 sqq.
F. Sommer, Handbuch d. lat. Laut- und Formenlehre[2] 579.
F. Sommer, Kritische Erläuterungen 170.
K. Brugmann, Indog. Forsch. 28, 379—389.
Stolz-Leumann, Lat. Grammatik[5] I p. 338.

Digitized by Google

A. Meillet, Mém. Soc. Ling. 18, 2 et Indog. Jahrbuch I 16, Bull. Soc. Ling. 75, 192.
J. Pokorny, Z. f. celt. Phil. 13 (1921), 296.

B. ut, quam haberemus earum formarum in litterarum latinarum finibus condicionem, declararent:
L. Havet, Revue de philologie 31, 230.
E. B. Lease, Am. Journ. of Phil. 24, 408.
R. B. Steele, Am. Journ. of Phil. 32, 328.
E. Wölfflin, Arch. f. lat. Lexicogr. 12, 166; 14, 478.
W. Kroll, Ciceronis Orator, adnot. p. 157.
E. Löfstedt, Philol. Komm. z. Peregrin. Aether. 39 et 358.
H. Hagendahl, Die Perfektformen auf *-ere* und *-erunt* (ein Beitrag zur Technik der spätlateinischen Kunstprosa), Uppsala 1923.

Multa attulit liber notissimus Neue-Wagener, Formenlehre d. lat. Sprache[3] III 190 sqq.

Plures tamen locos, de quibus infra sermoerit, ipse adaotavi, collegi, digessi ita, ut plenior lucidiorque obversaretur nobis rei imago.

3. Ante omnia hoc constet necesse est, quam vulgo docemus terminationem fuisse maxime usitatam, *-ērunt*, inter omnes fuisse ultimam nec nisi contaminatione quadam eam esse ortam. Quod, si propius verbum latinum inspexerimus, statim ac luculenter apparebit.

Duas hic terminationes lingua latina adhibuit: unam iam aetate indogermanica natam, sc. *-ēre*, alteram cum verbi latini copiis penitus connexam, i. e. *-ĕrunt*.

Priori originem indogermanicam tribuimus propter formas quasdam in linguis orientalibus obvias: lingua avestica terminationem exhibet *-ā^{i}re* < ig. *-ērai*, quae forsitan ex ig. *-ēre* formam induerit mediopassivam; lingua tocharica nuper ex ruderibus in lucem prolata *-āre* terminatione eandem formam finit, ita ut forma indogermanica *-ēre* hodie iam tribus linguis diversis ac separatis fulta clarius se ostendat; v. dissertationes v. cl. A. Meillet Mem. Soc. Ling. 18, 2, Indog. Jahrb. I, 16, Bull. Soc. Ling. 75 192.

Digitized by Google

Altera *-ĕrunt* terminatio undiqne cum ceteris verbi latini formis penitus cohaeret; namque per leges phoneticas latinas nihil quominus *-ĕrunt* ex *-ĭs-ont* creatum putemus obstat (v. Brugmann F. 28, 389). Haec enim sunt comparanda: *laudā-u̯-ĭs-ti(s)*, *laudā-u̯-ĭs-se(m)* iuxta **laudā-u̯-ĭs-ō* > *laudāu̯ĕro*, **laudā-u̯-ĭs-ont* > *laudāu̯ĕrunt*. Maioribus copiis usus hanc eius suffixi *-ĭs-*, cui respondet *-ĭs-* in dialectis Osco-Umbricis, naturam demonstrare conatus est H. Pedersen, Les formes sigmatiques du verbe latin (= Kgl. Danske Vidensk. Selsk. Hist. fil. Med. III, 5) passim.

Quodsi addideris formas hasce: *es-se* (radicis *es-*) iuxta *dă-re* (rad. *dō̆-*, cuius forma brevissima ig. *də-* superest in gr. δῶ-νος, formatum eodem modo quo la. *fē-nus*, δο-(τός), la. *dă-(tus)*, *dă-(re)*, ex ig. *es* + *s-ĭ*, *də* + *s-ĭ*, utroque locativo stirpis in *-s-* exeuntis, item *es-sem*, *dărem* ex ig. *es*+*s-ē-m*, *də*+*s-ē-m* orta, procul dubio agnosces linguae illa duo elementa *-ĭs-* et *-s-* inter se esse cognata.

Nunc iam statim ultima moveatur quaestio: ex tribus illis terminationibus *-ēre*, *-ĕrunt*, et *-ērunt* quaenam in linguis romanicis fuerit superstes. Breve est responsum omnibus notum: „für die 3 Plur. ist nur zu bemerken, dass alle romanischen Formen auf *-ĕrunt* zuruckweisen, *-ērunt* keine Spur gelassen hat", sunt verba v. cl. Meyer-Lübke, Gramm. d. roman. Sprachen II 299.

4. Quid de hac re iudicaverint ipsi Romani, paucis tantum exponere mihi liceat. Cicero postquam in Oratore (§ 157) diserte scriptoribus Romanis ius utendi tam formis 'plenis', ut ait, quam 'imminutis' vindicavit, ita locutus est: „nec vero reprehenderim: 'scripsere alii rem': 'scripserunt' esse verius sentio, sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor". Quibus verbis assentitur Quintilianus (Inst. Or. 1, 5, 42) haec addens: „quamquam fuerunt, qui nobis quoque adicerent dualem: 'scripsēre, legēre': quod evitandae asperitatis gratia mollitum est, ut apud veteres pro 'male mereris' 'male merere'; etiam I, 4, 16 „in vetustis operibus urbis nostrae et celebribus templis 'dederont' et 'probaveront' se legisse testatur.

Digitized by Google

5. Ut semper, ita hic quoque nobis, quae locuti sunt Romani, multo hercle praestant iis, quae de lingua sua sunt commentati. Itaque ad tempus descriptione opus est, quomodo scriptores varii temporum ordine observato his formis usi sint.

PLAUTUS

6. Plautus utraque terminatione utitur:

a. *-ēre* praebet saepius ante vocalem positum, raro ante consonantem:

As. 419: quī látera cónterám tuá, quae occálluérĕ plágis.

Capt. 493: quí consílium iniére, quó nos víctu et víta próhibeánt.

Cist. 156: fuérĕ Sĭcўōní iam dĭú Dionýsiá.

b. Contra:

Trin. 135: alii éxsulátum abiérunt, álii emórtuí, alií se súspendére. em núnc hic quóiius est.

Stich. 632: iamne ábierúnt? Gelăsime eqs.

„ 635: Vidén? benígnitátes hóminum périēre et prothýmiáe.

His si addas versum, qualis est Stichi 332:

Pínacium. / ístuc índĭdérunt // nómen máiorés mihí

in quo poetam nulla omnino vetabat metrica lex versus, apud Plautum etiamtum asynarteti, ponere: índĭdĕrĕ; sequitur iam ex hoc uno versu allato Plauto usitatum fuisse non nisi unam formam eamque esse formam cotidianam, *-ērunt* scilicet.

Idem declarare arbitror versus, quales sunt:

Stich. 209: damna évenérunt máxumá miseró mihi

comparatos cum v. 29 (in anapaestis: domo ut ábiērúnt) et 210 (in fine senarii adfécērúnt malé) propter colorem vulgarem sive cotidianum.

Saepissime utraque forma metricae cuidam oboedit necessitati, e. g.:

Poen. 1376 in fine senarii: únde haec périērúnt domo? quem versum paene e vestigio sequitur:

Poen. 1380: periĕr(e), opínor, dúodevígintí mináe.

Quod Plautus forma in *-ĕrunt* nusquam usus est Perfecti *-sī* suffixi ope formati (v. F. Sommer Lat. L. u. F.[2] 579), nescio an casui tantum debeatur.

Digitized by Google

7. Quodsi nunc, Haveti meisque copiis freti, Plauti usum harum formarum plenius diligentiusque describemus, haec fere statuere nobis licet:

Ubicumque suo ore loquitur Plautus neque ulla necessitate sive metri sive elocutionis cogitur loquelae naturali vim quandam inferre, semper forma *-erunt* utitur:

a. in fine versus: As. 633, Aul. 409, Bacch. 928, 1183, Capt. 503, 923, 924, Cas. 687, Mil. 1271, Rud. 219. Alias *-ĕrunt* (in senariis et octonariis iambicis et septenariis trochaicis), alias *-ērunt* scandendum est (e. g. Capt. 923, 924 in bacchiis).

b. ante caesuram semiquinariam senarii: Aul. 376, 542, Capt. 7, Cas. 70, Men. 343, Mil. 60, 1392, Poen. 689, 1134, Stich. 188, 209. Solus restat versus Epidici 474:

ei quae *áccessére*, tibi áddam dóno grátiís.

Ad hunc locum Havet l.l. 230 annotat: „'ei quae accessere' a l'air de s' expliquer par la citation textuelle (peut-être avec intention comique) d'une formule juridique [1]) (quae, en ce cas, serait au neutre)". Quod si non temere negaverim, tamen nescio an altera explicandi ratio sit potior. Hoc enim unico loco forma solita in *-erunt*, ante *t(ĭbi)* posita, etiam circa caesuram, fieri nullo modo potuit quin pronuntiaretur:

---

1) Iure romano accedere dicebatur ad pretium antea ab adversariis, i. e. ab emptore et venditore, constitutum, quicquid servus sive serva post servitutis initium proprio peculio comparaverat. „Tanto maggiore" sunt verba v. cl. Emilii Costa, Il diritto privato romano nelle comedie di Plauto p. 105—107, cuius libri benigne mihi fecit copiam pro solito collegarum munere v. cl. van Oven, „in Plauto ci si appalesa il valore del servo, quanto più grande è il suo peculio; a meno che, e cio non doveva esser raro, questo stesso peculio non sia valutato a parte, in maniera da formare, se non consista in danaro, oggetto di una accessoria compra vendita". Testes sunt loci Plautini Curc. 343: de illo emi virginem triginta minis, vestem, aurum; et pro is decem eo accedunt minae; Persa 665: (Sag.) tuo periclo sexaginta haec datur argenti minis, ~ 669: heus tu, etiam pro vestimentis huc decem accedant minae. (Dor.) apscedent enim, non accedent". His additur testimonium Digestorum III, 5, l. 3 § 6: „si quid accessit post mortem, ut puta partus et fetus et fructus, vel si quid servi adquisierint, etsi his verbis non continentur, pro adiecto tamen debent accipi". Haec omnia ubi tecum reputaveris, profecto Plautum loco ex Epidici fabula allato linguam iurisconsultorum veterum formarum amantissimam subtiliter esse imitatum haut ita facile negabis. Eiusdemmodi imitationem linguae iurisconsultorum deprehendas Poen. 536 (v. 588): cum eo cum quiqui, v. Bücheler, Arch. f. lat. Lex. 1, 279, Fay AJPh. 35, 248.

Digitized by Google

accesserun sive *accesseru*^{n} in coniunctione verborum ea, cui nomen indicum 'sandhi' inditur, cf. *dedron* CIL I^{2} 30, *dedero* ib. 61, *coraveron* 59, *coeperun* VIII 2547, *fecerun* VI 26224, 33688, 33907, v. Abbott Am. Journ. of Phil. 38, 77, Stolz-Leumann, Lat. Gr.^{5} (1926) 338. Alibi enim nusquam haec duarum litterarum collisio *-t t-* deprehenditur, id quod nulla obvia causa alia explicatur. Nam versus Mil. 60:

Me réprehendĕrunt.// Quíd eae díxērúnt tibi?

propter metrum formam dixēre recusat.

Verum hac in re parvi refert, mecum facias an cum Havetio: utrimque enim statuamus licet Plautum, quatenus fieri potuit, formam in *-erunt* prudentem praetulisse.

c. in fine prioris hemistichii versus trochaici septenarii: As. 316, 342, Bacch. 1087, Curc. 685, Epid. 670, Men. 206, Mil. 1316, 1432, Poen. 609, 610, Ps. 721, Stich. 332, Trin. 1037, Vid. fr. 1.

d. in fine prioris hemistichii versus iambici octonarii: Capt. 195.

Excipiendus est versus Curc. 48 (coll. Bacch. 610: „concrépuērúnt forés"! v. Mil. 410):

séd interím forés crepuére: línguae móderandúm 'st mihí

quem quare dixerit Havetius „non-plautinien", nihil video, nisi forte quis totam primam actus quarti scenam ut Plauto indignam spuriam ducit.

e. ita positum, ut *-(ēr)únt* thesim quintam efficiat senarii: Men. 67 Merc. 718, Ps. 539. In prologo autem (Poenuli dico) bis (v. 84 et 86) hoc versus loco *-ēre* invenitur (item initium versus efficit v. 60): quia Plautinos equidem esse arbitror hunc (et alios) prologos, facere non possum quin cum Havetio ponam iam Plauti temporibus rationem eam, quae *-ēre* credidit dualis terminationem (v. supra p. 345) viguisse credam.

f. ita positum, ut *-ĕrunt* sextum pedem septenarii trochaici impleat: Aul. 753, Trin. 642; etiam huc accedit Casina, ubi tamen metrica lege (v. Havet Métrique § 276) *-ēre* admittere Plautus vetabatur.

g. initio senarii positum, ita ut prima arsis in *-ĕ(runt)* collocetur: Merc. 752. Poen. ex prologo qui aut suam elocutionem exhibet, aut Plauto vindicandus non est, v. 60 haud

Digitized by Google

scio an alterum exemplum „dualis" exhibeat (v. supra p. 345) [1]).

Poen. 476 miles gloriosus ita loquitur: „fuere (sc. homines volatici). Verum ego interfeci". Ad hoc si animadvertas militem v. 474 ita locutum: „ita deico quidem", quae forma per *ei* scripta perraro occurrit et senibus tantum sive personis amplis gravioribusque tribuitur (v. imprimis Merc. 465, 512, 554 in palimpsesto Ambrosiana), mecum nimirum facies in hac forma *-ēre* denuo vestigium stili sublimioris deprehendenti.

h. initio septenarii iambici, ita ut prima arsis in *-é(runt)* collocetur: Truc. 221.

i. ante caesuram semiseptenariam: Aul. 346, Capt. 86.

k. ita positum, ut *-érunt* quintum pedem septenarii trochaici impleat: Rud. 1207.

l. ita positum, ut quinta arsis septenarii iambici in *-é(runt)* cadat: Mil. 410, Rud. 697.

m. ita positum, ut *-erúnt* quintum pedem senarii impleat: Bacch. 610, Mil. 60.

n. *-e|runt* in confinio duorum creticorum collocatur: Bacch. 668.

8. Quae hucusque de usu Plautino earum formarum disputavimus, quo tendunt quidve sibi volunt?

Ut planius demonstremus, quam singularis sit hic usus, in discrimen vocemus usum formarum 2 Sing. Passivi in *-ris* et *-rĕ* exeuntium, quamquam iam rhytmica nos vetat ratio terminationem *-runt*, longam exhibentem syllabam, et brevem *-ris* prorsus inter se aequare.

Hanc rem sive obiter sive prolixius tetigerunt Neue-Wagener, Formenlehre[3] III 202, Engelbrecht, Studia Terentiana 84 sqq., Hodgman, Class. Quart. I 42 sqq., 97 sqq., Sommer Hdb. [2]494 et Krit. Erl. 95, Stolz-Leumann 307 (ubi novi nihil invenias), nuperrime C. Müller, Glotta 16, 137.

9. Quam poterit artissime hanc rem si circumscribimus, hoc inprimis inde colligitur:

---

1) Locum, qui Havetium fugit, habes obloquentem in Cist. v. 156 (v. supra) fuére Sícyoní iam diu Dionysia, ubi nulla metrica necessitas obstabat, quin fuerunt scriberet poeta. Hoc quoque stili requisitioris est, qualis deo sive daemone „in ornatu prologi" dignus est?

Digitized by Google

Plautus adhibet *-rĕ* 170 ×, *-ris* 30
Terentius adhibet *-rĕ* 56 ×, *-ris* nusquam.

Plauti autem usum ubi propius inspicias, hoc videmus: *-rĕ* habet in fine versuum positum 36 ×, ante vocalem 49 ×, ante consonantem 84 × (v. Engelbrecht, Studia Terentiana p. 86).

At longe aliter res se habebat, cum ageremus de terminatione *-ērunt* ~ *-ēre*! *-ērĕ* enim suum atque iustum locum habere monuimus ante vocalem, ante consonantem vero nusquam apparere, contra *-rĕ* multo saepius ante consonantem (84 ×) quam ante vocalem (49 ×) nobis se obtulit.

Paulo ab iis, quos dederat numeros Havetius, differunt quae disputavit C. Müller in disputatione nuperrime edita (Gl. 16, 139 sqq.). His demum numeris ratio improbatur, quam instituit Leo (Plautin. Forsch. V) atque secutus est Skutsch (Gl. 1, 313 = Kl. Schr. 352 sqq.), perhibentes ambo vetustiorem esse formam in *-ris* exeuntem exque ea per ecthlipsim quandam natam esse *-re* formam secundae personae singularis.

Hos locos computavit apud Plautum:

ante vocalen aut *h*	*-rĕ* 64 ×	*-ris* 6 ×
ante consonantem	„ 102 ×	„ 14 ×
in fine versus	„ 38 ×	„ 5 ×
quorum summa est	*-rĕ* 205 ×	~ *-ris* 25 ×

Plautus auctore C. Müllerio ita vices harum terminationum distribuit, ut *-re* adhibuerit, ubicumque ipse locus vel sermonis contextus clare monstraret indicativi formam, non imperativi esse interpretandam, contra *-ris* formae officium iniungeret aut discernendi ab imperativi forma aut firmandae atque augendae verbi notionis.

Quod si aetatis discrimen recte statuimus inter *-re*, formam pristinam, ex *-sŏ* (v. gr. ἔπου ⟨*ἑπ-ε-σο) natam, et *-ris*, ex proportione creatam hac: Imp. *scrībĕ*: Ind. *scrībis* = Imp. pass. *scrībĕrĕ* (ex *-ĕsŏ* ortum): x, x = *scrīberis*, duae res inde sequuntur. Primum hoc iam manifestum est Terentium eiusque sodales vel fautores *-ris* formam sprevisse propterea, quod novi temporis vulgarem indolem nimis redoleret.

Deinde ipsis numeris supra relatis unicuique apparebit non temporis ratione contineri differentiam inter *-ērunt* et *-ēre* formarum usum ortam: quippe cum Plautus formam longiorem

Digitized by Google

-ĕrunt (*-ris*!) unice dilexerit, *-ēre* tantum ante vocalem aut tamquam notam stili altioris vel austerioris metrive gratia (e. g. in bacchiis, Bacch. 1135) admiserit.

10. Inde facilis est coniectura revera terminationem *-ris* aetatis multo posterioris esse quam *-ērunt* Plautique demum temporibus (aut paulo ante) esse creatam, *-ērunt* (ex *-ĕrunt* × *ēre* in ipso sermone per contaminationem ortam) diu iam ante Plautum in uusm irrepsisse, annoque circiter 200 a. C. iam prorsus sui iuris esse factum.

11. Sed cur *-ēre* ante vocalem tantum, numquam aut numquam fere ante consonantem adhibuerit poeta, nondum liquet. Una tantum via patet, quae ad finem perducat. Prorsus enim idem deprehendimus in vocibus *magis*, *nimis*, *potis*, *satis*, ut Leo (Pl. Forsch.[2] 292) recte demonstravit, vestigiis insistens Lachmanni (ad Lucr. VI 1262), qui *magĕ*, *mag(e) satĭ*, *sat* ait, nusquam fere nisi ante vocales inveniri, id quod satis declarat e. g. *mag*$^{i(e)}_{e}$ tunc quoque cum scribatur nonnumquam *magis* etiam ante vocales (Capt. 466, Curc. 463, Epid. 453) = ⏑, valere *măg* = *săt* (v. Asin. 66, 394, Men. 386, Poen. 276, 461, Trin. 1053, Truc. 177, 662, 887, 918). [1])

Nunciam confidentius interpretari possumus ita, Plautum formam in *-ēre* (revera formam perantiquam) formam duxisse recentiorem tamquam per ecthlipsim quandam ex *-ērunt* > *-ērun* > *ēru*^{n} sive *ērũ* natam, ut revera postea iudicavit Quintilianus (v. supra p. 345). In eiusmodi formis debilibus et deficientibus linguae lex est, qua formae eae omnino careant stabilitate eoque tendant, ut semper decrescant. Ita enim fit, ut *poti*$^{(s)}$ non *potĕ*, sed *pot*, *satĭ*$^{(s)}$ non *satĕ* sed *sat*, *veneru(n)*^{t} non **vēnēre* sed *vēnēr*$^{(e)}$ sonuerit, cum *marĕ* < *mărĭ*, *amāre* 2 Sing. Ind. vel Imp. nequaquam sit mutatum.

12. Iam eo redeamus, unde profecti sumus. Terminatio *-ērunt* (ex *-ēre* × *-ĕrunt* natum [2])) in lingua latina adeo longo

1) Versus nisi perraro nullus invenitur, qualis est Asin. 162: mágis istúc percípimus língua eqs.

2) Notandum esse mihi videtur, poetam qualis fuit Phaedrus, familiari narrationis stilo proprior, semel tantum idque in senarii fine *-ĕrunt* adhibuisse (III, 2, 19), alibi semper aut *-ĕrunt* (e. g. II, 4, 24) aut *-ārunt* (< *-āu̯ĕrunt*) (e. g. I, 9, 5) scripsisse.

Digitized by Google

temporis spatio ante Plautum orta est, ut Plauti aequales huius rei ignari in *-ēre* novam formam suspicarentur per „detrimentum" natam sive „detritam" ut ait Varro (L. L. V 136, VII 27, 97, X, 81), sive, ut Cicero loquitur (Orat. § 157) formam „imminutam", stilo elegantiori aptiorem hominibusque amplioris ordinis imprimis acceptam. Quam quia de plebe orti Romani *vēnēr*$^{(u)}$ pronuntiabant, unicum locum habebat ante vocales, ante consonantes vero l o q u e b a n t u r forma pleniore per *-ērunt* cadenti.

TERENTIUS **13. Terentius** quoque utramque terminationem adhibet, id quod multis exemplis docuit L. Havet, Rev. d. phil. 31, 232, F. Sommer, Hdb. d. lat. Laut- und Formenl. ²579.

Equidem paucis interim exemplis usum Terentianum illustrare cogito.

-ĕrunt quamquam bene fuit vegetum, tamen saepius ultimum versus locum obtinuit, quo loco plerumque formae antiquae, interdum exsangues quasi in umbra latuerunt (optat. in *-iem*, *-iēs*, inf. pass. *-ier*, formae *-duim* etc., e. g. Pl. Poen. 863) e. g. Eun. Prol. 20:

Menándri Eunúchum, póstquam aedíles é m ĕ r ú n t.

(Iam quamquam omnibus probe notum est archaïsmos eundem versus locum quasi de industria petere — v. E. Stange, De archaismis Terentianis 1890, Dziatzko-Kauer ad Adelphos v. 106 —, moneo inde minime probari Terenti aetate *-ĕrunt* terminationem iam obsolescere coepisse!)

Loci qui sequuntur mihi videntur esse memoranda:

Andr. 740: revórtor, póstquam quae ópu(s) f u ĕ r e ad núptiás

„ 771: quam in páriundo áliquod á d f u ĕ r u n t líberae.

Phorm. 77: v ē n ĕ r (e) in méntem mi ístaec. // Námque inscítiást

„ 625: uno ore auctóres f u é r (e), ut praécipitem hánc darét (ubi tertius pes *-res fue-* aut = – – (fu̯ēre) aut – ⏑ ⏑ (*fŭĕre*!?) fuit).

„ 676: nam illí mihi dótem iám c o n s t í t u / ē r ú n t dăré,

„ 895: quando é v e n ĕ r e haec nóbis, fráter, prósperé.

Ad. 688: f é c e r (e) álii saépe ité(m) bon(i). at póstquam id évenít cedó

„ 691: quá rescíscerem? haéc dum dúbitas, ménses à b i ē r ú n t decem

Digitized by Google

Ad. 815: mea, quáe praeter spem evénēr(e), útantúr siné.

Quod ad versus Phorm. 676 et Ad. 691 attinet, noli scandere *constituĕrunt* et *abiĕrunt*: hoc nullo modo fieri et alii docuerunt et Havet-Duvau, Cours de métrique § 275 sqq.

14. Inde haec colligenda sunt:

a. Terentius et ipse *-ēre* — sive in arsi sive in thesi positum — semper et ubique ita adhibet, ut vocalis, non consonans littera sequatur. Quodsi verba, qualia sunt e. g. venere quondam – ⏑ – ⏑ – nulla, quod sciam, lege metrica nec syntactica vetantur, hoc ponamus licet venere iam sonuisse quasi vēnēr^{e} ultima syllaba reducta atque correpta, id quod verbis notissimis accidit: *satĭ(s)*, *satĭ*, *magĭ(s)*, *magĕ* (*măgĕvŏlo* > *mālo*), *volup*, *facul* Lucil. 259 M. (< *fac$^{(i)}$l^{i}*). Praeterea *-ere* gaudet tali positione, in qua praecedens syllaba longa sit, non correpta: (ē)vēnēre, fēcēre, v. Heaut. 500.

b. Formae in *-ērunt* exeuntes plerumque ante consonantem ponuntur, saepe vocales aut habent aut amant in syllabis antepaenultimis breves (e. g. constituērunt, abiērunt, adfuerunt)

c. *-ĕrunt* uno tantum versus loco occurrit ultimo, Eun. prol. v. 20.

15. Accuratam descriptionem denuo Havetius protulit (Rev. de Phil. 31, 232) usus Terentiani, cuius Neue-Wagener omnino nullam fecerat mentionem.

Ecce habes *-ērunt* (sive *-ĕrunt*) iis locis, quibus, *-erunt* an *-ere* scriberet poeta, parvi aut nihíl interesset:

a. in fine versus septenarii iambici Heaut. 723, 745.

b. ita positum ut *-ē(runt)* quarti pedis arsim impleat Andr. 219, 771, Heaut. 16.

c. in fine versus senarii (*-ĕrunt*!) Ter. Eun. 20; siquidem hoc loco versus *ĕ* -breve postulabatur et forma *-ĕre* 3 plur. nusquam existit, alia forma nulla tali loco adhiberi poterat.

Praeter hos locos alibi semper Terentius *-ēre* scripsit:

a. ubi et Plautus terminationem *-ēre* praetulit, ante vocalem scilicet: Andr. 13, 82, 740, 931, Eun. 544, 993 (2 ×), Heaut. 500, 886, 906 (2 ×), Phorm. 77, 625, 895, Hec. 242, 367, Ad. 595.

Digitized by Google

b. ubi Plautus certa regula usus profecto *-erunt* scripturus fuerit:

ante caesuram semiquinariam: Ad. 743, Heaut. 121, 399, Hec. 186, Eun. 1033.

Iamiam Constat Terentium aliter iudicasse de hac forma quam iudicaverat Plautus. Nam ex brevioribus formis (*-re* 2 Sing. Pass. et *-rĕ* 3 Plur. Perf.) illam numquam non adhibuit [1]), hanc non numquam etiam iis locis admisit, quibus nulla eum cogeret sive metri necessitas sive stili observantia.

Terentius igitur formam novam tamquam vulgarem omnino sprevit (*-ris* 2 sing. pass. v. supro p. 350), formam veterem (*-ēre* Perf.) non iam, ut Plautus, ex *-ērunt* per detractionem quandam sive detrimentum natam esse credidit neque idcirco eam admisit tantum ante vocalem positam, nisi forte alia causa manifesta atque obvia praesto esset (ita enim Plautum fecisse supra demonstravimus).

Fragmenta tragica et comica.

16. Ceteri poetae tragici vel comici pauca tantum addunt.

A. Terminationis *-erunt* hoc solum exemplum inveni:

Pompon. 157 R³: iámne abiérunt? ¡ám non túndunt? iámne ego ín tutó satís?

Hoc loco quid sibi voluerit poeta, satis apparet: iam... iam... iam et contra: abierunt... tundunt per anaphoram valida sunt.

B. Alteram *-ēre* terminationem invenias his locis:

a. ante vocalem:

---

1) Unus tamen restat locus et repugnat, propterea quod omnes codices ibi *-ris* legunt; Hec. 317:

pro Iúppitér, clamórem audíor (Par.). Tute lóqueris, me vetas (Pam.) nóli fabuláriér.

Engelbrecht] (Studia Terentiana p. 84), quem omnes postea secuti sunt, etiam huic loco formam *-rĕ* vindicare conatus est collato versu Pl. Poen. 861:

(Sy.) nám nostrórum némo dígnust. (Mi.) lépide lóquere. (Sy.) mé decét.

Quod haud scio an immerito fecerit. Locum enim Terentianum si quando curiose examinaveris, profecto mihi assentieris Terentio vitandum fuisse quod Plauto in illo contextu vitandum non erat, ne forma loquere Imperativi vicem obtinere videretur; ad hoc relatio atque comparatio artissima duarum formarum (loqueris ~ vetas) 2ae personae apud Terentium eo tendebat, ut *loquere* addito *s* plenam, quamquam recentem, induceret secundae personae speciem. (Locorum copiam praeter Engelbrechtium invenies apud Neue-Wagener III 203).

Digitized by Google

Pompon. 141 R³: quót laetítias ínsperátas (*sic*!) médo mi
inrépsere ín sinúm
Accius 109 R³: múlti iníquo, múlier, ánimo síbi mala
aúxere ín malís
Inc. trag. 189 sq. R³: refúgere óculi; córpus mácie extábuít;
lacrimáe perédere úmore éxanguís genás
Mummius 4 R³: bene múlta instítuēre, óptime hóc:
a frígore

b. ante consonantem:

α) ita ut ante caesuram semiquinariam senarii locum habeat:
Titin. 182 R³: quia quí fugére pól si hinc spólia cólligúnt.
Afran. 309 R³: hí cóniecére vérba intér sese ácriús.

β) initio senarii positum:
Pacuv. 320 R³: periére Dánai, pléra párs pessúm datást.
Mummius 5 R³: fecére súmmo séptem Sáturnáliá.
Caecil. 20 R³: numquidnám forés // fecére sóniti

γ) in anapaestis
Accius 64 R³: depréssum altís clausére specís.

Iamiam clarius apparet, Plautus quam singularem inter omnes exhibeat rationem. Nam prorsus eodem spectant, quae apud Terentium quaeque nunc apud ceteros comicos deprehendimus ita firma, ut iam brevem in formulam id nobis redigere liceat. Nisi enim omnia me fallunt, praecipue formas in *-ere* (ante vocalem) admittebat poeta id agens, ut pedes trium morarum cumquattuor morarum pedibus quasi vices agerent, quoad eius fieri posset. V. supra:
fugére pól si = – ⏑ – / ⏑ ⏑ –, fugerunt pol si fuisset – ⏑ – ⏑ –
– iecére vérb(a – ⏑ – / ⏑ –, iecerunt verb(a) fuisset – ⏑ – ⏑ –
periére Dána(i) = ⏑ ⏑ – ⏑ / ⏑ ⏑ ⏑, perierunt Danai fuisset ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑
fecére súm(mo) = – ⏑ – / ⏑ –, fecerunt summo fuisset – ⏑ – ⏑ –
fecére sóni(ti) = – ⏑ – / ⏑ ⏑ ⏑, fecerunt soni(ti) fuisset – ⏑ – ⏑ ⏑.

17. Constat igitur aut ferme iam constare videtur inter aetatem Plautinam (± 200) et horum poetarum, quos paulo supra memoravi, in sermone cotidiano ambas formas in *-ēre* et *-ērunt* cadentes iam coepisse eodem iure haberi, ita quidem ut nisi rhytmica quadam ratione nulla omnino re distinguerentur.

Digitized by Google

ENNIUS. **18. Ennius** poeta quam rationem secutus sit — et est ea ratio satis firma —, ex fragmentis luculenter apparet.

A. Terminationem *-erunt* adhibuit:

a. in oratione soluta semper:

sat. 49: operam quam dare rogati sunt supersederunt. (in fine sententiae)

var. 72: eum necaverunt. (in fine sententiae)

var. 122: adiutores in bello fuerunt (in fine coli sive commatii).

var. 137: eumque Curetes filii sui curaverunt decoraveruntque eum. (non prorsus in ipso fine sententiae).

b. in fine hexametri ter:

ann. 112: qualem te patriae custodem di genuērunt

ann. 415: concidit, et sonitum simul insuper arma dedērunt

ann. 624: ólli crateris ex auratis hausērunt

c. initio hexametri:

ann. 458: ríserúnt omnés risú Iovis omnipotentis

d. ita positum, ut *ērunt* quintum pedem senarii impleat:

sc. 17: qui rém cum Achívis géssērúnt statím

sc. 176: .....ví patĕfécērúnt Brugés

e. tertium septenarii pedem explet:

sc. 402: quém metuúnt odérunt, quem quisque ódit periisse expetit.

B. Plura extant exempla apud Ennium terminationis *-ēre*:

a. *-ēre* in hexametri secundo pede collocatum:

ann. 292: consiluēre (cetera desunt)

b. in hexametri tertio pede collocatum:

ann. 192: qui antehac/ invictí fūére viri, pater optime Olýmpi

c. in hexametri quinto pede collocatum:

ann. 203: ántehac, démentés sese flexĕrĕ vĭáī

ann. 213: scripsere alii rem

ann. 348: regni versatum summam venere(?) columnam

ann. 358: quae neque Dardaniis campis potuere perire

var. 7: nam tibi munimenta mei peperēre labores

d. in quarto pede octonarii trochaici:

sc. 260: múlti suám rem béne gessére et públicám patriá procúl.

Digitized by Google

e. ita positum, ut *-ēre* senarii quarti et quinti pedis partem expleat:

sc. 150: Aréopagítae quíd dedére ⟨ae⟩quám pudám

19. Ennium breviter statuamus neque terminationem *-ĕrunt* adhibuisse in oratione vincta neque veri esse simillimum eum in oratione soluta *-ĕrunt* pronuntiasse, in qua eadem opera *-ērunt* pronuntiari summo iure possit. Rationis supra demonstratae, qua Plautus *-ēre* ante vocales potissimum collocat, apud Ennium ne tenuissimum quidem animadvertimus vestigium.

20. In **Lucilio** septem exempla exstant. Sunt hi versus: LUCILIUS.

364: iam „puerei vēnere" e postremum facito atque i
484: Lamias, Fauni quas Pompiliique instituere Numae
970: multis indu locis sermonibu(s) concelebrarunt
983: inluvies scabies oculos huic deque petigo conscendēre(??)
1118: atque aliquos ibi ⟨si⟩ abreptos clepsēre foro qui
1255: porro homines nequam, malus ut quartariu(s), cippos collēgēre omnes
1298: sicuti mechanici cum alto exiluēre peteuro.

Idem, quod supra, nunciam in Lucilio deprehendimus: *-ārunt*, i. e. *-āuĕrunt* (v. 970) in fine versus positum est, *-ēre* tam ante vocalem quam ante consonantem litteram usurpratum invenimus.

21. Quasi cursim per varia is ducitur hominum saecula, qui huius rei rationem habet in perscrutandis **fragmentis poetarum** latinorum, quae nuperrime collegit et emisit W. Morel (anno 1927). Fragmenta ceterorum poetarum.

Ecce habes eodem modo digesta fragmenta, quae huc pertinent:

A. *-ērunt* terminatio invenitur:

a. in fine versus saturnii (*-ērunt*?):

Liv. Andr. 7: matrem ⟨proci⟩ procitum plurimi venērunt.
„ „ 27: topper facit homines ut prius fuērunt.
Naev. 31: scopas atque verbenas sagmina sumpsērunt.

b. in fine sive praeceptorum rusticorum sive versuum popularium:

Digitized by Google

praec. rust. 3 (p. 31): pastóres te ínvenérunt
sine mánibu(s) cólligérunt
síne focó coxérunt
síne déntibu(s) cómedérunt

versus populares (p. 92), qui sunt septenarii trochaici:

Gálli brácas déposuērunt, látum clásum súmpsĕrúnt, qui locus manifesto testatur in versu sermonis cotidiani simillimo utramque formam per *-ērunt* et *-ĕrunt* iustam fuisse, utique ultimo versus vel coli fine!

c. in versu hexametro positum:

α) ita ut *-ē(runt)* thesim primi pedis expleat:

Cic. 11, 74: fúderunt claras fecundi pectoris artīs.

β) ita ut *-érunt* quartum pedem efficiat:

Cic. 22, 5: qui non funestis liquerunt lumina fatis

Lucanus 1: nunc plenas posuére cŏlos et stamina Parcae
multaque delatis haesérunt saecula filis,

ubi nulla nisi metrica necessitas varias postulavit formas.

d. in ionicis a minore:

Incert. (p. 185) patulís ágmina cámpís iacuérúnt data létó
pavidí tergaque dántés petiérunt trepidáe
móenia Tróiáe.

e. formae *-ĕrunt* duo tantum sunt exempla:

unum v. supra: latum clávum súmpsĕrúnt.

Corn. Sever. fr. 13 (p. 119), 24: áfuĕrunt nostraeque cadens ferus Hanibal irae.

f. formae *-ārunt* (< *āu̯ĕrunt*) in versu hexametro:

Plauti (?) p. 32: ét Numeri ínnumerí simul ómnes cónlacrimárunt.

Varro Atac. 5 (p. 95): hortantes „o Phoebe" et „iēīē" cónclāmárunt.

Versus popul. in Augustum (p. 103) v. 5: omnia sea terris
tunc numina déclīnárunt

g. forma *-ērunt* (<*-ēu̯ĕrunt*):

Nero p. 131 (apud Persium): tórva Mimálloneís implérunt córnua bómbis.

22. B. At multo plura exstant in iisdem carminibus exempla terminationis *-ēre*, quae tamen quod omnia posterioris demum

Digitized by Google

aetatis sunt (primum exstat apud Sueium, qui anno circiter 100 a. C. n. vixisse videtur), haud casu factum est. Neque fortuitum fuerit, quod nullum eius formae exemplum in versibus saturniis aut in versibus popularibus trochaicisve offendi.

a. in versu hexametro haec nobis offeruntur:

α) secundi pedis arsim *-ē(re)* efficit:

Sueius p. 53, fr. 1, 7: disseruēre, novos fructus mortalibu(s) dantes.

Albinus p. 159, v. 3: abscondēre sinus, non tutae moenibus urbes.

β) tertii pedis arsim *-ē(re)* efficit, ita ut *κατὰ τρίτον τροχαῖον* caesuram inducat:

Cicero fr. 11, 70: praecipue coluēre vigenti numine divos.

Corn. Severus fr. 11: „hic meus est" dixēre „dies"

„ „ fr. 13, 2: in rostris iacuēre suis, sed enim abstulit omnīs

Lucanus v. supra A c **β**: posuēre colos

Albinus p. 159, v. 2: sponte deum patuēre, cui frĕta nulla repostos (de *cŭī* v. L. Müller, De re metrica² 319).

γ) quarti pedis arsim obtinentis quod nullum neque hic neque alibi exemplum adest, non casui tribuendum esse mihi persuasi, quamquam ratio adhuc in obscuro est.

δ) quinti pedis arsim occupat *-ĕ(re)*; cuius rei longe maxima invenitur copia:

Cicero fr. 11, 17: quod ferme dirum in tempus cecidere [1]) Latinae

„ fr. 11, 30: atque ea quae lapsu tandem cecidere [1]) vetusto

---

1) Operae pretium est hic obiter tetigisse, quantam in hoc poematio inopiam ingenii indolisve prodat Cicero: v. 17 et 30 cecidere Latinae ~ cecidere vetusto, v. 40 en 46 concidit bis initio hexametri positum, quod comparatum cum cecidere manufesto testatur nullam iam in praepositione con- inesse vim significandi, v. 3 et 22 petessit et petessens in fine hexametri ~ v. 37 petivit, v. 24 et 46 liquit in fine hexametri, v. 27 et 50 monebant, v. 1 et 38 igni(s) in fine hexametri, v. 14 et 17 Latinas ~ Latinae in fine hexametri, v. 7, 61, 76: locatae, locata, locavit in fine hexametri, v. 71 et 72 vidēre ~ tenuēre eodem versus loco, v. 50—52 clausulam habentes hanc: monebant, ferebant, iubebant(!), v. 53 et 54 cum clausula hac: vereri teneri.

Digitized by Google

Cicero fr. 11, 71: haec adeo penitus cura vīdēre sagaci
„ fr. 11, 72: otia qui studiis laeti tenuēre decoris
„ fr. 15: nam quasi vos sibi dedecori genuēre parentes.
Varro Atac. f. 2: Tiphyn⟨at⟩ aurigam celeris fecēre carinae
Lucanus fr. 72: flammati Phaethonta poli vīdēre deique

ε) sexti pedis arsim implet *-ē(re)*:

Iul. Valerius fr. 5, 2 (p. 152): arte sua Thebis reditum cultumque dedēre

(quo versus loco antea semper *-erunt* in usu fuerat, v. supra p. 347)

Cato. **23.** Memoria dignissimus mihi quidem esse videtur usus harum terminationum, quem in **Catonis** scriptis deprehendimus.

In libro enim **de Agricultura** semper et ubique formae in *-erunt* exeuntes exstant neque operae pretium est laudare locos singulos.

At longe aliter comparatum est in **historiis** Catonis **orationibusque**, quarum fragmenta collegit H. Jordan: ibi enim non nisi formae per *-ēre* cadentes offeruntur (tribus locis exceptis, de quibus infra agam); in historiis p. 8, 5: accessitavere; 9, 11: meminere, p. 19, 9: dedere, ib. 12 sustulere, ib. 17 decoravere; p. 20, 1: habuere, ib. 13: decessere, p. 21, 5: rescivere; p. 23, 6 noluere, ib. 9 metuere, ib. 13 adiuvere; et in orationibus: p. 39, 6 habuere; p. 41, 3 verberavere, videre; p. 52, 14: obsonitavere (bis); p. 59, 7 habuere, 10 habuere; p. 64, 6 censuere; p. 69, 8 et 9 emptitavere ~ redemptitavere; p. 85, 1: intravere.

Qui hanc loquendi normam excessisse videntur, sunt hi loci: p. 15, 5 et 10, ubi in eodem fragmento (apud Probum ad Verg. Buc. V 3) bis legitur: „primo possederunt, inde" et „ensem viderunt, quem Orestes eqs.", p. 56, 3 (apud Gellium III, 14, 19) „defoderunt... composuerunt, ita interfecerunt", p. 25, 1 (apud Gell. VI (VII) 3, 38, v. infra): „quod non male fecerunt, sed quia valuisse dicuntur facere", quamquam ex eadem oratione plures formas per *-ēre* terminatas laudavimus, a Gellio ipsas quoque traditas.

Nisi omnia me fallunt, his exemplis mihi freto statuere licet Catonem formam in *-ere* exeuntem duxisse elegantiorem insignioremque, alteram *-erunt* formationem ei visam esse vul-

Digitized by Google

garem rebusque rusticis magis aptam, quam tamen etiam in stilo exquisitiore tunc adhibuit, si quando formatio per *-ēre* aut hiatum creare aut synaloephen pati propter vocalem insequentem ei videbatur.

24. Paulo latioribus opus erit ambagibus, si rationem eius fragmenti, quod Jordan p. 25, 1 posuit, penitus intelligere volemus. Quanta arte dicendi quantaque stili subtilitate iam tunc temporis Cato calamum rexerit, inde melius perspiciemus.

Totus locus haec exhibet: „Si honorem non aequum est haberi ob eam rem, quod bene facere voluisse quis dicit,
((*crimen non aequum est inferri ob eam rem, quod
(neque fecit tamen, Rhodiensibus id oberit, quod
(*male facere voluisse quis dicit neque fecer$^{e}_{unt}$ tamen.)"
(non male fecerunt, sed quia voluisse dicuntur facere?"

Ulterior pars enuntiati quasi de industria id agere videtur, ut ne prioris partis ulli verbo plane respondeat utque forma, non re quam longissime haec ab illa recedat. Propius aliquantisper videamus, quid auctor rhetorice spectaverit!

Prior pars:	posterior pars: (interrogatio)?
a. non aequum est!	
b. honorem... haberi	obesse
c. quis	Rhodienses, -ibus
d. facere voluisse.. neque fecit	non.. fecerunt, sed voluisse.. facere
e. facere voluisse	voluisse.... facere
f. bene facere	male (sequuntur 5 verba) facere
g. ....tamen /	sed (medium positum)
h. quis dicit [se] voluisse	dicuntur [sc. ab aliis]
i. (ob) eam rem	id

Quod si nostrum locum compares cum fragmento p. 24, 1 edito: „quod íllos dicimus vòluisse facere, id nós príorès facere occupàbimus?" (ubi ' accentum primi ordinis, ` secundi, ^ primi simul et secundi ordinis significat), quae sic vertas: „wat wij van hén beweren, dat (slechts) in hun bedoèling heeft gelegen, daarin zullen wij thans zonder af te wachten (= priores) of wij gelijk hebben met onzen argwaan metterdaad hun vóór zijn? continuo apparebit, quae verba batava nostri fragmenti

Digitized by Google

sensum quam fidelissime reddant: „zal dan den Rhodiërs (reeds) het feit benadeelen, dat zij slecht... niet metterdáád gehandeld hebben, doch veeleer (= quia) [slechts] gezegd worden te hebben willen handelen". Manifesto apparet in eiusmodi enuntiatis summum momentum maximamque dicendi vim sive emphasin in eo vocabulo sententiaeve parte iustum obtinere locum, quae subinde post coniunctionem aut pronomen propter ipsam gravitatem omnium primum cogitationi loquentis obversatur et ius suum postulat.

Itaque pronuntiandum est: „quod non male fécérunt sed quia vóluísse dícuntur fàcère (aliter supra: quod íllós dìcìmus vóluisse fàcère)". Nunc iam videmus et a u d i m u s canoris gravibusque illis vocabulis: „neque fecit tamen" nostro loco melius respondere graviore sona praeditum verbum *fēcērunt* quam *fēcēre*. Nisi omnia me fallunt, Cato non propter sonum tantummodo *fecerunt* hoc loco gravius duxit, sed affinitas quaedam formarum Praesentis: e. g. scrib*unt* „zij schrijven inderdaad", scripser*unt* „zij hebben inderdaad geschreven" hac in re condicioni formarum sermonis cotidiani (*-erunt*) haud contemnendum tulit auxilium.

VARRO. **25.** Quicquid scripsit **Varro** ὁ πολυγραφώτατος excutiendi mihi neque otium fuit neque propositum. Quare ab iis scriptis initium facere mihi libet, in quibus orationem vinctam cum soluta coniunxit, saturas dico Menippeas.

In eis iustam vitae cotidianae sermonisque vulgaris refert imaginem. Quod ut demonstrem, fragmenta nonnulla sufficient, omnia *-ērunt* exhibentia:

fr. 109 Büch.: donéc forás nos íntus é v a l l á v ĕ r ú n t

fr. 112 „ : hoc (sc. vinum) aégritúdinem ád medéndum ubi i n v ĕ n ĕ r u n t

ubi senarii, non choliambi agnoscuntur, exeuntes in: bĭbit, seminārĭum, convīvia.

fr. 181: érgo túm sacra réligiō castaeque f u ē r u n t / res omnes

fr. 476: ubi quod lupam alumni f e l l a r u n t olim (scilicet ex *fellāg̃ĕrunt* natum).

fr. 488: v í x ē r e, én patriám, núnc sumus ín rutubá,

fr. 587: p e r t í m u e r ú n t aquátilís querquéduláe natántes.

Digitized by Google

In prosae orationis fragmentis terminationem *-erunt* (ē an ĕ?) habemus, e. g. fr. 513: plures dominos servi comederunt quam canes, cf. fr. 587 impancrarunt (et v. supra fr. 476?)

Eundem si consules in Rerum Rusticarum libris, semper et ubique *-erunt* (ē an ĕ?) terminationem deprehendes, e. g. I, 1, 7. 9; I, 2, 1. 9. 13 (bis), I, 7, 10 (*-ārunt*), I, 11, 1; I, 13, 3 etc., idemque luculenter testatur Verborum Index a Krumbiegelio compositus. Neque aliter res se habet in libris de Lingua Latina, in quibus solae formae in *-ērunt* (ē an ĕ?), *-ārunt* < *-āu̯(ĕ)runt* et *-ērunt* < *-ēu̯(ĕ)runt* (e. g. LL. IX, 68) deprehenduntur ita ut *-ēre* plane in his libris desit: eg. lib. V § 13, 22, 30, 34, 35, 36 (bis), 42, 45 (bis), 49, 51, 53 (bis), 54, 57, 69, 120 (bis) etc. Fragmenta quoque Varronis, quae collegit Hyg. Funaioli (Gramm. Rom. Fragm. I 1907) eidem semper formae favent, e. g. fr. 207, ubi legas instituērunt et appellārunt, fr. 121 habuerunt, fr. 45 fuerunt, 32 cesserunt, 12 potuerunt.

26. Sallustius, Catonis etiam hac in re imitator, semper fere formis Perfecti utitur in *-ēre* exeuntibus. Sallustius.

In priore [1]) Epistula ad Caesarem de Republica *-ēre* habes: c. 2 § 6 (bis), c. 3 § 3 (bis), c. 8 § 2; in posteriore c. 4 § 2, c. 5 § 4, c. 9 § 4, c. 10 § 3, c. 11 § 6 (bis). At *-ērunt* exempla exstant ibidem haece: in posteriore c. 4 § 1: L. Sulla, cui omnia in victoria lege belli licuerunt, tametsi; c. 6 § 4: cariora erant, ubi intellexerunt per unum hominem; ib. de M. Druso iuxta ac se existimaverunt; ib. § 5: contra eam nīsi sua et ipseius consilia disturbaverunt; c. 10 § 3: dum apud eos vera consilia valuerunt; c. 10 § 5 qui per virtutem sibi divitias decus honorem pepererunt, ubi eqs.; c. 11, § 6: haud sane reipublicae consiliis adfuerunt; neque eos magis occupatio quam superba imperia distinuere.(!) homines nobiles... quaecumque libuit probare

1) Has epistulas et orationem in Ciceronem revera Sallustio esse vindicandas iam dudum ipse mihi persuaseram, nuper tamen Ed. Meyer, Caesars Monarchie eqs. p. 558, W. Kroll, Glotta 15, 280 et Hermes 62 (1927) 373 sqq., Annamaria Holborn, De Sallustii epistulis ad Caesarem, Diss. Berlin 1926, luculenter demonstraverunt.

Digitized by Google

reprehendere decernere, ea, uti lubido tulit, fecēre.(!) Itaque undecies *-ēre,* septies *-ērunt* invenitur in his epistulis, quae quasi aequo Marte inter se pugnare possunt.

Sallusti oratio in Ciceronem nullum omnino huius differentiae exemplum praebet; Ciceronis vero qui dicitur in Sallustium oratio, quam Ed. Meyer, Caesars Monarchie p. 163 ann. 2, denuo pseudepigraphon Ciceronis posteriorisque esse aetatis confirmavit, hac una re iam satis declarat non huius esse se auctoris, quod nisi in *-erunt* exeuntes nullas exhibet Perfecti formas: v. §§ 5 fuerunt et decesserunt, 9 abstinuerunt, 11 aestimaverunt, nutriverunt, voluerunt, 22 dixerunt, commiserunt.

27. Nunc iam Sallustii opera nobiliora excutiamus. Haec notavi [1]) exempla:

Catilina: 20, 10 (ex oratione ipsius Catilinae): annis atque divitiis omnia consenuerunt tantummodo eqs.; 45, 3: occulte pontem obsidunt, postquam ad id loci legati... venerunt et clamor exortus est, Galli se tradunt, Volturcius primo... se... defendit, deinde, ubi a legatis desertus est multa... obtestatus..., postremo... velut hostibus sese praetoribus dedit; c. 51, 9: plerique eorum, qui ante me dixerunt, composite ...sunt; quae belli saevitia esset, enumeravere: rapi virgines eqs.; 51, 37: maiores nostri neque consili neque audaciae umquam eguere; neque illis superbia obstabat ~ ib. 38: insignia magistratuum ab Tuscis pleraque sumpserunt. postremo... exequebantur:... malebant (ex oratione Caesaris notissima).

Iugurtha: 14, 5: ceteri reges aut recepti sunt aut... societatem vostram adpetiverunt (ex oratione Adherbalis); 38, 7: locum hostibus introeundi dedit, cāque Numidae cuncti inrupere. Nostri foeda fuga.... proxumum collem occupaverunt; c. 58, 3: locum cepere paulo quam alii editiorem, neque inde maxuma vi depelli quiverunt; c. 87, 4: At reges, ubi de adventu Mari cognoverunt, divorsi... abeunt.

---

1) V. etiam pauca quaedam apud Neue-Wagener Formenlehre[3] III 192, Fighiera, La lingua e la grammatica di Sallustio (1896) p. 29.

Digitized by Google

Historiae: lib. I, 33 (Maur.: maturaverunt exercitum Dyrrachium cogere), 77 (Or. Philippi § 5: alia huiuscemodi decreverunt, gratiam); § 6 (consilium publicum corruperunt. at); — lib. II, 5 (ut alii tradiderunt, Tartessum), 8 (? diversa tenuerunt; incertum an Sallusti, v. Dietsch vol. II p. 32); — lib. III 14 (divini fuerunt, vetustatem), 90 (cum populo Romano gesserunt. An ipsius Sallusti sint verba, incertum); — lib. IV 27 (speciem fabulae illi dederunt, quasi), 33 (in silva Sila fuerunt), 69 (Epist. Mithridates 10: per Nicomedem bello lacessiverunt, sceleris).

Reliquis omnibus locis semper *-ēre* invenitur: lib. I 11 (fuere), 55 (Or. Lepidi § 3: virtute peperere, subvortunda), 62 (idem fecere Octavius et Q. Caepio), 77 (Or. Philippi § 1: stultissimi decrevere, ea; § 14: an Lepidi mandata animos mōvēre? qui... ait), 83 (perrexere in Hispaniam), 135 (cornicines occanuere tubis); — lib. II 28 (tumulique sedere), 44 (animi exarsere), 47 (Or. Cottae § 1: advorsa fuere, quorum; § 2: deseruere, praeterea), 71 (volentes accurrere falsum... arguituri; an Inf. hist.?), 79 (tertio mense pervencre in Pontum), 92 (arma cep⟨ere et), 93 (commeatibus iuvere: fames), 95 (agros invasere frumentique); — lib. III 5 (in Aresinarios ve⟨nere om⟩ni copia), 6 (nihil de sententia mutave⟨re; quippe⟩), 33 (in castra misere.), 48 (Or. Macri ad plebem § 6: provincias occupavere et arcem habent; et: omnibus, quae maiores reliquere; nisi...; § 7: concessere illuc omnes; § 8: socordesque pertimuere? nisi forte; et: invidiam metuēre, quam; § 12 in tempus arsere; permansit; § 13: animum advertēre et nisi viceritis, quoniam; § 15: – maiores vostri paravere – quom; § 19 omnium aestimavere, qui; § 21: ipsum, ubi pertimuere, sublatum), 73 (quos habuere Amazones), 84 (eruptionem temptavere), 97 (incidere [ĕ an ē??] in colonos), 106 (intellegi coepere); — lib. IV 37 (dissidere inter se coepere neque), 69 (Epist. Mithridatis § 5: bellum sumpsere, dum; § 6: per dolum avortēre ac, § 7: insomniis occīdēre; § 9: mortuo diripuere, quom; § 10: ea, quae accĭdēre, testatum; § 15 pugnā prohibuere); 80 (foedavere lumen); — lib. V 2 (multis e locis invasērĕ patentis).

Digitized by Google

28. Nisi omnia me fallunt, duae causae hic latent, quarum altera euphonica est, altera certam sequitur rationem sive theoriam. De soni observantia, quantam Sallustius usque coluit, pauca tantum mihi addere libet.

Incipiamus ab Cottae oratione (Maur. Hist. II 47) ad Populum Romanum, in qua haec legimus: (§ 1) in quīs omnibus numquam animus negotio defuit; (§ 4) quīs (i. e. inimicitiis) victus... quom expectarem...; atque ib.: pro quibus beneficiis vix gratus videar. Hic si rationem quaeremus, statuamus necesse est Sallustium hanc formam *quīs* = *quibus* in Catilina aut semel (c. 18,1) aut numquam adhibuisse, 14 eius exempla praebere in Iugurtha, 9 in Historiis, ut Fighiera docuit l.l. p. 29. Cur nostris locis eam adhibuerit, in aperto est causa; vitare voluit: in quibus omnibus, quibus victus, pro quīs beneficiis. Quod confirmatur duobus locis allatis ex novis Historiarum fragmentis (ab Haulero editis), lib. II 92, v. 20: quīs rebus accensa (ut vitetur: quibus rebus), contra II 87, D 1: illi, quibus aetas imbellior. Eandem causam suspicari licet, ubi scribit (Epist. ad Caes. I 3, 3): imperium temperavere, ubi forma *-erunt*, in cotidiano sermone usitatior *-um -unt* inter se nimis arte coniunxisset.

Quid nunc Romani de hac forma *quīs* iudicaverunt? Audiamus ipsos. Eam adhibent Plautus (v. Neue-Wagener Formenlehre ³II 469) semel tantum (Most. 1040), Cato Agr. 68 (omnia, quis usus erit, ut vitet quibus usus; alibi: quibus!), Varro, Cicero (non nisi in Epistulis; semel tantum in opere limatissimo ac tersissimo de Or. I, 85 ubi Antonium dedita opera inducit loquentem stilo cotidiano), Auctor belli Hispan. (23, 8), Tacitus (solum in Annalibus), Horatius (tantum in Epodis et in Sermonibus, alibi nusquam). Revera fuit forma eiusdem aetatis eiusdemque iuris atque *quĭbus*: ut *quĭbus* Dativus-Ablativus pronominis *quĭ-* ita *quois* (ita legit cod. A(urel.) Hist. II 98 = Ep. Pompei § 6 i. f.: pro quois... redditis.) — > *queis* > *quīs* pronominis fuit *quŏ-*. Sed iuxta *quī* (Nom. Plur.; non: *quēs*), *quae*, *quōrum*, *quārum*, *quōs*, *quās*, illud *quīs* ex *queis* speciem prae se tulit novae formae, quae melius se toti seriei accommodaret, a pronominibus antecedentibus *his*, *illis*, *eis* magis etiam postulatum. Idem factum esse mihi videtur formis in *-ēre* et *-erunt*, ter-

Digitized by Google

minatis inter se comparatis et contendentibus: perfecti enim formae quales *fēcēre* in tota coniugatione per se quasi destitutae erant, at *fēcērunt* (ex *fēcēre* × *fēcĕrunt* natum) aliis omnibus formis in *nt-* exeuntibus quasi adminiculis freta solitam ac facilem ostendebant structuram neque ab norma quadam morphologica nimis recedebant. Itaque factum est, ut *quīs* et *-ērunt* apud scriptores vulgares invenirentur et apud eos auctores, qui ut Tacitus novandae linguae copiam oblatam minime spernunt. Apud Sallustium et Tacitum, alterum exemplum imitatorem alterum, ubicumque *quīs* et *-ērunt* offendimus, ratio quaedam singularis nobis est eruenda.

Quīs. Amorem quendam dissimilationis supra iam prolixe tetigimus. Accedit nunciam, quod cum praepositione coniunctum e. g. *in quīs*, ut pote brevius leviusque, praestat graviori formae *in quibus*, magisque ab auctoribus adamatur. Quod ut demonstrem laudo ex Sallusti epistula priore ad Caesarem c. 2 § 6: ex queis magna pars, ubi... vident, defluxere, pauci restitere, quibus maius otium.... futurum erat (quo loco ex queis maiorem emphasim in se recipit quam quibus), Hist. II 98, 6 i. f.: pro quīs... reddite, Suet. Aug. 36: auctor et aliorum rerum fuit, in quīs: ne eqs., id. Tib. 4 colonias, in quīs. Obiter moneo his rebus bene perpensis apud Sallustium Cat. 18, 1 cum codicibus nonnullis et cum Diomede scribendum esse: Sed antea item coniuravere pauci contra rem publicam, in quis Catilina fuit, quam lectionem merito in textum recipit Ahlberg editionis anni 1911, postea vero in editione anni 1919 mutavit scribens: in quibus.

-ērunt ~ *-ēre.* Nunc iam redeamus ad formas Perfecti. Noli propter ea, quae supra demonstravimus, in formis *-erunt* praebentibus suspicari colorem quendam vulgarem populi auribus acceptum: orationes enim Cottae ad populum et Macri tr. pleb. ad plebem Perfectis in *-ere* quodammodo scatent, oratio vero Philippi in senatu habita illa quidem permulta exempla *-ērunt* formae affert. Immo alia causa hic latet. Mecum facies, credo, contendenti formas longiores in *-erunt* propter affinitatem temporis Praesentis (in *-(u)nt*) maiorem asseverandi et confirmandi vim accepisse. Quod ut probem laudo Sall. Hist. Or. Phil. § 5 (decreverunt), § 6 i. f. (corruperunt) ~ § 14 (mōvēre) et ipsis

Digitized by Google

verbis duos locos in mediam litem adducam, quibus et „variationis" iusta testimonia insunt, Sall. ad Caes. II, 10, 3: „comperi omnia regna, item civitates... et nationes usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: ubicumque gratia, timor, voluptas ea corrupere, post paulo imminutae opes"; ib. II, 11, 6: „nam fere his tempestatibus alii...., alii... haud sane rei publicae consiliis adfuernnt; neque eos magis occupatio quam superba imperia distinuere" (ubi enuntiatum alterum tamquam hypotaxis vice fungitur).

Quodsi nunc exempla supra allata recenseas, ubique vitandi aut hiatum aut nimiam soni similitudinem causa *-erunt* terminationem, Sallustio alibi insolitam, ab eo esse usitatam concedes: e.g. Epist. II, 10, 3: consilia valuerunt (non -ere), II, 10, 5: honore[m] pepererunt (non -re[m] peperĕre).

Lucretius. **29. a.** In **Lucretio** omnes, quas ei obtulerat formas lingua Latina hac in re tam dives, praesto sunt. Unus sufficit locus notissimus initio libri VI:

Primae frugiparas fetus mortalibus aegris
dididĕrunt quondam praeclaro nomine Athenae
et recreavērunt vitam legesque rogārunt
et primae dĕdĕrunt solacia dulcia vitae,
cum genuēre virum tali cum corde repertum eqs.

Recreaverunt (v. 3) unicum in Lucretio est exemplum, alibi semper *-ārunt* etc. (ex *-āu̯(ĕ)runt* natum) invenitur, v. A. Cartault La flexion dans Lucrèce 93—96, Ernout-Robin Commentaire, p. LV et ad lib. I, 467.

Porro formae, quales sunt *inrītāt* (< *-āu̯(i)t* I 70, *disturbāt* VI 587, luculenter demonstrant Lucretium hac in re vestigiis atque usuisermonis cotidiani quam artissime haerere. Quod ad tales formas attinet v. Meyer-Lübke, Gramm. d. roman. Spr. II § 266.

b. Manifesto, utra forma adhibeatur, *-ĕrunt* an *-ērunt*, plerumque penes metrum est arbitrium; scilicet poetae id agendum erat, ut ⏑ ⏑ ⏑ et – ⏑ – evitaretur (v. etiam Ernout-Robin LV). Quamquam nullum versus locum invenire possumus, quo, — utramque formam cum recipere ei liceret, — poeta quam formam utpote maxime usitatam alteri praeferret, nobis poterat

Digitized by Google

indicare, tamen suspicari licet ceteris paribus *-ĕrunt* eum magis in honore atque in deliciis habuisse.

c. Certamen vero inter *-ĕrunt* et *-ēre* ortum uno versus loco observare valemus, nempe in fine versus. Hoc tamen monendum esse mihi quidem videtur Lucretium in eodem versu semper eandem formam adamasse, varias repudiasse. Testes sunt hi versus:

III 937: commodo perfluxere atque ingrata interiere

V 415: constitĕrunt imbres et flumina vim minuērunt,

(ubi *cōnstĭt*-terminationem *-ĕrunt* postulavit, quo factum est ut ibidem *minuērunt* quamquam producta *ē*, non *minuēre* legamus in hexametri fine).

V 1108: condere coepērunt urbīs...

V 1110: et pecus atque agros dīvīsēre atque dĕdēre

(ubi dĕdērunt nulla metrica lege vetatur).

30. d. In fine autem versus hoc modo rem comparatam deprehendimus (v. etiam Lachmann, Comment. in Lucr. I 467, Ernout-Robin l.l.)

Exempla -erunt terminationis:

I 467: quando ea saecla hominum, quorum haec eventa fuerunt,

inrevocabilis eqs.

I 1077: nec quisquam locus est, quo (et = „waarheen" et = quo loco = ubi „waar") corpora com venerunt [1]), ponderis

IV 150: at cum splendida quae constant opposta fuerunt,

IV 1251: et multae steriles Hymenaeis ante fuērunt pluribus eqs.

V 1283: arma antiqua manus ungues dentesque fuerunt et

V 1347: sed facere id non tam vincendi spe voluerunt quam dare eqs.

V 415: supra

---

1) Ita Lachmann locum sanavit, quem sequitur Diels, relinquit Ernout, iniuria scribens *vener⟨e⟩*, nam cod. G. lectio *comvenirt* alteram solutionem non patitur.

Digitized by Google

e. Exempla *-ēre* in fine versus sunt haece:

I 234: quod si in eo spatio atque ante acta aetate fuēre
e quibus
I 391: quod si forte aliquis, cum corpora dissiluēre
tum putat
I 737: ex adyto tamquam cordis responsa dĕdēre
sanctius 741 cecĭdēre ibi casu
II 298: corpora sunt, in eodem ante acta aetate fuēre
et post haec eqs.
III 937: commoda perfluxere atque ingrata interiere,
cur non
IV 1019: indicioque sui facti persaepe fuere.
V 325: terrarum et caeli semperque aeterna fuere,
cur supera eqs.
V 1110: et pecus atque divisēre atque dedēre
pro facie eqs.
V 1340: diffugiunt, fera facta suis cum multa dĕdēre.

f. Denique exempla *-ārunt* habes haece:

I 635: quapropter qui materiam rerum esse putarunt
ignem atque ex eqs.
I 705: = 635
I 708: constituēre, aut umorem qui cumque putarunt
fingere res eqs.
I 1022: ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt
nec quos eqs.
II 1155: nec mare nec fluctus plangentis saxa crearunt
sed eqs.
III 1028: occidĕrunt magnis qui gentibus imperitarunt.
VI 3: et recreavērunt vitam legesque rogarunt

et alibi. Quos locos omnes afferre operae pretium non duxi propterea, quod huius asus ratio in promptu mihi esse videtur.

31. g. Formae enim in *-āuĕrunt -ēuĕrunt -īvĕrunt* exeuntes versui hexametro nullo modo adaptari poterant (– ⏑ – –!). Itaque aut forma contracta offerebatur *-ārunt* (= ⏑ – aut – ⏑) aut *āvēre* (= – – ⏑); haec vero ubi in fine hexametri collocabatur syllabam longam ante *-āvēre* positam postulabat; quod ubi fac-

Digitized by Google

tum erat, versus evadebat spondiacus! At aliis omnibus (v. supra *crĕare*, *imperĭtare*, *lŏcare*, *pūtare*) antepaenultimam habentibus correptam omnis versus hexameter ubique erat clausus: nam formae quales sunt (VI 3) *rĕcrĕāvēre* aut positione syllabam *-ĕ* producere debebant — quod nimis fuerat durum — aut per synaloepham cum syllaba sequenti longa coniungere — quod Lucretius cur facere noluerit, Plautus maluerit (v. supra p. 332 sqq.) non video. Alibi enim talem synaloepham minime vitat, e. g. quales sunt versus I, 708, III 836: in dubioque fuere utrorum eqs., III 937, IV 841: fuere ut opinor, 842: potuere utendi, V 1110.

Cuius rei rationem nullam video nisi hanc: suspicor terminationem *-ēre* olim propriam fuisse veri Perfecti: **dĕd-ai dĕdēre*, *fui* ~ *fuēre*, inde *potui* ~ *potuēre*, *ĕrunt* autem (ex *-ĭs-ont* natum v. supra p. 331) primitus iustum locum habuisse in Aoristis (= „Perfectis") per *-s-* formatis et in recentioribus Praeteritis verborum maximam partem denominativorum, quorum exempla sint: hic **douk* + *s-ai* > *dūxī*, 3 pers. plur. *douk* + *s-ĭs-ont* > *dūxĕrunt* [1]), illic **plantā-u̯-ĭs-ont* > *plantāvĕrunt*.

32. h. Namque forma *fuĕrunt* tribus tantum locis adhibetur, scilicet ubi haud aliter quam V 1108 et unica forma recreavērunt et dedĕrunt V 3, 4 — iustam firmamque efficere possit caesuram:

V 474: quod neque tam fuĕrúnt // gravia ut depressa sederent

V 677: namque ubi sic fuĕrúnt // causarum exordia prima

V 878: sed neque Centauri fuĕrúnt //, nec tempore in ullo...

i. Ultima restat quaestio, quae regula sive ratio usum formam *-ērunt* et *-ēre* in hexametri fine rexerit. Nunciam statuamus licet formas, quae apud eum exstant *-ēre* terminationis:

---

1) Quod Plautus *-ĕrunt* ipsis Perfectis in *-s-* negavit — v. Sommer Hdb. d. Lat. L. u. F.[2] 579 —, fortasse ratione nititur euphonica sive quadam dissimilatione: **douks-ĭs-ont* > *s-iz-*, cum alibi, nempe in *duxisti*, *duxistis* *-s-is-* integrum permanserit. Forma antiqua et primigenia, qualis erat *dīvīsĕrunt* in hexametro videlicet nullum sibi locum vindicare poterat, cf. Lucr. V 1110: dīvīsēre atque dedēre.

Digitized by Google

fuere, *dissiluere*, *dedere*, *fuere*, *interiere* (inde *perfluxēre* in eodem versu), *dedere* (idcirco et propter metri necessitatem *divisere*) regulae, quam paulo supra dedimus, ad unam omnes oboedire. Aliter res se habet in formis per *-ērunt* exeuntibus (v. supra p. 369).

Nisi in soni ipsius natura nusquam causam huius differentiae adeo insignis quaeri oportet:

-ēre: praeter *fuēre*: *dissiluere*, *dedere*, *interiere*;

-ērunt: praeter *fuerunt: minuerunt*, *venerunt*, *voluerunt*.

Non modo *-erunt* terminationem exhibent ea verba, in quibus litterae labiales *m*, *r*, *v*, *f*, quae valde sunt sonorae, praesto sunt, cum litterae dentales eaeque exiliores *-ere* terminationi favent, sed prorsus versus ii, qui *-erunt* offerunt, tamquam sonum quendam repercussum atque bombum resonantem auribus obtrudunt, immo sonis nasalibus et labialibus plane scatent: I 467 quando... hominum, quorum... eventa fuerunt; IV 150 cum splendida... constant... opposta fuerunt; IV 1251 multae... hymenaeis ante fuerunt/ pluribus; V 415 constiterunt imbres... flumina vim minuerunt; V 1283 arma antiqua manus ungues dentesque fuerunt; V 1347 tam vincendi spe voluerunt/ quam.

Si rem ita definiendo acu tetigero, denuo, quam subtili varietate in carmine componendo usus sit Lucretius, apparebit, quamque eleganti iudicio in sonis probandis et admittendis aut abnuendis fretus harmoniam quandam creare conatus sit, ubicumque argumento ipse revera corripiebatur medullitusque, ut ait Ennius, commovebatur.

33. k. Quo lectoribus iudicandi copiam faciamus et ipsis, ex iis, quae collegit A. Cartault, La flexion dans Lucrèce (1898), 93 sqq. quaedam ad nostram quaestionem spectantia hic proponimus.

A. Perfecta in *-āvi* exeuntia:

Lucretius semel *-uāērunt* exhibet (v. supra, VI 3), numquam *-āvēre*, alibi semper *-ārunt* scribit.

B. Perfecta in *-ēvi* exeuntia:

Numquam *-ēuērunt*, *-ēuēre*, semper *-ērunt* scribit: III 498,

Digitized by Google

IV 1274, V 189, 424, 661, 702, VI 520 (omnes: *consŭērunt*) VI, 197 (*complerunt*).

C. Perfecta in *-ōvi* exeuntia:

Tantum *nōrunt* (II 368), *commōrunt* (II 766).

D. Perfecta in *-īvi* cadentia:

Numquam *-īuĕruat*, *-īuĕre*, semper *-ĭĕrunt* (IV 37, 402, VI 120) aut *-ĭēre* (III 937, 940, IV 1079, VI 452). Videlicet ita istae formae distinguuntur usu, ut post longam syllabam *-ĭĕrunt* (– + ∪ ∪ –), post brevem *-ĭēre* (∪ + ∪ – ∪) scribat poeta. Si tamen nobiscum reputamus verba primae coniugationis semper *-ārunt*, numquam *-āvēre* (quod licet nullam omnino metricam creaverit difficultatem) exhibere, dubitare non possumus, quin in his quoque verbis formas, quales sunt *pĕtīēre*, metro cogente et tamquam invitus in textum receperit.

E. Perfecta in *-uī* cadentia:

1. *-ŭērunt* = ∪ – – aut *-uēre* = ∪ – ∪ ut res ipsa fert, post syllabam brevem, ita ut ∪ / ∪ – ≚ valeret vocabuli finis: **3** exempla *-uērunt* (V 1120, 1303, 1347) ∞ **12** exempla *-uēre* (I 291, 391, II 111, 716, III 835, 912, IV 842, V 847, 1143, 1383, 1438, VI 5.

2. *-uĕrunt* = ∪ ∪ – nimirum post syllabam longam (aut natura aut per crasim productam): **1** exemplum (II 1061 ubi *coaluerunt* = ∪ ∪ ∪ + *ērunt* productionem metricam syllabae *co*-postulabat, id quod fieri nullo modo potuit; propterea poeta aliam insistens viam *cōlŭĕrunt* in textum recepit).

F. Perfecta in *-sī* cadentia:

Quoniam ante *-si* nullum Perfectum syllabam habet brevem, semper *-erunt* in tali verbo alteram tertiamque syllabam obtinet molossi, ita ut *-ĕrunt* et *-ērunt* scandendum sit alternas, e. g. fulserunt I 900 ∞ V 785: **5** exempla *-ērunt* (I 177, 900, III 630, V 785, VI 203), **12** exempla *-ēre* (I 903, II 86, 604, 606, 742, III 133, 937, V 453, 1110, 1310, VI 161, 402.

G. Perfecta in *-ī* cadentia:

1. post – ∪ invenimus *-ĕrunt*, metri ratione cogente: **11** exempla (I 406, III 86, 133, 1028, IV 974 (v. infra), 975, V 193, 415, VI 2, 4, 351). Magni momenti exemplum habemus IV 974:

adsiduas d e d ĕ r u n t operas, plerumque videmus,

Digitized by Google

cum iam **destitĕrunt** ea sensibus usurpare, quia *dederunt*, licet sit tamquam provocatum et corroboratum vocabulo *destiterunt* versus sequentis, cuius forma metri necessitate adstricta erat, tamen praeclare monstrat, quantopere fuerint eiusmodi formae, *-ĕrunt* dico, sermonis cotidiani propriae, quamque emerserint facile, loquentibus semper in promptu sitae. Quamquam saepius occurrit et hoc loco occurrere potuerat forma *dĕdēre* = ⏑ – ⏑.

2. post ⏑ ⏑ aut —:

α) *-ērunt* habemus exempla **9** (III 452, IV 531, 809, V 415, 1019, 1108, VI 672, 733, 1084).

β) *-ēre* habemus exempla **41** (I 708, 737, 740, 741, II 160, 600, III 73, 122, 969, IV 525, 713, 854, V 82, 202, 287, 327, 328, 334, 405, 421, 443, 868, 1013, 1018, 1110, 1124, 1144, 1197, 1295, 1357, 1384, 1409, 1444, VI 58, 508, 590, 742, 754, 827, 833, 1213.

H. Perfectum verbi *esse*:

1. *fuĕrunt* (v. supra p. 357) **3** exempla omnia in libro V (474, 677, 878).

2. *fuērunt*, exempla **4** cuncta **in fine versus** (I 467, IV 150, 1251, V 1283).

3. *fuēre*: **7** exempla (in fine versus: I 234, II 298, III 1019, V 325, VI 76 — in codd. O Q, sed corruptum est —; alibi III 836, IV 841, V 916).

l. Quod si nunciam, omissis quae minoris fuerunt momenti, rationis Lucilianae summam complectemur, tria colligentur:

I. Terminationes *-ēre, -ĕrunt, -ērunt* Lucretio eiusque aequalibus eodem aut fere eodem iure habebantur, ita ut in eis discernendis et collocandis rebus admodum minutis euphonicae sive poeticae elocutionis flecteretur.

II. In ipsius poetae lingua, nisi forte res quaedam singularem alteri terminationi tribuebat dignitatem, ordo suffixorum erat: 1. *-ēre*, 2. *-ērunt*, 3. *-ĕrunt*. Diserte hoc testatur usus, qualem in fine versus deprehendimus.

III. Quod Perfecta in *-ī* exeuntia post longam syllabam (supra **k**, **G**, **b**) *-ēre*: *-ērunt* = 41 : 9, Perfecta vero per *-āvi* etc. terminata (supra **k**, **A B C D**) prorsus contrariam rationem

Digitized by Google

exhibent, aut nulla re explicari potest, aut hac coniectura: favisse ei innovatae formae (*-ēre* × *-ĕrunt* > *-ērunt*), quod *-āu̯ĕrunt*, *-ēu̯ĕrunt* nullo dissimilationis amore (u̯ u̯!) impediebantur, *-uērunt* (*u u*) vero impediebantur summo iure.

Priusquam ad auctores aetatis aureae accedamus, breviter recensendi sunt, quicumque orationis solutae sive rerum scriptores sive oratores nonnisi in fragmentis ad nos pervenerunt. Eorum nobis reliquias in promptu posuerunt H. Peter, Hist. Rom. Rel. I (1914), II (1906) et H. Meyer, Orat. Rom. Fragm. (1842).

Quae inde fluxerunt, non tam propter se aut propter rerum quandam novitatem memoranda mihi esse videntur, quam hanc ipsam ob rem, quod nobis unam eamque constantem huius rei condicionem in prosae orationis lingua antiquitus fuisse manifesto arguunt.

Rerum scriptores.

35. Primos audiamus **historicos romanos.** Quae huc pertinent, ita digessi. Ne quis postea eundem debeat haurire laborem, locos quam potero brevissime publici iuris faciam. Ita tamen auctores referam, ut una cum forma verbali sive interpunctionem sive sequens vocabulum coniungam, quotiens id mihi usui esse videbitur.

In Peteri Reliquiarum volumine priore, quod usque ad a. 78 a. Chr. n., mortem Sullae, pertinet, haece inveni:

Cassius Hemina, fr. 11, p. 102: praefecerunt,... fecerunt; Fabius Pictor fr. 6, p. 113: ceperunt; Piso fr. 27, p. 133: renuntiaverunt; Gellius fr. 26, p. 155: expurgarunt inauraveruntque (ĕ?);... Scaurus fr. 2, p. 186: triumphavere;... Claudius Quadrigarius fr. 10b, p. 209: constiterunt; fr. 16, p. 214: desciverunt; fr. 19, p. 215: ubi rescierunt... provolarunt; fr. 37, p. 218: habuerunt; fr. 48, p. 221: reverterunt; fr. 51, p. 222: urserunt; fr. 73, p. 232: ubi decreverunt; fr. 81, p. 234: quiverunt; fr. 91 (?), p. 237: insederunt; fr. 95, p. 237: coeperunt; Valerius Antias (an Livius??) fr. 45, v. 5, p. 268: viderunt; Sisenna fr. 58, p. 285: viderunt; fr. 70, p. 287: revocaverunt; fr. 108, p. 291: supersederunt; fr. 111, p. 291: comparaverunt; fr. 116, p. 292: exhauserunt; fr. 117, ib.: perseveraverunt; fr. 132, p. 295: suffragaverunt; Licinius fr. 26, p. 307: averrerunt.

Digitized by Google

Quodsi unum excipias Scaurum, semper in Rerum scriptoribus eandem rei imaginem deprehendas: nisi *-erunt* terminationem nullam aliam adhibuerunt.

Oratores antiquissimi.

36. Messem minus etiam quam Rerum scriptores, uberem tulerunt **Oratores** antiquissimi. Ecce habes, quae inde erui, pauca neque magni momenti, sed unius tenoris atque optime confirmantia, quae hucusque invenimus.

Haec apud Meyerum praesto sunt: Scipio Africanus Maior p. 8 (haud scio an in ore Livi paulum immutata!): dederunt; Scipio Minor (Macr. 2, 10): p. 192: ducier voluerunt.; C. Gracchus, p. 228: fratrem meum... interfecerunt; p. 229, ap. Fest. p. 362 L.: respublicas amiserunt; p. 232 ap. Gell. 15, 12: quas plenas tulerunt, eas... domum reportaverunt; p. 236, ap. Gell. 10, 3: ubi audierunt, edixerunt, ne quis...; Memmius, p. 424: inque Gallograeciam redierunt; Licinius Calvus (natus a. 82 a. Chr. n.), p. 477; non ergo... neque... neque... omnium legum omnia iudicia perierunt.

Meyerus quoque inter Oratores Scauri mentionem fecit; nam fragmentum apud Charisium servatum (p. 210 Keil = p. 272 Barwick) ex oratione quadam est. Quomodo hanc tam singularem exceptionem explicare possumus?

Statuendum est, ceteros, de quibus supra sermo fuit, aut partibus popularibus fuisse addictos, aut certe nobilitatis fautores nequaquam exstitisse; Gracchorum enim nomina et Memmi, cuius vehementem plebemque accendentem eloquentiam Sallustius vivide depingit, ibidem leguntur. Contra de Scauro audiatur ipse Cicero, ita iudicans (Brut. § 111): „in Scauri oratione... gravitas summa et naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut causam sed ut testimonium dicere putares, cum pro reo diceret". Addit Scaurum et libros scripsisse de vita sua, „lectu sane utiles, quos nemo legit"! Alibi (Sest. § 101) ita loquitur Cicero: „M. Scaurus, propugnator reipublicae, qui a C. Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restitit". Nimis huic uni loco confidimus, sagientes hac in re vestigium quamvis tenuissimum coloris aristocratici, a vulgo longe, ut ait Horatius, longeque remoti??

Digitized by Google

37. Poetae dactylici post Lucretium, eiusdem quidem aetatis qui fuerunt, hac in re non multum ab illo differunt: quippe unum idemque metri vinculum omnes obstrictos habebat similemque hac in re usum scribendique morem genuit et propagavit. Idcirco illud modo cognoscere refert, quantum paulatim et sensim hic usus se mutaverit, quemque finem explicandi petiverit. Poetae dactylici.

Quae huc spectantia rettulerunt Neue-Wagener, Formenlehre[3] III 196 sqq. prorsus inutilia esse valde doleo: pauca excerpsit, tamquam exempla proposuit, ad cardinem quaestionis nusquam se penetravit. Meliora certe, si nondum optima contulit R. B. Steele, Amer. Journ. of Phil. 32, 328—332: The endings -ere and -erunt in dactylic hexameter.

Iamiam propius inspiciamus numeros, quos supra in tabula composuimus, freti copiis v. cl. Steele. Doleo hercle, quod ei non contigit uberiorem ex iis quae collegerat percipere fructum; nunc minuta tantum amimadvertit, maiora plane eum fugerunt.

At qui rationem inducit centesimalem (% quam dicimus), nobiscum faciet continuo, hanc terminationis differentiam adeo parvi, ut videtur, momenti tamquam obrussam adhibentibus auctorum generi dicendi.

38. Quae inde sequuntur, haec fere sunt:

1. Rationem ubi habuimus generatim universorum poetarum, terminatio *-ere* dactylicis unice in deliciis fuisse statuimus, ita ut positionem aemulam *-erunt* ratione 4 : 1 superet.

2. Quae differentia eo tendebat, ut altius in carminum iudicio tam loquentibus sive recitantibus quam auditoribus inhaeresceret, utque volventibus annis quasi indicii vice fungeretur, quo docti atque periti indolem magis minusve puram poëseos dactylicae discernerent: quo plures erant verba *-erunt* exitu insignia, eo magis notam sermonis cotidiani, immo etiam vulgaris carmen aut prae se ferebat aut tacite confiteri videbatur.

3. Calculus centesimalis primo obtutu iam quaedam vetera confirmare videtur, aut nova demonstrare. Quadripertitum agmen numerorum ita ingreditur: I. poesis didactica (Lucr.); II. poesis stili purioris (Verg. — Claud.); III. poesis narrativa (Ovid.); IV. poesis satirica (Hor. — Iuven.).

Digitized by Google

In eis quae sequuntur A = *-ere*, B = *-erunt*, I = pes primus etc.

	I		II		III		IV		V	VI		Summa		Tota	B/A
	A	B	A	B	A	B	A	B	A	A	B	A	B	Summa	in %
I. Lucretius . .	1	13	13	16	14	3	7	18	37	10	18	**82**	**68**	150	**83**
II. Verg. Buc. .	1	—	—	1	1	1	—	5	10	—	2	**12**	**9**	21	**75**
» Ge. .	1	3	12	1	14	—	2	7	34	6	2	**69**	**12**	82	**17**
» Aen. .	2	2	81	2	64	1	12	18	57	15	6	**231**	**29**	260	**12**
Lucanus . .	—	9	97	5	137	—	17	57	100	1	5	**352**	**76**	428	**21**
Val. Flacc. .	1	1	23	—	55	1	3	21	44	—	1	**126**	**24**	150	**19**
Stat. Silv. .	—	1	23	—	18	—	4	14	28	—	4	**73**	**19**	92	**26**
» Theb..	—	6	87	3	66	—	15	37	104	—	2	**272**	**48**	320	**17**
Claudianus .	—	6	59	3	91	—	11	32	110	10	—	**281**	**41**	322	**14**
III. Ovid. Met. .	3	18	97	23	63	—	16	29	118	9	19	**306**	**89**	395	**29**
IV. Hor. Sat. . .	—	2	2	6	8	—	—	2	7	—	1	**17**	**11**	28	**65**
» Epist. .	—	3	7	—	9	1	—	2	14	—	1	**30**	**7**	37	**23**
Persius . . .	—	1	2	—	1	—	1	3	4	—	—	**8**	**4**	12	**50**
Iuvenalis . .	—	7	4	3	1	—	1	10	7	—	1	**18**	**21**	34	**161**
TOTA OMNIUM SUMMA	18	101	593	73	630	7	114	302	767	61	74	**2183**	**557**	2740	**25,5**

Digitized by Google

Attendas oro, quantum inter se iam hi quattuor ordines discrepent: Lucretius hac quoque in re solus per se stat; sed etiam Ovidius huius rei artifex peritissimus, a nullo aequatus, nedum superatus, clare indicat genus Metamorphoseon ab universo genere dactylico aliquantum recedere, id quod R. Heinze disquisitione valde subtili (Ovids elegische Erzählung, Ber. Sächs. Ges. der Wiss. 71, 1919) evicerat. Postremum genus satiricum, vitae publicae tamquam speculum exhibens, linguae vulgaris sive cotidianae longe plurima aperit vestigia: cuius ordinis est unus, qui plura *-erunt* quam *-ere* specimina possidet, Iuvenalis: 161 %!

4. Tria sunt, quae mihi quidem videntur esse insignis momenti: rationes Vergili, Stati, Horati. Nonne mirum est, quam celeriter hac in re profecerit Vergilius, cuius Bucolica 75 %, Georgica 17 %, Aeneis 12 % tantummodo monstrant? Et Statius, cuius numeri in Silvis 26 %, in Thebaide vero non amplius 17 % fuerunt, iam eo diserte testatur Silvas natas esse ex vitae familiaris occasione oblata, ita ut soccis non astrictis ingrederentur. Horatius denique ipsa numerorum discrepantia (65 % : 23 %) satis luculenter indicat Satiras ex diatriba stoica sucos uberiores hausisse, Epistulas vero plures ex horto Epicuro legisse flores, cuius sententia: λάθε βιώσας etiam Horati vitam „a vulgo longe longeque remotam" magis quasi muro claustrali cinxerat.

5. Longissime inter se distant Vergilius in Aeneide et Iuvenalis. Claudianum unum si exceperis, nemo hac in re dedita opera normam atque consuetudinem loquendi („spreektaal") tam strenue vitavit quam „vates Mantuanus". [1])

6. Operae pretium est observare etiam per varios pedes hexametri, qualis utriusque positionis fuerit condicio. Nimirum in pede quinto exspectaveris terminationem *-erunt*, quae cum maxime versum efficeret spondiacum, non nisi perraro occurrere; inspecta tabula, cur n u m q u a m talis versus inveniatur, mecum quaeres, ne apud eos quidem poetas, qui non ratione

1) Permagni referat scire, — quod hodie nescimus! — quomodo se hac in re gesserint lyrici Romani, Catullum dico, Tibullum, Propertium, ad hoc, sitne huius rei differentia inter varia carminum Ovidianorum genera.

Digitized by Google

ac iudicio spondiacos admittere recusant. Cuius rei hanc tantum solutionem video, quod terminatio *-ērunt*, quippe quae ex *-ēre* et *-érunt* nata esset, nondum duas syllabas longas plenas valere loquentibus videretur.

7. Maior quam dimidia pars (302 inter 557) exemplorum terminationis *-erunt* in quarto pede observatur. Siquidem auctore v. cl. Steele semper fere ea terminatio ita ponitur, ut *-érunt*, non *-erúnt* scandendum sit, tales formae verbales aptissime versum pede quarto iam quodammodo claudunt, diaeresim quam dicunt bucolicam gignentes. Hoc quoque mihi quidem diserte testari videtur ultimam syllabam *-runt* non prorsus eodem iure fuisse, quo ceteras syllabas positione longas: namque iam inde ab hexametro Homerico finis pedis quarti licentias quasdam metricas permittit, alibi vetitas. Eadem causa subest, ubi in pede sexto *-erunt*, quod summatim solum 25,5 % exemplorum *-ere* tulerat, continuo 121 % fert. Ut iam vidimus Lucretium attingentes, plerique poetae hoc loco geminas formas adhibuerunt, quibus artificium satis subtile exercerent, Vergilius unus (in Georgicis et in Aeneide) *-ere* alteri positioni praetulit, Claudianus demum solus hanc terminationem admisit, sprevitque alteram.

39. **8.** Totam omnium summam, quam ultimo versu composuimus, breviter perlustremus; naturam hexametri inde altius perspicere nobis datur. Quid sibi velint isti numeri, exemplis fictis allatis melius explanari potest.

		-erunt	*-ere*			
Pes	I:	101	18.	Exemplum:	1	Díxerúnt quia
					2	Dixere omnia
„	II:	73	593.	„ :	3	At quia díxerúnt aut: At dixerunt
					4	Conticuere omnes
„	III:	7	630.	„ :	5	At graviter dixérunt
					6	At graviter dixere Capýs sociique
„	IV:	302	114.	„ :	7	At Capys et socii dixérunt: vivite fortes
					8	At Capys et socii dixére: capéssite pugnam

Digitized by Google

Pes	V:	—	767.	Exemplum:	9 At Capys et socii medió dixére tumúltu
					10 At Capys et socií melióra tulérunt fáta
„	VI:	74	61.	„	11 At Capys et socii, qui vúlnera múlta tulérunt
					12 At Capys et socii, qui vulnera multa tulere.

Quos supra rettulimus, numeri (I—VI) indicantur aut propter solam syllabam *-ē* (sic 1 exemplum pedis primi allatum, quamquam *-runt* iam secundi pedis est) aut propter totam terminationem *-ēre* ~ *-ērunt*. Exempla 1 usque ad 12 satis diserte arguunt, quid adamaverint poetae, quid vitaverint. Quasi imaginem universi hexametri hic ante oculos habemus, quam ita figurare licet:

I	II	III	IV	V	VI
....	-re	-re	(-re)	-re	-re.
					aut
-runt	(-runt)	....	-runt	....	-runt.

Hac figura denuo patet hexametrum latinum non semel, verum bis tamquam clausulam recipere: cuius initium (pes primus) et finis (pes sextus) finesve (pedes sextus et quodammodo etiam quartus) quia terminationem *-erunt* in deliciis habuerunt, iam idcirco tam propter sonum (*-unt* per se positum „claudit", *-er)e* quasi „hiat") quam propter significationem analogisticam (*-unt* indicat plenius „realitatem", collato *-unt* in *scribunt*, *-ant* etc.) quasi marginem versus duriorem magisve canorum efficiebant, cum pars interior molliorem sublimioremve sensum interpretari et depingere videretur.

9. Pedum maxime inter se similes hac in re fuerunt pes tertius et quintus, quippe qui nullum aut nullum fere exemplum *-erunt* exhibeant. Haec similitudo eo tendebat, ut, quomodo tertium pedem sequeretur quartus, *-erunt* terminationi vehementer favens, eodem sextus faveret *-erunt*, non *-ere*. Ita duabus de causis (v. supra 8 et 9) pedi sexto, i. e. hexametri clausulae terminatio *-erunt* altera *-ere* aptior esse videbatur. Quodsi nihilominus *-ere*: *-erunt* = 61 : 74 provenerunt, tempore progrediente maxime *-ere* hoc loco frequentatur, idque apud poetas subtiliores sublimiorisve argumenti maxime

Digitized by Google

deprehenditur (Vergilius in Aeneide, Silius, Claudianus). De Lucretio v. infra 10.

10. Omnium horum poetarum, qui fuit temporum ordine vetustissimus, Lucretius etiam hac in re minime fuit elegans et curiosus, ita ut fere aequaliter per omnes pedes utramque formam *-erunt* et *-ere* spargeret, istam de qua egimus, discrepantiam, nihili aut non magni ducens.

11. Omnino id curae habuerunt poetae, ut utrobique, tam in *-erunt* quam in *-ere*, ictum in *-ē-*, quantum fieri poterat, collocarent. Idcirco credo poetas subtiliores, Lucretium, Vergilium, Statium, plerumque *-ere* ante vocalem posuisse (v. supra p. 332 de usu Plautino), ita ut *-ēr* tantum sonaret una cum tenuissimo vestigio ultimae syllabae.

Breviter haec omnia complectamur. Poetae dactylici versus indolem felicissime observantes hanc terminationum differentiam adhibuerunt, quo aspectum et sonum magis redderent varium, nunc sermoni cotidiano propiorem, nunc ab eo remotiorem. Omnino per saeculorum cursum auctoritas terminationis *-ere* in hoc saltem genere aucta est, *-erunt* imminuta.

12. Postremum varia exempla supra (p. 366) sub 1—12 allata recenseamus. Sub 2 exemplum cur vitaverint poetae, manifestum est: ante consonantem hoc versus loco admitti nequibat; ante vocalem positum, nisi gravem dispondeum recipere poeta vellet, usque ad caesuram aut vocabulum addere oportebat choriambum valens (quae vocabula sunt rara et nimis gravia) aut vocabulum dactylicum (quo facto tamen monosyllabum sequi debebat!), aut duo vocabula, alterum trochaicum, iambicum alterum quod tamen post synaloepham versum reddidisset nimis discerptum et inquietum.

Sub 3: aut syllaba *-runt* ictum recipiebat, quod (v. 11) diligenter vitabant, aut post verba „At dixerunt", duos iam spondeos efficientia(!) monosyllabum addendum erat: id quod admodum informe fuisset.

Sub 5: caesuram solitam neglegebat.

Carm. Lat. popularia.

40. Quae hucusque de poetis disputavi, invenimus in carminum genere requisitiore. Restat, ut quaeramus, quid cum iis collata conferant **carmina popularia**, quae in titulis exstant, hodie

Digitized by Google

cuivis indagatori in promptu sita collectionibus Bücheler-Lommatzsch (CLE. = Carm. Lat. Epigr. 1895—1926) una cum mantissa, ab Engströmio (1912) in lucem prolata.

Iam antequam ad hanc disquisitionem aggrediamur, statuendum est eorum carminum auctores multis in rebus tamquam asseclas sequi poetas dactylicos elegantiores. Quam fuerint notae ac celebres carminum lyricorum collectiones, diserte aperiunt inscriptiones parietariae Pompeianae.

In CLE. haece ad nostram rem pertinentia inveni, non solum ex versibus dactylicis excerpta, sed etiam ex aliis metris.

Quae autem hoc loco contuli, ex tota materia decerpta et collecta sunt, exceptis solis elegiacis; elegiacos hanc ob rem praeterii, quia mihi persuaseram, parvolam exemplorum copiam examinando, nihil in iis inesse novi, quod non hexametri iam abunde demonstravissent. Per mihi gratum accidit, quod haec carmina popularia, per varia saecula dispersa, universam disputationem nostram supra relatam confirmare mihi visa sunt. Ad hunc enim modum locuta sunt. (CLE. III = vol. tertium, ab E. Lommatzsch, anno 1926 emissum; permulta is carmina denuo edidit, ante iam ab Einar Engström collecta, 1912, in collectione Upsaliensi).

41. I. Terminationis *-ĕrunt* multo minus, quam exspectaveris, sunt frequentia, exempla, **6** enim exstant: quae quia et rara sunt et magni momenti, ipsis verbis refero.

CLE. 59, 3: (inféstae) Párcae ac fínem vítae státuĕrúnt (aetatis Caesarianae, in senario).

CLE. 331, 15: póstquam ceciderunt, sei sum, consulis tun me (in [1]) hexametro).

CLE. 493, 5: trístia cóntigĕrún, qui amíssa cóniuge vívo.

CLE. 1549, 18: apstuleruntque simul vota precesque mihi (pentam.!)

CLE. 509, 3: nóluĕrúnt superi, cito réddidit víta nefándis in hexametro.

Engström 307, 2: trístia praétulĕrúnt cum mihi fata necem, (pentam.!).

1) Ritschelius coniecit: postquam ceciderunt spes omnes, consulis, sed cēcĭdĕrunt = – ⏑ ⏑ – displicet; melius caderet: póstquam spes omnes cecidērunt, consulis tun me?

Digitized by Google

II. Huic ordini accedunt formae exeuntes in *-ārunt*, *-ērunt*, *-ōrunt* ex *-āu̯ĕrunt* etc. nata; hae quoque rarissima sunt. *-ārunt* carmina exhibent exempla **9**:

A. in senariis **2**: CLE. 52, 3 (nominarunt, 4/5 pede)
CLE. 71, 2 (laudarunt, 5 pede)

B. in hexametris **7**: CLE. 463, 4 (dicarunt, 6 pede; sequitur v. 5: posuere, 6 pede)
CLE. 473, 3 (negarunt, 6 pede; sequuntur vv. 4 et 5 mersere 5 et clusere 3 pede, v. 7 fuerunt 6 pede)
CLE. 543, 8 (secarunt, 6 pede)
CLE. 629, 4 (vocarunt, 6 pede)
CLE. 706, 8 (servarunt, 4 pede)
CLE. 748, 27 (sacrarunt, 6 pede)
CLE. 1620, 6 (locarunt, 6 pede)

-ērunt ex *-ēu̯ĕrunt*: Engström 328, 1 út primum aétatís complérunt témpora vítae

-ōrunt ex *-ōu̯ĕrunt*: CLE. 576, 6: crédo tibí gratúm, si | haéc quoque Tártara nórunt.

III. Accuratissima descriptione opus nobis est ad formam perfecti per *-ērunt* terminatam melius cognoscendam. Hic quoniam exempla non tam per se, quam per numerum valent, plerumque locos modo indicabo, per varia metri genera et versus pedes digestos.

1. In genere vetustissimo versus Saturnii:
CLE. 2, 5: ququei huc dederunt // inperatoribus summeis.

2. In genere iambico exempla **14**:
CLE. 55, 13: deposuerunt carmine (3—6 pedes)
CLE. 82, 9: aetate ⟨cuncta⟩ ceciderunt mecum ⟨brevi
CLE. 101, 5 sq: ubi dum studerem, fata inviderunt mihi raptumque ab arte tradiderunt hoc loco
CLE. 144, 2: si sps⟩ decepit, cum viderunt mortuas.
CLE. 169, 2: maestí paréntes su̯aé fecérunt fíliaé
CLE. 190, 4 sq.: eadem fecerunt hi cuncti cum viverent, dederunt acceperunt, dum essent, fruniti sunt
(qui versus quod scatent vitiis, cum Büchelero in dubium voco)
CLE. 222, 7: si, qui fecerunt, queritas (iamb. dimeter)
CLE. 1565,2: ante quidem tempus fata rapuerunt mala

Digitized by Google

CLE. 1875, 3: is voce dederunt (hexameter??)

Engström 47, v. 2 et 4: consolueruut... et: potuerunt (admodum incerta)

3. In genere trochaico exempla **3**:

CLE. 231, 2: non ideo tenuerunt in manŭ (sic!) sceptrum pro mutunio

CLE. 2156, 5: ⏑eórum fáta dúrae // cóniunxérunt córporá

Engström 377 [1]): quod fili facere debuerunt, pater fecit filis

4. In paroemiacis, CLE. 1523, 4: rupérunt fila sorórés et 8: vetuérunt vísere lúmén.

5. In genere nimirum dactylico plurima exstant exempla (**42**). Ut facere coeperam primum locos monstrabo, quos postes in tabula digestos (p. 374) recensebo.

In 1° pede **2**: 606, 2 (1/2 pede: flévērúnt populi); 1829, 7 (1/2 pede: laésērúnt).

In 2° pede **2**: 587, 2 (2/3 pede, ante caesuram); 1549, 17 (itidem).

In 3° pede (**2**:) 587, 2 (2/3 pede, v. supra); 1549, 17 (itidem).

In 4° pede **20**: 271, 9; 397, 4; 401, 2; 430, 2; 494, 2; 496, 3; 505, 2 [posuér(unt) arka^{m} parentes]; 595, 3; 685, 3 [2]); 712, 31; 824; 853, 6 (locaverunt = ⏑ ⏑ – – –); 1969, 15; 1990, 3; 1997, 2; Engström 128; 170 (valde incerta); 1530 A 2; 1592, 3.

In 6° pede **18**: 417, 6; = 420, 13 et 20; 473, 7; 490, 6; 529, 2; 544 A 4; 562, 6; 566, 1 (? ultimis verbis restitutis); 610, 8; 754, 2; 831; 1942, 2; 2156, 11 (posuerun, sed 12 ferebant cum *-t*, item in fine hexametri!); 2166, 5 (suntne dactyli: — finitimi doluerunt ???); 2177, 6: fatis reddidi, quod dederunt; (sequitur hexameter integer; haud scio an antecedat pentameter, sic fere: noctis idem (an: item) octava [fatis] réddidĭ, quód dĕdérúnt?); 2181 (sunt laciniae hexametrorum et pentametrorum, in quibus tria *-ērunt*, nullum *-ēre* exemplum exstat);

---

1) Paululum immutando verborum ordinem integrum efficias septenarium: fílii quod débuérunt // fíliís fecit patér.

2) Versus claudicans: nón ita vóta tua meruerunt spectare parentes, corrigitur legendo: non meruere ita vota tua (aut: sua, aut: tui?) spectare parentes. Quod haud parvi preti duco, quia ipsa forma in *-ērunt* exiens, dum se obtrusit iustioremque (in *-ēre* scilicet) expulit, errorem potuit inducere.

Digitized by Google

2199, 9; Engström 441, 2 (in prosa oratione?) et 8 (ultimae aetatis).

IV. Eodem modo, quo *-erunt* terminationem descripsimus, nunc etiam alteram *-ēre* in tabulam (p. 374) referemus.

1. In genere iambico **5**: CLE. 58, 3 (pede 3°: víx/sere s óm/nés); 111, 10 (pede 4/5: condidere carmina); 1868, 10 (pede 1/2: statuère); 1534 B 1 (pede 4/5); 1535 B 1 (pede 2/3).

2. In genere trochaico: CLE. 231, 1:... fuéere quóndam Víbii opulentissimi (pars septenarii in mentem revocans tritum illud: *πάλαι ποτ' ἦσαν ἅλκιμοι* Μιλήσιοι).

3. In genere dactylico exempla invenias haece (**60**):

In 1° pede **1**: 271, 6 (1/2 pede)

In 2° pede **7**: 436, 8; 583, 2; 712, 25; 1537 A 5; 1551 A 5 [et C 6 in pentametro]; 1906, 4; 1997, 4.

In 3° pede **13**: 261, 2; 306, 5; 307, 6; 435, 1; 436, 7; 473, 5; 704, 20; 802, 3; 853, 5; 1552 A 67; 1911, 4; 1970, 1; 1990, 2.

In 4° pede **1**: 379, 1.

In 5° pede **31**: 261, 3 (in lacuna, sed restitutio certa); 317, 5; 326, 3; 379, 3; 384, 1; 397, 3; 405, 3; 430, 4; 435, 1 (restitutum); 473, 4; 483, 2; 494, 3; 526, 10; [526 B 3: eripuere mihi = altera pars pentametri;] 565, 1; 587, 3 et 4; 610, 9; 627, 11; 704, 4; 748, 3 et 6 et 21; 750, 6; 787, 2; 802, 3; 825; 1550 B 9; 1556, 3; 1970, 1; 2166, 11; 2176, 12; [Engström 353, 6 et 8 in pentametro].

In 6° pede **7**: 377, 1; 463, 5; 479, 4 (legendum: fata me rapuere[mea]); 492, 15; 639, 6; 1533, 4; 1970, 4.

Priusquam demonstrare pergamus, quid haec descriptio nos doceat, breviter carmina indicabo, in quibus utraque terminatio, *-erunt* et *-ere*, deprehenditur. Ea enim omnium maxime sunt idonea, quae discernant utriusque officium et partes. Sunt carmina: CLE. 271, 397, 430, 463, 473, 494, 587, 610, 712, 853, 1990, 1997, 2156, 2166; incertum Engström 218, ubi editor v. 15 posuerunt, v. 17 f(ece)re, Lommatzsch vero CLE. 1969 v. 17: fre(quentant) legit, collato CLE. 1976, qui hexameter clauditur: pietate nati frequentant.

Digitized by Google

42. Quid igitur nos docuerunt carmina popularia?

Primum constituamus necesse est, in lingua cotidiana solam terminationem *-ērunt* revera viguisse. Duobus argumentis nostra ratiocinatio nititur.

Quorum alterum est hoc: simulac „poetae" sive sponte sive inopia „poetandi" coacti ex Pegaso haud nimis sibi familiari descenderunt prosaeque orationis attigerunt campum tritum, semper *-ērunt* „loquuntur", numquam *-ēre*. Exempla disertissima nomino: CLE. 1563, in cuius carminis initio (aetatis caesarianae) post varia trochaeorum iamborumque frustula sequuntur verba: conditivum cubiculum fecerunt; 1574, ubi legimus:.. parentes filis dulcissimis facerunt. Hi vixerunt (sequitur distichon mutilum)... fecerunt sibi et suis; CLE. 1581, 7: dunc haec agerentur, iuvenes de subito acceperunt sui luctu (i. e. eius luctum) parentes; CLE. 1584, ubi leguntur: „item Maratho et Callistratus fili fecerunt et hunc titulum posuerunt pietatis honorem, aeternum coniugi et matri muneris officium"; Henzen autem rectissime per errores penetrantem distichi sonum audire sibi visus est ita:

filius hunc titulum posuit pietatis honorem,
aeternum matri muneris officium;

quod si nobis quoque porsuadebimus, hoc loco magna cum confidentia pronuntiare nobis licet sermonem vulgarem, quotiens formas poeticas aut deberet neglegere aut aequare non iam valeret, statim usum formae in *-erunt* exeuntis, tamquam unice rectam ac iustam, agnoscere. Eodem tendunt carmina CLE. 1604, 1607, imprimis 1822, in quo post quattuor hexametros sequitur versus ex hexametro et ex prosa oratione mixtus: hunc titulum posuerunt parentes karissimi.

Argumentorum, quorum supra mentionem feceram, alterum nunciam aperiam. Sunt carmina quaedam, in quibus auctor, dum oboedivit sermoni cotidiano, formam in *-erunt* exeuntem inserendo depravavit atque corrupit exemplum.

Duo huius rei specimina fusius tractabo, quibus adiungatur exemplum supra iam explanatum, CLE. 1584, ubi videas.

Prius exhibet CLE. 1571; ubi ea leguntur, quae honesta versuum appellatione neque digna sint neque prorsus indigna:

Digitized by Google

C. Billienus Fructus ossibus ossa dedit,
coniugi perpetuae. quos aetas iunxerat olim,
nun mortis iuncti iacent, qui vixerunt una
annis continuis LII sine lite molesta,

quae Bucheler pauca immutando ad versus honorem restituit ita legendo:

coniugis hic coniux ossibus ossa dedit,
morte iacent iuncti, quos aetas iunxerat olim,
qui vixere una semper sine lite molesta
annis continuis quinquaginta atque duobus.

Engström edit alterum specimen, 441, carmen ut ipse addit, „ultimae aetatis"; ibi enim v. 7: „transierunt ad veram remeans e curpure vita" emendatur correctione hac adhibita: „transiere" vel melius etiam „transiit ad veram remeans e corpore vitam"; v. 10: obierunt in die.. si legas: obiere in die sancti Martini..

43. Nunciam cum auctoribus altioris stili conferamus hos „poetastros" tenui filo, ut ait poeta, deductum carmen cantantes. Iterandi sunt numeri, quos supra (p. 364) dedimus, copiiss usi ab R. B. Steele publici iurisfactis. Ecce quae inde colliguntur, tantummodo hexametros respicientia!

Pecles:	I		II		III		IV	
	-ērunt	*-ēre*	*-ērunt*	*-ēre*	*-ērunt*	*-ēre*	*-ērunt*	*-ēre*
Poetae. . .	101	18	73	593	7	630	302	114
Poetastri .	2	1	2	7	(2)	13	22	1

V	VI		summa:	
-ēre	*-ērunt*	*-ēre*	*-ērunt*	*-ēre*
767	74	61	557	2183
13	25	7	51	60

(NB. In tabula utrobique etiam formarum Perfecti per *-ārunt* (< *-āu̯ĕrunt*) terminata rationem habui). Multis versus locis ac positionibus numeri carminum popularium adeo sunt parvi, ut nullam fere admittant conclusionem. Nihilominus quaedam ex hac comparatione proficere possumus, quae contentionem harum terminationum illustrare et explicare possint. Nam haec carmina popularia non tantum minus pura sunt, breviusquelimata neque tersa ac polita aeque curiose atque carmina elegantioris

Digitized by Google

ingenii, sunt etiam fere universa aetatis inferioris, nonnullae vel aetatis ultimae. Ea, quibus utrique inter se differunt, non modo ex indole poetarum eiusdem aetatis originem ducunt, verum multo etiam magis variorum saeculorum usum sive abusum harum formarum respiciunt et illustrant. In his inscriptionibus, quae ab aetate Caesariana vel superiore usque ad VIum saeculum p. Chr. n. durant, differentia praecipue est temporis. Atque hoc si iam per se probari potest, numeris supra relatis magis commendatur.

Maxime inter omnia eminet et se quasi offert nobis cogitatio, *-erunt* terminatio quantum in his levioribus inscriptionibus sibi addiderit potentiae, contra *-ere* quanto habere minorem videatur. Cum apud poetas tota summa *-ērunt : -ēre* = 4 : 1 erat, tum hic fere 1 : 1 est. Ubique ferme, si numeros relativos, i. e. proportionem spectas, in II°, IV°, VI° pede, *-erunt* terminationis vim adauctam esse apparet. In I° pede si rei speciem externam consulas, aliter comparatum esse videtur. Verum hic nos rei fallit imago, non solum quia numeri carminum popularium (2 et 1!) minores sunt, quam quibus nitatur talis argumentatio, sed etiam propterea, quia altera hic eaque generalis potius causa latere mihi quidem videtur. Omnino si huiusmodi carmina popularia definire studeas collata cum poematis stili sublimioris, minorem in illis, in his vero maiorem agnoscas mobilitatem et varietatem. Meminerimus, quae supra (p. 368) de Lucretio, antiquissimo in hoc genere poeta diximus; is enim inter omnes maxime per omnes pedes, quibus ei licebat, disperserat utramque terminationem. Longe aliter res se habet in carminibus popularibus. Ibi suam quaeque tamquam iustam obtinet sedem terminatio: *-erunt* in pede quarto, et tempore progrediente magis magisque etiam in pede sexto, *-ere* in pede quinto. Numeros si consulas, in quarto pede apud poetas *-erunt* totius summae 54%, apud poetastros 43% invenias: id quod minime probat vim terminationis esse per se imminutam, sed potius eam vim in fine versus, pede sexto, multo magis, comparatam cum terminatione aemula, esse auctam.: ibi enim apud poetas 74/557 = 13%, apud nostros 25/51 = fere 50% obtinet. Melius hoc perspicimus in pede V°, ubi apud poetas 33%, hic vero 50% numerantur. Inde factum est, ut in pede sexto

Digitized by Google

apud poetas pari iure inter se contenderent *-erunt* et *-ere* (74 : 61), hic vero (25 : 7) *-erunt* fere 350% exemplorum *-ere* obtineret. At in secundo pede prorsus aliam rei speciem nobis ante oculos obversatur: nam in eo pede apud poetastros tam *-erunt* quam *-ere* (haec apud poetas 593/2183 = 1/4, in carminibus 7/60 = 1/10 obtinet) plane iacent, eorumque posteriore aetate nullum fere exemplum deprehenditur.

Praeclare quae demonstravimus depingunt horum carminum indolem atque naturam: artificii sunt, non artis verae. Revera est poesis pauper, quae „pauca parit" et parva habet, quae ultro aliunde desumpta quasi mutuo dat, quae tradat, uni formae stataeve rei speciei addicta. Ut in antiqua poesi scenica (v. supra p. 338) versus finis locus, quo, tamquam sentina, formae obsoletae maxime gaudebant, ita in hac musa populari, ipsa iam satis decrepita, in ultimum potissimum versus locum formae novae aut ex ipso sermone vegeto et usitato depromptae ingruunt. Quodsi locos supra relatos, quibus in pede sexto forma per *-ere* cadens invenitur attente lustramus, alibi quoque in iis carminibus vestigia dictionis requisitae anteriorisve aetatis agnoscemus.

Post poesin oratio incedit soluta, sed oratio magnae auctoritatis summaeque dignitatis, historicos dico, Caesarem eiusque „cohors", tum Livius, Augustus in „Rebus Gestis"; Tacitum vero, utpote argenteae Latinitatis auctorem .iam nunc in ordinem cogere supersedeo. Cicero autem, qui tamquam amnis, coniungit diversos artium rivulos magno ingenii alveo amplectens, prosae orationis interim finem imponet.

CAESAR. **44.** De **Caesare** non est cur fusius agamus: admodum simplex eius est ratio, saepe iam antea ab aliis tractata. Ipse Caesar, ut est analogiae sectator acerrimus, iuxta varias formas aliorum temporum, in *-nt* omnes exeuntes, omnino et semper ipse quoque scripsit *-erunt*, v. Neue-Wagener[3] III 191, Wölfflin ALL. 12, 166; 14, 478. Idem valet in iis auctoribus, qui Caesaris commentarios continuaverunt: in Bell. Afr. et Hisp., iuxta 46 et 82 exempla terminationis *-erunt*, 2 et 2 tantum *-ere* leguntur, Bell. Hisp. c. 23, 2: nostri cessere parumper et: complures vulneribus adfecere, quae originem Ennianam prae se ferunt.

Digitized by Google

In Bell. Civ. 1, 51, 5 Caesar scripsisse videtur, quamquam Kübler cum Novák *sustinuerunt* in editionem recepit, *sustinuere*, quod archetypus β, ex quo omnes codices fluxerunt, magna auctoritate tutatur; alibi, lib. 3, 63, 6 haec habet: ut ad mare, quae cohortes nonae legionis excubuerant, accessere, subito... exercitūs adventus exstitit. Aut non ita scripsit Caesar et his quoque locis formam dedit in *-erunt* exeuntem, aut moveri se passus est metu, ne variae formae per *-nt* terminatae taedium crearent auditoribus vel lectoribus: priore enim loco in proxima vicinia leguntur: „committunt, coeperunt, conferunt" omnes in fine sententiae vel coli; in libro tertio proxime antecedit: excubuerant; in fine capitis § 8 denuo scribit: fecerunt... coegerunt.

Quae cum ita sint, sic fere statuamus oportet, Caesarem analogiae amantissimum adeo ut de hac vi normativa librum singularem scripserit, tunc demum fecisse, quod multo saepius eius aequalis fecerat Cicero, scilicet ut formam „abnormem" admitteret illic, ubi forma usitata, in *-erunt* exiens propter nimiam multitudinem aures subtiliores fastidio.

Operae pretium mihi esse videtur obiter notare tam insignem esse discrepantiam inter Caesarem eiusque praeconem et consultorem, Sallustium dico, qui se tali analogiae dicioni minime subiecerit, immo formas in *-ere* cadentes tamquam receptas et solitas semper fere usurpavit (v. supra p. 349 sqq.).

45. Caesarem **Livius** sequatur, auctor admodum memoria dignus, praesertim cum tanta huius rei varietate in magna operis sui mole usus sit. A copiis profecti sumus v. cl. E. B. Lease, qui (Am. Journ. of Phil. 24, 1903, 408—422 Livy's Use of arunt erunt and ere) laboriosam enumerationem proposuit nec tamen industriae suae meritum adeptus est fructum. Quod factum est imprimis hanc ob rem, quod Livium eiusque usum per se stantem descripsit neque eum cum ceteris conferre necesse esse opinatus est. Hoc facile ei ignoscamus, cum Livi opus absque aliis iam abundet materia satis notabili et propter insignem magnitudinem etiam explicationem paulatim progredientem luculenter patefaciat, de qua eximie egit S. G. Stacey, Arch. f. Lat. Lexicogr. 17—82, Die Entwickelung des livianischen Stiles. Livius.

Digitized by Google

Tabula I.

46. Inveniuntur enim formae in *-runt* (= *-ērunt*, *-ārunt* etc.) et *-ēre* in singulis Livi libris hoc modo dispersi. In prima serie exempla *-runt*, in altera *-ēre* numerantur, in tertia indicatur, quot sint centesimae exempla *-ēre* totius summae, quae *-runt* et *-ēre* complectitur. Librorum numeri litteris cursivis insigniuntur.

Lib.	*1*	28	41	59°/₀	*21*	51	38	42°/₀	*31*	80	32	28°/₀	*41*	58	2	**3°/₀**
„	*2*	33	92	73°/₀	*22*	64	38	37°/₀	*32*	69	9	11°/₀	*42*	105	11	9°/₀
„	*3*	26	88	**77°/₀**	*23*	80	19	19°/₀	*33*	91	15	14°/₀	*43*	57	7	10°/₀
„	*4*	37	66	64°/₀	*24*	81	23	22°/₀	*34*	90	15	13°/₀	*44*	55	6	9°/₀
„	*5*	45	58	56°/₀	*25*	70	25	25°/₀	*35*	73	18	19°/₀	*45*	58	12	17°/₀
„	*6*	24	44	64°/₀	*26*	77	17	18°/₀	*36*	84	6	6°/₀	—	—	—	—
„	*7*	46	31	40°/₀	*27*	72	42	36°/₀	*37*	130	23	14°/₀	—	—	—	—
„	*8*	50	29	36°/₀	*28*	72	14	16°/₀	*38*	176	24	12°/₀	—	—	—	—
„	*9*	74	30	28°/₀	*29*	63	16	20°/₀	*39*	120	5	4°/₀	—	—	—	—
„	*10*	48	42	46°/₀	*30*	58	14	19°/₀	*40*	133	11	7°/₀	—	—	—	—
I.		411	521	**55,9°/₀**	III	688	245	**26,2°/₀**	IV	1046	158	**13,1°/₀**	V(1/2)	133	38	**10,2°/₀**

Eorum tota summa evadit:

-runt = **2378**
-ēre = **962** } computata = **3340**, quorum *-ēre* = **28,8°/₀**.

Digitized by Google

47. Secundum decadas divisi numeri haud omnium classium verbalium in disputatione v. cl. Leaseolati sunt, quo factum est, ut totam rei imaginem nisi propriis freti rationibus proponere nequiremus. Haec ita proponere ausim:

	(-)*rēnērunt*	(-)*rēnēre*	°/₀ *ēre*	*avērunt*[2]	*ārunt*	*avēre*	°/₀ *ēre*	(-)*iērunt*	(-)*iēre*	°/₀ *ēre*	*-runt*	*-ēre*	°/₀ *ēre*
Decas I—V	29	12	29°/₀	39	37	56	42,4°/₀	16	21	56°/₀	**411**	**521**	**55,9°/₀**
„ III[1])	61	16	20°/₀	45	23	16	19°/₀	21	8	27°/₀	**688**	**245**	**26,2°/₀**
„ IV	91	17	7°/₀	43	56	11	10°/₀	29	10	25°/₀	**1046**	**158**	**13,1°/₀**
„ V($\frac{1}{2}$)	35	1	2°/₀	7	34	5	10,8°/₀	19	2	9°/₀	**333**	**38**	**10,2°/₀**
Summa	216	36	**14,3°/₀**	134	150	88	**23,7°/₀**	85	41	**32,5°/₀**	**2378**	**962**	**28,8°/₀**
	sērunt	*sēre*	°/₀ *ēre*	*ēvērunt*	*ērunt*	*ēvēre*	°/₀ *ēre*	*-uērunt*	*-uēre*	°/₀ *ēre*	*i(v)ērunt*	*i(vēre)*	°/₀ *ēre*
Decas I—V	396	155	**28,1°/₀**	53	1	19	**26°/₀**	297	196	**39,7°/₀**	30	24	**44,4°/₀**

Quodsi Perfecta omnia in *-vi* (Iae—IVae coniugationis, inclusis formis *fū(v)i*), *-ui* (Iae—IIIae coniugationis), *-si* (IIae—IVae coniugationis) computaversis, eorum summam deinceps ab tota summa detraxeris, invenies numeros Perfectorum „fortium" (*ēgī*, *cĕcĭdī* etc.) ita:

cg)ērunt	*cg)ēre*	°/₀ *ēre*	Unde si tollas numeros „veniendi" (216 ~ 36) et „currendi" (39 ~ 2), reliquis ita ratio constat:	*cg)ērunt*	*cg)ēre*	°/₀ *ēre*
1133	337	**25,4°/₀**		878	299	**22,9°/₀**

1) Si primam decadem sequentibus opponas, hi evadunt numeri:
I decas *-ēre* = 55,9°/₀
III—V „ *-ēre* = 17,5°/₀ (441 *-ēre*, 2067 *ērunt*).

2) Usque ad finem tertiae decadis Livius saepius *-averunt* adhibet quam *-arunt*, in quarta decade *-arunt*: *-averunt* = 56,6°/₀: 43,4°/₀ in quintae parte priore 82,9°/₀: 17,1°/₀.

Digitized by Google

48. Hos numeros si prudenter consulimus, non statim quid sibi velint apparet. Sensim igitur et caute progrediendum est, ne temere aut nos praecipitemus, aut spissis involuti nebulis fallamur via. Quae mihi praecipue notanda videntur, haec fere sunt:

1. Generatim et universe numeri terminationis *-runt* a libro 1 usque ad librum 45 crescunt, terminationis *-ēre* minuuntur. In libris 1—6 plures sunt *-ēre*, in libris 7—45 vero plures *-erunt*. Ratio centesimalis terminationis *-ēre* est summa in libro 3 (77%), infima in libro 41 (3%).

2. Quod inter librum 6 et 7 principatus ab altera terminatione ad alteram transit, non per se spectandum esse videtur. Dignum vero est quod notemus, rationem illam tam praecipiti casu a 64% ad 40% descendere. Id quomodo factum est, interim non apparet. Liber 7 incipit ab anno 366, qui annus post rogationes Liciniam Sextiam perlatas primus non modo Livio, sed omnibus Romanis novum inauguravit saeculum. Ideo ipse Livius ita orditur: „Annus hic erit insignis novi hominis consulatu, insignis novis duobus magistratibus": utrum hic causa lateat ita ut Livius transitum a republica patricia ad patricio-pebeiam — sponte nec dedita opera! — insigniverit atque quodammodo sit confessus sermoni cotidiano magis magisque inserviens necne, diiudicare non ausim.

3. Quomodo hac in re se habuerit decas secunda, nos latet et maxime verendum est, ne nos latere pergat. Interim monendum esse videtur, inter numeros tam absolutos quam relativos libri 10i (48 : 42 = 46%) et 21i (51 : 38 = 42%) haud ita multum interesse. Post librum 22um denuo discrepantia subita se aperit (37%, post 19%); solus liber 27us (36%!) rursus eminet; sed cur ita emineat, in obscuro interim est ratio.

4. In tertia decade liber 31, 36 et 39 ratione relativa se ab alits segregantur. Quae differentia utrum in libri argumento posita sit an in auctoris voluntate ac sententia, ad tempus nos fugit.

5. Cur universam hanc rationem sive instituit prudens, sive invitus opere suo prodit Livius? Iam multis abhinc annis hanc quaestionem disceptare conatus est v. cl. Stacey, cum l. l. indolem *poeticam* primae decadis argute evicit omnibusque probavit,

Digitized by Google

inter quos fuit etiam Lease Am. Journ. Phil. 24, 411. Attamen hoc quasi digito monstrasse contenti non sumus. Restat enim altera quaestio haece: hoc sponte et prudens fecit Livius, dum res mythicas praehistoriae hoc ornatu poetico indutas magis apte in publicum prodituras putavit, an invitus, ipso fontium colore et stilo correptus ac delectatus, indolem istam poeticam in opus suum irruere passus est? Quicumque magnam exemplorum copiam lustraverit a v. cl. Stacey collectam, iam a limine agnoscet Livium tot Ennianae Musae desumptas lacinias nonnisi sponte et prudentem in suam rerum narrationem admisisse.

49. 6. Altera autem insistendum est via, ut hoc clarius etiam demonstremus: hic enim Livi usum comparantes cum dictione Tacitea quaedam lucrari poterimus insignis momenti. Duo excerpimus in utroque auctore: terminationem *-erunt* iuxta *-ēre* et usum verborum quae dicuntur frequentativa, de quibus egregie disputavit E. Wölfflin, Arch. Lat. Lex. 4, 207 sqq.

Quam ibi proposuit tabula, haec nos docet de multitudine frequentativorum in singulis Livi decadibus:

	I^{a} decas	II^{a} decas	III^{a} decas	IV^{a} decas habet:
agito	47	25	17	4
clamito	14	1	—	—
dictito	15	3	—	—
imperito	6	4	—	—
noscito	5	2	—	—
rogito	18	2	—	—
sciscitor	12	5	—	—
territo	6	1	1	—
obiecto	3	1	—	—
ostento	26	13	4	2
grassor	5	—	—	1
incurso	8	6	4	—
prenso	10	1	1	1

Contra res se habent in Tacito. Eius terminationis *-ere* usum copiose tractavit F. Degel Archaistische Bestandteile der Sprache des Tacitus (Dissert. Erlangen 1907), cuius conclusionum mentionem fecit Hagendahl l.l. 5.

Digitized by Google

Tacitus enim *-ere* exhibet in Dialogo 0 %!
in Germania 42, 1 %
in Agricola 73, 6 %
in Historiis 91, 4 %
in Annalibus 91, 3 %, in his vero nonnumquam, e. g. in libro XII 42 *-ēre*, 1 *-erunt* (= 97, 7 %!) inveniuntur.

At eundem Tacitum constat in libris posterioribus plures semper formas scripsisse verborum frequentativorum, ita ut hac certe re Historiae denuo ab Annalibus superarentur. Pauca ex exemplis refero a Wölfflinio allatis (ALL. 4, 208):

Hist. 3, 1 ferocius agere: Ann. 4, 46 ferocius agitare.
„ 1, 30 animo volvo: Ann. 2, 49 animo voluto; 4, 40 intra animum voluto
„ 3, 42 et 4, 74: procul agere: Ann. 1, 50 procul agitare.

Nonne mirum, immo vero vix credendum est, apud Livium imminui, apud Tacitum contra augeri duo suffixa, e quibus alterum, *-ere* sc., originem e poetarum lingua duxisse videatur, alteram, *-itare* verborum froquentativorum in sermone cotidiano et vulgari bene viguisse? Am fieri potest, ut duae res tam diversae vi ac natura, eodem modo apud eosdem adolescant longiusque progrediantur?

Ita enim esse definiendam vim suffixi *-itare*, quis est qui neget, simulac secum reputat, quae hac de re scripsit Wölfflin ll. p. 207. Cicero qui, ut erat sermonis puri amantissimus, talia verba quam poterat diligentissime vitabat, id spectans in Bruto scribit (§ 310): „Commentabar declamitans (ita enim nunc loquuntur) saepe cum M. Pisone". Idcirco alio Bruti loco (§ 75) Catonis verba „carmina in epulis cantitata" ita rettulit, ut expressis verbis Cato, non Cicero ipse, vocabuli adeo insoliti vel vulgaris periculum in se reciperet; alibi vero (Tusc. Disp. 1, § 3; 4, § 3), ut „scopulum" illius frequentativi fugeret, hisce ambagibus usus est: „quamquam est in Originibus solitos esse in epulis canere convivas" et „in Originibus dixit Cato morem ... hunc fuisse, ut deinceps qui accubarent canerent ad tibiam". Proinde in Orationibus, in quibus Ciceronianae elocutionis purissimi scatent fontes (praeter unam pro Sextio Roscio Amerino, aliis quoque in rebus nimis

Digitized by Google

tumidam minusque fastidiosam) nusquam verba frequentativa in textum insinuari passus est. In Caesare idem eademque de causa animadvertas. Quid igitur sibi esse in his verbis cavendum duxerunt? Non ipsum usum scilicet vitium putaverunt, sed eiusmodi verbis uti, ubi significatio iis innata actionis iteratae a contextu nequaquam postularetur: nimirum secum reputabant tali luxuria immoderata honestam liberalemque linguam quasi effetam paulatim hebescere, postremo dotibus naturalibus in perpetuum spoliari. Quod quam recte animo prospexerint, diserte monstrat Gellius scribens (6, 1, 6) „... Scipionem ... solitavisse ... in Capitolium ventitare ... atque ibi diu demorari quasi consultantem de republica cum Iove", id. 20, 8, 1: „agitare solitus est", et alia, quae congessit F. B. Cooper, Word Formation in the Roman Sermo Plebeius p. 208.

50. Hic siquis me roget: quorsum haec omnia? quomodo hoc indicium linguae vulgaris sui nimis prodigae cum indole dictionis poeticae conciliabis?, candide respondebo: revera in linguae latina (et graeca) firmissimum exstitit vinculum poetarum linguam et populi (non dico popelli!) copulans. Solus hac in re dux atque auspex fuisse mihi quidem videtur metrum illud usque a pristinis temporibus receptum dactylicum, quod quia – ∪ – syllabas penitus recusabat, verba qualia sunt „imperare, nominare, increpare" nulla nisi tertia persona singularis praesentis admittebat, in verbis frequentativis iis dumtaxat, quae in *-itare* caderent, liberiorem usum sinebant. Inde factum est, ut Vergilius scriberet (Aen. 2,672) „clipeoque sinistram insertabam" (inserebam = – ∪ – ⏑).

Quae hucusque de indole non solum cotidiana sed etiam poetica verborum frequentativorum disputavimus, prorsus confirmatur comparando usum Livianum (v. supra p. 377) cum Vergiliano. Nam poeta Mantuanus:

A. persaepe formas adhibet verborum: agitare, ostentare, increpitare;

B. raro exhibet: territare (quater), obiectare (quater), rogitare (Aen. 1,750; 10,839), prensare (Aen. 2,444; 12,404), imperitare (Aen. 12,719);

C. nusquam scribit: clamitare, dictitare, noscitare, sciscitari, grassari, incursare.

Digitized by Google

Verumenimvero non solum metri causa poetae talia verba adamare coeperunt. Frequentativa enim in *-sare* vel *-tare* cadentia nihil omnino habebant, cur metrice verbis simplicibus praeferrentur; contra frequentativa, quale est „territare" ultro minus quam simplex „terrere" hexametro idonea erant, utpote quibus nisi ultima syllaba correpta versus hexameter ubique clausus esset. Si nihilominus Vergilius illud verbum libenter recepit (Aen. 4,187; 11,351; 12,262 et 852: semper territat, 1um aut 5um pedem efficiens), iam eo manifesto testatus est, quam sibi cara fuerint quamque apta colori poetico verba illa frequentativa. Meminerimus insuper, quanto in honore fuerint eadem verba apud Catonem Sallustiumque (v. supra p. 346, 349 et Wölfflin l.l. p. 206), ac statim apparebit, historiam quam Quintiliani verbis (X, 1, 31) tamquam "carmen solutum" proponitur, indidem quasi radicitus sucos quosdam hausisse ex lingua cotidiana derivatos. Inter Livium et Tacitum hoc interfuit, quod ille, iam a primo operis initio historicus, paulatim se his poesos vinculis [1]) liberavit, Tacitus e contra, postquam orator et causidicus suum civibus praestare coepit officium et opuscula quaedam perfecit in confinio rhetoricae et historiae sita, postremo vita iam in finem vergente historicus iusto illo nomine dignus exstitit, arti poeticae ideo in dies propior.

51. 7. Iamiam ad cardinem quaestionis perventum est: terminationibus *-erunt* et *-ere* quam vim tribuit Livius tam in prioribus quam in posterioribus libris? Duae hic viae patent, una per exempla ex textu ipso excerpta, quam plurimi iam ante me nequiquam aut parvum inde capientes fructum institerunt, alterum per numeros supra propositos. Hac igitur prius flectamur, ut postea demum ipsius Livi verba consulamus. Ita ambae rationes coniunctae eodem tendentes, ad optatum finem nos pervenire patientur.

8. Alio ordine compositi iidem numeri iterum ante oculos nobis obversentur:

1) Livius ipse, dum testatur revera aliquantulnm interesse inter poetam et historicum (Praef. I § 13: cum .. precationibus deorum dearumque, si ut poetis nobis quoque mos esset, libentius inciperemus, ut orsis tantum operis successus prosperos darent), hoc potius confitetur opus inchoatum cum carminum argumento artissimo vinculo copulari.

Digitized by Google

I—XII	-ēre	:	-runt +	-ēre	= 28,8%
I.	fuere	:	fuerunt +	fuere	= 55,6%
II.	coepēre	:	coepērunt +	coepēre	= 52,6%
III.	-ī(v)ēre	:	-īvērunt +	-īvēre	= 44,4%
IV.	-uēre	:	-uērunt +	-uēre	= 39,7%
V.	-iēre (~ eo)	:	-iērunt +	-iēre	= 32,5%
VI.	-sēre (-ēre)	:	-sērunt +	-sēre	= 28,1%
VII.	-ēvēre	:	-ē(vē)runt +	-ēvēre	= 26%
VIII.	-ēg)ēre	:	-ēg)ērunt +	-ēg)ēre	= 25,4%
				(„venire" et „currere")	
IX.	-āvēre	:	-ā(vē)runt +	-āvēre	= 23,7%
X.	-ēg)ēre	:	-ēg)ērunt +	-ēg)ēre	= 22,9%
XI.	-vēnēre	:	vēnērunt +	vēnēre	= 14,3%
XII.	-currēre	:	currērunt +	currēre	= 4,8%

Hic, si usquam, velut votiva patefacta tabella, se pandit vita linguae poeticae, hebetibus illis numeris prodita.

Nam si attente iuxta posueris hos ordines: I (sum), II (coepi), VIII (Perfecta „fortia" quae dicuntur, sine „veniendi" et „currendi" formis), X (eadem Perfecta receptis formis „veniendi" et „currendi"), XI (venire), XII (currere), statim quasi lex ex his numeris intermortuis loqui videtur: transitum sive mutationem ab *-ere* ad *-erunt* recta via fieri illa, quae duos habeat terminos, sive ut hodie loquuntur, „polos", hinc res ipsas oculis expositas, illinc cogitationes mente tantummodo tangendas comprehendendasve, hinc omnia, quae vivida imagine et arguta descriptione sensum moveant, illinc mentis humanae sive copias abstractas quae dicuntur sive cogitationum reliquias evanidas ac gravissimo iam detrimento affectas. [1])

---

1) Semper eundem explicandi ac mutandi tenorem animadvertas, e. g.

	decrevērunt, -ēre			quiēvērunt,		-ēre	
I decas	3	2	sed:	2	9	5	7
III—V decas	33	4		7		2	

„Decerno" enim ex his verbis est, quae linguae inscriptionum maxime adaequantur et vocem quasi repercussam vitae publicae romanae referunt. Hac in re antiquis temporibus etiam *-ēre* in usu fuisse mirum in modum declarat S. C. de Bacchanalibus (186 a. C.), in cuius prooemio haec leguntur: ... cos. senatum *consoluerunt* .... scribendo *arfuerunt* .... (sequitur textus senatusconsulti in quo quater legitur: *censuere* sc. senatores).

Digitized by Google

Nonne id optime convenit cum supra demonstratis (p. 378 sqq.)? Nam ut Livius per magnam operis molem quo longius progrediebatur, eo magis a poetica descriptione ad rerum gestarum enarrationem se convertit, ex vate factus historicus, ita iam initio operis fecit, quod poetae est, non historici (qualem hodie nobis eum fingimus), scilicet ut res abstractas sermone imbueret a cotidiana loquela procul remoto utque eum sermonem, quotiens cum lingua populari conveniret (e. g. in verbis frequentativis) quasi redivivum novaret vaticinii instinctu, hunc vero in posterioribus partibus novandi conatum magis magisque facere desineret cum rerum describendarum natura permotus, tum propria sui explicatione ac mutatione adductus.

52. Ultimum restat, ut paucis exemplis allatis usum Livianum generatim, i. e. in omnibus partibus obvium, describamus. Nonnullas normas iamiam clarius video:

A. *-erunt* plerumque in fine sententiae ponitur, *-ere* loco paene ultimo.

-ērunt: qui Alba regnarunt [1]) (1, 3 7); Curtium lacum appellarunt (1, 13, 5); quem lituum appellarunt (1, 18, 7); ita duo deinceps reges, ... ille bello hic pace, civitatem auxerunt (1, 21, 6).

-ēre: cui Ascanium parentes dixere nomen (1, 1, 11); inter ... triginta ferme interfuere anni (1, 3, 4).

B. *-ere* saepius – hoc progrediente opere stabilitur et augetur – ibi ponitur, ubi oratio pergit necdum concluditur, *-erunt* claudit sententiam definitumque ei imponit finem. E. g. lib. 21, 1, § 1 et 2: bellum maxime omnium memorabile .. me scripturum, quod .. Carthaginienses cum populo Romano gesserе. nam neque validiores ... contulerunt arma, neque .. et adeo varia fortuna fuit .., ut propius periculum fuerint, qui vicerunt. Infra § 3: certarunt, C. 2 § 2 et 3: intulerunt, distulerunt.

-ēre: victores Aborigines ... ducem Latinum amisere (1, 2, 2); nec deinde Aborigines ... cessere (1, 2, 5); multi mortales

1) *-arunt* in verbis haud ita insignibus etiam paene ultimo loco antefertur *-ārēre* e. g.: quem Romani deinde vocarunt Inuum (1, 5, 2).

Digitized by Google

convenere, studio etiam videndae urbis (1, 9, 8); (Tarquiniam) obrutam armis necavere, seu ut... seu... causā (hic ipsum narrationis summa in verbis: seu... seu positum est, 1, 11, 7); Tenuere tamen arcem Sabini (wisten zich te handhaven op de burcht, 1, 12, 1); non tamen eripuere se hosti (i. e. Romanis): haerens in tergo Romanus... agmine uno inrumpit (1, 14, 11);... portam cepere. quā refractā... urbem invasere. ita Nequinum in dicionem pop. Rom. venit (hoc loco si pluralis fuisset, „venerunt" non „venere" scripsisset Livius, 10, 10, 4).

-erunt: Potitii... antistites... per multas aetates fuerunt, donec... genus omne Potitiorum interiit (zijn inderdaad, zijn met eere geweest ⟨en steeds gebleven⟩ tot den ondergang van de gens, 1, 7, 14); nihil enim per iram... factum est, nec ostenderunt bellum prius quam intulerunt (duae res reapse factae: èt ostenderunt èt simul intulerunt, 1, 11, 5); decreverunt enim, ut... id sic ratum esset, si (1, 17, 9) [1]); Eo anno prodigia multa fuerunt (10, 23, 1)... eodem anno... aediles dixerunt; quorum bonis multatis... simulacra... posuerunt, semitamque straverunt et ab aedilibus plebeis ex pecunia, quam exegerunt..., ludi facti (ib. § 11 sqq.).

C. *-ere* aut sensum debiliorem magisque abstractum habuit (I.) aut maiestate quadam ac nobiliori ornatu augetur, etiam in posterioribus operis partibus (II.).

Exempla:

I. Vide supra numeros relativos (p. 385) ad „fuere" et „coepere" pertinentia; in prima decade e. g. semper „coepere" scribit, numquam „coeperunt"; in tertia „coeperunt" iam principatum tenet ita ut libro 27, 12, 14 demum „coepere" rursus emergat: cedere coepere, quod ubi vidit M., inducit. cecidere in pugna... ad duo milia.

II. In Praefatione libri I tantum *-ere* usurpat (§ 12); alibi: restitere Romani tamquam caelesti voce iussi (1, 12, 7); huc

1) Decreverunt 36 exempla habet, decrevere 6 (= 14,3 %, contra generatim 28,8 % = bis tantum). Sunt hi loci sex: 4, 58, 8; 5, 15, 12; 26, 28, 3; 27, 37, 7; 35, 41, 2; 43, 15, 4; decreverunt in I decade 3, III—V 33, decrevere item 2 ~ 4. V. etiam p. 385 in annot.

Digitized by Google

forsitan referendus sit locus supra laudatus: Tarquiniam necavere (1, 11, 7).

53. Nunciam in eo est, ut contextus quoddam frustum proponere liceat (1,15,1 sqq.): „Belli Fidenatis contagione inritati Veientium animi — nam Fidenates quoque Etrusci fuerunt (zijn inderdaad vroeger geweest). In fines Romanorum excucurrerunt" (exemplum unicum in omni Livio terminationis *-erunt* huius verbi una cum reduplicatione Perfecti; alterum exemplum „concucurrerunt" 29, 8, 10; hic igitur quasi culmen totius capitis est), populabundi magis quam iusti more belli. Itaque ... raptam ex agris praedam portantes Veios rediere. Romanus contra postquam hostem non invēnit,... Tiberim transit (Praesentis forma, n. f.). Quem postquam castra ponere... Veientes audivere, obviam egressi. Ibi rex Romanus vicit; persecutusque fusos hostes, urbe... abstinuit, agros.. vastat..; eaque clade.. subacti Veientes oratores Romam mittunt."

Alter locus (1, 12, 1), quomodo ascendat et descendat narratio Liviana, dilucide monstrat: „Tenuere tamen arcem Sabini (wisten zich te handhaven, v. supra p. 387); atque inde postero die, cum Romanus exercitus... complesset, non prius descenderunt (hoc culmen narrationis, in qua sint protagonistae Sabini, Romani tantum secundas agant partes!) in aequum quam ira et cupiditate reciperandae arcis stimulante animos in adversum Romani subiere". Quo loco dum ordine inusitato (v. supra p. 386 A.) *-erunt* ante finem sententiae, *-ere* rursus in ipso fine collocat, manifesto indicat Livius illud sibi videri praecipuum istius discrepantiae (*-ēre* ~ *-ērunt*) officium atque usum distinguendi, quid quoque loco maioris sit momenti quid minoris.

In superioribus persaepe exempla casu allata sunt, quae legem mihi generalem adumbrare videntur: Perfecta in *-ere* cadentia frequenter cum Praesentibus historicis aut cum Infinitivis historicis commutantur, ita ut praecedant Perfecta, sequantur Praesentia vel Infinitivi, vide e. g. 1, 14, 11.

54. In fine huius disputationis nostrae capitis aliquantum proficiamus comparationem instituentes cum Perfectorum usu, quem invenimus in Livi Periochis. Ibi enim exspectare possumus quasi

Digitized by Google

imaginem stili Liviani nos reperturos, sed paululum mutatam consuetudine linguae vigentis aetate auctoris Periocharum. Haec habemus, quae per se clara voce testantur neque explanatione indigent:

	Livius	Periochae
I decas	-ere 55,9%	-ere 17,6%
III—V „	-ere 17,5%	-ere 0,0%

55. In iudicio cuiusvis loci tria igitur diligentissime distinguenda esse apparet: A. in quo libro legatur; B. quid sit descriptionis narrationisve caput sive culmen, quo tendat oratio et unde descendat; C. quae sit natura significationis isto verbo expressae. Hoc ut in fine fusius doceam, quaedam de verbis primae coniugationis in medium proferre mihi liceat. Ibi enim:

a) tria terminationum genera habent (sc. *-āvērunt* 48 ×, *-ārunt* 25 ×, *-āvēre* 27 × — abdico, creo, comparo, conclamo, im) haec verba: petro, iuvo, loco, muto, nuntio, pugno, turbo. Sunt omnia verba haec singularis momenti. „Nuntio" *-avere* terminationis 2 exempla habet (4, 46, 9; 40, 19, 2), eiusque composita nonnisi *-arunt* exhibent. „Creavere" et „locavere" semel tantum inveniuntur, idque in prima decade.

b) sedecim verba tantummodo *-runt* monstrant: adfirmo, armo, coniuro, curo, damno, dimico, immolo, nego, pronuntio, postulo, renuntio (6 × *-arunt*, 1 × *-averunt*), recito, regno, rogo, tolero, triumpho. Sunt haec verba, quae narrationum in usu semper fuerunt sensu, ut videtur, iam paulum hebetato.

[*Corrigendum.* Supra p. 360 versu 13° a calce paginae scribendum fuit: **34. l.** Quod si nunciam eqs.]

(Continuabuntur).

Digitized by Google

ANTIPHONTEA.

SCRIPSIT

J. H. THIEL.

1. In prolegomenis editionis suae [1]) Gernettius orationem primam ab Antiphonte in formam perfectam non esse redactam, sed semiretrectatam ab eo esse relictam suspicatur. Neque, si consideramus, quam subito vita eius abrupta sit, veri videtur dissimile veterrimam eum orationem suam postea retrectantem atque elaborantem repentina morte, ne correctionem ad finem duceret, esse prohibitum. Quod ex eo Gernettius efficit, quod nonnullis primae orationis locis [2]) duplicationes, ut ita dicam, atque iterationes sententiarum (nos *doubletten*) exstare videntur, ita ut duae deinceps sententiae verbis paullulum mutatis prorsus idem exprimant; quas, si Gernettio credimus, coagmentasset vel alteram delevisset, ni morte aliove casu prohibitus foret [3]). Tamen locos, quibus Gernettius tales sententiarum iterationes se invenisse putat, acrius inspicere necnon inquirere num aliis quoque locis ab eo neglectis eadem correctionis neglectio deprehendi possit, mihi quidem haud inutile videtur. Sed pauca de editoris hodierni officio praemittere liceat: si editor iterationem talem se repperisse credit, manus a textu abstineto. Nam textum hactenus corrigere edi-

1) *Antiphon Discours* (1923) p. 19 sq.

2) 1, 7; 1, 12; cf. etiam 6, 51, ubi procul dubio talem duplicationem incorrectam habes.

3) Qualis rei optimum exemplum praebere Platonis epistulam septimam Howaldius in editione sua egregie demonstravit (*Die Briefe Platons* (1923) p. 10 sq.).

Digitized by Google

toris negotium est, ut per codicum corruptam saepe traditionem ad ipsius auctoris verba penetret. Ubi vero auctor ipse textum elaborare neglexit incorrectumque reliquit, editor emendare ne conetur. Nam quis eo arrogantiae procedat, ut ipsos auctores Graecos corrigere studeat? Quod tamen facit Gernettius: ubi sententiarum iterationem deprendisse sibi videtur, alteram sententiam uncis includendo ipsum auctorem misellum e textu, ut ita dicam, eicit.

Sed iam locos, de quibus agitur, propius inspiciamus. Septimae paragraphi postremae sententiae aliis verbis eundem fere sensum praebent. Itaque hic molestam iterationem Antiphontem incorrectam reliquisse libenter Gernettio concederem, nisi Wilamowitzius [1]) interpunctione verborum leviter mutata textum ita constituisset: *πῶς οὖν; περὶ τούτων, ὦ δικάζοντες, αὐτὸν εἰκὸς εἰδέναι, ὧν γε τὴν ἀλήθειαν οὐκ εἴληφε.* Iam inepta iteratio abolita est: ipse orator acerbe sibi respondet, iudicibus suspicionem iniciens adversarium matris culpam optime nosse ideoque servos dedere noluisse.

Quod attinet ad paragraphum duodecimam, ubi Gernettius verba *εἰ γὰρ τούτων..... μὴ ἠθέλησαν δοῦναι* uncis includit, nihilo magis ei assentior. Nam verba ab eo damnata non prorsus idem valent atque praecedentia neque meram tautologiam hic deprehendimus. Ita enim ferme ratiocinatur orator: „si mihi servos ipsi sua sponte obtulissent, ego vero accipere noluissem, id in conscientiam ducendo me causae meae diffidere affirmassent (§ 11 *καίτοι.... τῷ Φόνῳ.*). Nunc autem ex contrario ego servos in tormenta petivi, *illi recusaverunt*; itaque iam illos potius matris causae diffidere culpaeque sibi conscios esse concludere licet". Verum *illos recusavisse* ultima paragraphi undecimae sententia non exprimitur, ubi hoc tantum dicit orator, se servos in quaestionem petisse: *recusationem* secunda demum paragraphi duodecimae sententia (*αὐτοὶ μὴ ἠθέλησαν δοῦναι*) memorat, postquam verbis *εἰ γὰρ.... τεκμήρια* initium paragraphi undecimae resumpsit. Itaque de mera duplicatione non agitur Gernettiusque priorem paragraphi duodecimae partem delendo oratoris ratiocinationi praecipuam partem exsecare conatur.

1) *Hermes* 1887, p. 202.

Digitized by Google

Sane oratorem id quod voluit quam maxime verbose atque inscite expressisse Gernettio concedo; sed ne obliviscatur accusatorem adulescentulum esse, vix sui iuris factum, qui primum prodeat in forum idque causam agens debilissimam iudicibusque invidiosam. Si Antiphon timiditatem eius laeva atque inscita sententiarum verborumque conformatione exprimere quodammodo conatus est, nil est quod miremur. Oratione levi atque fiduciae plena utique causam perdidisset.

Itaque locis, quibus Gernettius nititur, nil demonstrari censeo. Attamen alio orationis loco, quem Gernettius neglexit (§§ 26–27), duplicationem me invenisse puto, quae coniecturae eius succurrere videtur. Totam amplificationem iam antea [1]) tractavi (§§ 21—27); quamvis iterationibus scateat, tamen oratorem eam totam incorrectam reliquisse non putaverim, quoniam satis facile hic currit oratio. Immo data opera variis verbis iterum atque iterum eadem dicit, ut iudicibus imponat minusque debilis causa videatur quam revera est. Tamen insunt quaedam, quae explicari haud facile possunt: verba *οὕτω δέ τοι* (§ 27 initio) cum praecedentibus non apte cohaerent. Maetznerus lacunam suspicatur, alii (Reiske, v. Herwerden) coniecturis textum sanare conati sunt. Mihi autem hic vera duplicatio latere videtur; verba enim *οὕτω δέ τοι* cum tota paragrapho vicesima septima egregie coniungi possunt cum prima paragraphi vicesimae sextae sententia (*ἡ μὲν ἑκουσίως καὶ βουλεύσασα ἀπέκτεινεν, ὁ δ' ἀκουσίως καὶ βιαίως ἀπέθανε.*). Si verba *πῶς γὰρ.... ἀπώλεσεν*; (26) tollimus, optima evadit continuatio; quod vel maxime ex eo apparet quod iam mirae verborum complexiones *ἀκουσίως ἀπέθανε* et *ἀκουσίοις παθήμασι* arte coniunguntur. Contra verba quoque *πῶς γὰρ.... ἀπώλεσεν*; cum voce *βιαίως* primae sententiae arcte coniuncta sunt. Ecce duplicatio deprehensa! Antiphon dubitans quid verbis *ἡ μὲν.... ἀπέθανε* (*a*) adiungeret, duplicem adumbrationem in manuscripto suo reliquit, cuius pars prior (*b*[1]) soli voci *βιαίως* adiungitur, altera (*b*[2]) toti sententiae *a* accurate respondet; ambae autem (*b*[1], *b*[2]) ream miseratione indignam esse affirmant quod mariti ipsa non sit miserita:

1) *Mnem.* LVI, p. 83 sq.

Digitized by Google

a ἡ μὲν ἑκουσίως καὶ βουλεύσασα ἀπέκτεινεν, ὁ δ' ἀκουσίως καὶ βιαίως ἀπέθανε.

*b*¹ πῶς γὰρ οὐ βιαίως ἀπέθανεν, ὦ ἄνδρες, ὅς γ' ἐκπλεῖν ἔμελλεν ἐκ τῆς γῆς τῆσδε, παρά τε ἀνδρὶ Φίλῳ αὐτοῦ εἱστιᾶτο; ἡ δὲ πέμψασα τὸ Φάρμακον καὶ κελεύσασα ἐκείνῳ δοῦναι πιεῖν ἀπέκτεινεν ἡμῶν τὸν πατέρα, πῶς οὖν ταύτην ἐλεεῖν ἄξιόν ἐστιν ἢ αἰδοῦς τυγχάνειν παρ' ὑμῶν ἢ ἄλλου του, ἥτις αὐτὴ οὐκ ἠξίωσεν ἐλεῆσαι τὸν ἐχυτῆς ἄνδρα, ἀλλ' ἀνοσίως καὶ αἰσχρῶς ἀπώλεσεν;

*b*² οὕτω δέ τοι καὶ ἐλεεῖν ἐπὶ τοῖς ἀκουσίοις παθήμασι μᾶλλον προσήκει ἢ τοῖς ἑκουσίοις καὶ ἐκ προνοίας ἀδικήμασι καὶ ἁμαρτήμασι. καὶ ὥσπερ ἐκεῖνον αὖτη οὔτε θεούς οὔθ' ἥρωας οὔτ' ἀνθρώπους αἰσχυνθεῖσα οὐδὲ δείσασ' ἀπώλεσεν, οὕτω καὶ αὐτὴ ὑφ' ὑμῶν καὶ τοῦ δικαίου ἀπολομένη, καὶ μὴ τυχοῦσα μήτ' αἰδοῦς μήτ' ἐλέου μήτ' αἰσχύνης μηδεμιᾶς παρ' ὑμῶν, τῆς δικαιοτάτης ἂν τύχοι τιμωρίας.

Itaque Antiphontem orationem retractasse, sed hoc loco non prorsus elaborasse puto.

2. De uno iam loco eoque difficillimo pauca addere liceat. In paragrapho tertia haec leguntur: Δέομαι δ' ὑμῶν, ὦ ἄνδρες,..... τιμωρῆσαι πρῶτον μὲν τοῖς νόμοις τοῖς ὑμετέροις, οὓς παρὰ τῶν θεῶν καὶ τῶν προγόνων δικδεξάμενοι κατὰ τὸ αὐτὸ ἐκείνοις περὶ τῆς καταψηφίσεως δικάζετε, δεύτερον δὲ κτλ. Verba περὶ τῆς καταψηφίσεως sensum bonum non praebentia ab editoribus nonnullis deleta sunt; quae quoniam emendandi ratio nimis violenta videtur, aliud substantivum in vocis καταψηφίσεως locum substituere praestiterit. Sensus totius sententiae hic est: Leges violatae vobis vindicandae sunt (cf. 24); nam sacrae leges sunt, quippe quas di maioresque vobis tradiderint (5, 14; 6, 2), ideoque haud secus atque illi leges illas sacratas iudicando vindicare soletis. Itaque me quidem iudice requiritur substantivum *violationem* significans et quamvis dubitanter καταπατήσεως pro voce καταψηφίσεως coniecerim, quae vox optime verbo τιμωρῆσαι opponitur. Nam quamquam apud Antiphontem nusquam eam exstare haud ignoro, multa imprimis substantiva verbalia eum primum usurpavisse atque in linguam Graecam introduxisse omnibus notum est; πατεῖν vero τοὺς νόμους usitata

Digitized by Google

apud Graecos est metaphora. Itaque vertendum est: Oro vos, iudices, ut primum leges vestras vindicetis, quibus a dis maioribusque acceptis haud secus quam illi de earum violatione iudicium facere soleatis, e. q. s. Litteris πατ foramine chartae interceptis postea perperam alias (ψηφ) per coniecturam esse substitutas suspicor.

Digitized by Google

DE TRIBUTO, QUOD ΕΙΣΦΟΡΑ DICITUR.

SCRIPSIT

B. A. VAN GRONINGEN.

Verbum, quod est εἰσφορά, de rebus pecuniariis usurpatum, non semper idem significat. Sensus est generalis *eius quod infertur*, sicut apud Xenophontem argentum, quod in domum suam infert maritus (*Oecon.* VII 40), et merces, quam conductor solvit (*de vect.* IV 49), ita vocatur [1]). Sensus alter est peculiaris, qui ad rationes publicas, ad civitatium rem nummariam pertinet; eum solum volumus. Post Christum fere natum nostro vocabulo designant cuiuscumque generis tributorum vectigaliumque solutionem, ut in papyris Aegyptiacis aetatis Romanae [2]). Antea vero in regnis, quae hellenistica vocamus, ut recte exposuit H. Francotte [3]), εἰσφορά dicitur summa pecuniae extra ordinem rege iubente a subiectis collata; ita in Aegypto secundo a. C. n. saeculo a colonis Graecis [4]). Ante Alexandrum Magnum erat sui generis tributum, quod et a muneribus, quae λειτουργίαι, et a vectigalibus, quae τέλη vocabantur, differebat. Quatenus distent εἰσφορά et λειτουργία,

1) Nisi ἀποφορά aut προσφορά emendandum est. Eodem sensu generali legis verbum εἰσφέρειν apud Aristotelem (*Eth. mai.* V 7 p. 1131 *b* 29).

2) Cf. Preisigke, *Wörterbuch* s. v. Verbum εἰσφέρειν iam antea ita dicitur: e. g. titulus Erythraeus (Ditt. *Syll.*[3] 285, 7 anni fortasse a. C. n. 334) habet χρήματα εἰσφέρειν ἄτοκα, cum agit de pecunia civitati sine foenere ab uno e civibus mutua data; item [Arist.] *Oecon.* II p. 1347 *a* 2, de metoeco qui tertiam hypothecae partem civitati concedit.

3) *Les finances des cités Grecques* p. 65 sq.

4) Cf. Grenfell, Hunt, Smyly, *Tebtunis papyri* I 1902 p. 431: *the* εἰσφορά *seems to have been an irregular impost levied on different classes of landowners at various times* (κατὰ καιρόν).

Digitized by Google

non est cur repetamus. Verum quid intersit inter εἰσφορήν et τέλος, quam diligentissime possimus, post alios definiamus: apparet εἰσφορήν fuisse partem totius patrimonii, quam quis iubeatur semel in aerarium deferre, cum ea civitati opus sit ad rem extraordinariam gerendam, τέλη contra ea, quae (redemptoribus plerumque intercedentibus, sed id minus refert) de certis rebus quae possideantur sive emantur vendanturve sive transportentur, ordine exigantur. Is cui εἰσφορά iniungitur, novit omnium rerum, quas possideat, summam, τὴν οὐσίαν, ut Graeci aiunt, quadam parte minutum iri, sed id quoque novit sibi posthac, nisi denuo expressis verbis a civitate nova imperata sit, alteram partem non esse pendendam; sed, ubi primum τέλος decretum est, nemo invenitur quin sciat sibi et nunc et semper, nisi expressis verbis aboleatur, id solvendum esse, dummodo habeat vel faciat id cui novum vectigal iniunctum sit.

De tota igitur fortuna ἡ εἰσφορά penditur. Ne quis opponat Platonem (*Leges* XII p. 955 *d*) duo εἰσφορῶν genera novisse, cum dicat: ὅπως ἂν δυοῖν οὔσαιν ταῖν εἰσφοραῖν, ὁποτέρᾳ τὸ δημόσιον βούληται, χρῆται κατ' ἐνιαυτὸν ἕκαστον βουλευομένων ἐάν τε τοῦ τιμήματος ὅλου μέρει ἐάν τε τῆς γενομένης ἐπ' ἐνιαυτὸν ἑκάστοτε προσόδου, quarum alteram civium annuis reditibus constare. Εἰσφορήν enim ἀπὸ τῶν προσόδων alias frustra quaeras neque dubium videtur quin philosophus novam civitatem mente sibi fingens, ubi etiam — mirabile dictu! — τέλη desint et mercatura rerum exportandarum et invehendarum privatis interdicatur [1]), novum quoque tributi genus sibi proponere debuerit; cui communis tributi, quod satis simile erat, dedit nomen [2]). Neve magis inferat quis non verae fortunae imponi tributum, de quo agimus, sed τιμήματι cuidam τῆς οὐσίας, quippe quod certe totius patrimonii sit imago et aestimatio, qua celerius faciliusque ratiocinentur. Postremo operae pretium est meminisse vocem, quae est ἡ οὐσία, non idem fortasse significavisse semper: antiquitus enim ad fortunam constituendam sola

1) Cf. *Leges* VIII p. 847 *b* et 850 *b*.

2) Cf. imprimis Boeckh–Fraenkel, *Staath. der Athener*[3] I p. 594 sq.; Pauly–Wissowa *R.-E.* s. v. (Boerner); Daremberg–Saglio *Dict. d. Ant.* s. v. (Lécrivain); Thumser, *de civium Ath. muneribus* (Vindob. 1880) p. 16 sq.

Digitized by Google

valuisse videtur agrorum possessio, sed Athenis saeculo quarto ad *οὐσίαν* certe pertinebant servi, pecus, nummi. Integrum tamen manet *ἀπὸ τῆσ οὐσίασ τὴν εἰσφοράν* solvi.

Quod autem extra ordinem cogitur neque communibus civitatium reditibus annumeranda est, id ubique patet.

Nunc ad res minus certas revocare satis habebimus; utrum recta an falsa protulerim, viderint alii.

I. De Atheniensium *εἰσφορᾶσ* origine [1]). Thucydides contendit (III 19) anno 428 primam Athenis fuisse *εἰσφοράν*. Sed utrum ab omni tempore an ab initio belli Peloponnesiaci primam voluerit, iam diu in dubium vocatur neque e contextu ipso, si quid video, diiudicari potest. Exstat sane etiam titulus Atticus (*I. G.* I 42) in quo bis suppletur *ἐσφορά* semelque legitur *χρεμάτων ἐσφο[ρά*; qui si procul ullo dubio inter annos 446—5 et 432—1 conscriptus esset, quod equidem putant, et rationem et contextum praeberet, aperte doceret utro modo Thucydidea verba interpretanda essent. Nunc alia ratio ineunda.

Mihi quidem videtur *ἡ εἰσφορά*, hoc vel alio nomine designata, apud Graecos re semper usitata fuisse. In antiquis illis civitatibus, quarum imaginem auctores magis adumbrant quam exprimunt, tributa et vectigalia annua vix ullius momenti erant: gratis ferme honorisque causa muneribus fungebantur magistratus, suis sumptibus militabant cives [2]). Si quando plura, quam quibus opus erat, civitas acceperat, iure et ratione pars residua inter cives distribuebatur; ita dividi belli praedam probat saepius Homerus (e. g. A 367 sq.: *τὴν δὲ διεπράθομέν τε καὶ ἤγομεν ἐνθάδε πάντα· καὶ τὰ μὲν εὖ δάσσαντο μετὰ σφίσιν υἷεσ Ἀχαιῶν*), alios reditus Herodotus (de Siphniis III 57: *αὐτοὶ δὲ τὰ γινόμενα τῷ ἐνιαυτῷ ἑκάστῳ χρήματα διενέμοντο*) et Polyaenus (de Atheniensibus, *Strat.* I 30, 16: *Θεμιστοκλῆσ ἐν τῷ πρὸσ Αἰγινήτασ πολέμῳ μελλόντων Ἀθηναίων τὴν ἐκ τῶν ἀργυρείων πρόσοδον, ἑκατὸν τάλαντα, διανέμεσθαι, κωλύσασ κτλ.*). Item,

1) Quae de Athenis expositurus sum, fieri potest ut etiam ad alias urbes pertinuerint, sed de his vix quicquam novimus.

2) Cf. Beloch, *Griech. Gesch.* II 1 p. 116.

Digitized by Google

si quando extra ordinem nescio quem ad usum copiis ei opus erat, eodem iure nec alia ratione a civibus eas exigebat; quod iterum docet Homerus (ν 13—4 Alcinous: ἀλλ' ἄγε οἱ δῶμεν, inquit, τρίποδα μέγαν ἠδὲ λέβητα ἀνδρακάς· ἡμεῖς δ' αὖτε ἀγειρόμενοι κατὰ δῆμον τισόμεθα. Cf. P 225, β 78, τ 197, χ 55). Quin etiam inter δῶρα illa herois regibus non sponte sed iussu oblata et εἰσφοράν nihil interest praeter nomen ipsum, cum in liberis civitatibus non dono cuiquam detur sed reipublicae inferatur.

Ea dona vel tributa cogendi duae sunt viae et rationes, altera simplicior et minus iusta, altera difficilior et aequior. Potest enim ab unoquoque cive idem exigi nulla fortunae ratione habita; id Syracusis factum esse a Dionysio tyranno legimus apud [Arist.] *Oecon.* II p. 1349 a 25: Τριήρεισ τε ναυπηγεῖσθαι μέλλων ᾔδει ὅτι δεήσοιτο χρημάτων. Ἐκκλησίαν οὖν συναγαγὼν ἔφη πόλιν αὐτῷ τινα προδίδοσθαι, εἰσ ἣν δεῖσθαι χρημάτων, ἠξίου τε αὐτῷ τοὺσ πολίτασ εἰσενέγκαι δύο στατῆραρ ἕκαστον· οἱ δ' εἰσήνεγκαν κτλ. [1]) Sed etiam potest a ditioribus summa maior, a pauperioribus minor exigi, id quod antiquitus ab ipsis colligentibus aequitate motis in colligendo fieri potuit: civi cuique erat sua agrorum pars, quam saepe lege vetabatur venumdare. Quae cum omnibus esset conspicua, leve erat fortunae rationem quandam habere, etsi libido vix evitaretur; inde etiam paulatim iustiorem rationem circumspexerunt. Hic autem sponte occurrit inquirere utrum redituum an ipsius fortunae ratio habita sit, utrum in aestimando quantum cuique pendendum esset, quaesiverint quantum valerent agri ipsi an quantus esset eorum fructus; unde discemus fueritne ab initio ἡ εἰσφορά tributum toti patrimonio impositum. Discemusne revera? Quantum valeat ager, nos argenti summa enuntiamus. Sed antequam moris fuit ut pretia auro argento aere exprimerent, cum oeconomia esset naturalis, ut aiunt, alia ratione idem consequendum erat. Ut multarum rerum, ita agri pre-

1) Nescio annon recte hoc impositum ἐπικεφάλαιον vocet A. M. Andreades in optima Ἱστορία Ἑλλην. Δημοσ. Οἰκονομίασ I 1926 p. 148, cum probabile videatur id non solutum esse ab omnibus hominibus, sed a solis civibus; capitatio autem sexum et aetatem vix distinguit et verum τέλοσ est; porro capitatio quaedam extraordinaria iusta εἰσφορά est.

Digitized by Google

tium poterat quidem boum numero designari, sed huius rationis, quae etiam difficilis videtur, quia terra vix in mercium numero habebatur, non invenitur ullum testimonium et exemplum. Non fuit vere aequior faciliorque aestimandi modus quam quo dicebatur quantus esset ordinarius fructus reditusque, non dico quantum nunc ex agro redeat, neque magis quantam fore speremus huius anni messem, nec quantam sciamus fuisse prioris, sed quantum aestimet agri culturae peritus vir ex eo producere posse constantem laborem. Quod si verum, non recte distinguas fructuum pretium ab agri pretio sed reditum ordinarium et perite aestimatum ab eo reditu quem singuli anni varium ferant; itaque potius hic occurrit inquirere utrum in constituendo quantum cuique pendendum esset, quaesiverint quantum ordine tulerint agri an quantum eo anno quo exigeretur. Εἰσφορά autem si de ordinario reditu solvebatur, etiamsi forte priore anno vix quicquam produxerat ager aut contra proxima messis laetissima fore videbatur, si igitur spectabatur non quantum re exaravisset dominus sed quantum ordine exarare posset, enuntiare possumus eam semper fuisse id quod postea fuit, tributum quod patrimoniis imponebatur. Haud facile alterutrum eligas, cum argumenta fere desint. Unum tamen gravissimum esse duco, quod mihi quidem rem decernit: semper rebus urgentibus statim eam solvere iubebantur, si hieme ea opus erat, hieme, si aestate, aestate; partem autem anni fructuum nullo alio tempore facile colligerent nisi post messem nuper factam; summam vero secundum possessiones, i. e. secundum ordinarios reditus constitutam nullo tempore non iuste cogerent.

Distant ergo inter se εἰσφορά et δεκάτη τῶν γιγνομένων, nam decima singulis annis infertur ex singulorum annorum fructibus, ut par est. Itaque iniuria nonnulli decimam, quam Pisistratus eiusque filii Atheniensibus imposuerunt [1]), εἰσφοράν vocant

1) Non inter se pugnant Thucydides (VI 54), qui vicesimam, et Aristoteles (*Ath. resp.* XVI 4), qui decimam partem dicit, ut recte vidit Andreades *o. l.* p. 149 n. 2: nam δεκάτη est nomen generis, quod quale vectigal, εἰκοστή nomen speciei, quod quota pars exigatur designat. Cf. quod narrant de agricola illo, cui immunitatem dederit Pisistratus, Aristoteles (*Ath. resp.* XVI 6) et Diodorus Siculus (IX 37, 2—3), e quibus, ni fallor, patet eius viri terram revera

Digitized by Google

vel quasi parentem et exemplum eiusdem [1]). Immo erat ordinarium vectigal, iustum τέλος [2]), quod semel constitutum sed diu solutum est.

Potius ad aliam collationem vertamus oculos, quae Athenis procul dubio sexto saeculo fiebat; τὰ ναυκραρικά volo, quae certe ad classem instruendam, cum usus fiebat, a civibus solvebantur; ad ea designanda vocibus, quae sunt εἰσφέρειν et εἰσφορά, utebantur. Legimus enim apud Aristotelem (*Ath. resp.* VIII 3): ἦν δ' ἐπὶ τῶν ναυκραριῶν (Solonis aetate) ἀρχὴ καθεστηκυῖα ναύκραροι, τεταγμένη πρός τε τὰς εἰσφορὰς καὶ τὰς δαπάνας, quocum conferendus Pollux (VIII 108): τὰς δὲ εἰσφορὰς τὰς κατὰ δήμους διεχειροτόνουν οὗτοι (naucrari) καὶ τὰ ἐξ αὐτῶν ἀναλώματα, et Hesychius (s. v. ναύκλαροι): οἵτινες ἀφ' ἑκάστης χώρας τὰς εἰσφορὰς ἐξέλεγον, ὕστερον δὲ δήμαρχοι ἐκλήθησαν (cf. Arist. XXI 5). Ne acta repetam, inspicere lectorem iubeo disputationem magni pretii, in quae G. Glotz τὰ ναυκραρικά et rem classicam Atheniensium antiquam comparavit cum iis, quae de Alcinoo, Scheriae rege, cum Ulyxem remittere vellet, composuit Homerus [3]). Id nunciam satis demonstratum esse puto τὴν εἰσφοράν, de qua loco laudato Thucydides, non quasi e caelo decidisse, sed ad priscum exemplum esse decretam. Fieri quoque potest, id quod tamen pro certo non affirmem, naucraricum tributum non solum naves armandi causa sed etiam ad alias res efficiendas exactum esse. Quod si verum, nil fere distant antiquum naucraricum et εἰσφορά recentior. Iam huius paragraphi finem faciamus, sed unum addatur: saeculo, quo Solo floruit, ad naucrarica destinanda usi esse naucrari videntur ea fortunarum aestimatione, quae etiam cives

---

culturae minime idoneam, agrum verum non fuisse; agricola tamen δεκάτην τῶν γιγνομένων tyranno deferre cogebatur. Me iudice ad εἰσφοράν pendendam tale praedium vix adhibebatur, cum recta ordinarii reditus aestimatio proclamare deberet nihil fere ex eo redire posse. Sed nescio an tota narratio sit ficta.

1) Francotte *o. l.* p. 25: *Les Athéniens ont d'abord connu l'eisphora sous la forme très simple d'une dîme;* Beloch *o. l.* p. 117; Busolt, *Griech. Gesch.* II p. 226 in adnot., alios.

2) Eiusmodi decimarum testimonia composuit Francotte *o. l.* p. 50 sq.

3) *La marine et la cité de l'épopée à l'histoire (Etudes sur l'antiquité Grecque* 1906 p. 229 sq.).

Digitized by Google

in quattuor illas classes distribuebat. Qua enim de causa bis aestimarent, cum semel satis esset? [1])

II. Arist. Polit. E 11 p. 1313 b 18 sq. Tyrannum variis rationibus potestatem suam servare et augere posse necnon debere Aristoteles philosophus contendit; inter quas loco laudato etiam hanc tradit: Καὶ τὸ πένητας ποιεῖν τοὺς ἀρχομένους τυραννικόν, ὅπως μήτε φυλακὴν τρέφηται καὶ πρὸς τῷ καθ' ἡμέραν ὄντες ἄσχολοι ὦσιν ἐπιβουλεύειν. Παράδειγμα δὲ τούτου αἵ τε πυραμίδες αἱ περὶ Αἴγυπτον καὶ τὰ ἀναθήματα τῶν Κυψελιδῶν καὶ τοῦ Ὀλυμπίου ἡ οἰκοδόμησις ὑπὸ τῶν Πεισιστρατιδῶν καὶ τῶν περὶ Σάμον, ἔργα Πολυκράτεια (πάντα γὰρ ταῦτα δύναται ταὐτόν, ἀσχολίαν καὶ πενίαν τῶν ἀρχομένων)· καὶ ἡ εἰσφορὰ τῶν τελῶν, οἷον ἐν Συρακούσαις (ἐν πέντε γὰρ ἔτεσιν ἐπὶ Διονυσίου τὴν οὐσίαν ἅπασαν εἰσενηνοχέναι συνέβαινεν). Textum exscripsi quem in Bibliotheca Teubneriana post F. Susemihl edidit O. Immisch, ut qui optime interpunctus sit. Sola nunc volo verba, quae sunt καὶ ἡ εἰσφορὰ τῶν τελῶν; utrum cetera recte legantur an mutanda sint, quaerere supersedeo. Illa autem defendi non posse mihi videntur his de causis. Primo neque apud Aristotelem neque, quantum video, ante eum ea locutio invenitur, nec magis dicitur τέλη εἰσφέρειν (vide tamen Aen. Tact. 13). Alterum est quod noster εἰσφοράν semper, uno loco excepto, sensu peculiari, quem supra enuntiavimus, dicit. Omnes locos recenseamus deinceps.

1) *Polit.* Z p. 1322 b 13: ἡ γὰρ αὐτὴ (scil. ἀρχὴ μάλιστα κυρία πάντων) πολλάκις ἔχει τὸ τέλος καὶ τὴν εἰσφοράν: *eidem illi summo magistratui saepe et efficiendi et proponendi potestas est.* Ut enim apud auctores et in titulis is qui de

1) Si recte supra (p. 398—9) disputavi, antiquae illae classes non secundum reditum sed secundum praediorum pretia distinctae erant: pentacosiomedimni ab origine erant ii, qui terras possiderent e quibus ordine quingentos modios metere possent. Terrasne solas etiam Solo voluit? Id in dubium revocatur U. Wilckeni coniectura palmari (*Zu Solons Schatzungsklassen*, *Hermes* 1928 p. 236—8), qui apud Plutarchum legit (*vita Sol.* 23): εἰσ μέν γε τὰ τιμήματα τῶν οὐσιῶν (pro θυσιῶν) λογίζεται πρόβατον καὶ δραχμὴν ἀντὶ μεδίμνου. Quae si recte de Solonis ipsius decreto dicuntur nec ad ulteriorem constitutionem pertinent — quod diligenter quaerendum erit — atque si iure conicio unam classium et tributi fuisse aestimationem, apparet iam saeculo sexto Athenis res quoque moventes mobilesque τῇ οὐσίᾳ annumeratas esse. Quod vix crediderim.

Digitized by Google

aliqua re apud populum agit relationemque facit εἰσφέρειν τι dicitur, sic est εἰσφορά propositio et illatio quaedam novae rei [1]). Nostro tamen loco minus apta videtur esse talis interpretatio. Num proponit tyrannus? Immo decernit et imperat. Accedit quod proclamaret philosophus tyrannorum fuisse proprium vectigalium institutionem (nota articulos ἡ et τῶν!); sed nusquam non pendebantur τέλη nullaque fuit apud Graecos civitas quin rationes suas ante cetera iis firmaret: quod autem semper et ubique fit, non recte exempli causa de una republica affertur. Quid plura? De propositione tributorum hic non agitur. Ceteri loci Aristotelici, quos nunc ad verbum citabo, interpretationem vix desiderant.

2) *Ath. resp.* VIII 3, cf. supra p. 400.

3) *Polit.* B p. 1271 b 11: οὔτε γὰρ ἐν τῷ κοινῷ τῆς πόλεως (Spartae) ἔστιν οὐδὲν πολέμους μεγάλους ἀναγκαζομένοις πολεμεῖν, εἰσφέρουσί τε κακῶς· διὰ γὰρ τὸ τῶν Σπαρτιατῶν εἶναι τὴν πλείστην γῆν οὐκ ἐξετάζουσιν ἀλλήλων τὰς εἰσφοράς. Agitur de tributis extra ordinem ad bella gerenda exactis.

4) *Polit.* E p. 1314 b 14: ἔπειτα τὰς εἰσφορὰς καὶ τὰς λειτουργίας δεῖ (τὸν τύραννον) φαίνεσθαι τῆς τε οἰκονομίας ἕνεκα συνάγοντα κἂν ποτε δεηθῇ χρῆσθαι πρὸς τοὺς πολεμικοὺς καιρούς. Idem hic praedicandum.

5) *Polit.* Z p. 1320 a 20: ἀπό τε γὰρ εἰσφορᾶς καὶ δημεύσεως ἀναγκαῖον γίνεσθαι (scil. τὸν τῶν ἐκκλησιαστῶν μισθόν) καὶ δικαστηρίων φαύλων. Cum recta et ordinaria vectigalia non iam sufficiunt, ad bona publicata et tributa extra ordinem imperata ut decurrat cogitur populus.

6) *Rhet. ad Alex.* p. 1425 b 25: ἀπὸ τιμημάτων ἀναγκαῖον ποιήσασθαι τὰς εἰσφοράς. Semper eundem sensum invenimus et apparet nostrum, uno loco excepto, εἰσφοράν semper vocavisse id tributum quod supra definivimus.

Quid nunc sibi velit καὶ ἡ τῶν τελῶν εἰσφορά? Reliquum est ut vertamus illationem vel pensitationem vectigalium, quamquam sermoni Aristotelico id non conveniat [2]). Sed iterum

1) Nonne id voluit Stahr qui (anno 1860) vertit: *die Einrichtung einer Vermögenssteuer?*

2) Ita vertunt multi veteres quos citavit I. G. Schneider in editione anni 1809 (II p. 350); item Droysen, *Kl. Schriften* II p. 317: *die Zahlung der Steuern*;

Digitized by Google

in salebras incidimus; nam cives suos pauperes reddere tyrannum τελῶν numeratione non probatur, cum, ut supra exposuimus, ea ubique exstarent. Porro, si voluisset auctor tam gravem collationem quam fuerit Syracusis [1]), legeremus: καὶ [ἡ] [2]) εἰσφορὰ τῶν τελῶν ὅση ἐν Συρακούσαις. Postremo num exspectes sermonem fieri de pensitatione vectigalium, ubi semper ea referantur quae ipsi tyranno facienda sint (cives a civibus distrahere, bella bellis addere, efficere ut omnia in aperto publicoque fiant)? Nonne quaerit ratio sensum exigendi, vocabulum εἰσπράξεως?

His perpensis me quidem iudice luce clarius est verba quae tracto non recte legi; credo equidem interclusis vocibus, quae sunt τῶν τελῶν, legendum esse: καὶ ἡ εἰσφορά [τῶν τελῶν], οἷον ἐν Συρακούσαις; credo irrepsisse glossema nescio cuius, cui εἰσφορά pensitationem significaret, aut notam in margine aut inter lineas positam: ⟨α (= ἓν)⟩ τῶν τελῶν, et ipsam minus rectam. Si vera conicio, eam εἰσφοράν, quam supra definivimus, a tyrannis libenter et frequenter, ut populus pauper fieret, adhibitam esse philosophus declarat. Cum autem ea quae de Cypselidis, de Pisistratidis, de Polycrate attulit, aliam vim rationemque habuisse minusque infauste interpretanda esse videantur, quod tyrannis infestissimus fuerit Aristoteles, ita potius vertamus: id tributum tyrannicarum rationum proprium fuisse, eo praesertim nisam esse tyrannorum rem nummariam, id potissimum a civibus tyrannos exegisse et quidem sine modo exegisse, ut a Syracusanis Dionysius. Rectene ea contendit?

Iam primum meminerimus eiusdem sententiam, quae paulo supra exscripta est (*Polit.* E p. 1314 b 14), ubi affirmat tyranno id agendum esse ut τὰς εἰσφορὰς καὶ τὰς λειτουργίας communi bono conferre videatur, de vectigalibus autem tacet.

---

necnon Congreve in editione anni 1874 (p. 390): *the bringing in, or payment of the taxes*; qui tamen gravatur: *there seems something wanting here.* Ipse Schneider *l.l.* observat: *Valde vereor ut hic locus sit sanus: τέλη enim ab εἰσφοραῖς diversa sunt.*

1) Cf. Welldon in versione anni 1888 (p. 394): *heavy taxation*; Jowett in versione anni 1905: *to multiply taxes*; Susemihl anno 1879: *solche hohe Einkommensteuer.* Plurimi liberius vertunt.

2) Articulus deest in codice Ha (Hamiltoniano).

Digitized by Google

Tum ad ea conscribenda exemplo usus est Platone, qui in libro de Republica exponit quo modo tyrannus e democratia natus et ortus principioque plebis patronus et vindex magis magisque ut ei noceat cogatur et postremo eius inimicus et oppressor evadat. Quod autem in fine habet Aristoteles (p. 1313 b 28: *ἔστι δὲ καὶ πολεμοποιὸς ὁ τύραννος ὅπως δὴ ἄσχολοί τε ὦσι καὶ ἡγεμόνος ἐν χρείᾳ διατελῶσιν ὄντες*), id apud Platonem primum his verbis exprimitur (VIII p. 566 *e* 8): *Πρῶτον μὲν πολέμους τινὰς ἀεὶ κινεῖ* (tyrannus) *ἵν' ἐν χρείᾳ ἡγεμόνος ὁ δῆμος ᾖ.* — *Εἰκός γε.* — *Οὐκοῦν καὶ ἵνα χρήματα εἰσφέροντες πένητες γιγνόμενοι πρὸς τῷ καθ' ἡμέραν ἀναγκάζωνται εἶναι καὶ ἧττον αὐτῷ ἐπιβουλεύωσιν;* — *Δῆλον.* Itaque bella quaerere tyrannum ut se necessarium reddat et populus, pauper inopsque factus *τῷ εἰσφέρειν χρήματα*, i. e. *εἰσφοράς* solvendo, domino adversari iam nequeat; ex ordinariis enim reditibus nunquam fere bellorum sumptus fieri, sed e tributis extraordinariis de tota fortuna exactis, et aliis in civitatibus et in iis, quibus tyranni praesint; cum autem tyrannus plura bella de industria gerat, eum plura quoque tributa imperare. Haec voluisse Platonem, communi verbi sensu usum, certum videtur et Platone teste tyranni propria erat *εἰσφορῶν* exactio [1]). Quid igitur de Aristotele eius imitatore de iisdem rebus similibus verbis locuto putas?

Tamen ea, quae proposui, non ante mihi demonstravisse videbor, quam probavero revera tyrannos tributis indulsisse; quod in tertia huius disputationis paragrapho suscipere liceat.

III. De tyrannorum tributis. Data opera solus Andreades, cuius optimum opus iam bis laudavi, tyrannorum *oeconomiam*, quam dicunt, tractavit (I p. 132—151). Reditus autem in partes tres dividit (p. 146 sq.): *αἱ δημεύσεις, τὸ φορολογικὸν σύστημα, αἱ παρεισπράξεις*, e quibus prima hic non refert, secunda nobis magni momenti est. *Ἂν ἀναφέρεται*, scribit doctus Atheniensis (p. 148), *ὅτι ὁ Περίανδρος ἐκάλυπτε πάσας αὐτοῦ τὰς*

1) Cf. etiam in *Republica* (VIII p. 568 *d* 7): *Δῆλον, ἔφη, ὅτι, ἐάν τε ἱερὰ χρήματα ᾖ ἐν τῇ πόλει, ταῦτα ἀναλώσει, ὅποι ποτὲ ἂν ἀεὶ ἐξαρκῇ τὰ τῶν ἀποδομένων, ἐλάττους εἰσφορὰς ἀναγκάζων τὸν δῆμον εἰσφέρειν.* Ita saepe ad tributa eum decurrere putat, ut laetetur se aliquando etiam dis spoliatis populo minora imponere posse.

Digitized by Google

δκπάνασ ἐκ τῶν ἐμμέσων Φόρων καὶ ἂν οἱ ἀναπτύξαντεσ τὴν ἐμπορίαν καὶ τὴν βιομηχανίαν ἀρχαῖοι τύραννοι πολλὰ ἀναμφιβόλωσ ἤντλουν ἐκ τῆσ ἐξωτερικῆσ καὶ ἐσωτερικῆσ ἐμπορίασ, ὀλίγοι δ' ὅμωσ ἦσαν οἱ δυνάμενοι νὰ ἰσοσκελίσωσι τοὺσ ὀγκώδεισ αὐτῶν προϋπολογισμοὺσ μὲ μόνα τὰ ἔσοδα ταῦτα. Δι' ὃ κατ' ἀντιδιαστολὴν πρὸσ τὰ ἐν ταῖσ ἐλευθέραισ πόλεσι βλέπομεν αὐτοὺσ προστρέχοντασ εἰσ τοὺσ ἀμέσουσ Φόρουσ ὑπὸ πάσασ τὰσ τότε γνωστὰσ μορΦὰσ αὐτῶν. Recte quidem. Tributum autem, quod a Dionysio coactum paulo post capitationem vocat, id, ut supra exposuimus, rectius εἰσΦορά vocatur [1]). Cum denique inter τὰσ παρεισπράξεισ, ut sunt templa spoliata, orbi defraudati, nummi adulterati, etiam (p. 151) commemorat τὴν ἐπιβολὴν βαρυτάτων ἐκτάκτων Φόρων, exemplis usus iis, quae de Cypselo et Dionysio narrantur [2]), libenter ei concedo eas fuisse immoderatas et crudeles exactiones, sed ipse, ni fallor, concedet eas εἰσΦοράσ quoque rectissime dici posse. Itaque ex iis, quae de tyrannorum re nummaria optimus iudex disputavit, facile colligo Aristotelem summo iure talia tributa attulisse ut probaret tyrannorum subiectos pauperes evasisse. Quid enim aptius afferret? Num bonorum publicationes, quae paucos consequantur? Num orborum spoliationes, quae ad ceteros non pertineant? Num τὴν κιβδηλείαν, quae res intricatior sit quam ut verbi gratia memoretur? An fortasse τὰ τέλη, quae nusquam desint? Minime, sola idonea erat ἡ εἰσΦορά.

Quomodo tyranni inopia adducti argentum contulerint, exemplis docet falsus ille Aristoteles, cui debemus Oeconomicorum librum secundum [3]), et saepius εἰσΦοράσ commemorat his locis:

1) p. 1346 a 32: Cypselus Corinthi tyrannus Corinthios ἐκέλευσεν ἀπογράψασθαι, ἀπογραψαμένων δὲ τούτων, τὸ δέκατον μέροσ παρ' ἑκάστου ἔλαβε, τοῖσ δὲ λοιποῖσ ἐκέλευσεν ἐργάζεσθαι, idque decem annis fieri iussit. Nonne vera est εἰσΦορά, decies

1) Cf. p. 398. Nec magis capitationem vocem, quod iussit Hippias ([Arist.] *Oecon.* II p. 1347 a 14); est enim vectigal de singulis mortuis et natis, non de omnibus hominibus exactum. Num etiam τὸ πορνικὸν τέλοσ, vectigal simile, capitationem appelles?

2) De quibus mox infra.

3) Eum edidit Susemihl anno 1887; commentationes scripserunt anno 1907 F. Riezler et P. Schneider.

Digitized by Google

repetita, qua semper decima pars τῆς ἀπογεγραμμένης οὐσίας solvebatur, etsi ipsum nomen deest?

2) p. 1348 a 4: Mausolus, quem tyrannum Cariae auctor vocat, a ditissimis incolis argentum requirit. Κατασκευαστοὶ δ' ἄνδρες αὐτῷ εὐθέως ἐπηγγέλλοντο, ὅσον εἰσοίσει ἕκαστος. Τούτων δὲ τοῦτο πραξάντων, οἱ εὐπορώτεροι... πολλῷ τούτων ⟨πλείω⟩ ἐπηγγέλλοντο καὶ εἰσέφερον.

3) *ibid.* 11: Idem Mylasenses iussit argentum inferre quantum poterant, φάσκων αὐτοὺς τοῖς νῦν εἰσενεχθεῖσι καὶ τὰ λοιπὰ σῴζειν. Εἰσενεχθέντων δὲ πολλῶν κτλ.

4) p. 1349 a 25: cf. supra p. 398.

5) *ibid.* 36: Dionysius Syracusanus πάλιν δεηθεὶς χρημάτων ἠξίου τοὺς πολίτας εἰσενεγκεῖν αὐτῷ κτλ.

6) p. 1349 b 6: Dionysius tantopere tributis indulsit ut noster praedicet: τῶν δὲ πολιτῶν διὰ τὰς εἰσφορὰς οὐ τρεφόντων βοσκήματα κτλ. Eum locum in paragrapho quarta separatim tractabo.

7) p. 1351 b 1: Memno Rhodius Lampsaci dominus πρεσεισφοράν quandam a ditissimis civibus poposcit; ἐπεὶ δὲ οἱ ἄλλοι πολῖται εἰσήνεγκαν, ἐκέλευσε κτλ.

8) *ibid.* 6: Idem πάλιν δεηθεὶς χρημάτων ἠξίωσεν αὐτοὺς εἰσενέγκαι, κομίσασθαι δὲ ἐκ τῶν προσόδων· οἱ δ' εἰσήνεγκαν κτλ. Quamquam argentum e reditibus reddendum est, tamen eam quoque εἰσφοράν vocare possumus.

9) *ibid.* 19: Charidemus quorundam Aeoliae oppidorum dominus χρημάτων ἐδεῖτο εἰς τοὺς στρατιώτας. Τὸ μὲν οὖν πρῶτον εἰσέφερον αὐτῷ, εἶτα οὐκέτι ἔφασαν ἔχειν.

Ecce praeter Dionysii exemplum, quod ipse, quem tractavimus, locus dedit, alia exempla novem, quae thesim nostram demonstrant. Recte contendit Aristoteles tributum, quod εἰσφορά vocatur, libenter a tyrannis usurpatum esse.

IV. [Arist.] *Oecon.* II p. 1349 b 6. Hic locus uberius nunc tractandus, quia demonstrare mihi videtur quo modo Dionysio tyranno Syracusis ἡ εἰσφορά exacta sit, et a quibus possessionibus, quid tunc ἡ οὐσία valuerit. Haec legimus: Τῶν δὲ πολιτῶν διὰ τὰς εἰσφορὰς οὐ τρεφόντων βοσκήματα εἶπεν (Dionysius) ὅτι ἱκανὰ ἦν αὐτῷ πρὸς τοσοῦτον· τοὺς οὖν νῦν τι κτησαμένους

Digitized by Google

ἀτελεῖσ ἔσεσθαι. Πολλῶν δὲ ταχὺ κτησαμένων πολλὰ βοσκήματα, ὥσ ἀτελῆ ἐξόντων, ἐπεὶ καιρὸν ᾤετο εἶναι, τιμήσασθαι κελεύσασ ἐπέβαλε τέλοσ. Οἱ οὖν πολῖται ἀγανακτήσαντεσ ἐπὶ τῷ ἐξηπατῆσθαι, σφάζοντεσ ἐπώλουν. Ὡσ δὲ πρὸσ τοῦτο ἔταξε σφάζεσθαι ὅσα δεῖ τῆσ ἡμέρασ, οἱ δὲ πάλιν ἱερόθυτα ἐποίουν· ὁ δὲ ἀπεῖπε θῆλυ μὴ θύειν. Utrum tota narratio fide digna sit annon, difficile diiudicemus, cum alii auctores rerum de hac re sileant. Cum tamen plerumque vera rectaque referat noster, caute agemus, dum contraria pateant, si haec quoque probabimus. Fieri etiam potest ut ipsa quidem narratio ex parte ficta sit, sed res et institutiones, quibus nitatur, prorsus verae. P. Schneider, quem iam laudavi, commentarii pagina 85 adnotat: *εἰσφορά also hier dasselbe was p. 1346 a 3 ἐπικαρπία oder δεκάτη* [1]); tum ita vertit: *Als die Bürger wegen der Viehsteuer keine Rinder mehr aufzogen, verkündigte er, die Zahl der Rinder sei zur Erzielung einer genügenden Viehsteuer für ihn hinreichend, so wie sie jetzt sei.* Alter recens commentator Riezler aliter verba interpretatur quae sunt πρὸσ τοσοῦτον, sed id non refert.

Haud recte synonyma dicunt εἰσφοράν et ἐπικαρπίαν καὶ δεκάτην. Haec enim designant annuum vectigal pecoris fructibus impositum, quod semper τέλοσ vocant Graeci, nempe τὸ βοσκημάτων τέλοσ, nunquam εἰσφοράν. Accedit quod auctori ipsa illa vocabula nota sunt; quae si vellet, ea usurparet. Ultimum id est quod numerus pluralis (διὰ τὰσ εἰσφοράσ) nullam habet rationem, si ad ordinarium vectigal spectat, solumque valet, si agitur de extraordinariis coactionibus, quarum unaquaeque seorsum a ceteris stat. Nonne ita vertendum: ob singula tributa extra ordinem imperata? Quod si verum, etiam alia nos docet anonymus auctor: pecus quoque ad fortunam pertinuisse, quae tributum toleraret. Neque mirum id videtur: agri et horti iam ab initio onerabantur, ut par erat; terrae autem quae nec arantur nec seruntur, pascua dico, fructum habent eo quod bobus capris ovibus victum praebent. Si accurate spectamus, εἰσφορά, quae pecus quoque complectitur, tamen ad solum terrae pretium constituitur.

---

1) Πέμπτη δὲ (πρόσοδοσ τῆσ σατραπικῆσ οἰκονομίασ) ἡ ἀπὸ τῶν βοσκημάτων, ἐπικαρπία τε καὶ δεκάτη καλουμένη.

Digitized by Google

Alterum id est: veri simile esse Syracusis tunc res mobiles, argentum, res pretiosas, merces, pecunias debitoribus argentariisve creditas, non annumeratas esse toti fortunae. Homines enim earum rerum semper possessionem praeferunt quaeruntque, de quibus non vel minus penditur; quod Syracusani fecerunt, cum pecus identidem tributis oneratum reliquerunt, opesque suas alibi posuerunt; ubi primum vero a tyranno liberatum est pecus, neque iam id τῷ τῆς οὐσίας τιμήματι adscribi debuit, acres alacresque novo quaestus faciendi modo incubuerunt [1]). Dionysius tamen versutus, cum videret multos denuo stabula plena habere, τιμήσασθαι κελεύσας ἐπέβαλε τέλος. Iterum sua vis vocabulis relinquatur. Non iam agitur de tributo extraordinario, neque iubet tyrannus quod nuper retractavit; immo novum et commune vectigal, quod in posterum mansurum est, ipsum τέλος βοσκημάτων imponit. Id ex aestimatione bestiarum pretii, τιμήσασθαι κελεύσας, computat; quod addit auctor ideo quia vere non est ἐπικαρπία sive δεκάτη; haec enim si essent, inepte ipsa animalia mactarent, sufficeret procreationem inhibere [2]). Fidei violatae reus esse Dionysius non videtur, sed astuti artificii. Ἀτελεῖς enim significat: immunes tributi, quatenus a pecore quoque exigatur; ὡς ἀτελῆ ἐξόντων: fingentes sibi de pecoribus prorsus nihil iam ulla ratione pendendum fore.

1) Syracusanis, ut Dionysio innotuerat, non deerant opes. Cf. p. 1349 a 34.

2) Quare τέλος βοσκημάτων non semper est δεκάτη τῶν τικτομένων; quod recte affirmat Andreades *o. l.* p. 149, cf. p. 125. Compares τέλος ἀνδραπόδων de quo Xenophon *de vect.* IV 25 (cf. notam recentis editoris I. H. Thiel, 1922, p. 24).

Digitized by Google

DE VERBORUM QUAE VULGO DICUNTUR IMITATIVA NATURA ET ORIGINE.

SCRIPSIT

J. D. MEERWALDT.

II.

In priore huius quaestionis parte generalem et nativam verborum *παίζω* et *κουρίζω*, *κο(υ)ρίζομαι* vim in eo positam fuisse cognovimus, ut ipsa significaretur agendi sentiendi loquendi ratio *παίδων* et *κο(ύ)ρων* (*-ῶν*) propria, sive in ipsis notaretur sive in aliis quacunque de causa notam similem praebentibus. Hoc ergo quantum ad genus attinebat, specialia autem et angustata omnia ultro se inde explicuerunt. Eandem rationem obtinere videbimus in ceteris huius familiae verbis, neque id in iis tantum quae ad communia redeant nomina, verum pariter in frequentioribus iis, quae a nominibus vel gentium vel personarum propriis ducuntur quibusque speciatim nomen est inditum 'imitativorum'. Initium faciemus ab iis quae redeunt ad nomina communia.

Series a *κουρίζω*, *-ομαι* coepta multis et variis continuatur, ex quibus quae imprimis notatu digna videntur haec sunt: *ἑταιρίζω*, 'socium se ferre', 'meretricis vitam agere', i. q. — *ομαι* et *-εω*. — *ἀνδρίζομαι*, 'virum se praestare', activum factitive ut *κουρίζω* interdum. — *νεανίζω*, 'iuvenilem (intemperantem v. c.) se praebere', i. q. — *ευομαι*. — *γυναικίζω*, *-ομαι*, 'muliebrem se praebere', de ipsis mulieribus speciali sensu 'menstruare'. — *πατρίζω*, 'moribus et ingenio patris sui similem esse', 'patrissare', *neerl.* 'een aardje naar z'n vaartje hebben', vel quod propius ad ipsam locutionem graecam accedit 'echt z'n vader zijn'. – *πολιτίζω*, 'virum civilem (civem) se praebere', i. q. *-ευω*, *-ευομαι*. – *βασιλίζω*,

Digitized by Google

'unum ex regiis esse', *-ομαι*, 'regium se praebere', 'regem agere'. — *ἀνθρωπίζω*, *-ομαι*, 'vere hominem se praebere', i. q. *-ευομαι*; compositum *συνανθρωπίζω*, *-ομαι* modo de homine ab hominum societate non alieno dicitur, modo de animalibus domesticis et quodammodo una cum homine vitam humanam viventibus: *τὰ συνανθρωπίζοντα ἡμῖν θηρία*. — *Κυνίζω*, 'canum more vivere'. — *ἀλωπεκίζω*, 'vulpinari' 'vulpina quadam astutia uti'. — *βατραχίζω*, 'ranae in modum subito se extendere' (medic.). — *πιθηκίζω*, 'simiae quae sunt propria facere', 'simiae similem se praebere'. — Horum omnium vis propria in eo est posita, ut ipsa per se significetur nota ac ratio *δειν-ικη*; is vero qui *δειν-ιζει* utrum imprudens an de industria eiusmodi notam praebeat, id iam nihil ad universam horum verborum naturam pertinet. Ex nostro sermone conferri possunt nonnulla ab animalium praesertim nominibus ducta, velut *kikkeren*, 'coxim prosilire ut ranae', *ijsberen*; 'brevi spatio ultro citroque meare ut ursi polares'; *wurmen*, 'se torquere ut vermes' > 'satagere'; notatu etiam dignum est *menschelen* [1]), 'homini similem se praebere', quod legitur Joh. de Brune de Jonge, *Emblemata of Sinnewerck* p. 197: „Om niet van apen en pavianen te spreken, die zoo wat schijnen te menschelen en op onze gedaente te trekken"; ceterum *luilakken*, 'pigrum se praebere'; *stumperen*, 'parum dextrum se praebere'.

Iam ad ea nos convertamus, quae ducuntur a nominibus vel gentium vel personarum propriis. Apud Kühner-Blass, *Ausf. Gramm.* I 2 § 328 de his sic agitur: 'die von Eigennamen gebildeten auf *ίζω* (*ιάζω*) bezeichnen *das Streben nach Aehnlichkeit* in Sitte, Wesen, Sprache, Gesinnung mit einzelnen Individuen oder ganzen Völkern (Verba Imitativa)'. Exempla proponuntur ibidem: *δωρίζω*, ich ahme den Dorier (*Δωριεύς*) besonders in seiner Sprache nach (*δωριάζω* besonders in seiner Tracht); *ἑλληνίζω*, ahme den Hellenen (*Ἕλλην*) nach, spreche griechisch; *μηδίζω*, bin medisch gesinnt, v. *Μῆδος*; *ἀττικίζω*, bin attisch gesinnt, (spreche attisch); *φιλιππίζω*, halte es mit Philippos'. — Vides omnia hic deduci ex imitandi quodam

1) Desideratur in *Wdbk der Ned. taal*; locum mihi indicavit A. Zijderveld collega.

Digitized by Google

capite ac principio: ut in δωρίζω ordo semanticus proponitur *Dores imitari* > *dorice loqui* ita in μηδίζω *cum Persis facere* subesse fingitur sensus nativus *id agere ut similiter sentias ac Persae* ('Streben nach Aehnlichkeit... in Gesinnung'). Pravae huius rationis, quae historia sermonis neglecta ex nomine a grammaticis invento proficiscitur, complura sunt exempla apud Stephanum in Thesauro, ubi v. c. ἀττικίζω statim explicatur *atticisso, h. e. Atticos sequor, Atticos imitor s. aemulor, et peculiariter in dictione*, cf. ibid. δωρίζω. — Pauciora iam inveniuntur in recentioribus lexicis, sed remanent tamen vestigia, velut apud Pape-Benseler δωρίζω explicatur 'die Dorier nachahmen, bes. wie ein Dorier sprechen'; quin etiam in recentissima editione Liddelli et Scotti sub eadem voce adhuc legimus: *imitate the Dorians in life, dialect etc., speak Doric Greek*, et s. v. ἑλληνισμός: *imitation of the Greeks, Hellenism*..... II *use of a pure Gr. style and idiom*.... 2. *use of the* κοινή.... III *paganism*. Cf. etiam Brugmann-Thumb l. l. (supra pag. 159).

Vera quae sit ratio et ordo semanticus huiusmodi verborum, ex iis quae supra tractavimus facile intellegitur. Proficiscendum est enim ex sensu prisco et generali *talem vel talem notam praebendi*, cetera autem omnia specialia sunt et secundaria, in his sensus imitativus, quem non primo sed ultimo loco referendum esse ipsa sermonis ratio docet. Trifariam autem cum fere adhiberi soleant haec verba, atque ita ut modo ad vitae, habitus, morum provinciam pertineant, modo ad consensum politicum, modo denique ad genus loquendi, singula haec capita deinceps perlustrabimus.

De Daedalo homine Attico egregie a pictore expresso apud Philostratum *Imag.* 16 p. 787 haec legimus: ὁ Δ. ἀττικίζει μὲν καὶ τὸ εἶδος, ὑπερτόφθν τι καὶ εὔνουν βλέπων, ἀττικίζει δὲ καὶ αὐτὸ τὸ σχῆμα. Habes usum proprium et nativum 'notam prae se fert hominis vere Attici'; sic adulescentes κουρίζειν, homines ἀνθρωπίζειν, cives πολιτίζειν dici supra notavimus. Plane autem eadem est vis verbi, cum ad aliud subiectum refertur, quod quacunque de causa non suae ipsum patriae sed Atticae notam praebeat, velut legimus apud Athenaeum XIV 652 D: τὰς Βριγινδαρίδας καλουμένας ἰσχάδας τῷ μὲν ὀνόματι βαρβαρίζειν, ταῖς δὲ ἡδοναῖς οὐδὲν ἧττον τῶν Ἀττικῶν ἀττικίζειν· ubi verbum βαρ-

Digitized by Google

βαρίζειν prorsus eodem est loco atque verbum ἀττικίζειν. Idem denique usus erit, si quis de gente βαρβάρων ἠλληνισμένων dicat: ἀπὸ τούτου τοῦ χρόνου οὔκετι βαρβαρίζουσιν, ἀλλὰ τὰ πλεῖστα ἤδη ἑλληνίζουσι τῇ διαίτῃ, i. e. οὔκετι βαρβαρικῶς, ἀλλὰ ἑλληνικῶς ζῶσιν. Quod illud olim fecerunt ex consuetudine naturali, hoc vero iidem iam faciunt ex consuetudine per imitationem aliquando invecta, id quantum ad vim sermonis attinet nihil omnino interest; hoc enim unum spectat is qui loquitur, ut ipsas vivendi rationes describat diversas, illam nota barbarica, hanc graeca insignem. Imitativus vero sensus ibi demum exsistit, ubi revera *cogitatur* de τοῦ δεῖνα exemplo ab aliis expresso. Ita πυθαγορίζω, ut hoc utamur, proprio et notivo sensu pertinet ad significandam ipsam vitae agendae rationem pythagoricam (i. e. continentem ac sobriam) 'pythagorice vivere', speciali autem sensu valebit 'Pythagorae exemplum imitari'. Alio ut exemplo utamur, hominem Atticum et patrii moris conservantem sic increpare puta civem suum vestitu horridiore et laconico insignem: κακόζηλον τὸ λακωνίζειν τοῦτο, 'putidum hoc Laconem agere'; sensu imitativo nimirum. Idem vero cum dicet: τὸ λακωνίζειν τοῖς Λάκωσιν ἐῶμεν, generali et notivo sensu eodem verbo utetur, 'more laconico vivere', 'cultu ac victu laconico uti'.

Sequitur, ut dicamus de eo notivorum usu, qui pertinet ad significandum consensum politicum, v. c. ἑλληνίζω, μηδίζω, φιλιππίζω, sc. τῇ γνώμῃ, id quod nonnumquam additur; eodem sensu dicitur τὰ τῶν Ἑλλήνων φρονεῖν κ. τ. λ., 'Graecorum e. q. s. rebus studere'. Vis est propria 'graece sentire', quod latine sane fautivo hoc sensu non dicitur, nostro vero sermone plane similiter dicimus 'Griekschgezind zijn': proprie scil. 'graece animo affectum esse', voluntate vero eius, qui dicit, significans 'Graecis cupere'. Conferri etiam possunt adiectiva substantiva eiusmodi qualia sunt *lat.* 'populares', *neerl.* (*arch.*) 'de Staatschen', *germ.* 'die Völkischen', in quibus terminatio forma et origine notiva vim habet eam quam diximus fautivam: 'de zaak van... toegedaan', ut vernacule dicimus.

Ex rei natura consequitur, ut semper fere δειν-ίζω τῇ γνώμῃ dictum sit de aliis aliorum rebus studentibus, consentaneum vero est eadem haec relata fuisse ad eos, bene qui cuperent

Digitized by Google

suae ipsi reipublicae, velut Philippi temporibus sic aliquem Athenis locutum puta: *οὐχ ἑλληνίζειν, μᾶλλον δὲ φιλιππίζειν, δεῖ ἡμᾶς, ἀλλ' ἀττικίζειν*, i. e. 'Wij moeten niet zooals gij het noemt groot-Grieksch, of liever zooals ik het noem Philippisch, maar wij moeten Atheensch [1]) gezind zijn'; cuncta eadem ratione fautive, licet ipsi sint Graeci et Attici, Philippi eidem non sint.

Apparet, opinor, quam falsum sit verbo *φιλιππίζω* et similibus politicis propter nomen illud grammaticae tralaticium sensum quendam imitandi tamquam inculcare.

Postremum agendum est de eo horum verborum usu, qui ad ipsius sermonis notam significandam pertinet, v. c. *ἑλληνίζω, βαρβαρίζω* sc. *τῇ φωνῇ*, quod est ubi additur. Conferri possunt nonnulla ex linguis recentioribus, quae in hoc tamen differunt, quod ea dumtaxat quae a iusta loquendi norma recedere videantur notivis huiusmodi significantur. *Neerl.* ut parum decora omittamus: *ouwerwijven*, 'aniliter nugari'; *koeterwalen*, 'confuse et barbarice loqui' (*Waal*, 'homo Franco-gallus'); *francogall.* eodem sensu *brétonner; germ. kauderwelschen, wälscheln, schwäbeln, kindeln* (arch. et dial.), *jüdeln*. Apud Graecos vero quaevis ratio loquendi, sive iusta et elegans, sive vitiosa aut insolita, promiscue per *-ιζω* significari solebat: *ἑλληνίζω, βαρβαρίζω, τραυλίζω, κ. τ. λ.*. Horum omnium sensus est priscus et proprius 'ipso sermonis genere hanc vel hanc notam praebere', usu autem valent 'hoc vel hoc sermone uti', 'sic vel sic loqui'. Quam ineptum hic sit ex imitandi notione proficisci, paucis his exemplis demonstratur, quibus ad naturale gentis ac nationis cum suo sermone vinculum attenditur. Herod. 2.57, *βάρβαροι ἦσαν..... ἕως δὲ ἐβαρβάριζεν, ὄρνιθος τρόπον ἐδόκεέ σφι φθέγγεσθαι*. Posidipp. (Kock III p. 345), *σὺ μὲν ἀττικίζεις, ἥνικ' ἂν φωνὴν λέγῃς | σαυτοῦ* [2]) *τιν', οἱ δ' Ἕλληνες ἑλληνίζομεν*. Theocr. 15. 93, *δωρίσδεν δ' ἔξεστι, δοκῶ, τοῖς Δωριέεσσι*. Cf. Grimm s. v. jüdeln: *er jüdelt*, 'man merkt an dem Juden in seiner Sprache

1) Cf. Van Lennep, *Rom.* 3. 266, 'Ik blijf even goed Hollandsgezind, ook al hoor ik nu en dan een Fransche predikatie'.

2) Sic scribendum nobis videtur pro *αὐτοῦ τινές*. Salmas. *αὑτοῦ τιν'*, Kock *αὐτῖτιν*. Quemadmodum Ἑλλ. et *ἑλλ.* respondent, ita *σύ* et *σαυτοῦ*.

Digitized by Google

welcher Abkunft er ist'. Ceterum nihil eo ipso mutatur sensus, si ad alienigenas eadem haec verba referuntur, velut ἑλληνίζειν ἐπίστασθαι de peregrino dictum nihil amplius valet quam 'graece loqui scit'. Imitandi notio tum demum accedit, cum cogitatur de alieno sermonis genere studiose expresso, v. c. ἀττικίζω quatenus speciali sensu designat ipsum τοῦ ἀττικιστοῦ officium, 'veterum Atticorum dictionem imitari'. Imprimis autem in eiusmodi exemplis cognoscitur usus imitativus, quale est εὐριπιδίζω, 'Euripideo genere dicendi uti', 'Euripidem imitari' (schol. Arist. *Eq.* 18). Ita vernacule aliquem dicere audivimus *Potgieteren*, cum vellet 'austerum et contortum illud genus dicendi Potgieteri imitari'. Ipsa ratio semantica eadem hic est quae apud Graecos, verbum notivum sensu cum adhibeatur imitativo; hoc vero interest, quod nostro sermone non fere nisi per iocum et ad occasionem talia finguntur, Graeci autem et frequentius et serio quoque eadem adhibere soliti sunt.

Digitized by Google

APOLLODORVS ANTIPHONTIS FILIVS.

SCRIPSIT

H. I. ROSE.

'Αντιφῶν πατήρ μ' ἔφυσεν, 'Αθὶς ἦν χώρα πά[τ]ρα,
ὄνομα 'Απολλόδωρ[ο]ς· τῶ⟨ι⟩ σῶμ' ἅδε ὅδε κρύ[πτ]ει πάφος.

Hunc titulum iam ante ab A. Maiurio editum (*Nuova silloge epigrafica di Rodi e Cos*, 1925, N⁰ 510); iterum nuper edidit A. Wilhelm (*Athen. Mitt.* LI, p. 11), sed emendatiorem: unam inesse opificis mendam docet, τῶι nempe pro genetiuo Dorico τῶ exaratum, totum epigramma e septenariis optimis constare. at, cum non liceat dispondaeum — δωρος τῶ σῶμ' in tetrametro ponere, atque is qui titulum composuerit uersificator non malus fuisse uideatur, praestat, ut opinor, alteram mendam tollere et ὦ, non τῶ, scribere.

Si quis quaerit cur eo metro, insolito sane, titulus sepulchralis scriptus sit, causa eius rei uidetur esse quod nomina Apollodori et Antiphontis uersu hexametro includi non possunt. in promptu mihi sunt duo tantum epigrammata in quibus hoc genus metri ad sepulchrum inscribendum adhibeatur, quamquam facile fieri potest ut alia quoque alicubi exstent; Euchidae cursoris titulum dico, a Plutarcho (*Arist.* 20) conseruatum, in quo bene cursor currentibus numeris laudatur, et Harpocrationis rhetoris (Kaibel 106, Append. Anth. Didot. II, 444), in quo nulla omnino causa fuit quin heroici aut elegiaci uersus scriberentur, nisi quod putaret uersificator semidoctus produci alterum nominis Harpocrationis alpha.

Digitized by Google

Digitized by Google

2 vols.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom,
B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, W. E. J. Kuiper,
J. D. Meerwaldt, J. C. Naber, A. G. Roos, M. C. Valeton,
H. D. Verdam, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUINQUAGESIMUM QUINTUM. PARS I.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1927.

Digitized by Google

INDEX

	Pag.
Donatea (continuantur ex vol. LII°, pag. 148), scripsit L. RANK	1—22
De Arriani Indicae dialecto Ionica, scripsit A. G. Roos . .	23—43
De duobus sermonis puerilis exemplis apud Theophrastum conservatis, scripsit J. D. MEERWALDT	44—53
Liviana III, (continuantur ex Mnemos. LIV pag. 41), scripsit C. BRAKMAN I. f.	54—65
Ad Plutarchi vitas, scripsit A. J. KRONENBERG	66—78
Ad Catonis librum de re militari, scripsit J. M. NAP . . .	79—87
De Aeschyli Prometheo, scripsit P. GROENEBOOM.	88—100
ΠΡΟΝΩΠΗΣ, scripsit W. E. J. KUIPER	101—103
ΠΤΡΑΣΤΡΟΝ, scripsit C. W. VOLLGRAFF	104—108
De testimonio Flaviano, scripsit L. VAN LIEMPT	109—116
De duobus locis Taciteis (Hist. V, C. 3 et 15), scripsit P. H. DAMSTÉ	117—120

Digitized by Google

Bibliotheca Philologica Batava quater in anno prodibit Kalendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 10.—.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Ii quorum disputationes huic inserentur bibliothecae, gratis duodena earum accipient exempla. Qui plura cupiunt ad tempus nos faciant certiores! Iidem rogantur ut illas aut quam nitidissime scribant aut prelo Britannico („type-writer") utantur et sic parcant impensis.

Hoc loco posthac, ab Academia Regia disciplinarum Nederlandica rogati, quidquid philologici generis ab illa proximo trimestri tempore erit editum commemorabimus. Nunc prodierunt:

1. N. G. H. Deen, Over taalverwantschap, Meeningen en Vragen. Vol. 61, Ser. A, N° 2. *f* 0.40
2. J. van Gelder, Naar aanleiding van Hirt's „Ueber den Ursprung der Verbalflexion im Indogermanischen". Vol. 61, Ser. A, N° 3. „ 0.40
3. J. van Ginneken, De erfelijkheid der klankwetten. Vol. 61, Ser. A, N° 5 . . . . . „ 0.40

Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 8°. . . *f* 5.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. - 5.—.

—— Collectanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 8°. . . . . - 5.—.

Halbertsmae, Tjallingi, Adversaria Critica. E schedis defuncti selegit, disposuit, edidit H. v. Herwerden. Accedit Epimetrum de Codicibus Bibliothecarum exterarum quos descripsit aut adhibuit Halbertsma. gr. in-8°. . . . . - 3.—.

J. J. Hartman, De Ovidio Poeta commentatio. 8°. . . . - 2.10.

—— Analecta Tacitea. 8°.. . . . . - 5.—.

—— De Plutarcho scriptore et philosopho. gr. in-8°. . . - 8.50.

Lysiae Orationes. In usum studiosae iuventutis textum constituit C. G. Cobet. Editio quarta, quam novis curis recensuit J. J. Hartman. (Editio maior prolegomenis, fragmentis, indice nominum aucta). 8°. . . . . - 2.90.

Manilii, M., Astronomica. In het Nederlandsch vertaald door J. van Wageningen. 8°. . . . . - 2.70.

Smits, J. C. P., De geschiedschrijver Herodianus en zijn bronnen. Een poging tot analyse van zijn werk. 8°. . . . . - 2.10.

—— Die Vita Commodi und Cassius Dio. — Eine quellenanalytische Untersuchung. 8°. . . . . - 2.10.

Valeton, M., De Iliadis fontibus et compositione. 8°. . . - 3.50.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, TJ. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . . - 30.—.

—— Nova series, Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XLVI colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, J. J. Hartman, P. H. Damsté, C. W. Vollgraff, 1873—1918. 8°. pro vol. . . . . - 5.25.

Xenophon, Anabasis. *(Graece)*. In usum scholarum edidit C. G. Cobet. Editio 9a, quam curavit M. Boas. Accedit tabula geographica. 1926. (XXIX. 256). 8°. . . . . - 2.20

—— Hellenica. *(Graece)*. In usum scholarum edidit C. G. Cobet. Editio 6a quam curavit M. Boas. Accedunt tabulae duae. 1916. (XV. 312). 8°. . . . . - 2.20

Ex officina typographica et bibliopolio quae antehac E. J. Brillii fuerunt.

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom, B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, W. E. J. Kuiper, J. D. Meerwaldt, J. C. Naber, A. G. Roos, M. C. Valeton, H. D. Verdam, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUINQUAGESIMUM QUINTUM. PARS IV.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1927.

Digitized by Google

INDEX.

Pag.

Ad Petrum Helbertum Damsté epistula qua strenam ab amicis olim discipulis oblatam prosecutus est H. WAGENVOORT . . . . . 335—336

De vocabulorum ordine observationes nonnullae, scripsit M. R. J. BRINKGREVE . . . . . 337—359

De Ioanne Goropio Becano, scripsit P. C. DE BROUWER . . 360—364

De Matrimonio Atheniensi, scripsit O. DAMSTÉ . . . . . 365—369

De antro Sibyllae Cumis nuper partim effosso, scripsit H. M. R. LEOPOLD . . . . . 370—376

Patres conscripti qui fuerint, scripsit I. H. VAN MEURS . . 377—385

„Pater Patratus" quid significet, quaesivit F. MULLER J.FIL. 386—394

De iudicio perduellionis sublato, scripsit E. H. RENKEMA . 395—400

De symbolica Phaethontis fabulae interpretatione apud Romanos, scripsit G. A. S. SNYDER . . . . . 401—409

De voce „paenitentia" apud Tertullianum, scripsit ST. W. J. TEEUWEN . . . . . 410—419

„Armaque" et similia in versu hexametro Latino, scripsit H. VROOM . . . . . 420—424

Sepulcrum incantatum, scripsit H. WAGENVOORT. . . . . 425—448

Digitized by Google

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA quater in anno prodibit Kalendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 10.—.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Ii quorum disputationes huic inserentur bibliothecae, gratis duodena earum accipient exempla. Qui plura cupiunt ad tempus nos faciant certiores! Iidem rogantur ut illas aut quam nitidissime scribant aut prelo Britannico („type-writer") utantur et sic parcant impensis.

Hoc loco posthac, ab Academia Regia disciplinarum Nederlandica rogati, quidquid philologici generis ab illa proximo trimestri tempore erit editum commemorabimus. Nunc prodierunt:

1. N. G. H. DEEN, Over taalverwantschap, Meeningen en Vragen. Vol. 61, Ser. A, N° 2. *f* 0.40
2. J. VAN GELDER, Naar aanleiding van Hirt's „Ueber den Ursprung der Verbalflexion im Indogermanischen". Vol. 61, Ser. A, N° 3. „ 0.40
3. J. VAN GINNEKEN, De erfelijkheid der klankwetten. Vol. 61, Ser. A, N° 5 . . . . . „ 0.40

Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 8°. . . *f* 5.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. - 5.—.

—— Collectanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 8°. . . . . - 5.—.

Halbertsmae, Tjallingi, Adversaria Critica. E schedis defuncti selegit, disposuit, edidit H. v. Herwerden. Accedit Epimetrum de Codicibus Bibliothecarum exterarum quos descripsit aut adhibuit Halbertsma. gr. in 8°. . . . . - 3.—.

J. J. Hartman, De Ovidio Poeta commentatio. 8°. . . . - 2.10.

—— Analecta Tacitea. 8°. . . . . - 5.—.

—— De Plutarcho scriptore et philosopho. gr. in-8°. . . - 8.50

Lysiae Orationes. In usum studiosae iuventutis textum constituit C. G. Cobet. Editio quarta, quam novis curis recensuit J. J. Hartman. (Editio maior prolegomenis, fragmentis, indice nominum aucta). 8°. . . . . - 2.90.

Manilii, M., Astronomica. In het Nederlandsch vertaald door J. van Wageningen. 8°. . . . . - 2.70.

Smits, J. C. P., De geschiedschrijver Herodianus en zijn bronnen. Een poging tot analyse van zijn werk. 8°. . . . . - 2.10.

—— Die Vita Commodi und Cassius Dio. — Eine quellenanalytische Untersuchung. 8°. . . . . - 2.10.

Valeton, M., De Iliadis fontibus et compositione. 8°. . . - 3.50.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, TJ. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . . - 30.—.

—— Nova series, Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XLVI colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, J. J. Hartman, P. H. Damsté, C. W. Vollgraff, 1873—1918. 8°. pro vol. . . . . - 5.25.

Xenophon, Anabasis. *(Graece)*. In usum scholarum edidit C. G. Cobet. Editio 9a, quam curavit M. Boas. Accedit tabula geographica. 1926. (XXIX. 256). 8°. . . . . - 2.20

—— Hellenica *(Graece)*. In usum scholarum edidit C. G. Cobet. Editio 6a quam curavit M. Boas Accedunt tabulae duae. 1916. (XV. 312). 8°. . . . . - 2.20

Ex officina typographica et bibliopolio quae antehac E. J. Brillii fuerunt.

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom, B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, W. E. J. Kuiper, J. D. Meerwaldt, J. C. Naber, A. G. Roos, M. C. Valeton, H. D. Verdam, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUINQUAGESIMUM SEXTUM. PARS I.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1928.

Digitized by Google

INDEX

	Pag.
Spicilegium criticum ad Apulei Metamorphoseon libros, scripsit P. H. Damsté	1—28
Ad Apuleium, scripsit A. J. Kronenberg	29—54
De Bacchylidis Carmine XVIII, scripsit W. E. J. Kuiper	55—59
Liviana V, (continuantur ex Mnemos. LV pag. 286), scripsit C. Brakman I. f.	60—69
Tacitus quae de Astrologia iudicaverit, scripsit C. Brakman I. f.	70—78
Suevi—Saevi, scripsit P. H. D.	78
Iterum de virginibvs Vestalibus, scripsit H. I. Rose	79—80
De Antiphontis oratione prima, scripsit J. H. Thiel	81—92
Quo tempore Lycophron Alexandram composuerit, scripsit Wm. Rollo	93—101
ΤΗΧΙΠΠΟΣ, scripsit G. Vollgraff	102—105
Titulus (I. G. III, 893) restitutus, scripsit P. I. Koets	105
Galenus correctus, scripsit Ch. Ch. Charitonides	106
Ad inscriptionem Atticam, Mnemos. LIII, 1925, p. 415 sq., scripsit E. H. S. et P. M.	107
Corrigendum	108

Digitized by Google

Bibliotheca Philologica Batava quater in anno prodibit Kalendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 10.—.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Ii quorum disputationes huic inserentur bibliothecae, gratis duodena earum accipient exempla. Qui plura cupiunt ad tempus nos faciant certiores! Iidem rogantur ut illas aut quam nitidissime scribant aut prelo Britannico („type-writer") utantur et sic parcant impensis.

Hoc loco posthac, ab Academia Regia disciplinarum Nederlandica rogati, quidquid philologici generis ab illa proximo trimestri tempore erit editum commemorabimus. Nunc prodierunt:

1. N. G. H. Deen, Over taalverwantschap, Meeningen en Vragen. Vol. 61, Ser. A, N° 2. *f* 0.40
2. J. van Gelder, Naar aanleiding van Hirt's „Ueber den Ursprung der Verbalflexion im Indogermanischen". Vol. 61, Ser. A, N° 3. „ 0.40
3. J. van Ginneken, De erfelijkheid der klankwetten. Vol. 61, Ser. A, N° 5 . . . . . „ 0.40

Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 8°. . . *f* 5.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. - 5.—.

—— Collectanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 8°. . . . . - 5.—.

Halbertsmae, Tjallingi, Adversaria Critica. E schedis defuncti selegit, disposuit, edidit H. v. Herwerden. Accedit Epimetrum de Codicibus Bibliothecarum exterarum quos descripsit aut adhibuit Halbertsma. gr. in-8°. . . . . - 3.—.

J. J. Hartman, De Ovidio Poeta commentatio. 8°. . . . - 2.10.

—— Analecta Tacitea. 8°.. . . . . - 5—.

—— De Plutarcho scriptore et philosopho. gr. in-8°. . . - 8.50

Lysiae Orationes. In usum studiosae iuventutis textum constituit C. G. Cobet. Editio quarta, quam novis curis recensuit J. J. Hartman. (Editio maior prolegomenis, fragmentis, indice nominum aucta). 8°. . . . . - 2.90.

Manilii, M., Astronomica. In het Nederlandsch vertaald door J. van Wageningen. 8°. . . . . - 2.70.

Smits, J. C. P., De geschiedschrijver Herodianus en zijn bronnen. Een poging tot analyse van zijn werk. 8°. . . . . - 2.10.

—— Die Vita Commodi und Cassius Dio, — Eine quellenanalytische Untersuchung. 8°. . . . . - 2.10.

Valeton, M., De Iliadis fontibus et compositione. 8°. . . - 3.50.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, TJ. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . . - 30.—.

—— Nova series, Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XLVI colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, J. J. Hartman, P. H. Damsté, C. W. Vollgraff, 1873—1918. 8°. pro vol. . . . . - 5.25.

Xenophon, Anabasis. *(Graece)*. In usum scholarum edidit C. G. Cobet. Editio 9a, quam curavit M. Boas. Accedit tabula geographica. 1926. (XXIX. 256). 8°. . . . . - 2.20

—— Hellenica. *(Graece)*. In usum scholarum edidit C. G. Cobet. Editio 6a quam curavit M. Boas Accedunt tabulae duae. 1916. (XV. 312). 8°. . . . . - 2.20

Ex officina typographica et bibliopolio quae antehac E. J. Brillii fuerunt.

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom,
B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, W. E. J. Kuiper,
J. D. Meerwaldt, J. C. Naber, A. G. Roos, M. C. Valeton,
H. D. Verdam, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUINQUAGESIMUM SEXTUM. PARS IV.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1928.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
In lexicographos, scripsit Ch. Ch. Charitonides	313—314
Arx Argorum, scripsit Guilielmus Vollgraff.	315—328
Stili differentia quatenus ex historia terminationis cuiusdam (*-ēre ~ -ĕrunt*) appareat, scripsit F. Muller J.fil. . . .	329—389
Antiphontea, scripsit J. H. Thiel	390—394
De tributo, quod εἰσφορά dicitur, scripsit B. A. van Groningen.	395—408
De verborum quae vulgo dicuntur imitativa natura et origine, scripsit J. D. Meerwaldt	409—414
Apollodorus Antiphontis filius, scripsit H. I. Rose	415

Digitized by Google

Bibliotheca Philologica Batava quater in anno prodibit Kalendis Januariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 10.—.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Ii quorum disputationes huic inserentur bibliothecae, gratis duodena earum accipient exempla. Qui plura cupiunt ad tempus nos faciant certiores! Iidem rogantur ut illas aut quam nitidissime scribant aut prelo Britannico („type-writer") utantur et sic parcant impensis.

Hoc loco posthac, ab Academia Regia disciplinarum Nederlandica rogati, quidquid philologici generis ab illa proximo trimestri tempore erit editum commemorabimus. Nunc prodierunt:

Vol. 61 (1926)	7.	C. W. Vollgraff, Argivisch Kabola	*f* 0.40
„ 63 (1927)	1.	D. C. Hesseling, La plus ancienne rédaction du poème épique sur Digénis Akritas.	„ 0.50
	3.	A. W. M. Odé, Reflexe von „tabu" und „noa" in den indogermanischen Sprachen	„ 0.50
	8.	H. von Arnim, Platons Dialog „Thrasymachos"	„ 0.50
	11.	F. Muller Jzn., „Augustus" . .	„ 0.60

Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 8°. . . *f* 5.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. - 5.—.

—— Collectanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 8°. . . . . - 5.—.

Halbertsmae, Tjallingi, Adversaria Critica. E schedis defuncti selegit, disposuit, edidit H. v. Herwerden. Accedit Epimetrum de Codicibus Bibliothecarum exterarum quos descripsit aut adhibuit Halbertsma. gr. in-8°. . . . . - 3.—.

J. J. Hartman, De Ovidio Poeta commentatio.. 8°. . . . - 2.10.

—— Analecta Tacitea. 8°.. . . . . - 5.—.

—— De Plutarcho scriptore et philosopho. gr. in-8°. . . - 8.50.

Lysiae Orationes. In usum studiosae iuventutis textum constituit C. G. Cobet. Editio quarta, quam novis curis recensuit J. J. Hartman. (Editio maior prolegomenis, fragmentis, indice nominum aucta). 8°. . . . . - 2.90.

Manilii, M., Astronomica. In het Nederlandsch vertaald door J. van Wageningen. 8°. . . . . - 2.70.

Smits, J. C. P., De geschiedschrijver Herodianus en zijn bronnen. Een poging tot analyse van zijn werk. 8°. . . . . - 2.10.

—— Die Vita Commodi und Cassius Dio. — Eine quellenanalytische Untersuchung. 8°. . . . . - 2.10.

Valeton, M., De Iliadis fontibus et compositione. 8°. . . - 3.50.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, TJ. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . . - 30.—.

—— Nova series, Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XLVI colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, J. J. Hartman, P. H. Damsté, C. W. Vollgraff, 1873—1918. 8°. pro vol. . . . . - 5.25.

Xenophon, Anabasis. *(Graece)*. In usum scholarum edidit C. G. Cobet. Editio 9a, quam curavit M. Boas. Accedit tabula geographica. 1926. (XXIX. 256). 8°. . . . . - 2.20

—— Hellenica. *(Graece)*. In usum scholarum edidit C. G. Cobet. Editio 6a quam curavit M. Boas. Accedunt tabulae duae. 1916. (XV. 312). 8°. . . . . - 2.20

Ex officina typographica et bibliopolio quae antehac E. J. Brillii fuerunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

STANFORD UNIVERSITY LIBRARY

To avoid fine, this book should be returned on or before the date last stamped below

Jul 12'40 FAC

APR 26 1976

LUO DEC 11 1986

LUO FEB 10 '89

Digitized by Google

Stanford University Libraries
3 6105 013 479 659

376399

Digitized by Google

STANFORD UNIVERSITY LIBRARY

To avoid fine, this book should be returned on or before the date last stamped below

APR 26 1976

LUO DEC 11 1986

LUO FEB 10 '89

Digitized by Google

Stanford University Libraries
3 6105 013 479 659

376399

Digitized by Google

Digitized by Google